Ex Libris

P. H. L. Wiseman.

ON OLIS

H. E. Booth

Oct: 13th

1852.

Eduard Fraenkel

1945

C. CORNELII TACITI

OPERA QUAE SUPERSUNT

AD FIDEM CODICUM MEDICEORUM

AB

IO. GEORGIO BAITERO

DENUO EXCUSSORUM

CETERORUMQUE OPTIMORUM LIBRORUM

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

VOLUMEN I.

TURICI,

SUMPTIBUS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

LONDINII, WILLIAMS ET NORGATE. AMSTELODAMI, IO. MUELLER.

M. DCCC. XLVI.

Ex Libris

P. H. F. Wiseman.

ON OLIS

H. S. Booth

Oct: 13th
1852.

Eduard Fraenkel
1945

C. CORNELII TACITI

OPERA QUAE SUPERSUNT

AD FIDEM CODICUM MEDICEORUM

AB

IO. GEORGIO BAITERO

DENUO EXCUSSORUM

CETERORUMQUE OPTIMORUM LIBRORUM

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

IO. GASPAR ORELLIUS.

VOLUMEN I.

TURICI,
SUMPTIBUS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.
LONDINII, WILLIAMS ET NORGATE. AMSTELODAMI, IO. MUELLER.
M. DCCC. XLVI.

IO. GASPARIS ORELLII
PRAEFATIO.

Satis nunc inter criticos constat in Taciti Annalium libris sex prioribus unicam esse auctoritatem Codicis Medicei Plut. LXVIII. I., in posterioribus et in Historiis Codicis eiusdem plutei II., omnes vero ceteros, qui Annalium L. XI—XVI. atque Historias continent, ex hoc ipso per varios veluti rivos esse deductos, ita ut eorum lectiones variantes pro coniecturis interdum, sed raro, felicibus, pro interpolationibus arbitrariis, pro meris denique erroribus habendae sint.

At vero nemo ante nos usus erat Codice Med. I., nisi Philippus Beroaldus iunior, Curtius Pichena, Iacobus Gronovius [1]), Franciscus del Furia; Codice II. etiam Petrus Victorius, de cuius cura in gratiam praesertim exterorum exscribo, quae tradit Walther Praefat. p. XXXVII.:

««In bibliotheca regia Monacensi habetur exemplum editionis Beroaldinae, quod quondam fuit Petri Victorii, in eoque libro invenitur collatio Codicis Med. II. a manu Victorii scripta. In fine Historiarum leguntur haec:

«Recognovi cum vetusto exemplari litteris Langobardis scripto ne ea quidem in conlatione omittens quae corrupta aliquo pacto videbantur, ne locus coniecturae emendaturo deesset. Est autem codex e Divi Marci bibliotheca. Florentiae MDXLII. Idibus Ian.

P. Victorius.»

««Inde ab undecimo libro Annalium Victorius scripturam Florentinam ab editione Beroaldi diversam adposuit plerumque in margine: breviores varietates, et si qua una alterave littera mutanda, in ipso contextu significavit. Quae deerant in Cod. Florentino, notata sunt lineolis vel punctis suppositis. Reperiuntur etiam animadversiones

1) Quae Theodorus Ryckius affert e Cod. Med. I., accepisse videtur a Iacobo Gronovio, antequam sibi amicitiam renuntiarent; nam in Editione a. M. DCC. XXI. Iac. Gronovius plerumque non sine despicientia quadam ac simultate Ryckii mentionem facit; merita eius, quantum memini, nunquam memorat.

ex ingenio Victorii profectae, quas ille a collatione libri Florentini distinxit praeposito *c* (hoc est, *corrige*). Quam diligentissime autem fieri potuit, Victorii notas expressi, ne minimis quidem omissis.»»

Probe ergo tenendum Victorium Cod. I. non contulisse, fortasse nunquam vidisse. At propter omnium harum collationum diversitatem haud infrequentem et propter silentium modo Pichenae, modo Gronovii, modo del Furiae et in Cod. II. maxime Victorii factum est, ut vel post Waltheri ac Bekkeri diligentes curas adhuc nullo certo fundamento niteretur, sed admodum fluctuaret tota Taciti critica tractatio. Quocirca saepe iam a philologis desideratum est, ut nova collatio quam accuratissima institueretur, quae priorum vitia corrigeret, omissiones suppleret, perpetuam rationem etiam scripturae haberet; quo tandem in hac saltem parte diplomatica, quam nunc dicunt, acquiescere liceret neque iam restaret nisi coniecturalis, cui sane etiam in posterum magnus erit campus.

Iam quod permulti optarant, ego pro virili parte exsequi statui; quo in consilio egregie adiutus sum auxilio optimi amici, cui praecipue, quidquid boni inest novae huic curae, debebunt lectores. Etenim honestissimis redemptoribus sumptus haud exiguos liberalissime subministrantibus, Io. Georgius Baiterus, collega meus, annis superioribus bis Florentiam profectus ibique a V. C. Francisco del Furia benigne exceptus, Codicem utrumque Mediceum denuo excussit, ingenti labore praesertim in extricanda difficillima illa scriptura Langobardica Cod. II. et indagandis litterarum evanidarum vestigiis exhausto, ac semper comparatis inter se Waltheri et del Furiae testimoniis, antequam codices ipsos examinaret. Quo autem res semel transigeretur neque postmodum moroso alicui cavillatori locus foret propter levissimas quasdam omissiones totam curam inique addubitandi atque exagitandi, quóque simul tota scripturae ratio valde sane fluctuans praesertim in assimilationibus consonantium *inritus*, *irritus*, ac similibus, singularum litterarum apices strenue perscrutatus est. Ego vero religioni habui silentio praeterire vel unam litterulam ab amico enotatam. Ipse tamen merito ad investigandam primam librarii manum attentissimus plerumque noluit excerpere etiam recentissimas correctiones Beroaldi aliorumque fortasse manu partim versibus superscriptas partim in margine additas; nam si quid boni praebent, iamdudum notae sunt et falsas cumulare nihil prorsus attinebat.

Praeterea nonnullas egregias coniecturas amico debeo, qui insuper strenuam operam insumpsit in corrigenda mecum operarum pericula.

Turici Kal. Maiis M. DCCC. XLVI.

* * *

Ceterum cum non cuivis liceat inspicere Bandinii Catalogum Codd. Latin. Bibl. Laur., operae pretium esse videbatur, ut diligens eius descriptio Codicum Florentinorum praecipuorum adiunctis etiam tribus illis recentioribus, quorum duos Baiterus contulit in duplici defectu Cod. II. Hist. I. 69.: *bilem imperatorem* usque ad C. 75.: *sub Othone incertum*, et Hist. I. 86.: *inopia quaestus* usque ad II. 2.: *Rhodum et Cyprum*, hic insereretur ex Catal. Vol. II. p. 831. seqq.

CODEX I.

Pluteus LXVIII.

Cornelius Tacitus.

Codex est anepigraphus, sed continet Cornelii Taciti libros V. (VI. inde a Lipsio) eosdem nimirum, quos in Germania inventos, et Leoni X. Pont. Max. oblatos [1]) ipse Leo in Epistola ad Beroaldum impressa in editione Romana [2]), fatetur magno se pretio redemisse, et ad communem studiosorum utilitatem imprimendos curasse. Liber I. inc. *Ab excessu Divi Augusti urbem Romam a principio reges habuere.* Liber V. def. *postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.* Adsunt in margine ipsius Beroaldi et aliorum eruditorum virorum castigationes et correctiones.

Interim hoc loco notandum, iam pridem Niccolum curasse, ut ea, quae desiderabantur, Taciti opera in Germania reperirentur. Sicco Polentonus de Scriptoribus illustribus Latinae linguae ad Polydorum filium Lib. VI. ex Mss. Riccardiano ita ad hanc rem scribit: «Librorum eius» (Taciti nempe) «numerum affirmare satis certe non audeo. Fragmenta quidem Libri undecimi, et reliquos deinceps ad vigesimum primum vidi, in quis vita Claudii, et qui fuerunt postea Caesares ad Vespasianum usque, ornate, ut dixi, ac copiose ornavit. Reliquos vero esse neque in terra Italia neque in Orbe usquam audio, quod quemadmodum pleraque alia egregia et clara volumina, operis magna pars aut penitus deleta sit, aut ita ullo quoque in angulo abdita lateat, quod istuc esse cognitum a nemine habeatur cet.»

Cum itaque multa ex Taciti operibus deessent, ut Niccoli voluntati

---

1) De Taciti parte a Poggio Bracciolino in Germania quaesita consulendus Cl. Mehus in Praef. ad Ambrosii Camald. Epp. pag. XLVII. De quinque Taciti Librorum inventione videnda Epistola Beati Rhenani ad Thomam Kappium Durlacensem, liberalium artium professorem cet. Basileae III. Kal. April. MDXV. pag. IV. Romam delatos pervenisse ad Franciscum de Soderinis S. R. E. Card. Volaterranum Episcopum constat ex excerptis, quae sunt in Cod. 379. chartaceo in fol. Biblioth. Gaddianae, nunc Mediceo Pl. XC. sup. Cod. 39. pag. 40. b.

2) Hanc editionem exhibet Codex III. huiusce Plutei.

morem gereret Poggius, nil omisit intentatum, ut per monachum nescio quem e Germania Tacitum erueret. In eius Epistola XXV. ad Niccolum [1]) data Romae v. Kal. Octobr. 1427.: «De Cornelio» (inquit) «Tacito, qui est in Germania, nil sentio. Exspecto responsum ab illo monacho cet.» Et in Epist. LX.: «Quidam monachus amicus meus ex quodam monasterio Germaniae, qui olim a nobis recessit, ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi, per quas scribit se reppcrisse aliqua volumina de nostris cet. Inter ea volumina est Iulius Frontinus, et aliqua opera Cornelii Taciti nobis ignota cet.» Et Epist. LXVI.: «Cornelius Tacitus silet inter Germanos, neque quidquam exinde novi percepi de eius operibus cet.» Tandem monachus Hersfeldensis Romam venit cum inventario aliquot librorum, in quibus Taciti volumen describebatur. Poggius in Epist. LXX.: «Mitto autem ad te nunc partem inventarii sui (id est, monachi illius), in quo describitur volumen illud Cornelii Taciti, et aliorum, quibus caremus cet.»

Res tamen in irritum cessit usque ad Leonis X. aetatem, quo quidem Pontifice Cornelii Taciti Libri quinque in Germania fuere inventi, ipsique Pontifici oblati. Animadvertenda etiam sunt illa, quae de Leone X. scribit in Epistola Taciti editioni Romanae praefixa Beroaldus iunior: «Age vero quanto hoc ipsum laude dignum est, quod propemodum praeconis voce ingentia praemia indagatoribus librorum proposuisti, si quos libros vetustas nobis invidit, alicunde e latibulis eduxissent? Quae venatio Cornelii Taciti hos primos quinque libros, qui per longum seculorum ambitum latuerant, in saltibus Germaniae invenit. Quam tu praedam ad te allatam, ac magna mercede comparatam cet.». Concinunt haec verbis illis, quae ad calcem dictae editionis apposita sunt, videlicet: «Nomine Leonis X. Pont. Max. proposita sunt praemia non mediocria his, qui ad eum libros veteres, neque hactenus editos attulerint cet.» Ad ea, quae de hisce quinque prioribus Cornelii libris praefatur laudatus Beroaldus accedant etiam quae Lipsius edisserit ad ea verba II. Annalium Capite IX.: *flumen Visurgis interfluebat.* «Mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, cui famam praecipue Tacitus dedit, et ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeiae, quod monasterium ad Visurgim est. Atque illinc depromptum vere hunc thesaurum quaestor quidam pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.» Lipsius idem in Dispunctione notarum Codicis Mirandulani addit: «Codicem illum tuum advocas, quorum unice unicum in tota Europa exemplar esse hactenus audimus.

1) Editionis curante clar. viro Laurentio Mehus pag. 78.

Id Leoni X. Pontifici Opt. Max. oblatum, in Corbeiensi monasterio ad Visurgim repertum, servat etiamnum inclita illa Bibliotheca Medicea.» Curtius Pichena adornavit editionem Taciti, omnium, ut ipse ait ad lectorem, emaculatissimam. Tres editiones fuisse a Magliabechio visas, ipse testatus est Ioanni Vincentio Coppio in Annalibus et memorabilibus S. Geminiani pag. 125., ubi agit de viris illustribus. Quarum editionum optima Francofordiensis est anni MDCVII. apud Claudium Marnium heredesque Ioannis Aubrii, et est secunda, vivo auctore, concinnata. Dedicata est Cosmo principi Etruriae, ubi inter cetera ad lectorem ait: «Innititur praecipue industria mea duobus exemplaribus Florentiae in inclita Medicea Bibliotheca adservatis. Alterum est in orbe terrarum unicum, Annales de Tiberii principatu complectens, in Germania olim repertum, et Leoni X. Pontifici oblatum, opera Philippi Beroaldi, qui tum temporis studio humaniorum litterarum florebat, in publicum emissum. Ceterum sive praecipua ac nobilissima pars tanti auctoris exspectati, citius quam res postularet, e manibus illius opus extorsit; sive qui metit haud ita demetit, ut nulla prorsus seges spicilegis relinquatur, non ea religione transcriptum et excussum, ut praesentis aevi fidei ac diligentiae satis fieret; quare haud minimum laboris a nobis positum in eruendis verioribus lectionibus ex compendiosa ac mutila scriptura. Bernardus Davanzati in glossis ad primum librum Taciti post pag. 39. ait: «Textum, ex quo ceteri omnes profluunt esse repertum anno MDXVI. (sic) in coenobio ad Visurgim, hodie Veserum in Germania, atque a Leone X. in Bibliothecam Mediceam translatum non accuratissima manu fuisse conscriptum.» Ioannes Mabillonius Itin. Italic. pag. 167. adfirmat Taciti Annalium libros quinque erutos fuisse ex Bibliotheca Fuldensi [1]), quo ex Codice prima horum librorum editio anno MDXV. curata est.

Codex membranaceus Ms. in 4. Sec. XI. [2]) forma ferme quadrata, optimeque servatus, quem antiquissimum exemplar appellat Holstenius in schedis suis Mss. et inter huius Bibliothecae insigniores Codices

---

1) Error est pro *Corbeiensi*. Or.

2) Huic nos seculo referendum esse opinamur; inter enim Codices IX. X. et XI. seculi, qui nulla aliunde chronologica distinguuntur adnotatione, nihil certi statui potest, cum propter characteris ut plurimum similitudinem, quam prae se ferunt, Codex interdum seculi noni ad decimum, et decimi ad undecimum pertinere posse videatur. Bandin. (Cum hoc Cod. Mediceo coniungendus est ex Cataldi Iannellii Catal. Bibl. Lat. Reg. Neap. Mus. Borb. Neapoli 1827. p. 90.: «Codex chartaceus in 4. clara et distincta litterarum forma descriptus Sec. XVI. iam medio: apographon dubio procul Codicis Leonis X.; habet enim C. Cornelii Taciti priores duos Annalium libros. Signatus IV. C. 24.» Cur quis, nisi forte ad fallendum otium, post Beroaldi editionem descripserit hanc Cod. Med. partem, profecto difficile est dictu. Or.)

reponit Mabillonius in Itinere Italico pag. 167. cum titulis librorum, primo excepto, charactere quadrato exaratis, qui olim duplo maior fuisse eruitur ex numeratione quaternionum; cum enim prior numero XVIII. notetur et ultimus XXXIV., patet integram Codicis medietatem desiderari. Constat foliis scriptis CXXXVIII. [1]) In Catal. Montfauc. sub num. XXV.

Cornelius Tacitus et Apuleius Langobardis characteribus exarati. Cod. II.

I. pag. 1. Codex est anepigraphus, et continet primo Cornelii Taciti ab excessu Divi Augusti libros XI., ab undecimo nimirum usque ad vigesimum primum inclusive, quorum singulorum initium et finis concordat cum editione Romana, quam exhibet Codex III. sequens, praeter finem Libri XX., qui ita desinit in Codice: *contra interpretabatur, neque vos impunitos patiantur.* Adsunt in margine summaria rerum, et adnotationes nonnullae diversa manu, sed valde antiqua.

II. pag. 104. b. Apuleii Platonici Madaurensis de Magia libri II., ut in Codice II. Plut. XXIX. supra pag. 4. §. I. ubi editionem Florentinam anni MDXXII. consuluimus. In calce libri primi characteribus quadratis Romanis scriptum est: *Ego G. Crispus Salustius emendavi Romae felix. Apulei Platonici Madaurensis pro se aput Cl. Maximum Procos. de Magia Lib. I. Explicit. Incipit Lib. II. Lege feliciter.* Itemque in calce libri II. legitur: *Apulei Platonici Madaurensis Prosae de Magia Lib. II. explicit. Ego Salustius emendavi Romae felix.* Loca Graeca, quae in hisce libris occurrunt, sunt ea quidem Graecis characteribus, sed valde corruptis et mendosis expressa; recentior tamen ac docta manus eadem in margine emendate diligenterque conscripsit.

III. pag. 126. Eiusdem Metamorphoseon, seu de Asino aureo Libri XI. praevio prologo, ut in dicto Codice §. II. In calce omnium librorum, primo et ultimo exceptis, legitur censoris subscriptio: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix*; in calce vero Libri IX. aliquanto longior ita habet: *Ego Sallustius legi et emen-*

---

1) Immo CXXXVII. Sunt enim plagulae XVII., quarum XVI. primae constant foliis VIII., septima decima autem tantummodo foliis VII.; tum sequuntur insuper duo folia separata; ultimi folii, cuius una dumtaxat pagina exarata est, quarta circiter pars abscisa est. In primis XI. plagulis quaeque pagina exhibet versus XXIV., insequentium plagularum paginae versus XXV., duorum foliorum separatorum pagina I. et II. vv. XXIV., pagina III. tantum vv. XVIII. Duplicem signaturam monstrat Codex, alteram I—XVII., alteram XVIII—XXXIV., quocirca primitus aliae plagulae XVII. praecessisse videntur. Bait.

DAVI ROMAE FELIX OLIBRIO ET PROBINO V. C. CONS. IN FORO MARTIS CONTROVERSIAS DECLAMANS ORATORI ENDELECHIO. RURSUS CONSTANTINUPOLI RECOGNOVI CAESARIO ET ATTICO CONSS. [1])

IV. pag. 184. Eiusdem Floridorum Libri IV. ut ibid. §. III. Subscriptio, quae habetur in fine Metamorphoseon est ab imperito supposita, Montfauconio etiam teste, qui Codicem hunc num. XXVIII. ideo recenset, cum hodie sit sub num. II., quod post Duccianum Catalogum, quem Montfauconius edidit, diversa Codicum quorundam inita fuerit numeratio.

Curtius Pichena, qui hunc vidit librum, eoque usus est, uti apparet ex syngrapha autographa ipsius Pichenae nona die Iulii 1599. in vetere Catalogo reposita, deceptus est, dum putavit, esse hunc Codicem eiusdem antiquitatis, ac praefert subscriptio Sallustii, et tempus Consulum. Ita enim in supra citata Praefatione lectorem adloquitur: »Alterum est exemplar barbaricis characteribus exaratum, quos Langobardicos appellant; sed meo iudicio haud recte; nam is liber exscriptus annis ab aevo hoc plus mille ducentis; adnexa enim sunt Apuleii nonnulla iisdem characteribus, et eadem, ut videtur, manu; ac frequens in libellorum fine subscriptio Crispi cuiusdam Sallustii, qui etiam alicubi ait: *Ego Sallustius legi* cet. Priores eo anno consules, quo Theodosius I. imperator obiit a Christo nato CCCXCV., alteri post biennium; necdum itaque eo tempore, quo liber est transcriptus, Langobardi in Italiam imperant.« Fallitur Pichena etiam, dum inferius adiungit: »itemque in priorum Annalium volumine *aliut*, *illut*, *istut*, *aput*, *haut*, *quit*, *aliquit*, *set*; nam non ideo crediderim sic antiquis usitatum, sed ex pronuntiatione Germanica inrepsisse, transcriptoris negligentia. In Virgiliano Codice *set* passim reperitur.« Mirum quod Franciscus Venturius patricius Florentinus sane doctus et acerrimi ingenii vir, cuius opera usus est hac in adornanda sparta Pichena, huius erroris et acriseos non commonuerit. Excusandus Pichena, qui ab ineunte aetate aulicis, ut de se ipso fatetur, occupationibus innutritus, politiora studia summis tantum labris delibaverit.

Codex membranac. Ms. in fol. Sec. XI. charactere Langobardico [2]) conscriptus, multis in locis evanidus, ubi posterior quidem, sed vetusta manus [3]) deleta verba in spatiis interlinearibus rescripsit; quem

---

1) Eadem subscriptio legitur etiam in dicto Cod. II. Plut. XXIX.

2) De scriptura Langobardica confer inter alios Natalis de Wailly *Éléments de paléographie. Paris* 1838. p. 650 seqq. Or.

3) Haec posterior manus haud ubique primam manum librarii accurate reddidit. Itaque factum videtur, ut interdum ab iis, qui vestigia primae manus propter legendi

admirabilem Codicem dicit Holstenius in schedis Mss. In principio haec legitur notula: «De XXII. banco ex parte occidentis. Cornelius Tacitus et Opera Apuleii cet. Conventus S. Marci de Florentia Ordinis Praedicatorum de hereditate Nicolai Nicoli Florentini viri doctissimi.»

Constat foliis scriptis CXCI. In Catal. Montfauc. sub num XXVIII. 1)

Cornelius Tacitus. Cod. IV.

Codex est anepigraphus, sed continet Cornelii Taciti Historiarum ab excessu Divi Augusti libros VIII. ab undecimo usque ad totum decimum octavum, ut in mox recensita editione Romana. 2) In calce libri XVI. in margine adnotatum est: «hic plurimum deficit.»

Codex membranaceus Ms. in 4. minore Sec. XV., cuius postrema decem folia alia manu suppleta sunt. Constat foliis scriptis CII. In Catal. Montfauc. sub num. XXVII.

Cornelius Tacitus. Cod. V.

Cornelii Taciti Historiarum ab excessu Divi Augusti libri XI. a fragmento scilicet libri undecimi usque ad totum vigesimum primum, ut in citata editione Romana. In fine sequuntur quaedam anepigrapha, quorum initium est: *Illi veteres militiae* cet., quaeque pertinent ad librum IV. eiusdem Taciti Historiarum ab excessu Neronis, ut in Cod. XXIV. Pl. LXIII. supra pag. 696. §. II. Tum rubris maioribus litteris legitur: *Cornelii Taciti Liber XXI. explicit.*

Codex membranaceus Ms. in 4. Sec. XV. nitidissimus, cum pictura in principio, auctoris effigie in littera initiali, Mediceo stemmate, quod alati quattuor pueruli sustentant, et initialibus itidem librorum omnium coloratis et auratis. Constat foliis scriptis CCXLV. In Catalogo Montfaucon. sub num. XXVI.

---

eximiam difficultatem neglexerunt, Codici Mediceo lectiones tribuerentur ab ipso prorsus alienae. Bait.

1) Ad Tacitum primitus pertinebant folia CV. in fol. maiore, nunc tantummodo CIII.; sunt autem plagulae XIII., et quartae decimae duo nunc folia; plagula secunda pro octo foliis non habet nisi septem; deest vero septimum, probabiliter, quia scriptor librarius ea membrana uti non poterat; defectus enim ibi nullus est; contra in octava plagula nunc desunt folia tertium et sextum, quae continua fuerant. Primi folii prima pagina vacua est; ultima autem pagina plagulae sextae haud prorsus quartam sui partem implet, quoniam quidem quantum nunc exstat Annalium ibi desinit. Itidem ultima plagulae quartae decimae pagina, quae ad Tacitum pertinet, haud prorsus tres partes implet. Omnes autem paginae per binas columnas modo XXXV., modo XXXVIII. versuum conscriptae sunt. Bait.

2) Scilicet editio Beroaldina Bandinio est Plut. LXVIII. Cod. III.

PLUTEUS LXIII. COD. XXIV. [1])

VALERIUS MAXIMUS ET CORNELIUS TACITUS.

I. pag. 1. Valerii Maximi Dictorum factorumque memorabilium ad Tiberium Caesarem libri IX. Praecedit capitum tabula singulorum librorum ac prologus, cuius initium est: *Vrbis Romae;* finis: *Maiores* [2]) *statas sollemnesque caeremonias.* Ultimus desinit: *supplicio coëgit*, ut in editionibus.

II. pag. 157. Fragmentum (sic inscribitur in Codice), quod reperitur ex Historiis Cornelii Taciti a libro XI. ad totum librum XXI., seu potius a libro XI. Annalium usque ad librum XVI. et Historiarum librorum I—V., qui supersunt. Incipit: *Nam Valerium Asiaticum bis consulem fuisse;* desinit: *Flavianus in Pannonia*, ut in editionibus. Inde pag. 281. spatio vacuo relicto adscriptoque in margine *deficit*, alia subsequuntur, quorum initium est: *Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti* cet. Finis: *conscendit tribunal Vocula;* quae quidem verba nescio quomodo hic iterum repetantur, cum suo etiam loco legantur in Codice; pertinent enim ad librum IV. Histor. C. 20—25.

Codex membranaceus Ms. in fol. Sec. XV. supra quam dici possit elegantissimus et in principio utriusque operis titulo aureo, pulcherrima pictura, Mediceo stemmate et auctoris icone in prima littera exornatus, et cum reliquis librorum initialibus auro variisque coloribus eleganter depictis, in cuius calce legitur: *Liber Petri de Medices Cos(mi) fil.* Constat foliis scriptis CCLXXXII.

RUPERTII INDEX CETERORUM CODICUM. [3])

SAEPE COLLATI:

6—10. Quattuor Vaticani.

6. Vaticanus 1863. membranaceus Sec. XIV. exeunte aut XV. ineunte scriptus et similis MS. Bibliothecae regiae Parisiensis; ex quo profecta videtur Editio princeps Spirensis.

7. Vaticanus 1864. membranaceus et eiusdem fere antiquitatis, neque absimilis codici, quem Lipsius Farnesianum appellat et Romanum. Cfr. N. 16.

8. Vaticanus 1958. membranaceus, ceteris accuratior et descriptus ex MS. Genuensi, qui non iam Genuae vel alio loco, quantum novimus, reperitur, sed fons est, ex quo cum Editio Pu-

1) Ibid. p. 696.

2) In Thysii editione, qua utimur, legitur *Maiores nostri.*

3) Hi ergo omnes continent dumtaxat Ann. XI—XVI. et Hist. I—V. Or.

teolani, tum hic codex et alii mox memorandi fluxerunt. Aetas MSti Vaticani 1958. in libri fine his verbis expressa est: «*Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum repperi fideliter ab exemplo transcripsisse, quod inter cetera, de quibus scitur, non est neque pessimum neque mendosissimum. Τέλος Θεῷ Χάρις. Die septimo decimo Octobris ab ortu Salvatoris nostri domini Iesu Christi anno MCCCCXLVIIII. Genuae pridie festum divi Lucae Evangelistae.*»

9. **Vaticanus 2965.** multo recentior, ex eodem MS. Genuensi descriptus, neque membranaceus, sed chartaceus.

Hi sunt quattuor **Vaticani**, quos Broterius excussit, sed minus diligenter, quam optandum erat: nam omnibus paene, qui mox memorabuntur, praeferendi sunt. Nonnullas quoque codicum Vaticanorum lectiones dederunt Lipsius et Vertranius, nusquam vero dixerunt, utrum iidem et quinam ex his an alii fuerint.

10—12. **Tres Oxonienses ex MS. Genuensi descripti:**

10. **Harleianus a. 1452.** [1])

11. **Collegii Iesu a. 1458.**

12. **Bodleianus a. 1463.** scriptus, quod patet ex notis, et quidem in Harl. ad H. 3, 34: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLII.*, in MS. Coll. Iesu ad H. 3, 34: *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLVIII.*, in Bodl. ad calcem, ubi eadem leguntur verba, quae ex Vatic. 1958. supra adscripsi.

Multae lectiones MS. Coll. Iesu a Iacobo Gronovio et Bodleiani ab Abrahamo Gronovio excerptae et editionibus Io. Fr. Gronovii 1672. et Iac. Gronovii Trai. Bat. 1721. subiunctae, plures vero et trium MSS. a Samuele Musgravio enotatae et Broterio traditae, qui eas commentario suo inseruit. An vero Bodleianus Gronovii fuerit idem, qui Broterii, dubitare possis propter aliquam excerptorum differentiam.

13—15. **Tres Parisienses.**

13. **Regius seu regiae Bibliothecae Parisiensis**, chartaceus et Sec. XV. exeunte scriptus, sed melioris notae et cum editionibus collatus a Ryckio, Lallemando, Dottevillio et Broterio. Consentit plerumque cum editione Spir. et ex eodem fonte fluxisse videtur. Inscriptio eius est: *C. Cornelii Taciti Historici illustris XXX. librorum, quos edidit, fragmenta incipiunt. — Bibliothecae Regiae obtulit Carolus du Fresne, Dominus du Cange, a. 1682.*

---

1) Cum inscriptione *Actorum diurnalium Augustae Historiae Liber XI—XXI.* N. 2764. in Catalogo Bibl. Harleianae II. p. 710. Or.

14. Corbinelli, hoc est, codex MS. non valde dissimilis Farnesiano et excussus a Iacobo Corbinelli, qui veram eius originem ac sedem non significavit, sed variam scripturam adscripsit ad oram editionis Beroaldinae, ex qua illam deprompsit Broterius.

15. MS. in Bibliotheca Congregationis sive Institutionis Oratorii Iesu, membranaceus, quo usus est I. H. Dotteville in curanda editione III. Paris. 1792. 8. Iudice Broterio (Opp. Tac. T. I. p. XXXIII.) est idem, qui MS. Corbinelli dicitur.

16—19. Alii Codices.

16. Farnesianus [1]) a Lipsio, Iac. Corbinelli et Iac. Gronovio saepe inspectus, nuperrime a Car. Guil. Schluttigio, qui varias eius lectiones in Dialogo de oratoribus excerpsit et codicem ita descripsit: «Codex IV. C. 21. in Catalogo Bibl. Latinae veteris et classicae manuscriptae, quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico asservatur. Membranaceus est in folio et accurata litterarum forma descriptus Sec. XV. In eo continentur: I. Taciti Annalium libri ab XI. ad XVI. et Historiarum a libro I. ad V. Titulus est: *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his, qui reperiuntur*, *Liber primus incipit: Lege foeliciter.* Similis titulus ceteris libris praefixus est ita, ut libri XI. ordine numerentur. II. *C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus foeliciter incipit.* III. *C. Cornelii Taciti de origine et situ Germaniae.* IV. *C. Suetonii Tranquilli de Grammaticis et Rhetoribus* libelli, qui incipiunt sub unico titulo et capite. Tituli codicis omnes aureis et pulchris litteris conspicui. Litterae omnes initiales auratae et sollertissime expictae. Orae omnium paginarum, in quibus libri initium est, saltem ex magna parte, operose et diligenter pictae. Primae paginae ora universa omnium operosissime vario colore et schemate exornata.» Haec codicis Farnesiani sive Neapolitani descriptio una cum Lect. Var. in Dialogo de Oratoribus a Schluttigio Saxone, qui Romae a. 1830. mortuus est, ad Doederleinium et ab hoc ad Waltherum missa erat. V. huius Edit. Tac. T. IV. Praef. p. VII. VIII. Broterius et Oberlinus egregium hunc codicem falso putabant eundem esse cum Vaticano 1864., a quo tamen non raro discrepat. [2])

17. Guelferbytanus, membranaceus et nitide scriptus, Ferrariae a. 1461. a P. Candido Decembrio, deinde a Marquardo Gudio emptus et tandem delatus in Bibliothecam Guelferbytanam, ubi est Gud. 118.

1) Descriptus est etiam in Cataldi Iannellii Catalogo Bibl. Lat. Reg. Neap. Mus. Borb. Neapoli 1827. p. 89. Or.

2) Quo tempore Lipsius eo usus est, Farnesiorum iam fuisse, sed Romae tunc, nondum Neapoli, asservatus esse videtur. Or.

Scripturae varietates primum, sed negligenter, excerpsit Ernestius, maiore cura Strombeckius, sed accuratissime Walther, qui etiam haec annotavit: «Codex compendiis utitur vulgaribus et singulari orthographia, v. c. *quoi*, *quoius*, *quom*, *quur*, *sçevus* (pro *saevus*), *sçevitia*, *ortus* (pro *hortus*), *contio*, *contionari*, *phama*, *questus* (pro *quaestus*), *coatus* (pro *coactus*), *noquam* cum lin. (pro *nunquam*), *no* cum lin. (pro *num*), *accintus* (pro *accinctus*), *imposterum*, *impace* (pro *in pace*), *sequutus*, *mile* et al. Eiusdem est familiae cum MSS. Oxoniensibus et plerumque cum his ita conspirat, ut ex eo possis scripturam Oxoniensium divinare, si quando Broterius eam non prodidit. Multae insunt correctiones a recentiore manu factae, quae plerumque consentiunt cum editione Spirensi.»

18. Budensis, membranaceus et sine titulo, quem olim Matthias Corvinus, Hungariae Bohemiaeque rex ex alio MS. Florentiae describendum [1]) et Budae in Bibliotheca regia asservandum curaverat; unde Budensis, Corvinianus et a Rhenano Regius dicitur. Eum paullo post Vladislaus II. rex Iacobo Spiegelio, qui imperatori Maximiliano I. a manu et consiliis erat, et hic anno 1518. Rhenano dono dederat. Tandem vero ille et abhinc fere annis L. hereditario iure ad Doersnerum pervenerat, tormentariae rei per Galliam praefectum, isque usum eius concesserat Oberlino. Hic est codex ille, quo duce Rhenanus et Oberlinus nonnullos quidem Taciti locos, praecipue eos, quibus nihil paene enotatum ex aliis MSS., emendarunt et restituerunt, sed longe plures et paene innumeros depravarunt: nam dici vix potest, quam multa in eo vel socors stupidusque librarius corruperit et omiserit, vel ineptus interpolator orationis contextui inculcarit. De interna eius indole vide Oberlinum in Praef. p. XIII—XX.

19. Rudolphi Agricolae, recentissimus et mire interpolatus, cuius lectiones vulgarunt Lipsius (cui eas miserat Modius), Heinsius et Ryckius, Iacobus Gronovius. De eo Lipsius in Praefat. ad Edit. 1585.: «Multa Rudolphus observarat et ad marginem libri sui rettulerat, sed ita, ut iure ambigas, prompta ea e vetustissimis libris [2]) sint, an ab ipso.»

---

1) Haud dubie ex uno trium illorum praeter Med. I. et II. a Bandinio descriptorum. Etenim mercenarium scriptorem Med. II. scriptura Langobardica ab omni eiusmodi conatu deterrere debebat, cum «supra quam dici possit» eleganter ceteri essent exarati. Or.

2) Sic multi tunc vocabant etiam elegantes illos codices, qui Sec. XV. exeunte ante inventam typographiam ex officinis librariis Florentinis et Mediolanensibus prodierant. Or.

Raro et paucis locis collati:

20. Bambergensis, qui nostris temporibus saepius, sed frustra quaesitus est, a Lipsio.

(Tres Florentini, quorum descriptionem supra excerpsimus e Bandinio. Or.)

21. Hispanus vel **Covarruviae**, hoc est, Didaci Antonii Covarruviae Leivae ICti, a Lipsio, ad quem excerpta codicis miserat Andreas Schottus.

22. Sambuci, qui Vindobonae asservatur, a Lipsio et Grutero Hist. 1, 12. 13. 55. 2, 23. 27. Non magna huius codicis Vindobonensis auctoritas est, quia plane consentit cum editione Spir. et vel ex ea [1]) vel ex eodem fonte fluxit. A Wissowa in Lectt. Tac. Ratiboriae 1832. p. 5. ita describitur: «Codex Vindobonensis numero CCCLI. insignitus est ex iis, quos Matthias Corvinus rex Hungariae suis sibi sumptibus Florentiae, Romae aliisque locis describendos curaverat. Infra subscripta leguntur haec: *Ioann. Sambuci, Pannonii.* Codex est membranaceus formae maximae foliisque constat CCXXXVI. Continet Annalium libros XI—XVI. et Historiarum libros usque ad verba *navium magnitudine potiorem* in medio capite XXIII. libri quinti: qua in re consentit cum cod. Vat. 1863., Regio Parisiensi et editione Spir. Annalibus statim continuantur Historiarum libri nullo singulorum librorum integrorumve operum interposito titulo. Historias excipit libellus de Germania, ordinem claudit Dialogus, cui ab alia manu praescriptum: *De oratoribus suis et antiquis comparatis.* Additum est alio atramento aliaque manu, nescio an Sambuci, *Quinctil.* In calce libri nihil subscriptum est coronidis loco. Scriptura est recens quidem, sed nitidissima; compendia paucissima. Litterae initiales magna arte sunt exornatae.»

23. Spinae, a N. Heinsio. Vide eius adnotationes ad Taciti Hist. V. (in quibus sex eius lectiones memorat. Or.)

24. Mirandulanus, cuius excerpta personatus quidam Pompeius Lampugnanus (sub quo nomine Marquardum Freherum latere putant) protulit in libello, qui inscriptus est: *Collatio notarum Iusti Lipsii in Cornelium Tacitum cum MS. Mirandulano. Bergomi 1602. 8.* Hinc a Lipsio *Dispunctio notarum Mirandulani codicis*

---

1) Corvinus rex mortem obiit a. 1456. Ergo Taciti hic codex, si re vera Corvini fuit, id quod inde collegisse Vindobonenses litteratos arbitror, quod probabiliter in eo compareret regis stemma, quod suis codicibus imprimendum curabat. Spirensis autem editio prodiit demum a. 1470.; itaque Sambuci liber ex ea exscriptus esse nequit. Or.

ad Cornelium Tacitum edita est a. 1602. et deinde subiecta eius Edit. Antverp. 1607. 1627. 1637. 1648. 1667., in qua hunc codicem MS. aut nullum esse aut nullius pretii probavit.

Inspecti tantum et memorati:

25. Genuensis, de quo vide ad N. 8.

26. 27. duo Vaticani N. 585. et 3405. Vide Norisii Epoch. Syro-Maced. Diss. III. p. 184. Ed. Lips.

28. Venetus Bessarionis N. 381. Bononiae scriptus a. 1453. [1])

29. Herbipolensis laudatus a I. Schegkio ad Vell. p. 504. ed. Burm.

30. [2]) Ottobonianus. Montfaucon in Bibl. Mss. p. 188. (fortasse nunc inter Vaticanos.)

31. Caesenas. Montfaucon l. l. p. 434.

32. Neapolitanus chartaceus in folio, scriptus Sec. XV. Continet Ann. XI—XVI. Hist. I—V. usque ad verba *navium magnitudine potiorem*, Cap. 23. V. Cataldum Iannellium in Catal. Bibl. Lat. Reg. Neap. Mus. Borbon. Neapoli 1827. p. 90. «Ad oram paginarum», inquit, «plures emendationes, adnotationes, et aliquot rerum argumenta adposita. IV. C. 22.»

33. Neapolitanus chartaceus Sec. XV. Ann. XI—XVI. Hist. I. ad V. in iisdem verbis deficientem ac superiore codice. IV. C. 23.

34. Gratianopolitanus (*Grenoble*) in Bibliotheca Universitatis: «Taciti Annal. lib. XI. cum picturis. Sec. XVI. membranaceus. 4.» Vide Haenel Catalog. libr. MSS. p. 166. Fortasse tamen hic quoque ut huius generis ceteri ad Sec. potius XV. exiens ante a. 1470. referendus; nam cur quispiam post Vindelinum de Spira, Puteolanum huiusque repetitorem Venetum a. 1497. denuo exscribere Tacitum voluerit, vix credibile est, nisi beato otio abundarit.— Ex hac codicum recentiorum enumeratione (pergit Ruperti) cognoscitur diversa eorum indoles, quam bene iam adumbravit Walther his verbis, quibus perpauca adiiciam uncinis inclusa. «Nepotes hi sive pronepotes codicis Florentini [vel potius archetypi, ex quo et hic codex et illi ducti sunt] in duas potissimum discesserunt familias, quarum alteram dixerim

---

1) Per errorem h. l. Ruperti: «duo Veneti, alter Bessarionis N. 381. Bononiae scriptus a. 1453., alter Bibliothecae S. Marci, cuius mentionem fecit P. Victorius ad Cic. Epp. ad Fam. 2, 12.» Verum, ut in Victorii subscriptione collationis Monacensis a Walthero edita, intelligitur non celebratissima illa Bibliotheca S. Marci Veneta, sed altera eiusdem nominis Florentiae in Dominicanorum monasterio a. 1444. condita a Cosmo Mediceo, et nunc iuncta cum Laurentiana. Vide Blume *Iter Italicum* II. p. 43. Or.

2) Quae sequuntur, ego vel addidi vel clarius exposui. Or.

Genuensem, alteram Romanam eamque avo propiorem. [Illa appellatio aptior quam haec.] Ad hanc pertinent cum codices MSS. Vaticani 1863. et 1864., Regius Parisiensis, Corbinelli [et Farnesianus], tum editio Spirensis. Eiusdem stirpis proles videtur esse codex Agricolae, quamquam degener et maiorum auctoritatem parum curans. Plurimis locis hic liber consentit cum editione Spirensi: quae ubi aperta laborat depravatione, Codex Agricolae plerumque indulget emendandi studio. Alterius familiae haec innotuerunt capita: Vaticanus 1958. [et 2965.], tres Oxonienses et Guelferbytanus. Ex eodem fonte [non satis puro] derivatae sunt editiones Puteolani [et quae ex his pendent, Rivii, Beroaldi in hisce libris, Alciati, ex parte etiam Rhenani ceterorumque ante Lipsium.] Codex Budensis inter utrasque familias fluctuat, ut nescias, ad quas praecipue pertineat. Reliquorum codicum indoles nimis adhuc occulta mansit, quam ut certi quid de eorum genere definiri possit.»

Hactenus Ruperti, cuius opinio haec erat: «Omnes hi codices Ann. lib. XI—XVI. Hist. I—V. ex uno eodemque fonte archetypoque, nec tamen ex ipso illo MS. Florentino sive Langobardico, sed una cum illo ex alio et antiquiore fluxerunt.» Mihi contra vera ex antiquitate unus codex Langobardicus ad nos pervenisse videtur, ex quo ceteri omnes expressi sint, inde ab eo tempore, quo ille in Bibliotheca S. Marci Florentina a magno illo Cosmo depositus est: nullum enim novi, de quo affirmari possit, antiquiorem eum esse a. 1444., quo illa condita est. Atque eo dumtaxat nomine inter se differunt, quod unus minimum, fortasse aliquot descripti sunt ex Langobardico ipso, alii ex huius ἐκτύποις lectu utique multo facilioribus, ac promptioribus inventu iis, quibus Florentiam adire non vacabat. Ingens autem varietatis multitudo in his rivulis varie ex se deductis tribuenda est partim merae scriptorum librariorum negligentiae vel licentiae illi criticae, qua Itali Sec. XV. in antiquorum scripta grassabantur. Ergo vera utilitas horum codicum duo tantummodo ad capita redit: in iis enim, qui ex Langobardico ipso ducti sunt, exeunte Sec. XV. nonnulla nunc prope evanida aut correctionibus obscurata fortasse facilius certiusque legi atque exscribi etiamtunc poterant: porro in his atque aliis ex illius ἀπογράφοις ductis manifesto sunt aliquot scripti non ab operariis mercede conductis, sed a viris critico sensu praeditis, quorum correctiones consulto factae interdum saltem, quamvis raro, probabiles dici possunt.

Similis olim erat auctoritas veterum editionum a Walthero diligentissime collatarum, quae post Baiteri curam iam prope ad nihilum redacta est, praeterquam ubi in iis reperitur coniectura aliqua, imprimis Puteolani, ex codicibus adhuc excussis nondum memorata. Nihilo-

minus, quia perrarae sunt, earum descriptionem dabo ex Brunet *Manuel du libraire. Quatrième édition. Paris* 1843. Tom. IV. p. 384.

Tacitus (Cornelius). Annalium et historiarum libri superstites, libellus aureus de situ, moribus et populis Germaniae et dialogus de oratoribus claris. (*Venetiis, per Vindelinum de Spira*). in fol.

Première édition de Tacite, laquelle ne contient que les six derniers livres des annales et les cinq premiers de l'histoire, avec les deux opuscules indiqués dans le titre ci-dessus. Elle est exécutée en beaux caractères ronds, à 36 lignes par page sans chiffres ni signatures, et c'est le premier livre imprimé avec des réclames. Ce volume commence sans aucune pièce préliminaire par le texte du XI^e^ livre des Annales de cette manière:

(N) AM Valerium asiaticū bis consulem:

et il finit au recto du dernier feuillet par cette souscription:

Finis Deo laus
Caesareos mores scribit Cornelius; esto
Iste tibi codex: historiae pater est
Insigni quem laude feret aetas postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suae.

D'après cette souscription, plusieurs bibliographes ont supposé que ce volume était le premier livre imprimé par Jean de Spire, c'est à dire, qu'il avait été exécuté vers 1468; mais si on lit attentivement la souscription **qui docuit venetos cet.**, *laquelle se trouve à la* **Cité de Dieu**, *de S. Augustin, publiée en 1470, par Vindelin de Spire, après la mort de son frère Jean, qui avait commencé l'ouvrage, on pourra être d'un autre avis, et penser que par* **artis gloria prima suae**, *il faut entendre première production de l'art de Vendelin; alors on ne donnera pas à ce Tacite une date plus reculée que 1470.*

Vend. en **mar. citr.** *670 fr. Gaignat; 740 fr. La Vallière; 375 flor. Crevenna; 429 fr. (défectueux) F. Didot; 28 liv. 7 sh. Sykes; 13 liv. et 15 sh.* **mar. r.** *Heber.*

Ce volume précieux est composé de 176 ff., y compris le 161^me^ tout blanc, qui se trouve entre le livre **De situ, moribus et populis Germaniae**, *et celui* **De oratoribus claris.** *Les réclames placées au bas de chaque f. verso, sont exactes à l'exception de celle du 35^e^ f., qui est ainsi:* **Vetus ille**; *tandis que le f. suivant commence par ces mots:* **Copia erat cet.** (*pour* **cura erat**). *Il n'y a cependant point de lacune.*

Taciti opera. in fol. *de 187 ff., dont les 160^e^ et 176^e^ sont blancs.*

Édition sans indication de lieu ni de date, et dont les pages entières portent 37 lignes. Quoique les caractères ressemblent à ceux de Jenson, on croit qu'elle a été imprimée à Milan *(de 1475 à 1480), parce que l'éditeur* Franciscus Puteolanus *résidait dans cette ville. Elle a l'avantage de contenir la vie d'Agricola, qui n'est pas dans la précédente. Le volume a des signatures de* A *à* Z *(l'* Y *étant oublié), suivies des cahiers marqués* T, Y, A—B. *La première ligne du premier f. est ainsi conçue:* Franciscus Puteolanus Iacobo Antiquario ducali secretario. *Le deuxième f. porte la signature* a i; *et le texte finit au recto du dernier f., par le mot* finis. *Vendu 40 fr. en janvier 1829. Voyez, pour plus de détails,* Biblioth. Spencer. II. p. 395.

L'édition de Venise, per Philippū pinci sumptibus Benedicti Fontana. Mccccxcvij. die xxij Marcij, *in-fol. de 103 ff. à 45 lignes par page (sous le titre d'* Historiae Augustae*) est une réimpression* [1]) *de la précédente. Celle de Venise, 1494, est douteuse.* [2])

---

1) Sed admodum vitiosa. Ex hac autem ducta est editio passim emendatior: Cornelii Taciti - - fragmenta accurate recognita ac nova censura castigata. Io. Rivius recensuit. Venet. Io. Rubeus Vercellensis. MDXII. die XX Mensis Iulii in fol. Fol. 112. cum sign. A — S. Or.

2) Cfr. Ruperti I. p. CXII. et CXVII. Quam maxime dubia res etiam de Romana a. 1495., «quae», inquit, «in Bibliotheca Ducis Mutinensis fuisse dicitur et ex Spirensi fluxisse videtur. Ea explosa quidem est ab Audiffredo in Catalogo edd. Rom. Sec. XV. p. 336., sed memorata a Maittario in Annal. Typogr. V. 2. p. 293., a Tiraboschio *Storia della lett. ital.* T. II. p. 399. Ed. I., a Lairio in Specim. hist. typogr. Romanae. Romae 1778. p. 281., et collata a Franc. Modio in suum Lipsiique usum; a quibus *Romana editio* (15, 71.), *Romana vetus*, *Romanus codex* vel *liber* et simpliciter *Romanus* appellatur. V. Modii Novantt. lectt. Ep. 15. vel Gruteri Lampas T. V. p. 36. et Lipsius in Praefat. ad Ed. I. et III. a. 1574. 1585.»

(Inspexi libros a Rupertio memoratos et alios nonnullos, ut investigarem dubiam hanc editionem: primum est Modii testimonium l. l.: «Ex Tacito, quem ad vetuste impressum adeo exemplar, ut manu exarati vicem esse possit, collatum Lipsio nostro cum notis passim in eundem Rodolphi Agricolae occasione data missurus sum, haec, mi Lernuti, enotabam, quae per te aliis quoque communicarem, si cui fortasse ea sui usui aut voluptati esse poterunt.» In sequentibus vocat *editionem Romanam*, *Romanum exemplar* cet., anno nusquam indicato. In Lipsii Praefatione Ed. I. 1574. nulla fit mentio Romanae 1495., sed Venetae 1494., quam nemo adhuc vidit. Ernestius quidem suspicatur errorem esse pro Veneta repetitione Ed. Puteolani 1497. Tertiam Lipsii editionem non habeo.

Romana 1495. primum, quod sciam, memoratur in Fabricii Bibliotheca Latina Ed. Hamburg. 1712. p. 471., sed in Ed. Hamburg. 1721. p. 752. omittitur; in tertia Ed. Vol. II. p. 394. Ernestius eam fictitiam vocat. Maittaire l. l. non affert nisi ex prima Fabricii. Laire l. l.: «Tiraboschius l. l. eam tamquam exsistentem in Bibliotheca Ser. Ducis Mutinensis appellat;» qua de re ne verbum quidem ullum facit Tiraboschius et Lairium propter hunc errorem merito reprehendit Audiffredus l. l. Hinc tamen orta est apud Rupertium fabula de Romana Mutinae asservata. Panzer Ann. II. p. 514,

P. Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis eius operibus editi (cura Philippi Beroaldi iunioris). Romae impressi per Stephanum Guillereti de Lotharingia. - - -. anno M. D. XV. Kl. Martii. *in-fol.*

Cette édition précieuse est mise au rang des éditions princeps, *parce qu'elle est la première qui contienne les cinq (six) premiers livres des annales: vend. 53 fr. Gaignat; 500 fr. bel exemplaire, La Vallière; 61 flor. Crevenna; 251 fr.* m. r. *F. Didot; 150 fr.* m. r. *d'O. . .; 370 fr. Mac-Carthy; 84 fr.* m. bl. *Debure; 10 liv. 10 sh. bel exemplaire d'Henri VIII. Heber.* [1])

* * *

Sequentes duae Editiones rarissimae nondum excussae sunt; exiguum tamen fructum earum collatio promittit, cum repetitiones sint Beroaldinae:

P. Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis eius operibus editi. Mediolani ex officina Minutiana 1517. 4.

---

editionem valde dubiam vocat; consentit Hain Repertorium II. 2. p. 379. crucem ei praefigens. Memorata ficticia illa Veneta 1494., Romanam silentio praetermittunt Ebert, Schweiger, Brunet. Or.)

1) Ego nuper pulcherrimum exemplar emi 9 franc. Francogall. Mediolani, ubi Beroaldinae verum pretium parum cognitum videtur. Notandum vero, in exemplis nonnullis, quemadmodum in eo, quod asservatur in Bibliotheca Monacensi, desiderari Agricolae vitam, quia separatim a reliquo opere typis mandata est decem foliis cum sign. A. A II. A III. A IIII. A V., reliquis quinque non signatis. Meo in exemplo Vita praecedit De situ -- Germaniae libellum et Dialogum, quae pars incipit a duobus foliis non signatis, sequentibus signatis OO PP QQ, quibus continuantur A—NN Annalium et Historiarum. Or.

Ceterum praefationem hanc praemisit:

PH. BEROALDVS AD LECTOREM.

- - - - Quoniam vetus Codex, unde hunc ipsum describendum atque invulgandum curavi, pluribus mendis scatet, aequum videtur lectorem in primo quasi operis limine consilii mei, quo in hoc toto negotio sum usus, admonere. Namque errores qui poterant nulla temeritatis nota emendari, consultis primo nonnullis eruditis et acris iudicii viris correxi. At quae loca in se maiorem in corrigendo difficultatem habere videbantur, sicut erant reliqui, appositis interiori margini stellulis quae vitiosum codicem testarentur. Seposuimus vero libellum in calce Quinti libri in quo per numerum chartarum stellulam ipsam cum suo numero tamquam ad causam dicendam in iudicium vocamus [*id est clarius*, «*ubi aliquot emendationes proposuimus*»]. Ibi dum Lector aut dubitationem aut opinionem nostram audiet, vel sententiam approbabit meam vel meliorem ipse afferet.

In ultima libri pagina adversa legitur celebratissimum illud Leonis X. edictum:

Nomine Leonis X. Pont. Max. || proposita sunt premia (*sic*) non mediocria || his qui ad eum libros veteres || neq' hactenus editos || attulerint. †

Curavit Andreas Alciatus. Haec ipsa repetita est Basileae, ex officina Io. Frobenii 1519. in fol., nisi quod in libello de situ Germaniae Rhenanus nonnulla correxit ex Editione Norimbergensi (apud Frid. Creussner circiter a. 1473.) fol.

P. Cornelii Taciti ab excessu Divi Augusti Historiarum Libri quinque nuper inventi atque cum reliquis eius Operibus maxima diligentia excusi.

Florentiae per heredes Philippi Iuntae. Anno Domini M. D. XXVII. Mense Maii (*sic*). Die XXII. Clemente Pontifice Max. 8. fol. 364.

Praefatio haec est:

Ant. Franc(*inus*) Varchiensis Studiosis S.

Mirabitur fortasse quispiam, et non iniuria, nos, temporibus, in quibus bello vastatur universa Italia, vexantur urbes, ardent tecta, adeo ut omnis benefaciendi modus exstinctus esse videatur, novos auctores in lucem edere. At non ob id a nostro possumus discedere instituto; nam, ut omnes norunt, nos iamdudum Reip. litterariae pro viribus prodesse decrevimus, dedimusque vobis multos, tum Graecos, tum Latinos auctores, nostro labore castigatos, ac diligentissime excusos. Nunc vero P. Cornelii Taciti elegantissimae historiae ab excessu Divi Augusti quinque Libros nuper inventos cum reliquis eius Operibus excusos damus, a Philippo Beroaldo iuniore, viro nostri seculi eruditissimo, prius castigatos, mox vero a nobis iterum recognitos, vosque ad huius auctoris lectionem vehementer hortamur cet.

Diligenter duo exempla Bibliothecae Gottingensis aliquatenus inter se diversa inter se contulit ac descripsit Schweiger III. p. 1003.

Iam ex verbis *mox vero a nobis iterum recognitos* nonnulla a Francino correcta, saltem mutata esse colligunt; sed, excepto tamen Bernardo Philomathe Pisano in praeclaro illo Apuleio a. M. D. XXII., plerique isti editores Iuntini verbis dumtaxat magnificis veterum scriptorum correctores sese iactaverunt, eo fere contenti, ut anteriorem aliquam editionem, Aldinas imprimis, exprimerent.

CHRONOLOGIA ANNALIUM

EX

ZUMPTII POTISSIMUM ANNALIBUS DESUMPTA.

A. U. C.	P. Chr	COSS.		Ann.
767	14	Sex. Pompeius, Sex. Appuleius.	Augustus a. d. XIV. Kal. Sept. (d. 19. Augusti) LXXVI. vitae anno paene expleto, trib. potestatis XXXVII. incepto, imperii XLIV., Nolae in Campania decedit. TIBERIUS, LVI. annos natus, imperium nece Agrippae Postumi auspicatur, sed senatum post Augusti sepulturam et caelestes honores decretos diu ficta modestia ludit. Comitia magistratuum creandorum a populo ad senatum transferuntur, XII. praetorum ipse princeps tertiam partem, sine repulsa accipiendorum, commendat. In ceteris quoque civiliter agit: itaque legionum Pannonicarum, duram militiam inique ferentium, seditio facile comprimitur, et in Germania inferiore Germanicus, cum a legionibus odio Tiberii, ut rem publicam ipse capesseret, urgeretur, insigne pietatis erga illum specimen edit. Legionum delicta sanguine hostium deleturus felicem adversus Germanos expeditionem suscipit. Iulia, filia Augusti, Rhegii mortem obit.	Lib. I. Cap. 1 - 54.
768	15	Drusus Caesar, C. Norbanus Flaccus.	Germanicus Chattorum agros depopulatus usque in Cheruscos penetrat et legionum Varianarum ossa in silva Teutoburgiensi condit. Sed exercitus Romanus in reditu damno per hostes tempestatesque afficitur.	55 - 71.
			Res huius anni urbanae minoris momenti.	72 - 81.
769	16	T. Statilius Sisenna Taurus, L. Scribonius Libo.	Germanicus ultima hac adversus Germanos expeditione suscepta, per Oceanum ad Amisiam amnem vehitur. Angrivarios per Stertinium legatum in deditionem accipit, Visurgim transit, Cheruscos et ipsum Arminium ducem duobus proeliis (prope Bremam, quae hodie vocatur) vincit, sed in reditu ea pars copiarum, quae navibus erat imposita, tempestate affligitur. Cupientem in provincia manere Germanicum Tiberius revocat. Romae maiestatis iudicia exerceri, delatores ingravescere coeperunt, quorum prima victima cadit L. Scribonius Libo, praetor. Clemens, Agrippae Postumi servus, dominum interemptum se simulans, in ipso initio rerum novarum per Sallustium Crispum opprimitur.	II. 5 - 40.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann. Cap.
770	17	C. Caecilius Rufus, L. Pomponius Flaccus.	Germanicus, Romam cum magna hominum veneratione reversus, de Cheruscis Chattisque et Angrivariis celebrem triumphum ducit; mox in Orientem mittitur. Fugerat enim Vonones, rex Parthorum, ab Artabano eiectus, in Armeniam, et Archelaus, Cappadociae rex, Romam evocatus decesserat: Asiae urbes duodecim terrae motu afflictae erant.	41-52. 1-4. 42-47.
			Germanis ad civile bellum conversis Cherusci et Langobardi, Arminio duce, Maroboduum, veterem Marcomannorum aliarumque gentium regem, ita premunt, ut a Romanis auxilia petere conatus sit: mittitur Drusus, ut ex propinquo Illyrico eos motus speculetur.	
			In Africa bellum cum Tacfarinate, Numida, qui apud Romanos militiae usum didicerat, geri coeptum est, septem demum annis post sepultum.	
771	18	Tiberius Caesar Augustus III. (suff. L. Seius Tubero), Germ. Caesar II.	Germanicus Cappadociam et Commagenen in provinciae formam redigit, Armeniis volentibus Zenonem (Artaxiam) regem imponit, sed occultis inimicitiis a Cn. Pisone, quem Tiberius eam ipsam ob causam Syriae praefecerat, petitur.	53-58.
772	19	M. Silanus, L. Norbanus.	Iudaei, nisi qui religiones suas exuerint, Roma et Italia pelluntur. Maroboduus e regno pulsus in Italiam venit et permissu Tiberii Ravennae consenescit, sed eodem hoc anno etiam Arminius, in flore aetatis, dolo propinquorum, tamquam regnum affectans, occiditur.	59-88.
			In Oriente Germanicus, cum ex Aegypto in Syriam redisset, apertas iam inimicitias cum Cn. Pisone gerere cogitur, cuius fraude se in morbum incidisse putat. Eum decedere provincia cum iussisset, moritur XXXIV. aetatis anno, ingenti omnium praeter ipsius patris maerore. Piso provinciam armis recuperare conatus a C. Sentio, legato Germanici, repellitur.	
773	20	M. Valerius Messala s. Messalinus, M. Aurelius Cotta.	Agrippina, uxor Germanici, sex communium liberum mater, Romam redit cum cineribus mariti, invisa Tiberio propter virtutem animumque virilem. Continuo Piso, in senatu accusatus ab amicis defuncti Caesaris, cum infesta videret omnia, semet ipse interimit, Plancina, eius uxor, aeque detestata omnibus, precibus Liviae Augustae condonatur. Sed Tiberii saevitia, hactenus reverentia et metu Germanici repressa, liberius iam erumpit, neque tamen, salvo Druso et Livia matre, etiam externam virtutis speciem negligit.	III. 1-30.
774	21	Tiberius Caes. Augustus IV., Drusus Caesar II.	Motus per Gallias, auctoribus Iulio Floro apud Treviros, Iulio Sacroviro apud Aeduos orti facile per C. Silium legatum comprimuntur, capto Augustoduno, quae belli sedes fuerat. Africae provinciae, per Tacfarinatem inquietae, C. Iunius Blaesus praeficitur, avunculus L. Seiani, praefecti praetorio, insigni apud Tiberium gratia florentis.	31-51.

A. U. C.	P. Chr.	Coss.		Ann. Cap.
775	22	C. Sulpicius Galba, D. Haterius Agrippa.	Drusus a patre Tiberio in consortionem tribunitiae potestatis assumitur.	52-76.
776	23	C. Asinius Pollio, Asinii Galli consulis a. 746. filius, C. Antistius Vetus.	L. Aelius Seianus, cum Tiberio persuasisset, ut unis castris praetorianas cohortes, hactenus per hospitia in urbe dispersas, coniungeret, iam benivolentia et militum et imperatoris fretus, altiora concupiscit: Liviam, Drusi uxorem, adulterio et promisso matrimonio, quamquam trium liberum matrem, corrumpit, ac per eam ipsum Drusum, haud dubie successorem imperii, veneno tollit. Tiberius eam mortem non graviter fert.	IV. 1-16.
777	24	Ser. Cornelius Cethegus, L. Visellius Varro.	In Africa Tacfarinas semper rebellis tandem occiditur. Romae accusatorum natio, praemiis illecta, in veteres Germanici amicos immittitur, quorum primus C. Silius criminibus circumventus pessum datur.	17-33.
778	25	M. Asinius Agrippa, Asinii Galli filius, Cossus Cornelius Lentulus.	Cremutius Cordus, historiarum scriptor, quod Brutum et Cassium Romanorum ultimos dixisset, accusatus, damnationis certus vitam inedia finit. Sed Seianus, alioquin potentissimus, matrimonium Liviae, Drusi viduae, frustra petit a Tiberio.	34-45.
779	26	C. Calvisius Sabinus, Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus, filius consulis a 753.	Tiberius specie religionis in Campaniam abit, Romam non rediturus, qua usque ad mortem libens caret. Sed saevis eius ad senatum litteris optimo cuique pernicies paratur, administrante Seiano. Iam familiares Agrippinae corripiuntur (quo in studio excellit Domitius Afer, orator), Neroni et Druso filiis eius insidiae struuntur. Thracum in monte Haemo deficientium motus a Poppaeo Sabino legato armis vindicantur.	46-61.
780	27	M. Licinius Crassus, L. Calpurnius Piso.	Ruina theatri apud Fidenas super 20000. homines pereunt, Romae mons Caelius deflagrat. Tiberius in insulam Capreas secedit, cuius aditum militari praesidio claudit.	62-67.
781	28	Ap. Iunius Silanus, P. Silius Nerva.	Ipsis Kal. Ian. Titius Sabinus, eques Romanus, ob Agrippinam eiusque domum fideliter cultam, in carcerem abripitur et necatur. Frisii propter iniquitatem praefectorum Romanorum deficiunt nec subigi possunt a L. Apronio, legato Germaniae inferioris.	68-75.
782	29	C. Rubellius, C. Fufius (duo Gemini).	Iulia Augusta (olim Livia) extremae senectutis LXXXVI. annorum moritur. Iam Tiberius, etiam hac custodia liberatus, totum Seiano se tradit, qui foeda adulatione a senatu colitur.	V. 1-5. Fragm.
783	30	M. Vinicius, C. Cassius Longinus.	(Hoc anno Velleius, adulator Seiani, historiam composuit.) Asinius Gallus, adversus quem Tiberius olim odium susceperat, quia uxorem ab ipso dimissam duxerat, a senatu iussu principis damnatur et in vincula conditur. Mise-	Deest.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			rabilius etiam in ipsa principis domo saevitur: nam Nero et Drusus, Germanici filii, hostes iudicantur, et alter in Pontiam insulam relegatur ac paullo post necatur, alter in secreto carcere Palatii servatur: Agrippina inops omnium rerum in Pandataria insula tenetur. Solus Gaius natu minimus callida adulatione Tiberium placat, et Capreas accitur. Verum etiam Seianus Tiberio gravis fit, quippe quem ab omnibus paene sibi iam praeferri videat: dolo ergo aggressus.	
784	31	Tiberius Caesar August. V., L. Aelius Seianus.	Tiberius consul V. L. Aelium Seianum collegam assumit et Romam a se dimittit. Sed cum suffecti ex Kal. Mai. consules P. Memmius Regulus et L. Fulcinius Trio magistratum inissent omniaque praeparata essent, litteris ad senatum datis, graviter eum accusat, omnium aut admiratione aut laetitia exceptis. Saevitur in Seianum et omnes *, quicunque cum eo aut sanguine aut familiaritate coniuncti fuerant: eorum bona publicantur et in fiscum rediguntur. Tum Apicata, olim uxor Seiani, cui parcitum fuerat, scelera contra Drusum a Livia ipsius uxore commissa indicat, et novae quaestiones exercentur. Interficitur a Tiberio socero etiam Livia sive Livilla, Drusi vidua. (Dio Cass. 58, 11.)	Deest. * 6-11. Fragm.
785	32	Cn. Domitius (Agrippinae Germanici filiae maritus et ex ea a. u. 790. Neronis pater) Ahenobarbus, M. Camillus Scribonianus.	Kal. Ian. senatus viritim in acta Tiberii iurat, omnem suspicionem habitae cum Seiano societatis amoliri cupiens. Inde maiore studio quaestiones exercentur. Macro praefectus praetorio in locum Seiani instituitur, atque mox eundem paene gratiae locum apud Tiberium assequitur.	VI. 1-14.
786	33	Ser. Sulpicius Galba, qui postea imperavit, Suff. L. Salvius Otho, (pater imperatoris futuri), L. Cornelius Sulla.	Atrox in primis annus. Omnes, qui accusati propter Seianum in carceribus tenentur, simul occiduntur et in Tiberim proiiciuntur. Drusus Romae, Agrippina Pandatariae fame enecantur, qui dies, quia ante biennium Seianus eodem occisus est, a senatu inter festos refertur. Talium scelerum impatiens M. Cocceius Nerva, iuris peritissimus et hactenus perpetuus Tiberii comes, inedia mori maluit. Neptes Tiberii Drusilla et Iulia, filiae Germanici, L. Cassio et M. Vinicio, consularibus, collocantur, Iulia, Drusi filia, Rubellio Blando. Gaius Caesar Claudiam, M. Silani filiam, coniugio accipit. Asinius Gallus interimitur. Hierosolymis Christus per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est. (Ann. XIV. 44.)	15-27.
787	34	Paullus Fabius Persicus, L. Vitellius, pater A. Vitellii, imperatoris futuri.	Mam. Scaurus, vetus consularis et orator, sed vita probrosus, ultimus nobilissimae familiae, accusatus moritur.	28-30.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann. Cap.
788	35	C. Sestius Gallus, M. Servilius.	Parthorum rex Artabanus Armeniam invadit, sed insequente anno immissis gentibus propinquis, Iberis, Scythis, Albanis, elicitur.	31-39.
789	36	Sex. Papinius Gallienus, Q. Plautius.	Tiridates, Romae educatus, Parthis rex imponitur, felici initio, sed odio externorum morum facile ab Artabano expellitur. Romae accusationes et mortes celebrantur. Aventinus mons incendio deletur, sed principis liberalitate possessores domuum reficiuntur.	40-55.
790	37	Cn. Acerronius Proculus, C. Petronius Pontius Nigrinus.	Tiberius, LXXVIII. aetatis anno, apud promontorium Misenum in villa Luculliana moritur XVII. Kal. April. (d. 16. Mart.) neque aberat suspicio, eius mortem a Gaio Caesare et Macrone fuisse acceleratam.	46-51.
		Suff. Kal. Iul. C. Caesar Augustus Germanicus, Ti. Claudius, qui postea imperavit.	Hoc anno, mortuo Tiberio, GAIUS CAESAR Caligula ingenti hominum gaudio acceptus plane diversum a Tiberio ingenium ostendit: exsules cuiusvis generis revocantur: restituuntur reges Agrippa in Iudaeam, Antiochus in Commagenen: comitia populo redduntur, quinta iudicum decuria additur: ludi celebrantur, aerarium donationibus exhauritur, tam profusa liberalitate, ut relictum a Tiberio vicies septies milies HS. (135,000,000 Thl.) uno anno pereat. Consulatum ex Kal. Iul. gerit cum Claudio patruo, hactenus propter imbecillitatem mentis contempto. — Sed cito haec vertuntur: exeunte mense Octobri morbo correptus revaluerat quidem corpore, sed mentis vires affectae videntur. Liberalitatem retinet, sed accedit crudelitas, qua Tiberium fratrem patruelem adhuc puerum, M. Silanum, olim socerum suum, occidit. Africa provincia dividitur, ablata a proconsulari officio exercitus cura et Numidia.	Deest.
791	38	M. Aquilius Iulianus, P. Nonius Asprenas.	Effusis per ludos et epulas divitiis, quaestiones crudeliter exercentur, Macro ad mortem adigitur. Aperta principis insania erumpit, postquam Drusilla eius soror, quam pro uxore habuerat, decessit: dolore vesanus oris Italiae oberrat, caelestes ei religiones instituit, idem vero mox Lolliam, ditissimam mulierem ducit et cito dimittit: aliquanto diutius in amore Caesoniae, ex qua filiam suscipit, acquiescit. Avidius Flaccus, praefectus Aegypti, cum Iudaeos Alexandrinos vexaret, legatus Iudaeorum Philo Romam ad Caesarem mittitur; isque postea legationem suam descripsit in libro, qui etiamnunc exstat.	Deest.
792	39	C. Caesar II., L. Apronius; suff. Cn. Domitius Corbulo, Cn. Domitius Afer.	Gaius Caesar pecuniam caedibus et publicatis divitum bonis quaesitam, insanis molitionibus et ludis sanguinolentis effundit: pontem navalem in sinu Baiano inter Puteolos et Baulos facit, Xerxen superaturus, et eodem spectatores acceitos deiicit: bellicam laudem meriturus ad Germanicos exercitus proficiscitur (quorum superiori Servius Galba tum praeerat), et belli	Deest.

A. U.C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			ludibria edit. Interea propter coniurationes initas Lentulus Gaetulicus, M. Lepidus interficiuntur, sorores Gaii Iulia et Agrippina in Pontias insulas relegantur.	
793	40	C. Caesar III. mox suff. L. Gellius Poplicola, M. Cocceius Nerva.	Consulatu tertio sine collega Lugduni inito (suffecti sunt ex Id. Ian. L. Gellius Poplicola, M. Cocceius Nerva) Gaius sororum et veteris aulae omne instrumentum Roma advectum publica auctione divendit, ingentem eam pecuniam in expeditione contra Britannos consumit, qua nihil aliud quam conchylia in Gallici maris litore tamquam spolia colligi iubet. Quo facto Romam triumphans redit, seque tamquam deum coli vult atque alia vesanae mentis deliria quam plurima edit.	Deest.
794	41	C. Caesar IV. (suff. Q. Pomponius Secundus), Cn. Sentius Saturninus.	Tandem IX. Kal. Febr. aetatis anno XXIX. iuxta theatrum a Cassio Chaerea, tribuno militum praetorianorum, viro antiquae libertatis studente, aliisque coniuratis occiditur. Verumtamen restituendae libertatis consilia irrita cecidere, cum TIB. CLAUDIUS, Drusi filius, Germanici frater minor, a praetorianis militibus ex latebris protractus, rem publicam capesseret. Is moderate et industrie agere coepit, magistratibus ac iudiciis suum honorem auctoritatemque restituit, exsules innocentes revocat, in quibus Agrippina et Iulia. Sed hebeti principis ingenio Narcissus libertus et Messalina uxor (quae neptis fuit Messalae, cos. a. 742.) abutuntur; huius opera Iulia iterum expellitur, et una L. Annaeus Seneca. In Germania Ser. Sulpicius Galba Chattos, P. Gabinius Chaucos vincit, in Africa C. Suetonius Paullinus Mauros rebellantes, quorum rex Iuba nuper a Gaio Caesare occisus erat. Agrippae regi Claudius Iudaeam et Samariam restituit, ut idem regnum, quod avus Herodes, obtinuerit.	Deest.
795	42	Claudius Caesar II., C. Caecina Largus II.	Mauritania a Cn. Hosidio legato in provinciae formam redigitur et in duas partes divisa, Tingitanam et Caesariensem, equitibus regenda traditur. Sed in urbe Ap. Iunius Silanus, vir nobilissimus, Messalinae artibus pervertitur: plurimae caedes sequuntur, cum coniuratio Annii Viniciani et M. Camilli Scriboniani, legati Caesaris in Dalmatia, fidelitate legionum Pannonicarum oppressa esset: Paeti mors constantia Arriae uxoris nobilitata est.	Deest.
796	43	Claudius Germanicus imperator III., L. Vitellius II.	Hoc anno Romana arma in Britanniam translata sunt, ductu A. Plautii Silvani. Mox princeps ipse supervenit, barbari ad Tamesam (sic Tac. Ann. 14, 32., non Tamesin) amnem vincuntur, Camulodunum capitur: strenuam in eo bello operam praebet T. Flavius Vespasianus, legatus legionis, praetura functus.	Deest.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
797	44	C. Vibius Crispus II., T. Statilius Taurus.	Claudius, paucos tantummodo dies in Britannia moratus, triumphans Romam redit. Aerarii cura rursus a praetoribus ad quaestores translata, ut bini per triennium ei praeessent ac deinde praetores fierent. Iudaeae regnum, Agrippa mortuo, denuo procuratoribus Romanis subditur.	Deest.
798	45	M. Vinicius II., T. Statilius Taurus Corvinus.	Ser. Sulpicius Galba pro consule Africam magna iustitiae laude administrat.	Deest.
799	46	Valerius Asiaticus II., M. Iunius Silanus.	Messalina, insatiabili libidine et avaritia acta, principes civitatis pessumdat, M. Vinicium et insequente anno Valerium Asiaticum.	Deest.
800	47	Claudius Germanicus Imperator IV., L. Vitellius III.	Romae ludi seculares celebrantur, foris laetae res, Britanniam obtinente Ostorio Scapula, Germaniam inferiorem Cn. Domitio Corbulone, qui Frisiis pacatis, ulteriorem Germaniam aperturus fuisset, ni principis litteris prohibitus esset. Fossam igitur opere militari inter Rhenum et Mosam ducendam curat. Eodem tempore Q. Curtius Rufus, superioris Germaniae legatus, in agro Mattiaco argenti fodinas aperit. Cheruscis regem Roma petentibus datur Italicus, Arminii fratris Flavi filius. Ovans ex Britannia Plautius Silvanus urbem intrat.	XI. 1 - 22.
801	48	A. Vitellius, L. F., qui postea imperavit; L. Vipstanus Poplicola.	Censoribus Claudio Caesare et L. Vitellio lustrum (LXXIV.) conditur, quo cives 6,944000. censi; gentes patriciae denuo post Caesarem et Augustum supplentur. Aeduorum senatoribus ius honorum petendorum conceditur; Claudii de ea re oratio. Sed dum Claudius munia censoris obit, Messalina eo impudicitiae progreditur, ut palam cum C. Silio, consule designato, nuptias celebret, quo tandem flagitio commotus maritus eam interfici iubet, frustra deprecantibus liberis Britannico et Octavia.	23 - 38. XII. 1 - 4.
802	49	C. Pompeius Longinus Gallus, Q. Verannius.	Iam paratum fuit novum matrimonium cum Agrippina, Germanici filia, quamquam legibus vetitum, et senatus, auctore L. Vitellio, vetere adulatore, vim se adhibiturum principi simulat, ni acceleret. Eius rei causa SCtum fit de iustis inter patruos fratrumque filias nuptiis (sublatum illud quidem postea constitutione imperatorum Constantini et Constantis): cito L. Domitio Neroni, Agrippinae ex priore marito filio, despondetur Octavia, spreto L. Silano, cui antea sponsa fuerat. Seneca ab exsilio revocatus, mox praetura ornatus, iuveni, maioribus rebus destinato, tamquam rector studiorum adiungitur. A Parthis, novarum rerum cupidis, Meherdates Roma rex accitur, deduciturque a C. Cassio Longino, qui iam Syriae praeerat, sed a vetere rege Gotarze vincitur et capitur. In Iudaea, partium studio lacerata, Felix, principis libertus et procurator, servili	5 - 24.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			ingenio regnum exercet, trium reginarum maritus (Suet. Claud. 28.) et fratris Pallantis apud Claudium gratia superbiens.	
803	50	C. Antistius Vetus, M. Suillius.	Claudius, Pallantis et Agrippinae artibus ductus, rei publicae scilicet causa, Neronem privignum adoptat, posthabito suo ipsius filio Britannico, illi triennio ferme minore. In Britannia fortissima gens Silurum ab Ostorio vincitur, eorumque dux Caractacus capitur. In Germania superiore Chattorum tumultum coërcet L. Pomponius Secundus, legatus Caesaris, illustris eius aetatis poëta.	25-40.
804	51	Claudius imperator V., Ser. Cornelius Orfitus, suff. T. Vespasianus.	Orientis res perturbari coeptae, dum, occiso in Armenia rege Mithridate a Rhadamisto, fratris filio, vacuum regnum invadit Vologeses, Parthorum rex, et Tiridati, fratri suo, subiicere conatur. Romae Agrippinae opes in dies augentur, socordia principis: Neroni, vix dum expleto XIV. anno, virilis toga datur, et a senatu proconsulare imperium extra urbem: Burrus Afranius, Augustae deditus, praetorianis cohortibus praeficitur.	41-51.
805	52	Faustus Cornelius Sulla, gener Claudii imperatoris per nuptias Antoniae filiae, L. Salvius Otho.	Dissidia et latrocinia Iudaeorum inter se Ummidius Quadratus, Syriae proconsul, sedat, Felici parcens, alterum procuratorem Cumanum condemnans. (Apud Felicem non multo post hoc tempus Paulus, apostolus Christianus, Hierosolymis causam dicit.) Maxima et difficillimi laboris opera perficiuntur, emissio lacus Fucini et ductus aquae Claudiae et Anienis novi, olim a Gaio Caesare inchoati: item Claudii iussu, paullo ante, Ostiae portus munitus, Pharus aedificata erat.	52-57.
806	53	D. Iunius Silanus, Q. Haterius Antoninus.	Nero, XVI. annos natus, Octaviam, Claudii filiam, in matrimonium ducit, et populo ac senatui omni ratione commendatus rem publicam capessere coepit.	58-63.
807	54	M. Asinius Marcellus, M. Acilius Aviola.	Iam omnia satis praeparata videns Agrippina, morae impatiens maritum veneno III. Idus Oct. necat, LXIV. annum agentem. NERO, a Burro productus, militibus praetorianis imperator consalutatur senatumque omni honore et modestia sibi conciliat. Agrippina interim M. Silanum, abnepotem Augusti, proconsulem Asiae, veneno tollit, Narcissum, divitem Claudii libertum ad mortem adigit, in plures grassatura, ni Senecae ac Burri auctoritas obsisteret. Domitius Corbulo, vir supra aetatem suam fortis, in Armeniam mittitur ad Parthos coërcendos: eisque insequente anno tantam formidinem Romanorum armorum iniecit, ut Vologeses ultra cedens, obsides etiam e regia domo traderet.	64-69. XIII. 1-10.

A.U.C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
808	55	Nero Claudius Caesar, L. Antistius Vetus.	Nero amore libertae, cui Acte nomen, incensus sensim a matre alienatur: eius minis territus, Britannicum, quod unum impedimentum securitatis supererat, veneno tollit.	11-24.
809	56	Q. Volusius Saturninus, P. Cornelius Scipio.	Summa quies foris, et Nero hactenus honesti retinens, ut criminationibus delatorum nondum aures praeberet, sed lasciviens noctu per vias bacchаretur, obvios petulanter incessens. Aerarii cura a quaestoribus ad praefectos, ex praetoriis deligendos, transfertur. Iudaeam Felici successor datus Festus procurator regit, qui Paulum apostolum vinctum Romam mittit ad supplicium.	25-30.
810	57	Nero Claudius Caesar II., L. CalpurniusPiso	«*His consulibus pauca memoria digna evenere.*»	31-33.
811	58	Nero Claudius Caesar III., M. Valerius Messala.	Bellum cum Parthis renovatur, sed Corbulo Armeniam ingressus Tiridaten repellit, et Artaxatam, urbem regiam, capit ac diruit. Romae P. Suillius, famosus olim accusator, damnatur, et poena legis Cinciae, ne quis ob causam orandam mercedem capiat, repetitur. Sed Nero, in vitia proclivis, Poppaeam Sabinam amare coepit: eius maritum M. Salvium Othonem, aemulum non ferens, in Lusitaniam pro consule mittit sive relegat.	34-58.
812	59	C. Vipstanus, C. Fonteius Capito.	Neronis diu meditatum scelus erupit: nam matrem, cuius qualiscunque reverentia male coërcitas libidines tardabat, interficiendam curavit. Tristitiam, ex facinore consecutam, senatus adulatio lenit (nullo praeter Thraseam Paetum, non comprobare factum audente), et aurigarum histrionumque studia, quae unice amplectitur. Domitius Afer, oratorum forensium celebratissimus, decedit, item M. Servilius Nonianus, historicus.	XIV. 1-19.
813	60	Nero Claudius Caesar IV., Cossus Cornelius Lentulus, Cossi consulis a. u. 778. filius.	Nero quinquennales ludos more Graecorum certaminum instituit. Corbulo Armeniam pacat, dum Parthi bellum cum Hyrcanis gerunt.	20-28.
814	61	C. Caesonius Paetus, C. Petronius Turpilianus.	Res Romana gravi in Britannia calamitate accepta minuitur. Nam dum Suetonius Paullinus cum exercitu Romano Monam insulam (*Anglesey* hodie) in potestatem redigit, Britanni iniurias praefectorum non ferentes, duce Boudicea regina arma capiunt, legionem Romanam concidunt, colonias Camulodunum, Verulamium, Londinium diripiunt ac diruunt. Mox Suetonius reversus insigni victoria rebelles profligat, sed, quominus bellum conficiat, adventu Turpiliani successoris prohibetur, qui otium quam bellum mavult. Ser. Galba pro consule provinciae Tarraco-	29-47.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			nensi praeficitur: Corbulo Syriam regendam accipit, Armeniam Caesonius Paetus.	
815	62	P. Marius Celsus, L. Asinius Gallus, suff. L. Annaeus Seneca.	Burrus, veteris apud Neronem auctoritatis, moritur, cuius successor Tigellinus, ob flagitiorum societatem electus, bonis omnibus pericula intentat. Iam Seneca ad mortem sibi consciscendam adigitur, Sulla Massiliae exsul, Rubellius Plautus, gener L. Veteris, in Asia interficiuntur; Octavia, castissima coniunx, in insulam Pandatariam relegatur, mox necatur. Poppaea in matrimonium principis recipitur. In Armenia Paetus a Vologese oppressus, turpi foedere incolumitatem paciscitur et regni finibus cedit, in quod Tigranes instituitur. Persius poëta XXVIII. annos natus moritur.	48-65. XV. 1-23.
816	63	C. Memmius Regulus, L. Verginius Rufus.	Itaque hoc anno Corbulo iterum Armeniae praeficitur, qui Tiridaten ad eam condicionem adigit, ut depositum ad effigiem Caesaris diadema non prius se gesturum spondeat, nisi Romae ex manibus eiusdem receperit. Nationes Alpium maritimarum ad ius Latii traductae. Equitibus Romanis sedilia discreta a plebe etiam in Circo adsignantur, ut ante lege Roscia in theatro dumtaxat. Nonis Febr. terrae motu Campaniae oppida clade afficiuntur, imprimis Pompeii et Herculaneum. (Seneca Nat. Quaest. 6, 2. Obruta sunt eadem oppida Vesuvii montis eruptione a. u. c. 832., post Chr. 79.)	23-32.
817	64	C. Laecanius Bassus, M. Licinius Crassus Frugi.	Nero insanus cantandi cupidine, Neapoli publice in theatro artem, qua unice se excellere putat, ostentare coepit. Nec a ceteris libidinibus temperat, quin etiam auctor fuisse putatur gravissimi incendii, quo hoc anno multo maior Romanae urbis pars veteraque monumenta fere omnia sex diebus deleta sunt. Ad eam famam abolendam Christianos, invisum vulgo hominum genus, reos subdit et exquisitissimis poenis afficit. Simul per Italiam ac provincias pecunia conquiritur ad urbem magnificentius restituendam; ipse domum auream ingentis circuitus exstruere coepit, non diu mansuram.	33-47.
818	65	P. Silius Nerva, C. Iulius Atticus Vestinus.	Cum Cn. Pisone, nobilissimo iuvene, Plautius Lateranus, consul designatus, Annaeus Lucanus poëta, Faenius Rufus, alter praefectus cohortium praetoriarum, aliique viri militares ad necem Neronis conspirant: quo atrociores caedes, detecta re, sequuntur: eodemque crimine etiam Seneca philosophus et Vestinus consul circumveniuntur. Ad studia sua revolutus Nero ludis quinquennalibus ipse et carmina publice recitat et canit in scena. Pop-	48-74. XVI. 1-13.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			paea, ictu calcis a marito afflicta, moritur, mortua divinis religionibus colitur. C. Cassius Longinus, ICtus celeberrimus, in Sardiniam eiicitur. L. Iunius Silanus, nobilissimus iuvenis, in illius domo educatus, interficitur. L. Antistius Vetus, quondam collega Neronis, accusatus manum sibi affert. Tot facinoribus foedum annum etiam dii pestilentia insignivere: Romae 30,000. funera ad Libitinam nuntiata. (Suet. Ner. 39.) Pontus Polemoniacus et Cottii regnum inalpinum provinciae Romanae factae.	
819	66	C. Suetonius Paullinus, L. Pontius Telesinus.	Multi viri illustres saevitia principis et accusatorum (velut Marcelli Eprii) tolluntur, inter eos Ostorius Scapula et C. Petronius, «elegantiae arbiter», et ipsa virtutum exempla Paetus Thrasea et Marcius Barea Soranus, administrata Asia clarus. * Tigranes, Armeniae rex, Romam venit, quem Nero magnifice exceptum ac diademate ornatum, «divinae vocis suae» honore mactat. Interea Iudaei, Gessii Flori procuratoris iniuriis commoti, arma universi capiunt, et Cestium Gallum, Syriae proconsulem, cum exercitu subvenientem, pugna facta, in fugam coniiciunt.	14-35. *Deest.
820	67	L. Fonteius Capito, C. Iulius Rufus.	Nero in Graeciam profectus, tamquam ampliorem artium suarum scenam (relicto in urbe Helio liberto) sacra certamina obit, currus agitans, canens, tragoedias agens: neque vero cetera flagitia ac scelera omittit, Corbulonem, ad se evocatum, interficiendum curat. Syriae provinciae M. Licinius Mucianus praeponitur; Iudaicum bellum T. Vespasiano cum exercitu trium legionum permittitur.	Deest.
821	68	C. Silius Italicus, poëta, M. Galerius Trachalus.	Nero Romam redit, novo triumphi genere et praelatis MDCCCVIII. coronis. Sed mox perterretur motu Galliarum, C. Iulio Vindice duce deficientium et Ser. Sulpicium Galbam, Hispaniae proconsulem, de cuius nece Nero mandata ad procuratores clam miserat (Suet. Galba 9.), ad imperium vocantium. Vindex quidem opprimitur ab exercitu Germaniae superioris, ipso eius duce T. Verginio Rufo nolente, sed defectio semel coepta sisti non potest. Nero desertus a suis Roma profugit, GALBA imperator a senatu declaratur, et Nero ultima progenies Caesarum et Claudiorum a. d. V. Id. Iun. (d. 9. mensis Iunii) ad mortem adigitur, annum agens XXXI. (Ultimae eius voces fuere: «Qualis artifex pereo!» et: «Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.») (Suet. Ner. 49.)	Deest.

A. U. C.	P. Chr.	COSS.		Ann.
			Mox Galba Romam venit, senex (a. LXXIII.) modestus et gravis, sed libertis obnoxius et nimis parcus nec militibus acceptus. Itaque sibi providens Clodium Macrum in Africa, Fonteium Capitonem in Germania inferiore, novas res molitos, occidi iubet, et huius loco A. Vitellium, hominem nobilem, sed desidem et luxuriosum, exercitui praeponit, Verginium quoque ab superiore exercitu revocat, eique Hordeonium Flaccum praeficit, nulla apud feroces milites auctoritate. *	Deest. * Hinc incipiunt Taciti Historiarum libri.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

A N N A L I U M

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Rei Romanae status ante Augustum. 2. Eius artes et via ad imperium. 3. Varii ab Augusto destinati successores. 4. Status rerum et affectus civium sub Augusto. Iudicia de successoribus. 5. Morbus Augusti, et mors celata. Accitus ad successionem Tiberius. 6. Caedes Postumi Agrippae. 7. Roma prona in servitutem. Iuratum in verba novi principis. Eius callida tergiversatio. 8. Augusti testamentum et honores eximii in funere. 9. De Augusto iudicia in utramque partem. 10. Iudicia sequiora. 11. Tiberius imperium subdole renuit, urgente senatu. Rationarium imperii. 12. Asinio iratus Tiberius. 13. Mox Arruntio, Haterio et Scauro. 14. Senatus adulatio in Liviam, a Tiberio temperata. 15. Ratio comitiorum. Ludi Augustales. 16. Seditio Pannonicarum legionum, VIII. IX. XV. Concitor Percennius. 17. Huius seditiosae contiones. 18. Furit miles, quem moderari conatur Blaesus. 19. Legatio ad principem. 20. Recrudescit seditio. 21. Blaesus frustra obnititur. 22. Vibuleni fallaci facinore paene oppressus. 23. Tribuni mil. pulsi, Lucilius caesus. 24. Drusus seditioni sedandae missus a Tiberio. 25. Drusus litteras Tiberii recitat. 26. Militum postulata differt. Clamor. 27. Hinc tumultus acrior. Lentuli periculum. 28. Lunae defectio seditiosos terret, nec deest occasioni Drusus. 29. Miles ponit ferociam. 30. Capita tumultus caesa. Legiones hibernis suis redditae. 31. Gravior oritur seditio legionum octo Germanicarum. 32. Saevitia in centuriones. Chaereae facinus. 33. Germanicus Caesar ad legiones e Gallia properat: 34. Quas ad fidem cohortatur. 35. Eae querelas promunt: pars imperium offerunt acriter abnuenti. 36. Remedia quaesita. 37. Oblata missio et pecunia: sic paullum oppressa seditio. 38. Vexillarii turbant: quos fortiter coërcet Mennius. 39. Denuo legiones I. et XX. turbant. Caesari vim, Planco mortem intentant. 40. Germanicus, filio et uxore dimissis, 41. militi poenitentiam iniicit. 42. 43. Tum eum facunda oratione alloquitur. 44. Mutati poenas in se ultro poscunt, noxios ipsi puniunt. Centuriones novi suffecti. 45. In turbidos vis adhuc paratur. 46. Trepidae urbis rumores. 47. Tiberius iter simulat. 48. Germanici minae. 49. Miles suos turbatores ipse caedit. 50. Furorem expiaturi in hostem eunt. Marsi oppressi. 51. Tamfanae templum dirutum. Insidiae in reditu irritae. 52. Tiberius maligne laudat Germanicum. 53. Iuliae mors et mores. Gracchus caesus. 54. Sodales Augustales instituuntur. Histrioniae turbae.

55. Proximo anno in Chattos excursus. Arminius. Segestes. 56. Chatti improviso oppressi, Mattium incensum. 57. Segestem obsessum liberat Germanicus. Uxor Arminii capta. 58. Segestis oratio. Segestes cum suis benigne habitus. 59. Arminius in eum et Romanos invehitur. 60. Cherusci aliique populi rebellant. Bructeri fusi. 61. Monumenta cladis Varianae. 62. Reliquiae illius cladis tumulatae, improbante Tiberio. 63. Pugna cum Arminio. 64. Caecinam loco iniquo aggreditur Arminius intrepidum. 65. Milites consternati. Caecinae somnium infaustum. Caesi paene Romani. 66. Panicus terror ut repressus. 67. Consilium Caecinae de recessu. 68. Felix eruptio. Germanorum clades. 69. Agrippinae viriles curae Tiberium offendunt. 70. Legiones aestu maris cum periculo revectae. 71. Segimerus in deditionem acceptus. Exercitus damna suppleta. 72. Tiberii ficta modestia. Lex maiestatis revocata. 73. Et in minimis quibusdam exercita. Delationum pestis ingruit. 74. Marcellus maiestatis postulatus. In eum ira Tiberii incautior. 75. Tiberii liberalitas. 76. Tiberis inundatio. Achaia et Macedonia levatae. Drusi munus. 77. Theatri licentia coërcita. 78. Templum Augusti. Centesima. 79. An aquae Tiberi subducendae. 80. Tiberius cur praesides raro mutarit. 81. Comitiorum confusa ratio.

Haec fere biennio gesta, Coss. Sex. Pompeio et Sex. Apuleio, Nerone Claudio Druso Caesare et C. Norbano, a. u. c. 767. et 768., post Chr. 14. et 15.

1. *P.* (sic) *CORNELII TACITI* in summo margine M. In contextu ipso versus primus hic est: *AB EXCESSU DIVI AVG. URBEM ROMAM A PRINCIPIO RE.*

(1) Urbem Romam a principio reges habuere. libertatem et consulatum L. Brutus instituit. dictaturae ad tempus sumebantur. neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. sed veteris populi R. prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

(2) Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pom-

2. *L.* M: *Lucius* B. — 5. *lapidiatque* M. — 7. *R.* M: *Romani* B. — 9. Habet *deterrerentur* M, non *detererentur*. — 10. *false* malebat Wolfius, ἀρχαϊσμῷ Tacito minime tribuendo. Est: «ita compositae sunt, ut *falsae (falsatae*, verbo Hieronymiano) essent.» Or. — 12. *caetera* M.

1. *Urbem* -- *habuere.* De hoc quem dicunt hexametro consule partim Wolfium, partim Hermannum Opusc. I. p. 124. qui hexametrum non agnoscit. (Melior sane est ille Germ. 36. (silvam) *auguriis patrum et prisca formidine sacram.* Alios Livii et Taciti ad h. l. collegit Ritter.) — *ad tempus*] πρὸς καιρόν, ubi summa rei publicae ageretur, neque vero ultra sex menses. — *ultra biennium*] «Septem menses, quos ex tertio anno (a. u. c. 305.) delibarunt, non ius fuit, sed vis, et vis in diem incertior.» Wolf. Malim equidem accipere cum Lipsio pro numero rotundo: *neque* -- *multo ultra biennium.* — *tribunorum militum*] consulari potestate a. u. c. 310—387. Interdum per hos annos etiam consules creabantur. — *Cinnae*] consulis a. u. c. 667—670. — *Sullae*] dictatoris a. u. c. 673—675. — *principis*] Dio Cass. 53, 1: (a. u. c. 726.) πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο. Nomen scilicet mutuo sumpsit a *principe senatus* veteris rei publicae. — *veteris populi R.*] usque ad triumviros vel, si mavis, usque ad pugnam Actiacam. Sic Ann. 4, 32: *scriptura eorum, qui veteres P. R. res composuere*; 11, 24: *priori populo.* — *decora ingenia*] ut post Asinium Pollionem ac T. Livium exstitere T. Labienus, Aufidius Bassus, Cremutius Cordus. — *deterrerentur*] Hanc Codicis lectionem in perpetuum stabilivisse videbatur Wolfius, nisi Burnouf rursus Mureti ac Lipsii *detererentur* praetulisset. Argute ille: Cogita nobis ineptam iuncturam enuntiationum: «exstiterunt ingenia decora, donec fierent deteriora!» — *ob metum* - - *recentibus odiis*] Cfr. Martial. 3, 20, 4. de Canio Rufo: — *chartisne tradit* - - *quae Neroni falsus astruit scriptor?* Hieronymiana Latinitate foret *falsatae*, in Rufin. 2, 5. Memorabile est etiam fragm. Senecae de vita patris Ed. Fickert III. p. 745: *Quisquis legisset eius historias ab initio bellorum civilium, unde primum veritas retro abiit, paene usque ad mortis suae diem* cet. Iosephus Ant. 20, 8, 3: Πολλοὶ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν· ὧν οἱ μὲν διὰ χάριν, εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ, τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν, οἱ δὲ διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν, ὡς ἀξίους αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως. Quos scriptores hic significet, pro certo exputari non potest. In Neronis rebus ipse utitur Ann. 14, 2. Cluvio Rufo et Fabio Rustico, quorum certe eloquentia et fides praedicatur. (Agric. 10. Plin. Epp. 9, 19.)

2. *Bruto*] Philippis a. u. c. 712. — *caesis*] oratorie, ut ita dicam, de morte,

peius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur, ut novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. (3) ceterum Augustus subsidia dominationi, Claudium Marcellum sororis filium admodum adulescentem pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum

1. *aput* M. — *exsutoque* M. — 2. *iulianus* M. — *reliqus* pr. M. — 8. *ut*] Horkel: *at* M, *ac* B. — 12. *caeterum* M. — 14. *M.* M: *Marcum* B.

quam ipsi sibi consciverant, ut mox *interfecto* de Antonio. — *publica arma*] «Senatus populique R.» Lips. Triumvirûm adversarios Seneca de Ira 3, 30. vocat *post Pompeium demum Pompeianos*. — Sex. Pompeius inter Mylas et Naulochum a M. Agrippa proelio navali *oppressus*, devictus (Suet. Oct. 16.) a. u. c. 718. atque sequente captus Midaii, Antonii iussu occisus Mileti. Dio 49, 18. — *exuto Lepido*] exarmato. A. u. c. 718. Lepidus a suis ipse militibus contemptus sine sanguine legionibus et omni potestate privatus, Circeiosque in perpetuum relegatus. Vell. 2, 80. Suet. Oct. 10. Argute Seneca de Clem. 1, 10: *Ipsum Lepidum quamdiu mori passus est? Per multos annos* (usque ad a. 742.) *tulit ornamenta principis retinentem et pontificatum maximum non nisi mortuo illo transferri in se passus est; maluit enim illum honorem vocari quam spolium.* Ea etiam quae sequuntur apud Senecam cum hoc Taciti loco quae comparentur, digna sunt. — *interfecto Antonio*] Suet. Oct. 17: *Antonium seras conditiones pacis tentantem ad mortem adegit.* a. 724. Vell. 2, 87. — *consulem*] post primum consulatum a. u. c. 711. secundum iniit a. 721., tertium a. 723., quartum a. 724., quo ab anno solius Augusti imperium incipit. — *tribunicio iure*] Cfr. Ann. 3, 56. Dio 53, 17. Tribuniciam potestatem assumpsit a. 731. Cfr. 3, 56. — *Contentum* autem dicit, quia regis, dictatoris, censoris perpetui nomina ipsi oblata repudiabat. — *annona*] Suet. Oct. 41. Monum. Ancyr. p. 372. Wolf: *Consul undecimum* (a. 731.) *duodecim frumentationes frumento privatim coëmpto emensus sum.* — *potentium*] Marii, Sullae, dein Caesaris et Pompeii. — *turbabantur*] irritae reddebantur ac persaepe impune migrabantur.

3. *subsidia dominationi*] sunt successores destinati, qui spem auferrent res novas molientibus. Dubner. — Sic Ann. 1, 24: *rector iuveni.* 2, 60: *dona templis.* 2, 64: *causas bello.* — *sororis*] Octaviae, C. Octavii et Atiae filiae. Marcellus XVII. vel, ut ait Propertius, XX. annos natus aedilis fuit a. 731., quo ipso Baiis mortem obiit. Cfr. Virg. Aen. 6, 860. Propert. 3, 18. volg. Senec. ad Marc. 2. — *Agrippam*] Seneca Controv. 2, 12: *Vipsanius Agrippa fuerat: Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur.* Seneca de Benef. 3, 32: *M. Agrippae pater ne post Agrippam quidem notus.* — *geminatis consulatibus*] continuatis a. 726. et 727., qui honos etiam postea (exceptis interdum imperatoribus) plane insolitus erat. — *Marcello*] qui Iuliam in matrimonio habuerat, Agrippae postea (a. 733.), postremum (a. 743.) Ti-

sumpsit; Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. ut Agrippa vita concessit, L. Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem exstincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiiceret, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii conpertum. at Hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus inposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis; sed quo pluribus munimentis

2. *etiam dum* M. Correxit Wolfius. — *genitos* corr. M; fuerat *genitus* vel *genitas*. — 4. *destinare* M, quod retinuit W. (Walther.) Emendavit Ryckius. — *spetie* M. — 5. *L.* M: *Lucium* B. — 6. *hispanienses* in M videtur e correctione, adeo ut pr. fuerit *hispaniensis*. — (*Gaium* omnibus litteris M.) — 8. *extincto* M. — 9. *adsumitur* M: *assumitur* B. — Habet *omnisque* M. — 12. Habet *postumum*, non *Posthumum*, M. — *planesiam proieceret* M. — 14. *conpertum* M: *compertum* B. — *herculae* M. — *aput* M. — *rhenum* M. — 15. *inposuit* M: *imposuit* B. — *quamquam* M: *quanquam* B. — *monumentis* M. Emendavit Lipsius.

berio nuptam. — *privignos*] Tiberii Neronis et Liviae Drusillae filios. — *imperatoriis*] ea significatione, quae veteris populi R. temporibus obtinebat. Tiberius v. c. de Germanis imperator appellatus est a. 759. cet. Dio 55, 28. De Drusi vero imperatorio nomine nihil praeterquam ex hoc Taciti loco constat. *Gaium* natum a. 734., *Lucium* biennio toto minorem. Dio 54, 18. Suet. Oct. 64: *Gaium et Lucium adoptavit, domi per assem et libram emptos a patre Agrippa.* De his cfr. imprimis Norisii *Cenotaphia Pisana.* — *necdum posita*] Mon. Ancyr. p. 571. Wolf: *Inter filios meos, quos sinistra sors mihi eripuit, eorum C. et L. Caesares honoris mei causa senatus populusque R. annum quintum et decimum agentis consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium.* - - *Equites autem Romani universi principem iuventutis utrumque eorum parmis et hastis argenteis donatum appellaverunt.* — *Agrippa*] a. 742. annum agens LI. morbo decessit, *in tormentis adulteriorum coniugis socerique praegravi servitio.* Plin. H. N. 7, 8.; *pudenda Augusto Agrippae ablegatio.* Ibid. 45. — *Lucium*] Suet. Oct. 65: *Caium et Lucium in duodeviginti mensium spatio, Caio in Lycia (Limyris* Vell. 2, 102. a. d. IX. Kal. Mart. a. 757. ex volnere ad Artagiram accepto), *Lucio Massiliae* (a. d. XII. Kal. a. 755.) *defunctis.* — *Liviae*] Zonaras p. 559: *ἥ τε οὖν Λιβία ἐπὶ τῷ θανάτῳ τούτων* (C. et L. Caesarum) *ὑπωπτεύθη καὶ ὁ Τιβέριος οὐ πολλῷ πρότερον ἐκ τῆς Ῥόδου πρὸς τὴν Ῥώμην ὑπονοστήσας.* — *Drusoque*] ante annos circiter XII. in Germania ex fractura, equo super crus eius collapso, mortuus erat a. 745. Liv. Epit. 140. Dio 55. initio. Ovid. Fast. 1, 597: *Et mortem et nomen Druso Germania fecit: Me miserum, virtus quam brevis illa fuit!* De Drusi rebus gestis atque obitu cfr. etiam Uckert *Germanien* p. 29. — *filius*] adoptatus et iterum tribuniciae potestatis consors factus est a. 757., ut antea a. 748., postea 766. — *collega imperii*] Vell. 2, 121: *cum S. P. Q. R., postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset* cet. Suet. Tib. 21: *lege per consules lata, ut*

insisteret. bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. domi res tranquillae, eadem magistratuum vocabula; iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus qui rem publicam vidisset? (4) igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare; nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere. pars multo maxima inminentis dominos variis rumoribus differebant, trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem, Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia; multaque indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis quibus Rhodi specie secessus

4. *domi res*] *dormires* M. — 7. *omnis* M. Correxit Muretus. — *exsuta* M. — 11. *dissere* M. — 12. *inminentis* M: *imminentis* B. — 13. *non*] *N* cum lin. M. — 15. *set* M. — 16. *quamquam* M: *quanquam* B. — *praemantur* M. — 18. *spetie* M.

provincias communiter cum Augusto administraret simulque censum ageret. — *ostentatur*] «Modo huic, modo illi exercitui impositus imperator, Germanicis maxime, tamquam non ambiguus successor.» Wolf. Ad huius v. usum cfr. Ann. 3, 9: *ut* (Piso) *crebro se militibus ostentavisset.* Hist. 5, 24: *Civili veniam ostentans.* — *Agrippam Postumum*] post patris mortem natum. Suet. Oct. 65: *Tertium nepotem, Agrippam, simulque Tiberium adoptavit in Foro lege curiata.* Ex infausta hac adoptione in nummo Corinthiorum ante eius abdicationem cuso: *AGRIPPA CAESAR.* Akerman I. p. 143. — *Planasiam*] Corsicae vicinam, hodie *Pianosa.* Cfr. Dio 55, 32. — *at Hercule*] frequentius hac gravi asseverandi formula utitur in orationibus, etiam obliquis, ut C. 17. et 26. Ann. 3, 54. Hist. 1, 84. In narratione tamen huic simili, magis vero rhetorica, est Ann. 12, 43. — *Germanicum*] Drusi Neronis ex Antonia minore filium. — *per adoptionem*] a. 757. — *filius iuvenis*] Drusus ex Vipsania, Agrippae filia, a. 739. itaque tunc XVIII. annos natus. Suet. Tib. 52. — *Quintilio Varo*] a. 762. Vell. 2, 117. Suet. Oct. 63. Dio 56, 18—24.

4. *integri moris*] Intellige *moris publici*, de veteribus rei publicae institutis. Duebn. — *aegro et corpore*] id est, «etiam, insuper.» Ante Wolfium comma supervacaneum *senectus*, *aegro et corpore* interpretes impediebat. — *maturum annis*] LVI. annos natum. — *superbia*] Suet. Tib. 2: *Praeterea notissimum est, Claudios omnes - - - optimates assertoresque unicos dignitatis ac potentiae patriciorum semper fuisse atque adversus plebem adeo violentos et contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit, nonnulli in altercatione et iurgio tribunos plebi pulsaverint.* — *domo regnatrice*] Sen. de Benef. 6, 32: *principalis domus.* — *consulatus*] a. 741. 746. 750. — *triumphos*] de Pannoniis a. 745., de Germanis a. 747., de Illyriis, Pannoniis, Delmatis et Germanis a. 765. — *annis*] a. 748. invidiae C. et L. Caesarum devitandae causa Rhodum specie studiorum secessit: Romam redilt a. 755. Cfr. Dio

exulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas lubidines meditatum. accedere matrem muliebri inpotentia; serviendum feminae duobusque insuper adulescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant. (5) haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur. quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. gnarum id Caesari; neque multo post exstincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. utcunque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; neque satis conpertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repperit. acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia; laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

1. *exulem* M: *exsulem* B. — *lapidines* (non *lupidines*) M. — 2. *inpotentia* M: *impotentia* B. — *faemine* M. — 3. *praemant* (prima syll. per compend.) M. — 4. Habet *valitudo* M. — 6. *conscis* M. — 7. *utrimque* M: *utrinque* B. — 9. Habet *marciae*, non *Martiae*, M. — *G. nauum* M. Emendavit Lipsius (et Muretus?). In M autem inferior pars litterae *G* videtur a manu sec. — 10. *extincto* M. — 12. *aea* pr. M. — 13. Habet *litteris*, non *literis*, M. — *conpertum* M: *compertum* B. — 14. *aput* M. — Habet *reppererit*, non *repererit*, M. — 15. Habet *saepserat*, non *sepserat*, M.

55, 9. — *exulem egerit*] manifesto hoc opponitur vv. *in speciem secessus*: «re vera ut exul vixerit;» nam Romani eum pro tali habebant. Suet. Tib. 13: *Rhodi contemptior in dies et invisior fuit:* et inimicus Caio Caesari promisit, *se inde caput exulis relaturum*. Atque idem ei exprobratur in carmine famoso, servato a Suetonio Tib. 59.: *et* (tibi) *Rhodos exilium est*. Nolim autem immiscere sententiam, Tiberium personam exulis induisse, quo tamquam immerita ignominia affectus misericordiam popularium commoveret atque invidiam faceret Caesaribus et ex parte saltem ipsi Augusto. Falsa erat Mureti suspicio *exul egerit*; id quod nimium est; significaret enim Tiberium in iudicio damnatum aut senatus consulto reapse in exilium pulsum esse. — *aliquid quam*] Devitavit sonum nimis asperum *aliud quidquam quam*, ut Cic. de Invent. 1, 54, 104: *alicui unquam* scripsit pro *alii cuiquam unquam*. V. Ritterum. — *duobus*] Druso et Germanico. — *interim*] vivo Tiberio. Wolf.

5. *scelus uxoris*] Tangit suspicionem illam de ficubus Liviae iussu venenatis in ipsis arboribus atque ab Augusto lectis. Dio 56, 30., ubi, quem Tacitus *rumorem* dicit, tamquam indubitatum factum narratur. — *uxori Marciae*] Eandem rem paullo aliter narrat Plutarchus *περὶ ἀδολεσχίας* p. 508. A. Is *Fulvium* nominat, quem (Paullum Fabium) *Maximum* (cos. a. 743.) Tacitus. Plutarchi error ortus est ex confusis *Fabii* et *Fulvii* nominibus: *Fabii* nomine utitur Plinius 7, 45., ubi Augusti res adversas enumerat. Est autem idem Maximus, cuius frequens mentio apud Ovidium in Epistt. ex Ponto: qui etiam Marciam memorat 1, 2, 138. — *quaesita*] voluntaria, sponte sumpta. Freinshem. — *an exanimem*] prius tradunt Vell. 2, 123. Suet. Oct. 98. Tib. 21.: *ex itinere revocatus, iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit*. Dio 56, 31., quamquam hic prudentius dubitat. Wolf. Verba eius haec sunt: *νοσήσας τῇ ἐννεακαιδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου*

(6) Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes; quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius umquam suorum necem duravit; neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse. nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit. quod postquam Sallustius Crispus particeps secretorum (is ad tribunum miserat codicillos) comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur. (7) at Romae

1. *facimus* pr. M. Conf. ad p. 11. v. 13. — *caedis* M. — 2. Habet *inermumque* M. — 3. *ea re*] *aere* M. In marg. *ea re*. — *aput* M. — 4. *adposito* M: *apposito* B. — 5. *agrippa* M. — *adficere* M: *afficere* B. — Habet *quandoque*, non *quandocumque*, M. — 6. *quaestus* M. — 7. *exilium* M: *exsilium* B. — *caeterum* M. — 8. *umquam* M: *unquam* B. — 9. *inlatam* M: *illatam* B. — 11. *nuncianti* M. — *ut mos*] *utnos* M, *mos* in marg. — 12. *aput* M. — 13. Habet *sallustius*, non *Salustius*, M. — 15. *seu vera*] *seuera* pr. M. Litterae *u* superscr. *v*. — 17. *conditionem* M: *condicionem* B. — 18. *reddantur* M.

μετήλλαξε· ζήσας μὲν πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας δέκα καὶ ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσι· (τῇ γὰρ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Σεπτεμβρίου ἐγεγέννητο·) μοναρχήσας δέ, ἀφ' οὗ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ ἐνίκησε, τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα ἔτη, δεκατριῶν ἡμερῶν δέοντα. 31. *Οὐ μέντοι καὶ ἐκφανὴς εὐθὺς ὁ θάνατος αὐτοῦ ἐγένετο· ἡ γὰρ Λιουΐα, φοβηθεῖσα μὴ τοῦ Τιβερίου ἐν τῇ Δελματίᾳ ἔτ' ὄντος νεωτερισθῇ τι, συνέκρυψεν αὐτὸν μέχρις οὗ ἐκεῖνος ἀφίκετο. ταῦτα γὰρ οὕτω τοῖς τε πλείοσι καὶ ἀξιοπιστοτέροις γέγραπται. εἰσὶ γάρ τινες, οἳ καὶ παραγενέσθαι τὸν Τιβέριον τῷ νόσῳ αὐτοῦ καὶ ἐπισκήψεις τινὰς παρ' αὐτοῦ λαβεῖν ἔφασαν.*

6. *centurio*] a tribuno interfectum Suetonius voluit C. 22., sed Dio 57, 3. pariter ut noster, a centurione. Credo verum esse, ut a centurione occisus sit, at iussu tribuni. Lips. — *firmatus animo*] Sal. Fragm. p. 218, 24. Ed. min. Gerlach: *Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.* Quo ex loco tamen hic minime rescribendum est *animi*. — *quandoque*] Cfr. Gronov. ad Liv. 1, 24. (Ibid. 31: *quandoque idem prodigium nuntiaretur.*) — *senatus consulto*] Cfr. Suet. Oct. 65: *Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum. Exin in insulam transportavit saepsitque insuper custodia militum. Cavit etiam S. C., ut eodem loci in perpetuum contineretur.* — *Sallustius*] historici ex sorore nepos, ab eo adoptatus. V. Ann. 3, 30. Augusti amicum *interioris admissionis* eum vocat Seneca de Clem. 1, 10. — *codicillos*] Dio 57, 3: *τὸν Ἀγρίππαν παραχρῆμα, ἐκ τῆς Νώλης πέμψας τινὰ ἀπέκτεινε κτλ.* Suet. Tib. 22. Huiusmodi codicillos *formulam letalem* vocat Ammian. Marc. 14, 1. — *ratio constet*] a ratiocinatoribus ductum, quibus constant rationes accepti et expensi, cum nullus inest error. Persaepe hoc *τρόπῳ* utitur Plinius iunior (1, 5, 17. 1, 9, 1. 2, 4, 4. cet.).

ruere in servitium consules, patres, eques. quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus adulatione miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Apuleius cons. primi in verba Tiberii Caesaris iuravere, apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae; mox senatus milesque et populus. nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi. ne edictum quidem quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore, idque unum ex publicis muneribus usurpare. sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae, arma, cetera aulae; miles in forum, miles in curiam comitabatur. litteras ad exercitus tamquam adepto

1. *inlustrior* M: *illustrior* B. — 3. *tristior* in contextu M, *tristiores* in marg. «Paene suspicor *tristi ore*, ut Ann. 3, 16.» Doed. Non placet *ore* statim post *vultu*. Or. — *quaestus* M. — *adulatione* M: *adulationes* auctore Lipsio B, *adulationem* auctore Heinsio W. Praestat in Tacito ipsa variata constructio. Or. — 4. *Sex.* (bis) M: *Sextus* B. — *apuleius* M: *Appuleius* B. — *cons.* cum lineola M: *consules* B. — 5. *aputque* M. — *Seius Strabo*] *seiustrabo* M. — *C.* M: *Gaius* B. — 7. et 14. *tamquam* M: *tanquam* B.

7. *falsi*] Sal. Cat. 10: *ambitio multos mortalis falsos fieri subegit.* — *questus*] alii esse nequeunt nisi ob amissum Augustum; neque vero, ut alii volunt, incusationes Tiberii propter moram in capessendo imperio, quae incipiunt demum C. 11. — *adulatione*] id est, per adulationem. Ritter praefert *adulationes*: «numerus enim pluralis non ut singularis significat actum adulandi, sed ipsas testificationes et verba adulatoria, id quod loci sententia requirit. Et sic est Ann. 2, 32. 4, 20. Hist. 3, 74.» Sed multo significantior nostra videtur ratio. — *Sex Pompeius et Sex. Apuleius*] Dio 56, 29.: *συγγενεῖς πῃ τοῦ Καίσαρος Αὐγούστου ὄντες.* Item a Seneca de Tranq. an. 11. *Caius* (Caligula) dicitur eius *vetus cognatus, in cuius palatio fame ac siti periit.* Cum *Sex. F.* appelletur in Indice Coss. apud Dionem, Ryckius filium fuisse credit Sexti Pompeii Cos. a. 719. Sex. Apuleius pariter *Sex. F.* secundum eundem Indicem probabiliter patrem habuit Sex. Apuleium, collegam Octaviani a. 725. De utriusque cum Augusto consanguinitate nihil certi definiri potest. De Pompeiis vide etiam Spanhemium de usu et pr. num. II. p. 66. — *in verba*] In verba Tiberii proprie iurarunt ut imperatoris. Vis fuit se dicto audientes fore, imperata facturos. Ern. Vetus is militiae Romanae mos. Polyb. 6, 21: *Ἐπιτελεσθείσης τῆς καταγραφῆς ἀθροίσαντες τοὺς ἐκλελεγμένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων καθ' ἕκαστον στρατόπεδον, καὶ λαβόντες τὸν ἐπιτηδειότατον, ἐξορκίζουσιν «ἦ μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν.» Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ' ἕνα προπορευόμενοι, τοῦτ' αὐτὸ δηλοῦντες, ὅτι ποιήσουσι πάντα, καθάπερ ὁ πρῶτος.* — Sic h. l. ipsi consules primi apud imperatores iuraverant, antequam ipsi reliquos ad idem ius iurandum adigerent. Ceterum, cum vere militare sacramentum hoc non fuerit, vix differt a C. 8: *sacramento in nomen Tiberii*, ut ibi vidit iam Wolfius. — *Seius Strabo*] Seiani pater. Cap. 24. et Ann. 4, 1. — *annonae*] Ann. 11, 31: *rei frumentariae praefectum Turranium.* Suet. Oct. 37: *nova officia excogitavit: curam - - frumenti populo dividundi.* Hoeck *Röm. Geschichte* II. p. 139. (Ceterum memorabilis de hoc munere est locus Boëthii de Cons. Phil. 3, 4: *Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur, nunc ea praefectura quid abiectius?)* — *neque abscedere*] ut Ann. 3, 5. Hoc dicit, relaturum de sepultura patris, cuius corpori ut assideret pietatem poscere; hanc convocationem senatus unicum esse ex tribuniciis muneribus, quo fungi animum

principatu misit, nusquam cunctabundus nisi cum in senatu loqueretur. causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet. dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. postea cognitum est ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat.

(8) Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti; cuius testamentum, inlatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustae adsume-

5. *inrepsisse* M: *irrepsisse* B. — 8. *supraemis* (media syll. per compend.) M. — 9. *inlatum* M: *illatum* B. — 10. *ae* in v. *Augustae* e corr. M. Fuisse prima manu *augustu* ait Doederlein, fortasse Thierschio teste; unde mavolt *Augustum*. «Sic, inquit, *permissu* pro *permissum* Med. 2. 7.» Mihi hoc nimis ambiguum videtur, praeterquam quod nullum huius usus exemplum afferre potuit. Meminerimus autem oportet, in Codicibus Sec. IX. praesertim et X. ineuntis, etiam in Taciti Mediceo prime, litteras *u* et *a* (hanc superne paullum apertam) distingui vix posse, ut tales libros conferens egomet ipse saepissime vidi, unde si re vera pr. m. dedit *augustu* (id quod Baiterus iterum inspecto Codice affirmari posse negat), eadem etiam legi poterat *augusta*, recte mutatum (ab eadem manu) in *Augustae*. Cfr. Inscrr. m. Lat. N. 615: *IVLIAE DIVI AVGVSTI F. AVGVSTAE* cet. *Adsumebatur* autem pro *adscribebatur*, quod requirebat Doederlein, quamvis aptius etiam esset *adsciscebatur*, in Tacito nullam omnino exhibet difficultatem. Or. — *adsumebatur* M: *assumebatur* B.

induxerit, idque omitti sibi non licere, quoniam ad honorem Augusti pertineat. Quid hac oratione modestius esse poterat in eo, quem successorem imperii sperabat omnis senatus metuebatve? Wolf. Hoc autem edictum Nola misit, quo ex oppido τὸ σῶμα τὸ τοῦ Αὐγούστου πρὸς Ῥώμῃ γενόμενον οἱ ἱππεῖς παραλαβόντες νυκτὸς ἐς τὸ ἄστυ ἐσεκόμισαν, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ βουλὴ ἐγένετο. Dio 56, 31. — *ut imperator*] novo more inde a Iulio Caesare ad Augustum eiusque successores propagato; ille enim accepit *praenomen imperatoris* (Suet. Caes. 76.), quod antea fuerat cognomen (et quidem temporarium): quare nomini praeponebatur, quod antea postpositum erat. Dio 43, 44. (locus imprimis memorabilis.) 52, 41. Prisco autem more duces re bene gesta a legionibus *imperatores* salutari eoque cognomine ex senatus sententia in urbe quoque appellari poterant (usque ad triumphum). Cfr. Ann. 3, 74. Bach. Perbene Dio 57, 2: ἔς τε τὰ στρατόπεδα καὶ ἐς τὰ ἔθνη πάντα, ὡς αὐτοκράτωρ, εὐθὺς ἀπὸ τῆς Νώλης ἐπέστειλε, μὴ λέγων αὐτοκράτωρ εἶναι. — *cetera aulae*] lictores, fasces laureati (ut imperatores prisci), et si quid praeterea tunc repertum principi distinguendo. Lips. De tota autem hac Tiberii dissimulatione cfr. Dio 57, 3. — *tot legiones*] octo ad Rhenum in ripa Gallica (C. 3.), praecipuum, uno loco, imperii robur. (Ann. 4, 5.) Atque eae cum suis auxiliis et equitatu facile ad C. M. militum accedebant. Lips. — *dabat et famae*] Horat. Sat. 2, 2, 94: *das aliquid famae?* — *inductam*] speciem dubitationis assumptam. *Inducere* dicitur de opere tectorio, coloribus et pigmentis. Duebn. — *in crimen detorquens*] in deteriorem partem, adeo ut oblata occasione eum, in quo offenderat, propterea criminari posset; interea ea *recondebat*, clam eorum memor erat.

8. *de supremis*] de eius testamento ac de funere. — *testamentum*] Superest fragmentum apud Charisium I. p. 80. P.: *Augustus testamento: Gausapes, lodices purpureas et coloreas meas.* — *virgines Vestae*] More scilicet Romanorum, qui pactiones, foedera, testamenta, pecunias etiam, deponebant in templis, et saepissime in aede Vestae, quae religione prima. Dio 48, 37. de pace inter triumviros et Sextum inita: ταῦτά τε οὖν συνθέμενοι καὶ συγγραψάμενοι τά τε γραμματεῖα ταῖς ἱερείαις ταῖς ἀειπαρθένοις παρακατέθεντο. Sed et Iulianum testamentum Virgini maximae traditum Suetonius Caes. 83. ait, M. Antonii depositum apud Vestales Plutarchus p. 942. E. Lips. — *Livia*] Hinc Velleio 2, 71. per anticipationem est

batur; in spem secundam nepotes pronepotesque; tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi CCCCXXXV., praetoriarum cohortium militibus singula nummum milia, legionariis † aut cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit. tum consultatum de honoribus; ex quis maxime insignes visi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli,

4. *CCCCXXXV.* M: *quadringenties tricies quinquies* B. — 5. *aut* M: *trecenos* B. — *trecenos* M: *quingenos* B, I. Fr. Gronovii coniecturam post Wolfium secutus. Lectionem M. restituere W. et Doederlein. «Haec igitur est codicis Medicei lectio, quam corruptam esse nemo facile negabit. Corruptelae sedes videtur esse in vocabulo *aut*, in quo vide ne lateat *ccccc* (*a* enim in antiquioribus libris = *cc*, *u* item = *cc*; *t* = *c*), i. e. *quingenos*. Qua emendatione admissa Tacitus cum Suetonio (Octav. c. 102) et Dione Cassio (lib. 56. c. 32) in eo saltem consentit, ut tria genera militum enumeret, quorum primo *singula nummum milia*, secundo *quingenos*, tertio *trecenos nummos* legaverit Augustus. Sed cum ne sic quidem Tacitus prorsus cum duobus illis scriptoribus consentiat, quippe qui secundum et tertium militum genus aliter definiant, Saupius meus hanc proponit lectionem: *praetoriarum cohortium militibus singula numum milia,* [*urbanis ccccc,*] *legionariis autem cohortibus* cet.» Baiterus. Equidem ἐπέχω. Or. — 7. *portat triumphali* M.

Iulia Augusta, et *Augusta* Tacito ipsi aliquoties (Ann. 4, 21. et 22. cet.) in Inscrr. meis Lat. N. 615—617: *Iulia Divi Augusti F. Augusta.* Post eius mortem ultra etiam processit adulatio in hac inscr. Pompeiana: *Divae Augustae. L. Mamius Maximus P. S.* Guarinus *in sacra nonnulla Pompeiana Commentaria duo.* Neapoli 1830. p. 78. Item in nummis: *Diva Iulia Augusta* et *Diva Iulia Augusti Filia.* Akerman I. p. 141. — *in spem secundam*] exquisitius dictum quam «secundos heredes scripsit.» — *nepotes pronepotesque*] Suet. Oct. 101: *secundos, Drusum Tiberii filium, ex triente, ex partibus reliquis Germanicum liberosque eius tres sexus virilis.* — *populo et plebi*] Cicero Mur. 1: *populo plebique Romanae*, ubi mera est formula. Quomodo autem hic distinguendum sit utrumque vocabulum, monstrat Sueton. Oct. 101: *Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium, praetorianis militibus singula milia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos.* Recte Wolfius distributionem ita factam esse censet, ut, quod Augustus *populo* legarat, in aerarium P. R. ad publicos usus deferretur, quod *tribubus* (quibus apud Tacitum respondent vv. *et plebi*) viritim vel vicatim pernumeraretur (quam quidem pecuniam nonnisi a tenuioribus acceptam esse consentaneum est). Dio 56, 32: *κτήματα δὲ καὶ χρήματα πολλὰ πολλοῖς, καὶ τῶν προσηκόντων οἱ καὶ τῶν ἀλλοτρίων, οὐχ ὅπως βουλευταῖς καὶ ἱππεῦσιν, ἀλλὰ καὶ βασιλεῦσι, τῷ τε δήμῳ χιλίας μυριάδας, καὶ τοῖς στρατιώταις, τοῖς μὲν δορυφόροις κατὰ πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμάς, τοῖς δ' ἀστικοῖς τὴν ἡμίσειαν, τῷ τε λοιπῷ τῷ πολιτικῷ πλήθει πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δοθῆναι ἐκέλευσε.* — Corruptelae manifestum indicium est in v. *aut*, quod idem fere esse atque *et* Walther, etsi in speciem negat, re vera tamen statuit; scilicet, ut ait, «distinguendo copulat.» In exemplis autem ab ipso allatis Cap. 16: *iustitium aut gaudium.* C. 55: *perfidia aut fide.* C. 64: *parendi aut imperitandi.* Ann. 2, 47: *aerario aut fisco.* Hist. 4, 71: *montibus aut Mosella amne.* 12, 12: *industriosque aut ignavos.* 15, 47. vim suam propriam disiungendi manifesto retinet. Cfr. Hand Turs. I. p. 540. Duas autem diversas vv. *cohortibus civium Romanorum* interpretationes Freinshemius in *Paraphrasi* Argent. 1641. callide ita complexus est: «urbanis nimirum et si quae aliae sub certis legionibus non continebantur.» Sed cohortes urbanas, etsi ex civibus constabant (Ann. 4, 5.), unquam vocatas esse *cohortes civium R.* comprobari nequit, neque vero, si quae aliae v. c. in praesidiis oppidorum atque castellorum erant legionibus non aggregatae, quales memorantur in Inscr. m. Lat. 798: *COHORTIS SECVNDAE CIVIVM ROMANORVM.* et N. 2010: *COHORTIS*

victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere, addebat Messala Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio num se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis quae ad rem publicam pertinerent consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. ea sola species adulandi supererat. conclamant patres corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. remisit Caesar adroganti moderatione; populumque edicto monuit ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis inprospere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in

1. *anteferentur* M. — *L.* M: *Lucius* B. — 2. Habet *messala*, non *Messalla*, M. — 6. *speties* M. — 7. *umeris* M. — 11. *inridentibus* M: *irridentibus* B. — 12. *inprospera* M, *improspere* B. — *repetita* M. — 13. *pulcherimum facinus* M.

C. R., has eadem summa donatas separatim memorare nihil attinebat: urbanas autem cohortes a Suetonio ac Dione memoratas a Tacito, accuratissimo scriptore, praetermissas esse veri simile non videtur. Quocirca sane dignissima est, quae memoretur Sauppii mei coniectura (v. Var. Lectt.), qua sublatis cohortibus urbanis, legionariae cohortes civium Romanorum iis opponuntur, quae ex provinciis iamdudum Romanis moribus imbutis, ex Hispania puta et Africa, delectae erant. Unum tamen illud *autem* Freinshemianum non satis placet, quia otiosum, et omnino ab hac particula, quantum potest, abstinet Tacitus, etsi ea utitur Ann. 3, 53 et 73. cet. Ceterum Dio in Excc. Vaticc. Ed. Sturz. IX. p. 86: *Τιβέριος τὰ καταλειφθέντα ληγάτα Καίσαρος οὐκ ἀπεδίδου ἐπὶ χρόνον πολὺν κτλ.* Idemque narrat Suetonius Tib. 57. Scilicet persolvit demum a. seq. 768. Dio 57, 14. — *visi*] scilicet populo de hisce decretis tum sermocinanti. Nihil mutandum. Perperam autem Böttlcher in Interpret. Germanica explicat *decreti*, abusus formula illa: *senatui videri*. — *porta triumphali*] quae inter Flumentanam et Carmentalem fuit haud longe a Tiberi, et ad Campum Martium ducebat, ubi cremari debebat Augusti corpus. Solis autem triumphantibus triumphi die patebat. — *addebat*] egressus relationem. Ann. 2, 38. — *humeris senatorum*] qui honor, nisi fallor, Sullae habitus primo Romanorum. Appian. B. C. 1, 106. Lips. — *remisit*] Manifesto hoc refertur ad eum solum honorem, ut corpus ad rogum humeris senatorum ferretur, neutiquam vero «ad cumulum honorum Augusto decretorum,» ut opinatus est Walther et Ritter. Neque vero *remisit* prorsus idem est ac *permisit*; sed retinet suam significationem, *er erliess es ihnen, gab es ihnen frei*, («ipsorum arbitrio tribuit, vellent an nollent.» Duebn.) Atque videtur ipsum verbum, quo hac in re usus est Tiberius, a Tacito ex Actis Senatus desumptum; cui tamen alia ille addiderit in speciem moderata, sed ex quibus multum adrogantiae eluceret. «Tamquam iure remittendi uteretur,» ut recte ait Doederlein, quocirca factum est, ut hic honos re vera ei haberetur, teste Suetonio Oct. 100. et Dione 56, 42., qui de Augusti funere omnino conferendi sunt. — *ut quondam - - turbasset*] Cum rogus cremando Caesari in campo Martis, ut ante Sullae, exstructus esset, plebs infima ab Antonio concitata, summo tumultu, direptis subselliis, cancellis, mensis argentariorum in Foro cremavit. Suet. Caes. 84. Plut. Caes. 68. Dio 57, 2. — *sede destinata*] in Mausoleo, quod ipse sibi exstruxerat, depositus est. Cfr. Strabo 5, 3, 8. — *inridentibus*] Eiusmodi *χλευαστὴν* memorat etiam Dio 57, 2. — *provisis - - opibus*] cum provisum ab eo esset, ne successoribus exercitus et reliquae opes deessent ad opprimendam rem publicam. Wolf.

rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret. (9) multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus; quod Nolae in domo et cubiculo in quo pater eius Octavius vitam finivisset. numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat; continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas, nomen inperatoris semel atque vicies partum, aliaque honorum multiplicata aut nova. at apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur. non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam

4. *supraemus* M. — 5. *consolatuum* M. — 6. *C.* M: *Gaium* B. — 7. *inperatoris* M: *imperatoris* B. — Habet *vicies*, non *viciens* (W.), M. — 8. *vitae* M. — 12. *dum*] *tunc* M. Correxit Muretus et Pichena. (*multa Antonio tunc*, *interfectores patris ut ulcisceretur* lac. Gronovius; *multa Antonio tunc*, *ut i. p. u.* Doederlein.) — *ulciscerentur* M. — 14. *ut* om. M.

9. *multus*] Cfr. cum his funebrem Augusti laudationem a Tiberio habitam, *ῥητορικῶς* compositam a Dione 56, 36—41. — *idem dies*] XIV. Kal. Sept. Sueton. Oct. 100. Dio 56, 50. — *Valerium Corvum*] Nam Valerius sextum, Marius septimum consul. At *ter Latio deciesque tulit labentibus annis Augustus fasces*, ut ait Statius Silv. 4, 1, 31. Lips. *Corvus*, non *Corvinus*, ut contra Cod. dedit Rhenanus eiusque sequaces, verum esse Valerii cognomen constat vel ex Fastis Capitol. Cons. a. 405. Triumph. a. 407. 410. 418. — *tribunicia potestas*] Accepit eam a. d. V. Kal. Iulias a. u. 731., ut per XXXVI. annos et duos ferme menses gesserit. Dio 53, 32: *ἡ γερουσία δήμαρχον αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο.* — *nomen inperatoris*] Ex suis et ducum legatorumque victoriis toties dictus est imperator antiqua significatione. — *aliaque honorum*] Suet. Oct. 26. et 57. — *necessitudine rei publicae*] Dio 56, 44: *εἰ γάρ τινες καὶ τῶν προτέρων τῶν ἐν τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις γενομένων ἐμνημόνευον, ἐκεῖνα τῇ τῶν πραγμάτων ἀνάγκῃ ἀνετίθεσαν κτλ.* — *regno*] Ex Maecenatis consilio. Nil enim in Iulio tantopere displicuerat, quam regii nominis (certe extra Italiam) affectatio. Suet. Iul. 79. Vell. 2, 56. — *neque dictatura*] ut Sulla, dein Iulius Caesar. Doed. *Dictaturam* autem *funditus ex re publica sustulit* M. Antonius consul a. 710. Cic. Phil. 1, 1., quod senatus consultum non migrare prudentius duxit Octavianus. — *amnibus*] Euphrate, Rheno, Danubio. Herodian. 2, 11, 5: *ποταμῶν τε μεγέθει καὶ τάφρων ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ ἔφραξε τὴν ἀρχήν.* — *connexa*] Cfr. Ann. 4, 5. — *ornatu*] Suet. Oct. 29. Paullo ante mortem dixisse fertur: *Τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβών, λιθίνην ὑμῖν καταλείπω.* Dio 56, 30. Opera publica, curante Augusto perfecta, enumerat Suet. Oct. 29.

10. *dicebatur contra*] uberius hanc partem exsequitur; an quia ipse in ea? Non ambigo. Lips. — *concitos*] Cic. ad Att. 16, 8, 1: *Octavianus magna molitur: veteranos - - perduxit ad suam sententiam; nec mirum: quingenos denarios dat.* (ex Caesaris hereditate.) Vell. 2, 61. Appian. B. C. 3, 40. — *ab adulescente privato*] Mon. Ancyr. p. 369. Wolf: *Annos undeviginti natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi, per quem rem publicam obstinatione factionis oppressam in libertatem vindicavi - - -; qui parentem coniurati occidissent, in exilium expuli, iudiciis legitimis ultus.* Suet. Oct. 8. — *consulis*

rem publicam; mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium; legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa; ius apud cives, modestiam apud socios; urbem ipsam magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. (10) dicebatur contra pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adulescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium; mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse; extortum invito senatu consulatum, armaque quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa; proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas. sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis,

2. *conexa* M. — *aput cives* pr. M, *apud c.* corr. M. — 10. *adfusum* M: *affusum* B. — 13. *fecere* M: *cepere* B, Muretum ac Wolfium secutus. — 14. *prutorum* M. — *inimitiliis* M. — *quamquam* M: *quanquam* B.

legiones] Antonii quartam et quintam. Cic. Philipp. 4, 2. Appian. B. C. 3, 93. — *Pompeianarum*] Sic diu post Pompeii interitum eae partes vocabantur, quae pro libertate contra Caesarianos stabant. Idem sic exprimit Suet. Oct. 10: *ad optimates se contulit.* — *ius praetoris*] suadente Cicerone, ab Octaviano misere decepto, Philippica 5, 17: *Senatui placere C. Caesarem, C. filium, pontificem, propraetorem, senatorem esse sententiamque loco praetoris dicere.* (Hinc h. l. *ius praetoris.*) — *Pansam*] Sinistri huius rumoris primum vestigium repperi in Pseudobruti Epistola ad Cic. Lib. 1, 6., quas epistolas subditicias primis Augusti temporibus compositas esse reor. Ibi ut huius facinoris prorsus innocens defenditur Glyco, Pansae medicus. Tum vide Sueton. Oct. 11. — *invito senatu*] Muretus malebat *senatui*; sed est antiquior dativi forma: vix enim adducor, ut pro ablativo habeam cum Walthero, qui «consulatus enim», inquit, «non erat in senatus manibus, sed senatus populique Romani.» (Accuratius sane foret tantummodo *populi Romani;* sed illo anno (711.) ante triumviratum Romae omnia gerebantur per optimates, non per populum, nisi forte in speciem.) — *acceperit*] ex optimatium quidem mente. Hinc coniunctivus, pro quo *acceperat* malebat Muretus. — *qui fecere*] fieri iusserunt. Refero ad solas *divisiones agrorum*, non cum aliis etiam ad *proscriptionem.* Cfr. Dio 48, 6: *ἦν δὲ ἐν τῇ κληρουχίᾳ ἀμφοτέροις ἡ πλείστη τῆς δυνάμεως ἐλπίς, καὶ διὰ τοῦθ' ὑπὲρ αὐτῆς πρῶτον ἀρξάμενοι διεφέροντο. — — ὡς γοῦν παρὰ τὴν δόξαν αὐτῶν πολλὴ ταραχὴ ἐγίγνετο, καὶ τὸ πρᾶγμα ἐς πόλεμον προήγετο* κ. τ. λ. Ingeniosam quidem sed haud probabilem Mureti coniecturam *cepere* nonnulli defendebant Suetonii testimonio Oct. 13: *neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit; alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus;* quibuscum consentit Dio l. l. — *Brutorum*] Marci et Decimi. — *sed - sed*] Ad rhetoricum hoc *σχῆμα* Wolfius scite contulit Senecam de Benef. 1, 1: *sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis et vix exeuntibus verbis.* — *Pompeium*] Octavianus Muciam Sex. Pompeii matrem ad eum miserat, sororemque L. Scribonii Libonis, qui Pompeii socer erat, uxorem duxerat, ut Pompeium, quem mari plurimum posse intelligebat, sibi adiungeret. Postea in Sexti navi coenaverat; ipse eum convivio exceperat; M. Marcello sororis filio Pompeiam Sexti filiam desponderat.

sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse. pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos. nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor, et consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet; Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca. nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet.

1. *spetie* M. — 2. *inlectum* M: *illectum* B. — *subdole* M. — *adfinitatis* M: *affinitatis* B. — 4. *iulies* M. — 5. *adducta* M. — 6. *nuberet; Q.* cum Victorio W. (*nuberet; Quinti* cum Wolfio B.): *nuberetque* M. — 8. *gravius domui* M, quod restituere W. et Doederlein. Sed satis iam gradationis inest in vv. *mater - - novercu*, ita ut constructionem prope *σολοικίζουσαν* merito reliciamus; adde quod in exemplis a W. allatis, Ann, 4, 47: *Quidam audentius - - visebantur* cet. adverbium iungitur cum verbis, non cum substantivis. Ceterum *gravis* scribendum suasit iam Beroaldus. Or. — 9. *efficie* M. — *flammines* M.

Sed tamen eum post e medio tollendum curavit. Dio 48, 36. Muret. Vellei. 2, 77. Suet. Oct. 16. — *Lepidum*] Dio 49, 12. Vell. 2, 86. Huic enim ex Africa advocato, ut sibi adversus Sex. Pompeium auxilio esset, legiones et imperium ademit a. 718. — *Tarentino Brundisinoque foedere*] *ὑστερολογία*, qua reprehensorum Augusti sermones consulto expressisse videtur. Etenim a. 714. Antonio *Brundisium* obsidente, priusquam apertum bellum exsisteret, ipso Octaviani exercitu flagitante pax foedere Brundisino restituta et Antonii cum Octavia C. Marcelli vidua nuptiis firmata est. *Tarentino* autem discordia denuo inter Antonium et Octavianum orta per Octaviam composita a. 717. — *Lollianas*] a. 738. Dio 54, 20. Vell. 2, 97. Suet. Oct. 23: *cladem Lollianam maioris infamiae quam detrimenti*; unde fortasse factum est, ut inverteretur in Eusebio Hieronymiano Olymp. 190, 4: *Germanos in arma versos M. Lollius superat.* — *Varianas*] a. 762. Sueton. ibid. Vellei. 2, 117. seqq. — *Varrones*] L. Licinius Murena, per adoptionem A. Terentius *Varro* Murena (Fast. Capitol. a. 731.) cum Fannio Caepione a Tiberio reus factus et necatus illo ipso anno 731., quo consul erat suffectus. Vell. 2, 91. Suet. Oct. 19. et 66. Dio 54, 3. Ad eum est Horatii C. 2, 10. — *Egnatios*] M. Egnatius Rufus aedilis. Vell. 2, 91. 93. Dio 53, 24. Suet. Oct. 19. — *Iulos*] Iulus Antonius, Antonii triumviri et Fulviae filius, Marcellae, Octaviae filiae, maritus, ad quem est Horatii C. 4, 2., consul a. 744. Violavit domum Augusti, affinis sui, commisso cum Iulia adulterio a. 752.; Iulia in Pandatariam insulam relegata; Iulus Augusti iussu se ipse interfecit, Vellei. 2, 100. Plut. Anton. 87. Dio 54, 26 et 55, 10. Seneca de brev. vitae 5. *Iulios* autem merus est error in hoc Antonii minoris nomine. — *consulti - - pontifices*] a. 716. Dio 48, 44: *πυθομένου τῶν ποντιφίκων, εἰ οἱ ὅσιον ἐν γαστρὶ ἔχουσαν αὐτὴν ἀγαγέσθαι, ἀπεκρίναντο, ὅτι εἰ μὲν ἐν ἀμφιβόλῳ τὸ κύημα ἦν, ἀναβληθῆναι τὸν γάμον ἐχρῆν· ὁμολογουμένου δὲ αὐτοῦ, οὐδὲν κωλύει αὐτὸν γενέσθαι.* — *Q. Tedii*] hominis alioquin ignoti, diversi sane a Tedio Afro, consule designato, qui conterritus minis Augusti se praecipitavit. Suet. Oct. 27. Wolfius cogitabat de substituendo *Q. Pedio*, Octaviani coherede. Suet. Caes. 83. *C. Matium*, quem ex Ann. 12, 60. hic substituunt Piderit *de Apollod. Perg. et Theod. Gadar.* Marburgi 1842. p. 42. et Schneidewin *Diar. Gotting.* 1843. p. 1455. diversum esse volunt a C. Matio, Iulii Caesaris amico, cuius exstat Epistola in Cic. ad Fam. 11, 28. Fuit tamen is procurator ludorum Octaviani. ad Att. 15, 2, 3. et Plinius H. N. 12, 6: *primus C. Matius ex equestri ordine, D. Augusti amicus, invenit nemora tonsilia.* — De *Vedii Pollionis luxu* Seneca de ira 3, 40. Plin. H. N. 9, 23: *invenit in muraenis documenta saevitiae Vedius Pollio, eques Romanus ex amicis D. Augusti, vivariis earum immergens damnata mancipia.* Dio 54, 23: *τῷ πλούτῳ τῇ τε ὠμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος.* — Pertinet huc etiam Ann. 12, 60: *Matios et Vedios et*

ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. etenim Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret. ceterum sepultura more perfecta, templum et caelestes religiones decernuntur.

(11) Versae inde ad Tiberium preces. et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia. solam divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent:

4. *quamquam* M: *quanquam* B. — 7. *perfecta* cum lineola super l. *a* M. — 8. *variae* M. — 12. *inlustribus* M: *illustribus* B.

cetera equitum Romanorum praevalida nomina. — *effigie numinum*] Cfr. imprimis Dio 51, 20. Suet. Oct. 52: *templa - - in nulla provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit. Nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* Cfr. Inscr. m. Lat. N. 606: *ROMAE ET AVGVSTO. CAESARI. DIVI F. PATRI PATRIAE*. Polae. N. 4018: *Q. ADGINNIVS - - SEQuanus SACERDOS ROMAE ET AVG. AD ARAM AD CONFLVENTES ARARIS ET RHODANI FLAMEN* cet. Male autem Walther et Bach propter imperf. *vellet* cogitarunt de templo et caelestibus religionibus, quae Augusto decretae sunt iam defuncto. Hae sane ipsi imputari non poterant; imperfectum autem explica: *nihil - - relictum tum, cum in vita se coli - - vellet.* — *comparatione deterrima*] cum deterrimo homine. Cfr. Sueton. Tib. 21. Dio 56, 45. «De re, ne Augustus monstrum habeatur, vide Ann. 4, 57. Dionem 57, 3 et 12. Suet. Tib. 23. Calig. 4., ipsamque rem perpende et fortunam domus principalis.» Wolf. — *honora*] Nota formam poëticam a Valerio Flacco et Statio, quantum nunc constat, primum usurpatam. — *habitu cultuque et institutis*] *habitu* ad vultum et gestum, *cultu* (pro quo Heinsius male malebat *vultu*) ad vestitum ceterumque ornatum, *institutis* ad vitae quotidianae rationes modumque cum amicis, libertis, servis versandi refertur. Cfr. Ann. 2, 59. 15, 72. Hist. 1, 7. Incedebat autem Tiberius *cervice rigida et obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus.* Suet. Tib. 68. Cfr. Doederlein. — *templum*] in Palatio ipso ex senatus decreto. Dio 56, 46: *καὶ Αὐγούστῳ ἔν τε τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δὲ ὑπὸ τῆς Λιουΐας καὶ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου ἐποιήθη, καὶ ἄλλοτε πολλαχόθι.* Idem 60, 5. *Αὐγουστεῖον* vocat. Sueton. Tib. 47. Plin. 12, 13: *Cinnamomi radicem magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat Divo Augusto coniux Augusta.* — *caelestes religiones*] Kalend. Amitern. in Inscrr. m. Lat. II. p. 398. (XVI. Kal. Octobr.) *DIVO AVGVSTO HONORES CELESTES* (sic) *A SENATV DECRETI.*

11. Cum his compara Velleii adulationem 2, 124. — *modestia*] Multi explicant mediocritatis, tenuitatis suarum virium conscientia. Praestat, opinor, accipere pro moderatione, ut est Ann. 2, 36: *grave moderationi suae.* Ann. 1, 12: *nequaquam decorum pudori suo.* Atque in nummo aliquo Tiberii apud Akerman I. p. 147. caput est feminile cum inscriptione *MODERATIONI.* Doederlein explicari posse etiam de modicae fortunae amore arbitratur; mihi hoc in Tiberii ore ridiculum futurum fuisse videtur. — *non ad unum omnia deferrent*] Supple, *si saperent;* quia non praecedit *ne*, sed *non.* Duebn. — In hoc quoque simulator sequi videri voluit Augusti mandata. Dio 56, 33: *τὰ κοινὰ πᾶσι τοῖς δυναμένοις καὶ εἰδέναι καὶ πράττειν ἐπιτρέπειν, καὶ μηδένα ἕνα ἀναρτᾶν αὐτὰ παρῄνεσε σφίσιν· ὅπως μήτε τυραννίδος τις ἐπιθυμήσῃ, μήτ' αὖ πταίσαντος ἐκείνου, τὸ δημόσιον σφαλῇ.* Quamquam in his quoque Au-

plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos. plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba, tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. at patres, quibus unus metus si intellegere viderentur, in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit. opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. quae cuncta sua manu perscripserat Augustus, addideratque consilium coërcendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam. (12) inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. tum Asinius Gallus «interrogo» inquit, «Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis.» perculsus inprovisa interrogatione paulum reticuit: dein collecto animo respondit nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo cui in universum excusari mallet. rursum Gallus (etenim vultu offensionem coniectaverat) non idcirco interrogatum ait ut divideret quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur

3. *adsuetudine* M: *assuetudine* B. — 4. *poenitus* M. — 5. Habet *intellegere* M. — 6. *ad deos*] *adeos* M. — 9. *quod* M. — 13. *itaque cumque* M. (*quaecunque* B.) — 16. *inprovisa* M: *improvisa* B. — 17. *aliquit* M. — 19. *idcirco* M: *iccirco* B. — 20. *sed ut*] *sed et* M, quod restituit Doederlein. At vero non est gradatio «*ut divideret sed et* (etiam) *argueretur*», sed gravissima oppositio duarum actionum prorsus disparatarum. Ceterum emendavit Lipsius. Or.

gustus solitum mimum egit. Etenim talem rei publicae formam non iam locum habere probe sciebat. Mirum est tamen hoc eius mandatum fugisse Tacitum, etsi a Dione fictum non videtur. — *dignitatis*] quod non cupide imperium oblatum arriperet, sed recusaret. Noli autem explicare cum Bachio de orationis pulchritudine. — *Tiberioque*] Cfr. eius *χαρακτηρισμὸν* apud Dionem 57, 1., egregium sane, etsi, ut fere omnia apud illum, scholam rhetoricam aliquatenus redolet. — *effigiem Augusti*] quae in ipsa curia; apparet enim ex illis, quae de Hortensio 2, 17. Lips. At eo loco in Palatio habitus esse senatus dicitur. Utrobique vero Augusti effigiem positam fuisse probabile est. — *libellum*] Suet. Oct. 28. *rationarium imperii*, C. 101: *breviarium totius imperii* vocat. — *regna*] nondum in provinciarum formam redacta, sed Romano imperio subiecta, ut Cappadocia, Commagene, Thracia cet. Cfr. Ann. 2, 42. 55. 64. — *necessitates*] onera publica quaeque necessario in milites, in populum, in opera publica eroganda erant. — *largitiones*] frumentationes, congiaria, viscerationes cet. — *intra terminos*] Hinc apud Iulianum in Caesarr. p. 326. Spanh. haec ait: *ὅρια δὲ διττά, ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην.* — *incertum metu an per invidiam*] ut assolet, variat constructionem. Sic C. 56: *astu magis quam per formidinem.* 2, 70: *haud minus ira quam per metum.* 6, 45: *contemptu ambitionis an per senectutem.*

12. *dixit forte*] minus cogitate ac prope incaute. — *toti rei publicae*] Rem fusius narrat Dio 57, 2: *ἐς τρία μέρη νέμων τὴν ἀρχήν, τὸ μὲν αὐτὸς ἔχειν ἠξίου, τῶν δὲ ἄλλοις παρεχώρει· ἦν δὲ ταῦτα ἓν μὲν ἥτε Ῥώμη καὶ ἡ ἄλλη Ἰταλία· ἕτερον δὲ τὰ στρατόπεδα· καὶ ἕτερον, οἱ λοιποὶ ὑπήκοοι.* — *Asinius Gallus*] Asinii Pollionis filius, Agrippae gener. Dio l. l.: *παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ*

unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. nec ideo iram eius lenivit, pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ferociam retineret. (13) post quae L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut inpares vellent vel idem possent cuperentque, M. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum. de prioribus consentitur, pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere; omnesque, praeter Lepidum, variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt. etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere, Haterius cum dixisset «quousque patieris, Caesar, non adesse caput rei publicae?» Scaurus quia dixerat spem esse ex eo

4. *tamquam* M: *tanquam* B. In posterum iam non enotabimus hoc v. et *quamquam*, quae constanter per lit. *m* exhibet M. — *uipstania* M. Altera scriptura ex Inscriptionibus adscita est. — *M.* M: *Marci* B. — 6. *polionisque* M. (non *polionis*, ut propter Bekkeri breviloquentiam arbitratus est Doederlein.) — *L.* M: *Lucius* B. — 7. *haut* M. — 8. *quamquam*] *quam* M. — 11. *inpares* M: *impares* B. — *idem* M: *iidem* B. — 12. *M.* M: *Marcum* B. — 13. *L.* M: *Lucium* B. — 14. *CN.* (sic) M: *Gnaeum* B. — 16. *Q.* M: *Quintus* B. — 18. *caput*] *apud te* (cum lineola) M. Emendavit Rhenanus.

τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος. — Consul hic fuit a. 746. Libros scripsit de comparatione patris et Ciceronis, quos refutavit imperator Claudius. Plin. Epp. 7, 4. Suet. Claud. 41. Gell. 17, 1. — *laudem de Augusto*] Insolita hac constructione, ut opinor, hoc significare voluit, exiguam eius orationis partem, ut consentaneum erat, versatam esse in laude Augusti. — *admonuit*] ut callide refelleret ipsius verba de modestia sua. Walth. — *ducta in matrimoniam Vipsania*] Dio 57, 2: *καὶ γὰρ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ τὴν προτέραν ἐγεγαμήκει, τόν τε Δροῦσον ὡς υἱὸν προσεποιεῖτο· ὅθεν περ καὶ πρότερον διὰ μίσους αὐτῷ ἦν.* — *Asinii patris ferociam*] Vell. 2, 86. Seneca de Ira 3, 23. Suet. Oct. 43.

13. *L. Arruntium*] consulem a. 759., filium L. Arruntii cos. a. 732. Auctore Dione 58, 27. a. 790. se interfecit ipse. Alteruter est L. Arruntius ille, quem Seneca Ep. 114. ut ineptum Salustii imitatorem deridet. — *M. Lepidum*] cos. a. 759. probe distinguendum a Manio Lepido cos. a. 764. Cfr. Ann. 3, 72. 4, 20. Velleius 2, 114: *M. Lepidus, vir nominis ac fortunae Caesarum proximus*, quod aviam habebat Scriboniam, quae ante Liviam in matrimonio fuit Octaviani. Obiit a. 787. Ann. 6, 27. Cfr. Rupertum in Reinesii Epp. Lipsiae 1660. p. 547. — *Cn. Pisonem*] Germanici inimicum. Cfr. 2, 43. 55. cet. De eius interitu v. Ann. 3, 15. — *Q. Haterius*] Ann. 4, 61. — *Scaurus*] Eius interitus Ann. 6, 29. Cfr. Sen. Suas. 2. Sen. de Ben. 4, 31. Dio 58, 24., ubi male *Μάρκος* dicitur; fuit *Mamercus Aemilius Scaurus.* — *caput rei publicae*] id est, «principem, quod in tuo arbitratu positum est», id quod subest vv. *quousque patieris.* Sic oratorie loquens offendit hominem morosum; *φράσις* mere rhetorica, uti Hist. 1, 84. Otho senatum vocat *caput imperii.* — *Scauri* autem vox facile sane pro *εἰρωνείᾳ* in Tiberii *impudentissimum mimum*,

non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. in Haterium statim invectus est: Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit. fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. constat Haterium, cum deprecandi causa Palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu an manibus eius inpeditus prociderat. neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis precibus protegeretur. (14) multa patrum et in Augustam adulatio. alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur Iuliae filius censebant. ille moderandos feminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in iis quae sibi tribuerentur, ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque adoptionis et alia huiuscemodi prohibuit. at Germanico Caesari proconsulare imperium petivit;

1. *inritas* M: *irritas* B. — *sanatus* (sic) *praeces* M. — 2. *est* frequente hac nota ÷ M. — 3. *inplacabilius* M: *implacabilius* B. — 5. *rogori* (sic) *disineret* (sic) M. — 8. *inpeditus* M: *impeditus* B. — 9. *eiusque* iunctim M. Correxit Lipsius, ante quem edebant *et usque*. — 9. *pcibus* cum lineola, ut sit *praecibus*, M. — 12. *censebat* M. — 13. *his* M.

ut ait Sueton. Tib. 24., haberi poterat. — *genua*] pro *genubus*, ad motum exprimendum in actione, cum *genubus advolutum esse* iam sit status supplicis. Duebn. — *prociderat*] ceciderat supinus, teste Suetonio 27., ubi rem attingit sine consularis nomine. In Fastis cons. tamen Haterius non comparet, ne consul quidem suffectus. — *curatissimis*] ex quibus facile appareret, quantae curae ipsi esset Haterius. — «Apud priores neque hic superlativus neque forma comparativa *curatius*, a Tacito infra 2, 27. 14, 21. admissa, invenitur. Idem dicendum est de forma *excusatius* infra posita 3, 68.» Ritter. At v. *excusatius* usurpaverat iam Seneca de Ira 2, 32. atque multa sane in Tacito nobis multo minus insolita viderentur, si plures illius aetatis inde a Tiberio usque ad Traianum pedestris orationis scriptores superessent.

14. *matrem*] Dio 57, 12: *πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν κτλ.* Suet. Tib. 54: *non parentem patriae appellari, non ullum insignem honorem recipere publice passus est.* In nummis tamen coloniae ignotae audit *Augusta Mater Patriae* atque in aliis *Iulia Augusta genetrix orbis*. Akerman I. p. 141. — *Iuliae filius*] Etruscorum is erat mos, ut a matribus huius vel illius filii appellarentur, tam inauditus apud Romanos, ut, si accepisset, prope ridiculi aliquid habuisset. — *ne lictorem quidem*] quo tamen vulgo principum coniuges usae, Vestalium exemplo; Claudii quidem Agrippina etiam duobus. Ann. 13, 2. Lips. — Hoc tamen de quotidiano comitatu per Urbem accipiendum: nam *ῥαβδούχῳ χρῆσθαι ἐν ταῖς ἱερουργίαις αὐτῇ ἐπέτρεψαν*. Dio 56, 46. — *aram adoptionis*] in memoriam Liviae testamento ab Augusto adoptatae C. 8. Alii, ut videtur minus recte, cogitant etiam de Tiberii adoptione C. 3. Cfr. *aram ultioni* Ann. 3, 18., *aram clementiae*, *aram amicitiae*. Ann. 4, 74. — *proconsulare imperium*] perpetuum; teste enim Dione 56, 25. iam a. 764. *proconsul* fuerat. — *candidatos praeturae*] Cfr. imprimis Dio 56, 25. Eodem tamen auctore 58, 20. ipse Tiberius hoc ius iurandum non servavit. A. enim 786. XV. praetores fuerunt; idque multis annis accidit, ut nonnunquam XVI., nonnunquam uno aut duobus pauciores fierent.

15. *tum primum*] in praetorum huius anni creatione. Cfr. Adolph Schmidt *der Verfall der Volksrechte in Rom unter den ersten Kaisern in Zeitschrift für Geschichtswissenschaft* 1844. I. p. 47. — *comitia*]

missique legati qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur. quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul Drusus praesensque erat. candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum; et hortante senatu ut augeret, iure iurando obstrinxit se non excessurum. (15) tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. inter quae tribuni plebei petivere ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum. mox celebratio † annum ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

3. *praedurae* M. — 7. *feebant* M. — 8. *quaestus* M. — 9. *pcibus* cum lin. M. — 13. Hic *sed* M. — 14. *haut* M. — *annu* cum lineola super litt. *u*, ut sit *annum*, M: *annuum* Rhenanus, W., Doederlein, *annua* auctore Lipsio et Wolfio B. *unum* mavolt Doederlein; sed hoc per se intelligitur *unum* dumtaxat praetorem eam celebrationem curare potuisse. *Annuus* vero *praetor*, etsi Walther comparat ὁ ἀεὶ στρατηγός, et

Velleius 2, 124: *primum principalium Tiberii operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam divus Augustus reliquerat*; de quo sane dubitare licet; simulatio fuit vere Tiberiana. Tum ῥητορικωτέρως ib. 126.: *summota e foro seditio, ambitio campo*. Cfr. Lipsii Excurs. E. — *potissima*] nominatim consulum creatio. — *quaedam* referri videtur ad magistratus minores, aediles puta, tribunos, quaestores. — *et senatus*] Candidatorum in vetere re publica *labores* pulchre enarrat Cl. Mamertinus in Grat. Actione Iuliano 16. — *quattuor candidatos*] tertiam igitur praetorum partem. Hoc est, quod dicit Velleius 2, 124: *quo tempore mihi fratrique meo*, *candidatis Caesaris*, *proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit* cet. Dio 58, 20. postquam dixit, quomodo Tiberius in designandis consulibus versatus sit, ita pergit: τῶν δὲ δὴ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς αἰτούντων ἐξελέγετο ὅσους ἤθελε καὶ σφᾶς ἐς τὸ συνέδριον ἐσέπεμπε· τοὺς μὲν συνιστὰς αὐτῷ (οἵπερ ὑπὸ πάντων ᾑροῦντο), τούς τε ἐπί τε τοῖς δικαιώμασι καὶ ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ τῷ τε κλήρῳ ποιούμενος. — *Augustales*] Augustalia IV. Id. Octobr. memorantur in Kalendariis antiquis Inscr. m. L. II. p. 400. Dio 54, 34: τὰ δὲ τὴ Αὐγουστάλια, ἃ καὶ νῦν ἄγεται, τότε (a. 743.) πρῶτον ἐκ δόγματος ἐτελέσθη. Vivo igitur etiam Augusto ludos in eius honorem celebrari solitos tradunt Suet. Oct. 57. Dio 51, 19. et 20. 54, 10. 26. 30. Iam vero tribuni petierunt, ut ludi illi et post Augusti mortem continuarentur et tamquam deo consecrati, fastis additi, quotannis celebrarentur. Hinc etiam Dio 56, 46: ἐψηφίσθη ὅπως τὰ Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες διατιθῶσι· καὶ οἱ μὲν τὰ ἄλλα, ὥσπερ εἰώθει γίγνεσθαι ἔπραξαν, καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίᾳ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ἐχρήσαντο. Novos designari ludos in honorem memoriamque Augusti anniversarios indicatur vv. *fastis additi* (ut vides in *Kalendariis*) et C. 54: *tunc primum coepti*. Hinc recte dictum *vocarentur*, non pro *vocantur*. Walther et Ruperti. — *decreta pecunia ex aerario*] ne, si proprio sumptu ederent ludos, nimium favorem apud populum sibi conciliarent. — *mox* cet.] ne nimis conspicui unquam fierent populo tribuni plebis. — *evenisset*] (sorte) obvenisset, quod v. hac in re frequentius est. Ann. 3, 33. 4, 56. Agric. 6. — *annum*] *annua eum ad praetorem* coniecit Kiessling, sed v. *annua* profecto prorsus supervacaneum

(16) Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Iunio Blaeso; qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia. eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus. is imperitos animos, et quaenam post Augustum militiae conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis conloquiis aut flexo in vesperam die, et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare. (17) postremo promptis iam et aliis seditionis ministris, velut contionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus,

Latinum vix videtur et supervacaneum est, quia omnes magistratus annui erant; *annua* autem *celebratio* et minime erat necessaria memoratu, cum per se intelligeretur hos ludos quotannis semel dumtaxat celebratos esse, et deberet saltem dici *anniversaria*. Nimis vero audacter voc. sane corruptum *annum* delevit Ritterus. Omnium simplicissimum foret *eum*, quod voc. in Cod. Med. alibi, sane ex antiquiore aliquo Codice, scribitur *aeum*, et facile hic corrumpi potuit in *annum*. — Ceterum Tiberii malitia in eo cernitur, quod non praetori urbano, primario inter omnes, sed secundo post illum praetori hanc curam demandavit. Consulto igitur Tacitus pusillum tyranni animum notat, id quod interpretes parum adhuc perspexerunt. Or. — 2. *sedicio* M. — 5. *iusticium* M. — Vv. *aut gaudium* auctoribus Mureto et Wolfio seclusit B. Nos, Walther, Doederlein Taciti esse censemus. Etenim hoc prorsus scriptoris indolem redolet, ex qua eidem actioni persaepe diversas causas tribuere solet. Or. — 11. *conditio* M: *condicio* B. — 12. *conloquiis* M: *colloquiis* B. — *delapsis* M. Emendavit Muretus. — 14. *conditionabundus* M. Emendavit Rhenanus. (*concionabundus* B.)

est, itemque, si cum nonnullis vulgatum *annuum ad pr.* explicaris «cuiusque anni praetorem.»

16. *Iunio Blaeso*] cui postea Imperatoris vocabulum postremum concessum est. Ann. 3, 74. Erat Seiani avunculus. — *iustitium*] *ob amissum Augustum*, ut ait C. 50. — *aut gaudium*] ob initia Tiberii. Cfr. Hist. 1, 76: *ob laetitiam recentis imperii*. Nimio acumine abusis Mureto ac Wolfio haec duo vv. suspecta erant. — *eo principio*] ideo principio, ut Ann. 6, 16. Hist. 1, 13. — *theatralium operarum*] homines mercede conductos ab histrionibus vel potius a certorum histrionum fautoribus divitibus, ut huic vel illi plausum concitarent, eius vero aemulos et fautores exploderent, immo, si res posceret, lapidibus; et subselliorum fragminibus (Suet. Ner. 26.) actores scaenicos tuerentur contra diversarum partium asseclas. Cfr. C. 77. Ann. 11, 13. 13, 23. Suet. Tib. 37. Plaut. Prol. Amph. 64. Ex Walth. — Contra actores, maxime pantomimi, ipsi intelligendi apud Suet. Aug. 43: *ad scaenicas quoque - - operas etiam equitibus Romanis aliquando usus est*, et in marmore Spoletino apud Grut. 467, 7: *OPERAE VETERES A SCAENA*. — *histrionali studio*] iamdiu assuetus factionibus theatralibus concitandis ac regendis.

17. *paucis*] sexagenis per singulas legiones. — *paucioribus*] senis. — *nisi - - adirent*] Dio 57, 4: *ἐν γὰρ τῇ μεταβολῇ τῆς ἀρχῆς πάνθ' ὅσα ἐπεθύμουν ἢ αὐτοὶ ἐκφοβήσαντες, ἢ καὶ ἄλλῳ τινὶ τὸ κράτος δόντες καταπράξειν ἤλπιζον.* — *tricena*] Cfr. Cap. 35. — *apud vexillum tendentes*] id est, in castris sub tentoriis degentes, ut Hist. 1, 31. Cap. 55: *isdem hibernis tendentes*. C. 59: *Lugduni tendentibus*. Rectum etiam sed minus probabile est Beroaldi *retentos*, ut C. 36. *retineri sub vexillo ceterorum inmunes nisi propulsandi hostis*. *Vexillarii* hi sub imperatoribus vocabantur, Ann. 1, 38. Hist. 1, 41. Walch ad Agric. p. 240. eorumque corpus vel *vexillum veteranorum, non plus quingenti*

paucioribus tribunis in modum servorum oboedirent. quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent. ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum tendentes alio vocabulo eosdem labores perferre. ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant. enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari; hinc vestem arma tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi. at Hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed isdem in castris praemium pecunia solveretur. an praetorias cohortes, quae binos denarios acce-

1. *oboedirent* M: *obedirent* B. — 5. *aput* M. — 6. *tendentes* Iac. Gronovius probante Doederleinio: *tentes* in fine versus, spatio vacuo duabus litteris relicto, M, *retentos* Beroaldo auctore B. Consulto Percennium invidiose usum fingit verbo in re militari legitimo. Cfr. notante Doederleinio Histor. 1, 31. 55. 59. *Retentos* vero, etsi v. per se rectum, nimis arbitraria est coniectura. Spatio autem illo librarius satis religiosus sane significavit, sibi in exemplari, quod describebat, litteras duas obscuras fuisse, quas praesertim in verbo ipsi hac significatione ignoto pro certo extricare nequiverit. OR. — 11. *at*] *ad* M. — 13. *aliut* M. — 14. *decumus* ex M ascivit Bekker: volgo *decimus*. — *adferret*] *adferet* M, *afferret* B. — 15. Habet *isdem* M. — 16. *accepit* M. Emendavit Beroaldus iam in mg. M.

Ann. 3, 21. *VEXILLVM LEGIONIS.* Inscr. m. Lat. 2008. vel *vexillatio* ut Suet. Galb. 20: *Germanicianorum vexillatione*, ac saepe in Inscr. v. c. mearum N. 2010. Gravioribus autem militiae muneribus veluti vallum muniendi, pabulandi, aquandi cet. exempli erant, unde per hyperbolam accipienda sunt vv. *eosdem labores*. Suet. Tib. 48: *missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans.* — *denis assibus*] aereis. Cfr. Cap. 26. — *tentoria*] ex v. *redimi* per zeugma huc adsciscendum v. *emi*. — Polyb. 6, 6: *τοῖς Ῥωμαίοις τοῦ τε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος κἂν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται.* Quo tamen incommodo milites liberati sunt per C. Gracchi legem de militibus, quae ferebat: *uti praeter stipendium militibus vestes quoque gratuito ex aerario darentur.* Plut. in Graccho p. 837. Ex Taciti loco discimus, quaedam de Gracchi lege esse abrogata postea, ut ex stipendio aliquid detraheretur pro vestibus cet. WALTH. — *exercitas*] laborum plenas. Agr. 39: *talibus curis exercitus.* — *singulos denarios*] argenteos. Volusius Maecianus *Distrib.* §. 46: *Denarius primo asses decem valebat, unde et nomen traxit; nunc sedecim.* — *sextus decumus*] uti sane constituerat Augustus a. u. 741. Dio 54, 25: *ἦν δὲ ὅ τε ἀριθμὸς τῶν ἐτῶν τοῖς μὲν δορυφόροις δώδεκα, τοῖς δ᾽ ἄλλοις ἑκκαίδεκα.* — *binos denarios*] Si Dionis 53, 11. verba vera, non binos denarios meriti praetoriani, sed tantum XX. asses. Nam ait: *τοῖς δορυφορήσουσιν αὐτὸν διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου ψηφισθῆναι διεπράξαντο οἱ βουλευταί.* Si, inquam, duplum quod ceteris militibus, constat invidiosam orationem esse nebulonis Percennii de duobus denariis, et augendae rei. LIPS. — *acceperint*] ad id tempus refertur (a. u. 727.), quo factum illud senatus consultum, cuius mentionem facit Dio; multo igitur melius perfectum quam

perint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici. (18) adstrepebat vulgus, diversis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. postremo eo furoris venere ut tres legiones miscere in unam agitaverint. depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant. simul congerunt caespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans «mea potius caede imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis quam ab imperatore desciscitis. aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus paenitentiam adcelerabo.» (19) aggerebatur nihilo minus caespes, iamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omisere. Blaesus multa dicendi arte, non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait, neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse; et parum in tempore incipientes principis curas onerari. si tamen tenderent in pace tentare quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent. adclamaverè, ut filius Blaesi

2. *aput* M, ut fere ubique. — 12. *incolomis* superscr. *u* M. — *iugulatur* M. — 13. *adcelerabo* M.: *accelerabo* B. — Habet *aggerebatur* etiam M. — 14. *usque*] *eiusque* M mera geminatione praecedentis litterae *i*. Emendavit iam Beroaldus. Parum igitur probabilis est Doederleinii suspicio hinc ducta: *pectori usque - - pervicacia eius victi*. Or. — *adcreverat* M: *accreverat* B. — *pervicatia* M. — 15. «M. *desiderium - - ferendum* (teste scilicet dei Furia apud B.), insolentius quam intolerabilius. Nam unam rem desiderabat miles, militiae allevationem.» Doed. At vero Baitero teste M habet *desideria - - ferenda*; utrique autem *a*, litterae *u* aliquatenus simili, alio atramento superductae sunt lineolae. Or. — 19. *templare* M. — 21. *adclamaverè* M: *acclamavere* B.

aliorum *acciperent*. — *post sedecim annos*] Dio 55, 23: *ἐψηφίσθη* (a. 758.) *τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμάς* (vicena milia nummum), *ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις, τρισχιλίας* (duodena m. n.), *ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι*. — *urbanas excubias*] vocabulum in hominis seditiosi ore satis invidiosum: «omnis et laboris et periculi immunes.»

18. *exprobrantes*] inter se cum invidia in duces ostentando. — *eo furoris*] Etenim hoc Romanis legibus institutisque omnibus prorsus repugnabat. — *signa cohortium*] hic et Hist. 1, 44., ut infra C. 34. memorantur *vexilla cohortium*. Sic *SIGNIFER COHORTIS* est Inscrr. m. L. N. 3483.; at vero etiam *SIGNIFER IN 7* (centuria). Grut. 1109, 10. — *congerunt caespites*] ad exstruendum tribunal; nimirum evidentiae causa eandem actionem in duas, ut ita dicam, diducit. Prope tribunal autem aquilae et signa locabantur. — *sedes*] locus, ubi conveniendum esset militibus ad contiones habendas atque ad deliberandum inter se, ubi opus esset.

19. *pectori*] caespitem aggerentium. — *pervicacia*] Blaesi et si qui eum adiuvabant. — *desideria*] ut C. 26. — *parum in tempore*] *οὐκ ἐν καιρῷ*. — *incipientes*] Ad supervacaneam Acidalii coni. *incipientis* Wolfius contulit Plin. Paneg. 57: *principes incipientes et desinentes*. — Ernestii coni. *meditarentur* a Wolfio recte expuncta est; *me-*

tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent. profecto iuvene modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa quae per modestiam non obtinuissent. (20) interea manipuli ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt, direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur, praecipua in Aufidienum Rufum praefectum castrorum ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret. quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, † intus operis ac laboris, et eo immitior quia toleraverat. (21) horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumiecta populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad terrorem ceterorum adfici verberibus, claudi carcere iubet: nam etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipularium parebatur. illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes. simul probra in legatum cumulant,

1. *ad* M. — Habet *sedecim*, non *sexdecim*, M. — 4. *expraessa* M. — 6. *itenera* M. — 7. *accipere* M mero errore, quem exhibere infinitum historicum Doederlein suspicari non debebat. Or. — 8. *inrisu* M: *irrisu* B. — 9. *insectantur. Praecipua* distinxit Ritter, ut *praecipua* - - *ira* sit nominativus; id quod minus placet. — 13. *centuro* M. — 14. *intus* M: *vetus* auctore Lipsio B, quod placet. Scilicet scribebant *uetus*, *intus* autem sine puncto usque ad sec. XV.; *invictus* Beroaldus in mg. M. et in Ed., id quod probat Doederlein; *intentus* auctore Heinsio W.; *attentus* Rhenanus, speciose, cum praecedant litterae *at*. Attamen nulla adhuc coniectura cum sit prorsus certa (nam et *attentus* et *intentus* cum genitivo exemplis carent), servavimus corruptelam. Or. — *tolleraverat* M. — 17. *adfici* M: *affici* B.

ditentur nunc ipsum. — *provenissent*] ut Hist. 2, 16. 4, 18. Ovid. Trist. 1, 1, 39: *Carmina proveniunt animo deducta sereno.*

20. *Nauportum*] in Pannonia superiore, prope oppidum *Oberlaybach*. Vell. 2, 110. — *convellunt*] e solo, ubi fixa erant, evellunt, quippe redituri in castra. — *municipii*] oppidi, ut Hist. 1, 67. 3, 19. 4, 3 et 22. Neque hic neque alibi saepe apud Tacitum cogitari debet de iure municipum vocabulo *municipii* apud priores scriptores incluso. Dubbn. — *praecipua* - - *ira*] Rotundior fit clausula atque oratio efficacior, si haec vv. pro ablativis habeamus potius quam cum Rittero pro nominativis. — *vehiculo*] quo abeuntes comitari voluerat; nota hoc, honestiores militum vehiculis tunc in itinere usos esse. — *vetus* (si haec vera lectio) *operis*] per multos iam annos industriae militari ac laboribus assuetus.

21. *carcere*] in castris stativis ergo carcer. Verum Iuvenalis 6, 561: *si longo castrorum in carcere mansit*, quem locum affert Lipsius, intelligendus de castris praetoriis. — *nam etiam tum* - - *parebatur*] Haec vv. non ita intelligenda sunt, quasi etiam centuriones et optimus quisque paullo post seditionem furore correpti sint, sed parebatur ab iis, quia etiamtunc ducis iussa exsequi poterant, mox autem a lymphatis militibus omnino spreti ac verberibus petiti saluti suae fuga consulere debebant. Sine causa idonea ad hunc locum haesit Wolfius, cuius dubitationes bene removit

caelum ac deos obtestantur, nihil reliqui faciunt quo minus invidiam misericordiam metum et iras permoverent. adcurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula, desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent. (22) flagrantior inde vis, plures seditioni duces. et Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos et quid pararet intentos «vos quidem», inquit, «his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. responde, Blaese, ubi cadaver abieceris. ne hostes quidem sepultura invident. cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.» (23) incendebat haec fletu, et pectus atque os manibus verberans. mox disiectis quorum per humeros sustinebatur, praeceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur. ac ni propere neque corpus ullum reperiri, et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem, neque illi fuisse umquam

2. *adcurritur* M: *accurritur* B. — 5. *adlevatus* M: *allevatus* B. — 6. *umeris* M. — *aput* M. — 7. *misserimis* (prius *s* puncto notatur) M. — *redidistis* M. — 10. *abet* M. — 11. *ablegeris* (non *abegeris*) M, unde D. mavolt *ablegaris*. Ut nos, Beroaldus in mg. M. et in Ed. — Habet *sepultura* M. — 14. *ii* M. Ut nos, Mureto et Lipsio suadentibus Pichena. — *incedebat* M, non *incedebant*, ut traditur apud B. Emendatum est iam in Rh. (Rhenani editione.) — 15. *umeros* M. — 18. *vincerent* pr. M. — 19. *repperiri* M. — 20. *umquam* M: *unquam* B.

Waltherus. Ritter. — *permoverent*] impetuose moverent; non solum de hominibus, sed etiam de affectibus, ut Quintil. 12, 10, 36: *permovendi omnes affectus erunt*. Ann. 3, 23: *tantum misericordiae permovit*. 16, 82. — *sibi iam*] «eo usque provecti sunt, ut sibi miscerent.» Dativus autem pendet a v. *accreverat*. Nihil igitur inutilius quam Faërni et Pichenae *sibi immiscent*.

22. *communibus*] Pannonico et Germanico exercitui. — *gladiatores*] Praesides provinciarum, etiam duces in stativis gladiatores alebant ad ludos edendos. — *ubi*] ubi significatio *in loco* et *in locum* concurrit, ut h. l., et *ubi* et *quo* dici potest; non cum sola est significatio *in locum*, sed ibi necessario *quo* dicitur. Ern. — *abieceris*] Verissime ita correxit Beroaldus Med. vitium *ablegeris*. Doederleinii *ablegaris* de cadavere usurpari posse non existimo. — *sepultura invident*] Germ. 33: *ne spectaculo quidem proelii invidere* (nobis). Quintil. 9, 3, 1: *si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est: ut hac re invidere, non, ut omnes veteres, et Cicero praecipue, hanc rem*. Lucan. 7, 798: *Invidet igne rogi*. Plin. Epp. 1, 10, 12: *neque - - invideo aliis bono*.

23. *incendebat haec*] Crollius conicit *intendebat*; sane *incendi* proprie dicuntur homines, non res. Sed similiter infra C. 69: *accendebat haec*. Wolf. Ann. 14, 45: *ne mos antiquus per saevitiam incenderetur*. Est igitur: «his ardorem et vim addebat,» ut recte Duebner. — *facetiis*] Moris huius militaris exemplum item in Vopisci Aureliano 6: *huic signum* (ut hic *vocabulum*, *Übername*, *sobriquet*) *exercitus apposuerat manus ad ferrum*. — *vite*] Liv. Epit. 57. de Sci-

fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. tribunos tamen ac praefectum castrorum extrusere: sarcinae fugientium direptae; et centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum «cedo alteram» indiderant, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. quin ipsae inter se legiones octava et quinta decima ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

(24) Haec audita quamquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant; simul praetorii praefectus Aelius Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuveni, et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium, obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi et vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores. (25) postquam

1. *haut* M. — 3. *caedo* M. — 4. *facta uitae* M. — 7. H. l. *decima* M. — 9. *praeces* M. — 11. *quamquam* M: *quanquam* B. item v. 20. — 13. *duabus quae* M. — 16. *Seinanus* pr. M. — 17. *aput* M. — 19. *adsolet* M: *assolet* B. — 20. *inluvie* M: *illuvie* B. — 21. *propi . . ores* e rasura M. Videtur primum habuisse *propitiores*. Bait.

pione ad Numantiam: *quem militem extra ordinem deprehendit, vitibus; si extraneus, fustibus cecidit.* Plin. H. N. 14, 1: *Vitis in delictis poenam ipsam honorat.* Unde centuriones vites gestabant. Pich. Atque in Inscriptt. centuriatus signum est 7, vitis quasi imago. — *cognomento*] ludibrii causa a militibus indito. — *Sirpicum*] vocabulum linguae rusticae videtur; referunt vel ad v. *sirpare, scirpare*, ex sirpis vel scirpis nectere h. l. funes sparteos, quibus castigaret milites; Deoderlein nescio quomodo comparat ἅρπαξ.

24. *custodes imperatori*] Recepit ergo rursus Germanos custodes Tiberius, destitutos post cladem Varianam ab Augusto. Suet. Oct. 49. Lips. — Nisi vero potius, cum hic de initiis Tiberii agatur, statuendum est eos rursus ascitos esse ab ipso Augusto. Constabant autem maxime e Batavis, qui omnes erant aut servi aut liberti aut novi cives. Cfr. Marini *Atti* II. p. 472. — *ostentator*] periculorum (poenarum) pervicacibus, praemiorum ad meliorem sensum redituris. Wolf. — Balbo et Burnouf haec non de militibus et seditiosis et fidelibus acceperunt, sed de Drusi comitibus. Non accedo. Id ipsum, quod viro magna apud imperatorem auctoritate hoc negotium demandatum erat, omnibus persuadere debebat, pro certo rata fore apud illum, quae Seianus, eius familiaris, pronuntiasset et de poenis et de praemiis, quae quisque esset meritus. — *insignibus*] militaribus coronis, torquibus, phaleris, hastis puris, quae omnia saepe memorantur in Inscrr. Seneca de Benef. 1, 5: *Imperator aliquem torquibus, murali et civica donat: quid habet per se corona pretiosum? - - Nihil horum honor est, sed honoris insigne.* Minus recte olim interpretabantur de aquilis ac signis militaribus.

vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. stabat Drusus, silentium manu poscens. illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; diversis animorum motibus pavebant terrebantque. tandem interrupto tumultu litteras patris recitat, in quis perscriptum erat praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset; ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum; misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet quae statim tribui possent; cetera senatui servanda, quem neque gratiae neque severitatis expertem haberi par esset. (26) responsum est a contione mandata Clementi centurioni quae perferret. is orditur de missione a sedecim annis, de praemiis finitae militiae; ut denarius diurnum stipendium foret; ne veterani sub vexillo haberentur. ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at Hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. numquamne nisi ad se filios familiarum venturos? novum

1. *introit* M. Correxit Lipsius. — 4. *sedtulerant* M. Haud prorsus improbabiliter correxit Beroaldus, etsi ipsius Taciti manum ab eo restitutam esse nequaquam praestiterim. Doederleinii transpositionem: *Sed illi . . multitudinem tulerant* memoro dumtaxat. Or. — 7. *praecipum* M. — 9. *aput* M. — 10. *tribue* pr. M. — 12. *contentione* M. Emendavit Beroaldus. (*concione* B.) — 13. Habet *perferret* M, non *praeferret* Rh. nec *proferret*, ut Aurelio auctore Brotier. — *orditur dimisione* (sic) M. — 19. *fustrari* M. — 20. *retulisse* M. — Habet *nisi ad se* M; *ad se nisi* probabiliter auctore Lipsio Pichena. Etenim ad vindicandum *nunquamne nisi* Ritterus adhibere non debebat *nonnisi*, quod ipse in interrogatione nunquam certe viderat sic: *nonne nisi* vel *nonnisine*? quae monstra sunt, ut *nunquamne nisi* et, ut velle videtur, *nunquamnisi*.

25. *clamor*] Sil. Ital. 10, 396: *Clamor saepe repens et saepe silentia fixis In tellurem oculis*; clamor, cum terrerent, quies, cum timerent. Lips. — *severitatis*] non de poenis agitur, quae penes principem erant, sed de negandis praemiis ac missionibus. «Quem tam de gratia (concedendis) quam de severitate (reiiciendis postulatis militum) in consilium adhiberi et decernere aequum esset.» Doebn.

26. *at Hercule*] Hand Turs. I. p. 437: «Tacitus hac dictione utitur ad confirmandam veritatem rei, quae mira aut magna videri possit. Nec male Wolfius ad h. l. comparat *sane*» (recte addens: sed illud maiore cum vi:) «in eo tamen errat, quod alios scriptores ita locutos esse negat.» — *filios familiarum*] Quidquid statuimus de lectione loci sane suspecti, id manifestum est, milites satis arroganter exegisse, ut principes ipsi, non eorum filii dumtaxat, in castra venirent ad res componendas. Acerbitas autem quaedam inest in ipso v. *filios familiarum*; hi enim *sunt in aliena* (patria) *potestate, non sui iuris*. Digest. 1, 6, 4. — *dominis*] invidiosum etiamtunc vocabulum. Suet Oct. 53: *Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium semper exhorruit*. Tib. 27.

27. *intentantes*] ad verbera porrigentes minandi ac terrendi causa, ut est Hist. 1, 69. 4, 41: *nec destitit senatus manus Voculae intentare, donec curia excederet*. Mire in facillimo h. l. haeserunt Io. Fr. Gronovius, Ernestius, alii. — *causam discordiae*] «praetorianos inter ac Pannonicos

id plane quod imperator sola militis commoda ad senatum reiciat. eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut praelia indicantur. an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse? (27) postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum, maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios aetate et gloria belli firmare Drusum credebatur et illa militiae flagitia primus aspernari. nec multo post digredientem cum Caesare, ac provisu periculi hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes quo pergeret, ad imperatorem an ad patres, ut illic quoque commodis legionum adversaretur. simul ingruunt, saxa iaciunt. iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus, adcursu multitudinis quae cum Druso advenerat protectus est. (28) noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente caelo visa languescere. id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura † quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere; prout splendidior obscuriorve,

1. *reiciat* M: *reiiciat* B. — 2. *indicantur* litteris *ca* correctis in rasura M. Post h. v. interrog. signum posuit Doederlein, id quod vix concedit part. *vero*, et ipsa variatione per seq. interrogationem efficacior fit oratio. Or. — 4. Habet *occurreret*, non *occurrerat* (Muretus, Acidalius), M. — 5. *discordie* M. — 6. *CN.* M: *Gnaeo* B. — 8. *cum*] *eum* M. — 11. *adcursu* M: *accursu* B. — 13. *clamore pena caelo* M. Emendavit Lipsius. — 14. *suis* Freinshemio auctore Ritterus: *asuis* iunctim, non *a suis*, M; in mg. Beroaldi manu *ac suis*, [*ac*] *suis* B. Doederlein vv. transponenda suadet: *ignarus ac suis . . assimulans omen*, sed Taciti ordo *κατ᾽ ἐκεξήγησιν* melius indicat, qua ratione ducti lunae defectionem omen praesentium acceperint. Or. — 15. *adsimulans* M: *assimulans* B. — 16. Habet *pergerent* M, in mg. Beroaldi manu *gererent*, *peragerent*. Seyffert in *Emendd. Taciteis*, *Berolini* 1843. p. 1. recte probavit errorem hic latere; ipse coniecit *quae pararent*. At vix adducor, ut credam tam facile et aptum verbum ita corruptum esse, unde geminata littera praecedente alteraque inserta puto Tacitum scripsisse, *cessura, ad quae pergerent*, «pervenire conarentur.» (Schneidewin coni. *quo pergerent.*) — 17. *spelndidor* (sic) M.

milites» interpretatur Wolfius. Quidni potius inter pervicaces et pauciores illos, qui Drusum reverebantur? — *Lentulo*] vide Ann. 4, 44. Consul fuerat iam a. 753. et de Gaetulis triumphaverat. — *ante alios*] «aliis praestans aetate et gloria bellica.» Wolf. Hist. 5, 12: *muri, labore et opere ante alios*. Male alii iunxerunt, *ante alios - - firmare*. — *flagitia*] seditionis turbas militem dedecorantes indignabundus improbare credebatur; neutiquam vero, quod nonnemo nuper opinatus est, significare potest *flagitationem* Ann. 13, 50., *efflagitationem* 2, 37. — *digredientem cum Caesare*] id est, a Caesare, uti apparet toto ex loco, maxime ex vv. *multitudinis, quae cum Druso advenerat* post Lentuli sane digressionem. Comparant Livii 2, 40: *cum Volscis aequo Marte discessum est*; et apte Roth ad Agric. p. 242. memorat usum Tullianum in verbis dissidendi, differendi cet. Phil. 11, 6: *cum homine, cum causa dissidere*, de Finn. 2, 30: *facta cum dictis discrepare* ac similia.

28. *luna*] «Eclipsis haec, apud chronologos celebris, incidit in V. Kal. Octobr. initio hor. 3, 18', 32'', fine h. 7, 6', 32'', certa testis incipientis principatus Tiberii.» Wolf. — *prospereque cessura*] ut vv. proxime praecedentibus exprimitur, quid milites et existimarint et inter se sermocinati sint, ita haec quoque eorum sensus dictaque per *βραχυλογίαν* significant. Alii minus recte a v. *accepit* haec pendere arbitrantur. — *aeris sono*] «Quibus vim incantationis, qua teneri luna a plebe imperita

laetari aut maerere; et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos lamentantur. utendum inclinatione ea Caesar et, quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria iubet. accitur centurio Clemens, et si alii bonis artibus grati in vulgus. ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. «quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad paenitentiam sumus? tarda sunt quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias.» commotis per haec mentibus et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referunt. (29) Drusus orto die et vocata contione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia; negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet. orantibus, rursum idem Blaesus et L. Apronius eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Catonius primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. certatum inde sententiis, cum alii opperiendos legatos atque interim comitate permul-

3. *loborem* M. — *potandi* M, in mg. Beroaldus *portendi*. — *adversari* M. Correxit Rhenanus. — 6. *ii*] *in* M. Lipsio auctore emendavit Pichena. (*hi* Weikert.) — 8. *Percennioni* M. — 11. *quiin* M. — 12. *que* M. — 14. *auerterano* (sic) M. — 17. *contentione* M.(*concione* B.) — 21. *L.* M: *Lucius* B. — *aeques* M. (*a* puncto notatum.) — 23. *operiendos* M. — *primulcendum* M.

credebatur, averterent. DOEBN.» De garrula Iuvenal. 6, 441: *Una laboranti poterit succurrere lunae.* Liv. 26, 5., quem morem nec Christianos desiisse discas ex Maximi Taurinensis homilia de defectu lunae: *cum requirerem, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti lunae vestra vociferatio subveniret et defectum eius suis clamoribus adiuvaret.* LIPS. Adde Plin. H. N. 2, 12: *in luna* (deficiente) *veneficia arguente mortalitate et ob id crepitu dissono auxiliante.* — *in sapientiam*] Germ. 36: *Chattis fortuna in sapientiam cessit.* — *vigiliis*] *Nachtwachen, Lagerposten, Thorhüter.* GUTMANN. — Quattuor erant *excubiae* diurnae et *vigiliae* nocturnae, tubae sono indictae, quaevis trium horarum et IV. peditum equitumque. Polyb. 6, 35. *Stationes*, in quibus etiam custodiae, unius cohortis et turmae equitum ad singulas castrorum portas tempore meridiano mutatae. — *novissimi*] tirones a veteranis concitatos adhortatur; ii maxime in vigiliis. Accurate monuit Freinshemius. WOLF. — *portas*] quas stationibus firmaverant. C. 25. DOED. -

29. *exciperet*] si vellet. Sine causa Ernestius malebat *excipiat*, quod esset iubentis. — *cohorte*] amicorum et comitum, ut Ann. 3, 13. 6, 9. Hor. Epp. 1, 8, 14: *Ut placeat iuveni percontare atque cohorti.* Suet. Tib. 46. DOED. Hoc sensu primum repperi apud Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 4. et Catull. 28, 1. — *Iustus Catonius*] postea praefectus praetorio, imperante Claudio, et Messalinae fraude interfectus. Dio 60,

cendum militem censerent, alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, inpune contemni; dum superstitio urgeat, adiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus. promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet. tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos, alii corpora extra vallum abiecta ostentui. (30) tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti; et pars, extra castra palantes, a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi; quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. auxerat militum curas praematura hiems, imbribus continuis adeoque saevis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur. durabat et formido caelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur. primum octava dein quinta decuma legio rediere. nonanus opperiendas Tiberii epistulas clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. et Drusus non exspectato legatorum regressu, quia praesentia satis consederant, in urbem rediit.

(31) Isdem ferme diebus isdem causis Germanicae legiones turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis. duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori,

2. *inpune* M: *impune* B. — 3. *adiciendos* M: *adiiciendos* B. — 4. *ingnum* (sic) M. — 10. *hiemps* M. — *adeo quae* M. — 11. *reptabantur* M. — 13. *aliut* M. — 16. Habet *epistulas* M. — 17. *pervenit* M. — 18. *expectato* M. — *ligatorum* M. — *considerant* M. Emendavit Rhenanus. — 20. *Istem* priore loco, *isdem* posteriore et p. 30. v. 6. M. — 23. *tracturus* M. Correxit Freinshemius, et necessario quidem; nam *vi sua* manifesto ad legiones, non ad Germanicum refertur. — *aput* M.

18. Lips. — *promptum*] C. 76: *sanguine nimis gaudens*. Dio. 57, 13: *Δρούσῳ ἀσελγεστάτῳ καὶ ὠμοτάτῳ*. — *extra vallum*] «Ut in oppidis animadversiones extra muros, sic et in castris extra vallum. Ideo corpora hic abiecta in eum locum, qui fuit extra portam decumanam, a castrorum tergo, uti ex Vegetio discas 1, 23. Seneca de Ira 1, 16: *damnatus extra vallum deductus est, et iam cervicem porrigebat, cum subito apparuit commilito ille*. Lips. — — *ostentui*] poenae exemplo ceteris seditiosis imminentis.

30. *tutari signa*] recta habere et defixa servare in principiis. *Rapta subitis signa turbinibus* in Crassi expeditione Parthica pro diro omine habebantur, Flor. 3, 11, 3., quippe numina legionum erant. — *hebescere*] variavit v. *languescere* C. 28. — *desolatus*] solus relictus, *μονωθείς*, ut Glossae veteres. Lips. Cfr. Ann. 12, 26, 16, 30: *viduata desolataque*. — Seditionem Pannonicam narrat etiam Dio 57, 4.

31. *Germanicae legiones*] Cfr. Vell. Pat. 2, 125. Suet. Tib. 25. Dio 57, 5. — *tracturis*] Hanc Freinshemii emendationem pro Cod. *tracturus* scite ita defendit Wolfius: «Sicut extremo hoc Cap. *sua* ad milites spectat, ita hic quoque, si ad Germanicum spectaret, tamen *sua vis* esset ea, quam ab exercitu mutuaretur; igitur non *sua*, sed *aliena*; tam ambigue non loquuntur veteres; nec possunt haec ex nostrarum linguarum vitiis iudicari, quare ut omittam, quantum legiones praevalentes suarum opum fiducia deceat (illa enim *magna*

sub G. Silio legato; inferiorem A. Caecina curabat. regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam isdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur per otium aut levia munia. igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo nuper acto in urbe delectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos: venisse tempus quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, saevitiamque centurionum ulciscerentur. non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam; suis victoriis augeri rem publicam; in suum cognomentum adscisci imperatores. (32) nec legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia constantiam exemerat. repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi

1. *G.* M: *Gaio* B. — *filio* M. Correxit Beroaldus in mg. M. — *ligato* M. — *A.* M: *Aulus* B. — 4. Habet M. *unetvicesimanis*, non *unaetvicesimanis*, nec Beroaldi *undevicesimanis*. — 5. *quoque auicessima* M. — 8. *dilectu* M. — *suaeta* M. — *implere* M: *impellere* cum Acidalio B. *implere* recte restituit Walther. — 9. *venisset* pr. M. — *veterandmaturam* M. — 12. *aput* M. — 15. *vaecordia* M. — 16. Habet *destrictis*, non *districtis*, M. — 17. *vetussima* M. — *seviendi* M.

spes est militum), ad Freinshemii coniecturam ipsa constructio nos trahit vi sua.» — *G. Silio*] De eius morte v. Ann. 4, 18 et 19. — *Galliarum censui*] Censum accipies non qualis Romae, ut notae saltem essent Gallorum facultates, sed ut ex modo census tributum penderent et vectigal, quod cum in aliis provinciis servabatur (apud iurisconsultos titulo toto de censibus), tum in Gallia potissimum, ditissima provinciarum. Lips. — Claudius in Oratione Lugd. Tab. II.: *cum pater meus Drusus a census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum advocatus esset.* — Cetera testimonia praecipua de hoc censu indicavit idem Lipsius in Exc. K. Liv. Epit. 134: *Cum Augustus conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Caesar pater vicerat, actus.* Dio 53, 22. (a. 727.): *τὰ τούτων* (Gallorum) *ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν. καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε.* Cfr. Hoeck *Röm. Gesch.* I. p. 399. seqq. — *unetvicemanis*] Legio XXI. *Rapax.* Inscr. m. Lat. N. 1549. 3378., *Gallica Rapax.* Ibid. N. 441. Leg. V. *Alauda* Ibid. N. 773. (postea *Macedonica* N. 31. 39. cet. Leg. I. *Germanica* Ibid. N. 3389. collato Bimardo *Proleg. Murat.* I. p. 91., postea *Minervia Pia Fidelis* Inscr. N. 922. 1767. cet. Leg. XX. *Valens Victrix* Ibid. N. 1697. 2002. cet. — *Ubiorum*] quorum oppidum primarium postea Colonia Agrippinensis ab Agrippina Claudii, unde ipsi quoque *Agrippinenses*, Germ. 28. Primum habitabant in dextra Rheni ripa inter Sigambros et Suevos; verum teste Strabone 4. p. 194: *πέραν δὲ ᾤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον* (*τοὺς Τρηουΐρους*), *οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου.* (inde ab a. u. c. 717.) — *nuper*] ante quinque circiter annos, nuntiata in urbe clade Variana; cum quidem Romae subitum militem Augustus propere conscripserat ad tutelam ripae Rheni et plerosque e libertinis. Suet. Oct. 25. Dio 55, 31. 56, 23. Lips. Hinc *vernacula multitudo*, originis servilis vel libertinae; *ἐκ τοῦ ἀστικοῦ*

principium. prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent: tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. id militares animos altius coniectantibus praecipuum indicium magni atque inplacabilis motus, quod neque disiecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia ut regi crederes. (33) interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessisse Augustum adfertur. neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat, ipse Druso fratre Tiberii genitus, Augustae nepos, sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credeba-

1. *sexagenis* haud improbabiliter Thierschius et Zumptius; etenim si centuriones a sexagenis militibus verberibus mulcati essent, futurum fuisse, ut non *partim*, sed omnes illico exanimarentur, consentaneum est. — 3. *proiciunt* M: *proiiciunt* B. — 6. *C.* M: *Gai* B. — 7. *patifecit* M. — 10. *inpl.* M: *impl.* B. — 11. *nil* M: *nec* Grotio auctore B. (*quod nil p. instinctu neque d.* suspicatur Doederlein.) — *set* M. — 14. *adf.* M: *aff.* B. — 17. H. l. *apud* M. — *credebatur. Qui si* M.

ὄχλου, ut ait Dio 57, 5. Cfr. imprimis *Inscr. m. Lat. Supplementum* p. 48. — *implere -- animos*] Contra hanc Med. lectionem coniecturam *impellere* satis pro imperio Wolfius unice veram esse pronuntiavit: «*Aures seditiosorum implere, animos impellere* Latinum est.» Doederlein Cod. lect. aliquatenus defendere conatur explicando: «contaminare eadem lascivia laborumque intolerantia», comparans *ἀναπιμπλάναι (κακίας* cet.*)*; paullo aliter, nec vero melius, excusat etiam Ritter. At longe simplicius interpretabimur: *implere*, inflare rudes animos vana spe atque vecordi cupiditate commodorum, quae legionibus parare iam liceret. Similiter Silius 1, 105: *Attollitque animos hortando et talibus implet*, quo versiculo confutatur certe Wolfius. — *in suum cognomentum*] Drusus maior olim, post Tiberius, tum Germanicus, quibus nomen Imperatoris datum. Et Germanico exercitui creverat superbia ex eo, quod duces tunc a nulla gente praeterquam a Germanis *Germanicorum* nomen sumpserant. Wolf. Cfr. Suet. Claud. 1: *Senatus Druso decrevit Germanici cognomen ipsi posterisque eius.* Dio. 55, 2. Raro autem Tiberio *Germanici* cognomen datur. Vide Inscr. m. Lat. N. 692. Dio 57, 8: ἔστι δ' ὅτε καὶ Γερμανικὸς ἐκ τῶν ὑπὸ τοῦ Γερμανικοῦ πραχθέντων -- ὠνομάζετο.

32. *sexageni*] Vide Var. Lectt. *sexagenis* (quod placet) significat: «ut quot centuriones essent in quaque legione, tot item singuli verberibus mulcarentur.» — *adulescens*] admodum XXX. annorum et amplius. Cum Caligulam occideret, senior dicitur Suet. Calig. 56. Wolf. Dio 59, 29. — *disiecti*] temere sparsi, ut A. 3, 2. 4, 46. — *nil*] Plerique Grotio auctore *nec*, parum utique ad *κρίσεως* diplomaticae leges probabiliter. At vide, ne tolerari possit *neque - nil* — pro *neque disiecti neque quidquam paucorum instinctu agerent.*

33. *accipienti*] ex aestimatione cogi iubenti. — *neptem*] Pater eius Agrippa, mater Iulia, nata Scribonia, priore Augusti coniuge. — *acriores*] magis excitantes. Sen. de Ira 3, 29: *pertinaciores nos*

turque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus; unde in Germanicum favor et spes eadem. nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa a Tiberii sermone vultu adrogantibus et obscuris. accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis; atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat. (34) sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut paenitentia. postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere. et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret; alii curvata senio membra ostendebant. adsistentem contionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum; vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes. tarde obtemperavere. tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors. silentio haec vel murmure modico au-

1. *potius* M. — 3. *adtiberii* (*d* puncto notatum) M. — *accebant* M. — 6. H. l. *sed* M. — 7. *proprior* M. (*r* puncto notatum, ut videtur, quemadmodum paulo ante *d*, Beroaldi manu.) — H. l. *imp.* M. — *seque* M. *Sequanos* Beroaldus in mg. — 11. Habet *prensa*, non *prehensa*, M. — *spetiem* M. — 13. *ads.* M: *ass.* B. — *contionem* M: *concionem* B. — 16. *elexit* M. — *triumphos quitiberii* M. — *aput* M. — 19. *murmurem* M.

facit iniquitas irae. — *libertatem redditurus*] Idem significatur A. 2, 82. Adde Suet. Tib. 50. Claud. 1: *Drusum non dissimulasse unquam pristinum se rei publicae statum, quandoque posset, restituturum.* Huic incepto sane applicari potest id, quod de M. Bruto dicit Seneca de Benef. 2, 20: *Mihi in hac re videtur vehementer errasse - -, qui ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat et imperandi et serviendi, aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari amissis pristinis moribus futuramque ibi aequalitatem civilis iuris et staturas suo loco leges, ubi viderat tot milia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri. Quanta vero illum aut rerum naturae aut urbis suae tenuit oblivio, qui uno interempto defuturum credidit alium, qui idem vellet!* — *paulo commotior*] acrior et ad iram promptior, atque ideo reprehensione non carens; verumtamen castitate cet. Cfr. Roth ad Agric. p. 255. — *in bonum vertebat*] ferociae parum muliebris vitium redimebat (ut sibi condonaretur, efficiebat); itaque ab omnibus propter virtutes tunc admodum raras extollebatur. Laudem autem augent vv. *mariti amore*; nam castitas (fides) etiam sine intimo mariti amore servari potest. Post Waltherum noto propter Wolfium, qui haec quasi explicationis causa addita censebat.

34. *sic melius audituros responsum*] quid Germanicus responsurus esset ad militum questus ac gestus. Sic clementissime significare videtur Germanicus, cur eos in manipulos discedere iubeat. — Inde a Walthero nonnulli explicant: «*sic melius se audituros, responsum* est a militibus non sine quadam contumacia.» Mihi hoc nimis quaesitum videtur; immo huic explicationi prorsus repugnant verba *tarde obtemperavere*; nam si illud exclamassent milites, promptissime fuisse exsecuturos etiam contumaces consentaneum est. — *id saltem*] ut, si in manipulos discedere nollent, cohortes certe discernerentur. —

dita sunt. (35) ut seditionem attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent, rogitans, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant; mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli materiae lignorum adgestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant. fuere etiam qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus; et si vellet imperium, promptos ostentavere. tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. extrema et conglobata inter se pars contionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret hortabantur; et miles nomine Calusidius strictum obtulit gladium, addito acutiorem

3. *universa* M, probante Doederleinio. Vitium correxit Lipsius. — 4. *exprobant* M. — *praetia vocationum* M. — 6. *papuli* M. — 9. *istem* M. — 11. *omnibus* M. Emendavit Beroaldus. — 12. *promtas* (sic) M. Correxit Rhenanus; *prompta* mavolt Doederlein. — *ostendavere* M. — 14. *exsueret* M. — 15. *diripuit* M. — *impectus* M. — 16. *attinuissent* M. — *cont.* M: *conc.* B. — 17. *proprius* (r puncto notatur) M. — 18. *structum* M.

a veneratione] honorifice primum quaedam locutus est de *Divo* Augusto, ut non sine arte iuncta cum filiali pietate ad eius successorem transiret. — *nil usquam turbidum*] Dio 57, 7: *πάντα τὰ τῶν Ῥωμαίων εἰς τὴν ἡγεμονίαν Τιβερίου συνεφρόνησε.*

35. *universi*] Cod. lectio *universa* ex mera accommodatione ad v. *corpora* nata, etsi a I. Gronovio et Doederleinio probata (pro *totum corpus)*, paene ridicula est, ut clare demonstravit Ritter. — *exprobrant*] non verbis sed gestibus ipsis. — *materiae, lignorum*] Ulpianus Digest. 32, 1. *Materia est quae ad aedificandum, fulciendum* (in re militari etiam ad turres, vallos, machinas, tormenta conficienda) *necessaria est; lignum quidquid ad comburendum paratum est.* — *adversus otium c. quaeruntur*] excogitantur. Sen. Ep. 18, 4: *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste: vallum iacit et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.* Liv. 39, 2. — *neu mortem*] singulari *βραχυλογίᾳ*, quae exprimit concitatos militum affectus. Cogitatione supplere possis «oppetere sineret.» (Compressa structura: orabant, ut mederetur fessis et prohiberet (prohibendi notio est in *neu)*, ne mors ipsos opprimeret in iisdem continuatis laboribus, sed faceret, ut finem tam laboriosae militiae neque inopem et sine praemiis requiem nanciscerentur. Duebn.) — *reposcerent*] ut sibi debitam; qua postulatione simul significabant ipsos Germanicum pro legitimo imperii herede habere. — *promptos*] Cod. *promtas;* Heinsius volebat *prompta*, ut fere est 12, 12: *promptasque res ostentantes*, sed longe praestat Rhenani correctio. — *deferebat*] elatum gladium deorsum iam dirigebat in pectus atque se interfecisset, *ni proximi* cet. Liv. 1, 40: *elatam securim in caput deiecit.* — *quidam singuli*] quidam, unus post alterum; *singuli* iunge cum *incedentes (* celeri gradu), quod multo efficacius est ad hunc tumultum exprimendum, quam Mureti *accedentes*, id quod summa cum

esse. saevum id malique moris etiam furentibus visum; ac spatium fuit quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur. (36) consultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur parari legatos qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent; destinatum excidio Ubiorum oppidum, imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas. augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis. at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi. «periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concedentur, in ancipiti res publica.» igitur volutatis inter se rationibus placitum ut epistulae nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum inmunes nisi propulsandi hostis; legata quae petiverant, exsolvi duplicarique. (37) sensit miles in tempus conficta, statimque flagitavit. missio per tribunos maturatur; largitio differebatur in hiberna cuiusque. non abscessere quintani unetvicesimanique, donec isdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in

6. Habet *at si* M, non *ac si*, uti falso traditur apud Bekkerum sine ulla huius culpa; unde tamen factum est, ut *ac* probaret Doederlein. — 9. *sive*] *sibi* M. Correxit Iac. Gronovius. — *concedentur* M: *concederentur* Rhenano auctore B. Recte Walther, Ritter, Doederlein codicis lectionem amplexi sunt, quam requirit oratio recta *periculosa severitas* cet.; Rhenaniana saltem requireret *periculosam severitatem* cet. Est autem subitus hic ex oratione obliqua in rectam transitus ex Tacitini styli artificiis unum, quod hic oblitterarunt Editores plerique. — 10. Habet *epistulae* M. — 12. *inm.* M: *imm.* B. — 15. *quintaniunt etuicessimanique* M, non ut est apud Bekkerum *untetvicesimanique*. — 16. *istem* M. — 17. *vicessimam* M.

tranquillitate fieri potest. — *spatium fuit*] propter indignationem, qua ferebantur in scelerosum illum. Sic ne furentes quidem illico sentiebant abductum esse Germanicum.

36. *Ubiorum oppidum*] postea Colonia Agrippinensis. — *imbutasque*] Ut Hist. 3,15: *Ut praeda civili miles imbueretur.* — *direptionem Galliarum*] Dio 59, 21: τὰ τῶν Κελτῶν ἀνθοῦντα τοῖς πλούτοις. — *periculosa* cet.] Nominativi isti et futurum *concedentur* optime exprimunt Germanici amicorumque deliberationem; languet *concederentur*. — *in ancipiti res publica* scil. videbatur. Ac nihil frequentius praesertim apud Tacitum, quam subiti hi transitus ex oratione obliqua in rectam, quibus variatio atque efficacia quaeritur. — *exauctorari*] ab auctoramento s. obligatione militari solvi, sed certa sub condicione, quae statim memoratur. Differt igitur a iusta plenaque missione. *(vom gewöhnlichen Dienste entbinden, la vétérance* Burnouf.) Videtur hic mos ab Augusto inductus esse. — *duplicarique*] Id re vera factum esse testatur Suet. Tib. 48: *militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil unquam largitus est.*

37. *quintani*] Extorserunt eam pecuniam quintani et unetvicesimani, turbarum concitores pervicacissimi C. 31. et 45. Hi abscedere recusabant, cum iam per ceteros mora non erat. Si quid offendit, hoc est, quod continuo fisci rapti memorantur in I. et XX. legionibus. Sed id eo fit, quia harum discedentium prior mentio occurrebat; illae autem cum poscerent largitionem, non tam pro se quam pro communibus commodis loqui putandae sunt. Wolf. — *inter signa*] Sic ad signa deponebatur pecunia et singulorum (Suet. Domit. 7.) et publica ad stipendia eroganda necessaria, item donativi, quod milites consequebantur, dimidia pars. Veget. 2, 20.

civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiam decumam et sextam decumam legiones nihil cunctatas sacramento adigit. quartadecumani paulum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est. (38) at in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. iusserat id Mennius castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos. (39) interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo, hiemabant. pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu qui inrita facerent quae per seditionem expresserant. utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere,

4. Habet *cunctatas* M, non *cunctatus* Beroaldi. — *quartadecimani* h. l. M. — 5. *at*] *ad* M. — 8. *M. Ennius* Heinsius. Sane *Mennium* nullum exhibet Gruterus, *Menium* unum 40, 7.; verum in huius ordinis inferioris hominibus raro aut nunquam praenomina memorat Tacitus. — 11. *exterritis* clare, teste Baitero, αὐτόπτῃ acerrimis oculis praedito, ut habent editiones omnes ante Bekkerum, Ritterum, Doederleinium, qui propter merum collatoris errorem quasi ex M dederunt *deterritis*. *Exterritis* est «necopinato terrore perculsis.» — 12. *obsisterant* M. — 13. *turpidos* M. — 14. *aput* M. — 15. *vicensima* (*n* puncto notatur) M. — 17. *vaecordes* M. — *inr.* M: *irr.* B.

38. *at in Chaucis - - et praesenti*] Haesitabat in his Ernestius. Sed quod in Chaucis frustra coeptum est, opponitur illis quae in Ubiorum finibus facta erant. *Et* autem facile ac celeriter oppressam esse hanc posteriorem seditionem significat. — Ceterum etiam post Varianam cladem in interiore Germania praesidia quaedam erant relicta, Chaucique socii imprimis constantis fidei. Wolf. Cfr. Ann. 1, 60. 2, 7.; postea defecerunt a Romanis. Ann. 11, 18. Hist. 4, 79. 5, 19. Alia praesidia Romana tunc erant apud Frisios. Ann. 4, 72. Dio 54, 32. De Chaucis consule inter alios Ukert *Germanien* p. 373. Miseram eorum vitam facunde describit Plinius H. N. 16, 1. Ceterum *Chaucis* h. l. *Chattos* substituere frustra conatus est Luden *D. Gesch.* II, p. 8. Not. 3. — *vexillarii*] iidem qui C. 17. *apud vexillum tendentes*. C. 36. *qui retinebantur sub vexillo*, C. 39. *missi sub vexillo*; sive qui erant in vexillatione. — *discordium*] turbidarum, seditiosarum, non: inter se disceptantium. — *bono - exemplo*] opportuno atque utili quidem facto, etsi parum legitimo. De imitatione per hoc supplicium proposita non cogitat, sed est, ut alibi *exemplum* de poena severa usurpatur. Ann. 12, 20: *novissima exempla*, supplicium. Caes. B. G. 1, 31: *in eos omnia exempla cruciatusque edere*. — *iure*] Dio 53, 13: οὐδενὶ οὔτε ἀνθυπάτῳ οὔτε ἀντιστρατήγῳ οὔτε ἐπιτρόπῳ ξιφηφορεῖν δέδοται, ᾧ μὴ καὶ στρατιώτην τινὰ ἀποκτεῖναι ἐξεῖναι νενόμισται. Nedum id licuerit praefecto castrorum. — *intutae*] Non est *non tuentes*, vel *quae tutari desierant*, ut volt Doederlein, sed solito h. v. sensu significat nondum quidem detectum fuisse Mennium, sed id mox factum iri ab eo praevisum esse.

39. *aram Ubiorum*] Aliis Colonia Agrippinensis, uti vocatur Hist. 1, 56. et 4, 25., sive *Agrippinensium* H. 4, 20.; aliis vero Bonna videtur, D'Anvillio *Gotsberg*. Ara autem vocabatur, quia ibi to-

Munatium Plancum consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant; et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur fores, extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. mox vagi per vias obvios habuere legatos, audita consternatione ad Germanicum tendentes. ingerunt contumelias, caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat. neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis. illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur; ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal. tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati aperit; ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur, attonitaque magis quam quieta contione legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit. (40) eo in metu arguere Germanicum omnes quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium. satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum. vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris

8. *relegione* M. — 9. *quilifer* M. — 13. *recepitque* clare M, non *recipitque* Rhenani. — 17. *cont.* M: *conc.* B. — 18. *oms* cum lin. M.

tius Ubiorum populi publica sacra celebrabantur. — *consulatu*] a. 766. Filius autem erat illustris illius L. Munatii Planci cos. a. 712., censoris a. 732., cuius supersunt aliquot epistolae inter Tullianas, et ad quem est Horatii C. 1, 7. De filio nihil praeterea tradunt Velleius, Tacitus, Suetonius, Dio. — *vexillum*] non videtur illud, sub quo veterani habebantur, ut ratus est post alios I. Fr. Gronovius, sed Lipsio Wolfioque auctoribus habeo pro insigni imperatorio, de quo Caesar B. G. 2, 20: *vexillum*, *quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret.* Plutarch. in Fabio p. 182. C: τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν· ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος (φοινικοῦς in Bruto p. 1002. D.) ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. Tum, cum nullus hostis adesset, in ducis praetorio vel domo asservabatur. «Insigne autem imperatorium exposcentes significant se imperium detrectare, tum illud rapiunt, quo adversus ipsos uti primo quoque tempore posset.» Wolf. (Cum Gronovio facit Ritter. Sed nonne *vexillationis* veteranorum *vexillum* in principiis omnium oculis propositum fuisse probabilius est, quam in domo ducis situm?) — *moliuntur*] e cardinibus, effringunt. Liv. 25, 36. — *extractum*] non quidem ipsorum manibus; sed propter strepitum ac tumultum militum illico surgere coactum se videbat. Sic Horat. Sat. 1, 1, 11: *qui rure extractus in urbem est*, eo ire coactus. — *castra primae legionis*] partem castrorum, ubi prima legio tendebat. — *aquilam*] Figuram aquilae legionariae exhibet Zoëga *Bassi rilievi* I. p. 65.; super capite pendet corona laurea. — *altaria*] aras, quae in principiis honori aquilarum et castrensium deorum (Divi puta etiam Augusti) erant, item principum, quorum effigies insignis. Lips. — *imperat, recepitque*] Saepe sic Tacitus. Ann. 2, 7. et 20. 14, 4. Hist. 4, 83: *iubet praecepitque.* — *increpans*] fatalem rabiem et θεοβλάβειαν vocans cum incre-

violatores haberet? illos saltem avo et rei publicae redderet. diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae simul trahebantur; nec minus tristes qui manebant. (41) non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. progrediuntur contuberniis. quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas inlustres; non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti. pergere ad Treviros et externae fidei. pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; socer Drusus; ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia; iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur, sed nihil aeque flexit quam invidia in Treviros. orant, obsistunt, rediret, maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. isque ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita coepit. (42) «non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt: sed illum quidem sua maie-

1. Habet *cum se* M. Error est in numero Bekkeriano. — *degenere* M. — 4. H. l. *con fletu* M. — 8. *set* M. — 9. *conturberniis* M. — 10. *inl.* M : *ill.* B. — 12. et 17. *Treviros* M : *Treveros* B. ut Inscrr. m. Lat. N. 192. Sed et altera forma in Inscrr. reperitur. — 13. *Augustaui mem.* M. — 17. *elexit* M. — *absistunt* M. Correxit Beroaldus. — 19. *aput* M.

patione. Wolf. V. autem *fatalem* ipsam hanc increpationem mitigat, quasi minor tumultuantium, qui fato instigarentur, esset culpa.

40. *in metu*] in formidoloso ac trepido rerum statu, dum metuebatur, ne rabies cito rediret. Dübn. — *muliebre*] infirmitatem sexus pluribus periculis expositi atque inermis significat multo melius, quam si dixisset *miserabile agmen muliebre*. — *qui*] Vix opus esset dicere intelligi Germanicum eiusque amicos, nisi Lipsius coniecisset *quae*.

41. *in urbe victa*] Saepe doctos in fraudem illexit omissum participium verbi substantivi, quamvis ea ellipsis frequens sit et quasi propria Latini sermonis. Non est facies urbi captae conveniens (ut explicavit I. Fr. Gronovius), sed Caesaris *velut in urbe capta* ὄντος. alioquin esset *urbis victae*. Wolf. — *triste*] substantivi vice fungitur pro «triste spectaculum, tristis res,» ut Virgilii Ecl. 3, 80: *triste lupus stabulis*. — *non centurionem - - soliti*] Magno affectu haec nude interponuntur, hoc sensu: «quibus non centurio addatur ad tutelam, ne milites quidem gregarii, quibus nihil sit, quod imperatoris uxorem indicet, nihil comitatus honorifici.» Dübn. — *externae fidei*] scil. *homines*. Cum Wolfio pro genitivo habere praestat quam cum aliis pro dativo, ita ut ex v. *pergere* eliciendum sit *committi*. Treviri autem nondum erant cives Romani. (In plerisque inscriptionibus apud Lerschium *Centralmuseum* III. est *Treveri*, in duabus tamen p. 3. *Treviri*.) — *socer Drusus*] Vis insignis est in hac commutatione: non tam Drusi memoria quam ipse amatissimus imperator animis obversabatur cum miserabili nuru. Wolf. Enumerantur hic gradatim, quae eos *flectere* inceperint; rem absolvit *invidia in Treviros*. — *infans*] natus pridie Kal. Sept. a. 765., tunc igitur biennis. Cfr. Suet. Calig. 8. — *tegmine*] Suet. Calig. 9: *Caligulae cognomen ca-*

stas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat. quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? quod nomen huic coetui dabo? militesne appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis, an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas? hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detractabant. divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit. nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot praeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra, flumina; meque precariam animam inter

3. Habet *summoveo* M. — *quidquid* M : *quicquid* B. — 4. *pronepus* M. — 5. *peros* superscr. *h* M. — 10. Habet *detractabant* M. Volgarem scripturam *detrectabant* servarunt Walther, Ritter, Doederlein, ut Med. C. 45. — 12. *Syriaeve* M : *Suriaeve* B. — 13. *Prima ne (nae)* cum Bachio Doederlein; id quod Latinae consuetudini adversatur. — *uicessima* M. — 17. *saciatos* M. — Habet *eici* M. — 18. *praecariam* M.

strensi loco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Dio 57, 5.

42. *istuc*] pronomen, et quidem propria significatione, *quidquid a vobis sceleris imminet.* Sic A. 2, 38: *non enim preces sunt istuc* (tuae). Minus recte Ernestius volebat *istinc.* — *quod nomen*] Comparant locum sane similem Livii 28, 27., ubi Scipio ita commilitones increpat: *Quos ne quo nomine quidem appellare debeam scio; cives, qui a patria vestra descistis? an milites, qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis?* Noli tamen cogitare de quaesita imitatione. — *sacra legationis*] ut 2, 65: *sacra regni.* 13, 17: *sacra mensae.* — *vallo*] spectat ad C. 39., concursu ad Germanici domum facto, quae in hibernis erat circumdatis vallo, quod tunc in seditiosorum potestate erat. — *Quirites vocando*] antequam in Africam traiceret. Lucan. 5, 357: *discedite castris, Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.* Suet. Caes. 70. Plutarch. Caes. 51. Dio 42, 53. Hoc exemplum secutus etiam Alexander Severus *saepe legiones integras exauctoravit, ex militibus Quirites appellans.* Lamprid. 52. — *Actiacas*] quae post Actiacam victoriam Brundisii turbabant, praemia et missionem poscentes. Suet. Oct. 17. Dio 51, 3. — *signis - - acceptis*] post novum delectum sub Augusto, ut videtur, post cladem Varianam. Cfr. Vell. 2, 120. — *primane*] Egregie concitatum Germanici animum exprimit clausula inter exclamationem et interrogationem veluti fluctuans atque intermedia. Non minus quam illud *prima ne* vel *prima nae* Latinitati repugnare videtur id, quod nuper edidit Fickert apud Senecam de Clem. 1, 16, 2: *Numquid nae aequum est?* Videlicet hoc *nae* semper enuntiati initio poni, idque sequi fere pronomen tralaticium est; rarissimo autem exemplo, nisi subest mendum, Livius 34, 4: *Nae, simul pudere, quod non oportet, coeperit, quod oportet, non pudebit.* — *duci*] Tiberio. — *precariam*] ut Hist. 4, 76., vitam, quae tota

infensos trahere. (43) cur enim primo contionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o inprovidi amici! melius et amantius ille qui gladium offerebat. cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius; legissetis ducem, qui meam quidem mortem inpunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. neque enim di sinant ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. tua, dive Auguste, caelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria isdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. vos quoque, quorum alia nunc ora alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu ac dividite turbidos. id stabile ad paenitentiam, id fidei vinculum erit.» (44) supplices ad haec, et vera exprobrari fatentes, orabant puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem; revocaretur coniux, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem; venturum filium: cetera ipsi exsequerentur. discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium, qui iudicium

1. *contionis* M: *concionis* B. — 2. *inpr.* M: *impr.* B. — 5. *inp.* M: *imp.* B. — *siniret* M. — 6. *istut* M. — 9. *istem* M. Distinxi autem cum Rittero et Doederleinio, immo cum Rhenano: *tui memoria, isdem* Lipsius et B. — 10. *Fluant* (sic) M. — 12. Habet *et* M, ut notarat Iac. Gronovius. Ante Wolfium edebant *ac*. — 13. *turpidos* M. — 14. *suplices* M. — 16. *opses* M. — 19. *C.* M: *Gaium* B.

pendet a potentioris voluntate et precibus dumtaxat conceditur.

43. *imago*] non est effigies, quae post XXII. iam annos vix proposita erat in castrorum principiis. Recte Freinshemius: «Revocat militibus in animum Drusi imaginem mentibus eorum etiamtunc impressam, quem multi antea ducem viderant atque admirati erant.» (Quae interpretatio certe est ῥητορικωτέρα, et confirmari videtur loco A. 4, 52: *non in effigies mutas divinum spiritum transfusum, sed imaginem veram caelesti sanguine ortam.* Atque omnino vix adducor, ut credam ullo zeugmate excusari posse ἄκυρον illud *effigies marmorea eluit maculam.* Vv. *tui memoria* inserviunt ἐπεξηγήσει, et ad eos potissimum referuntur, qui veteranorum tantum narrationes de eo audierant. — *cum*] societatem militum suam ad hoc operam praestantium. — *gloria*] gloriae sensus et studium, ut Virg. Ge. 4, 205: *generandi gloria mellis* in apibus. — *maculam*] «non seditionis vestrae, sed publicam, ex clade Variana aspersam Romano nomini.» Wolf. Cuius in verba prope omnes iurarunt praeter Burnoufium et Duebnerum. Sed multo melius haec vv. referuntur ad hanc ipsam seditionem, maxime propter vv. continuo iuncta *iras q u e civiles.* Nec *maculam* Romanus orator debebat nominare Varianam cladem supra satis longo intervallo significatam, sed calamitatem. Dignus est, qui hoc de loco legatur, Burnouf. — *vos quoque*] eximia peroratio. *Mutata ora et pectora* cum dicit, nemo est qui id, si velit, non ad se privatim trahere queat; postrema autem sententia eiusmodi est, ut, si qui adhuc iram retineant, in eos ceteram turbam armet, seu poenitentia seu metu poenae et coeptorum diffidentia correctam. Notavit Freinshemius. Wolf. — *dividite*] pro secernite, seiungite a vobis, quod est sane insolens. Ern.

44. *cetera*] noxiorum punitionem. — *legatum*] Legati legionum a Iulio Caesare instituti. Retinuit eos Augustus, universo exercitui praeficiens legatos consulares, sin-

et poenas de singulis in hunc modum exercuit. stabant pro contione legiones destrictis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur. et gaudebat caedibus miles, tamquam semet absolveret; nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos, ceterum ut avellerentur castris trucibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. centurionatum inde egit. citatus ab imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in praeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat. si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia. (45) sic compositis praesentibus, haud minor moles supererat ob ferociam quintae et unetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est) hibernantium. nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum; nec poena commilitonum exterriti nec paenitentia conversi iras retinebant. igitur Caesar arma classem socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus. (46) at Romae nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu

1. *contione* M: *concione* B. — 2. Habet *destrictis* M. — 3. *adcl.* M: *accl.* B. — 5. *poenes* (*o* puncto notatur) M. — 6. Habet *Raetiam*, non *Rhaetiam*, M. — *spetie* M. — 7. *suebos* M. — 8. *adhoc* superscr. *u* M. — 10. *strunuae* superscr. *e* M. — 11. *donaria* M. Correxit Victorius rursusque Ernestius. «Mendum ex διττογραφίᾳ natum, ob vicinum *militaria*, ut Lib. 6, 48: *ludibria et pericularia.*» Doed. — 12. *adpr.* M: *appr.* B. — 13. *haud*] *aut* M. — 14. *molis* M. — Habet *unetvic.* M. — 15. *aput* M. — 20. *cognitio* (alterum *i* puncto notatur) M. — *fuisse* M.

gulis legionibus legatos praetorios. Duebn. — *pro contione*] In castris Romanis in formam optime dimensi oppidi muniri solitis etiam forum erat. (Polyb. 6, 28.) In id convocabantur milites, quoties dicta ducum ab universis accipienda erant. A. 1, 67: *tum contractos in principia* cet. coll. Hist. 3, 13. Liv. 7, 12. Freinsh. — *Suevos*] quomodo Suevi Raetiae imminere potuerint, intelligi potest e Germ. 43. Ern. — *centurionatum*] centurionum recensionem ac de eorum et meritis et delictis cognitionem. (Apud Valerium Max. 3, 2, 23: *cum facta, tum etiam verba tua centurionatus honore donata sunt*, est idem atque *centuriatus*, centurionis munus.) — *egit* autem, ut dicebant *censum, delectum agere.* — *dona*] torques, phalerae, hastae purae, coronae. Cod. lectio *donaria* (dona dis dedicata) hic locum non habet. — *solvebatur militia*] quae erat ignominiosa missio. Macer de re militari in Dig. 49, 16, 3: *Missionum generales causae sunt tres: honesta, causaria, ignominiosa. Honesta est, quae tempore militiae impleto datur; causaria, cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renuntiatur; ignominiosa causa est, cum quis propter delictum sacramento solvitur.*

45. *Vetera*] scil. *castra*, ut Hist. 4, 23., ubi hodie vicus *Vettern*, alii ubi *Xanten*, alii ubi *Forstenberg*. Doed. Contra Janssen Mus. Lugd. Bat. p. 79: *Vetera* videtur esse vicus *Birten* prope *Xanten*. Itin. Anton. p. 370. Veteribus Bonnam usque LXIII. M. P. numerat. — *classem*] classis Germanica *pia, fidelis* memoratur Inscr. m. Lat. N. 3600. et in Suppl. N. 5357. Sed qua de agitur h. l., videtur temporaria, non stativa, ut illa.

audito, trepida civitas incusare Tiberium quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatióne ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adulescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat. ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. an Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint. (47) inmotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. multa quippe et diversa angebant, validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur. at per filios pariter adiri, maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reicere, resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent? ceterum ut iam iamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit. (48) at Germanicus, quamquam contracto exercitu et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, praemittit litteras ad Caecinam, venire se valida manu ac, ni supplicium in malos

3. *tuorum* M. — 4. *irae* M. — *imperator iam* M. — 6. *tociens* M. — 8. *urbane* M. — 9. *inm.* M: *imm.* B. — *aduersos* M. — 11. *incassum* M. — 12. *aput* M. — 13. *subnixius* M. — 14. *intenderentur* M. (Vv. *ac - - incenderentur* immerito seclusit Ritter.) — 16. *reic.* M: *reiic.* B. — 17. *alius* M. — 20. *diutissimae* M.

46. *Augustum*] Dio 54, 20. a. u. c. 738. XLVII. annos tunc natus. Suet. Oct. 20: *Externa bella duo omnino per se gessit, Delmaticum et Cantabricum. - - - Reliqua per legatos administravit; ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret aut non longe abesset, Ravennam vel Mediolanum vel Aquileiam usque ab Urbe progrediens.* — *fomenta*] lenimenta, levamenta, ut Horat. Epod. 11, 17. item κατὰ τρόχον: *Fomenta, vulnus nil malum levantia.*

47. *inmotum - - fixumque*] Virgilii, ut saepe, reminiscitur; h. l. Aen. 4, 15: *Si mihi non animo fixum immotumque sederet.* (Quid ergo tot per editiones in marginibus venditat ὁ πάνυ (Lipsius) *immotus*? Gron.) — *caput rerum*] urbem Romam. Hist. 2, 32: *caput rerum urbem.* H. 1, 84: *caput imperii.* Lucan. 2, 655: *Ipsa, caput mundi - - Roma.* — *angebant*] Ex hoc v. duo sunt ἀναλόγως elicienda: *dubitabat*, utri adeundi forent, *metuebat*, ne posthabiti dolerent. Ex his minutis ellipsibus germanum Tacitum agnoscas. Wolf. — *impedimenta*] iumenta, vehicula et similia ad iter suscipiendum necessaria. Cfr. Süet. Tib. 38. — *naves*] Lipsius, quorsum, inquit, naves, si in Galliam aut Germaniam iturus? Ostiâ nimirum Massiliam navigaturus (ut aliquando fecerat: Suet. 17.) atque inde terrestri itinere in Germaniam profecturus, in Pannoniam mare superum traiecturus. Bach ex Gronovio.

48. *recenti exemplo*] eorum, qui ad aram Ubiorum supplicium de commilitonibus seditiosis sumpserant. C. 44. — *malos*] substantive, ut Horat. Sat. 1, 4, 3: *malus aut fur.*

praesumant, usurum promisca caede. eas Caecina aquiliferis signiferisque, et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat, utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant hortatur: nam in pace causas et merita spectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere. illi tentatis quos idoneos rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident, de sententia legati statuunt tempus quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. tunc signo inter se dato inrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo nisi consciis noscente quod caedis initium, quis finis. (49) diversa omnium, quae unquam accidere, civilium armorum facies. non praelio, non adversis e castris, sed isdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela. clamor vulnera sanguis palam; causa in occulto; cetera fors regit. et quidam bonorum caesi, postquam intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. neque legatus aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris; nec aliter posse placari commilitonum manes quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. sequitur ardorem militum Caesar,

1. *promisca* superscr. *u* M: *promiscua* B. — *caenia* M, in mg. *Cecinna* (sic). — 5. *temptatis* M. — 7. *inr.* M: *irr.* B. — 10. *istem* M. — 13. *postqua* M. — 14. *saeruiretur* (prius *r* puncto notatur) M. — 15. *adf.* M: *aff.* B. — 16. *illut* M. — 17. *cremari*] *ore mari* M.

49. *cetera*] exitum rei. Wolf. — *e legionibus*] dimidiam partem earum; nam habebat quattuor legiones XXIV. milium. — *modestia*] disciplinae militaris observantia.

50. *Caesiam*] inter Luppiam et Isalam, hodie *Haserwald*. Ukert *Germanien* p. 388. eam ponit prope oppidum *Coesfeld*. — *limitem*] Cfr. Ann. 2, 7. Spartianus Hadr. 12: *in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in morem muralis saepis funditus iactis atque connexis barbaros separavit.* — *coeptum*] factum, *angelegt*, ut 11, 1: *hortos a Lucullo coeptos*, omissa operis non absoluti notione. Doed. — *scindit*] Cfr. C. 65: *scindit agmen*. Nonnulli de arboribus caesis explicant; melius, ut videtur, alii per zeugma ad v. *silvam*, ut τέμνειν ὁδόν, permeat, ad *limitem* proprie, *perrumpit*, *aperit*. (Velle. 2, 120. Amm. Marc. 23, 3.) Walther explicat: per mediam silvam et per limitem vadit; sed huius saltem partem amoliri debebat, ut pervius fieret. — *munitus*] Bene Cod. lectionem defendit Walther: Vv. *frontem* - - *munitus* adduntur, ut ratio castrorum ante dictorum describatur, non ut novi quid enarretur factum. Constructionis autem huius Graecae permulta exempla praebet Tacitus, A. 2, 13: *contectus humeros*. 2, 17: *oblitus faciem*. 6, 43. 15, 64. Hist. 1, 85: *animum voltumque conversis*. 4, 81: *manum aeger*, alia. — *saltus obscuros*] trans limitem; opponuntur *silvae Caesiae*, per quam dudum via munita erat. — *breve et solitum*] iter illud a Tiberio strui coeptum, post a Domitio perfectum, ab occasu solis ad ortum propter dextram Luppiae ripam Cheruscorum fines versus recta tendebat. Clostermeyer p. 62. — *impeditius*] Amisiam versus ad Marsos in tractum Monasterii *(Münster)*. — *incautum*] incustoditum. Notabis vim passivam a prioribus scriptoribus alienam, Livio tamen excepto 25, 38., alibi poëtarum tantummodo propriam. Bach. — *Marsorum*] ut antea Sigambri, sic tunc praecipuus huius

iunctoque ponte tramittit duodecim milia e legionibus, sex et viginti socias cohortis, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit. (50) laeti, neque procul, Germani agitabant, dum iustitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. at Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus. inde saltus obscuros permeat, consultatque ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum eoque hostibus incautum. delecta longiore via cetera adcelerantur: etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem ac sollemnibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praeire et obstantia silvarum amoliri iubetur: legiones modico intervallo sequuntur. iuvit nox sideribus inlustris, ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis. adeo cuncta incuria disiecta erant, neque belli timor; ac ne pax quidem nisi languida et soluta, inter temulentos. (51) Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispertit; quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat. non sexus, non aetas miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum quod

1. Habet *milia* M. — 2. Habet *cohortis* M. — 6. *munitus* M, quod restituit W., Ritter, Doederlein: *munit* cum «aliis» apud Lipsium et Wolfio B. — 8. *intemptatum* M. — 9. *adc.* M: *acc.* B. — 10. *sollemnibus* M: *sollennibus* B. — 12. *inl.* M: *ill.* B. — 15. *erat* M.

tractus populus cum Cheruscis et Chattis; accolae utriusque ripae Amisiae fl. postea transierunt in Francos et Salios. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 86. Ukert *Germanien* p. 384. Grimm *Mythol.* Ed. alt. p. 336. — *stratis*] dativus, ut Hist. 4, 11: *qui principatus inanem ei famam circumdarent.* — *disiecta*] Cicero *dissoluta* dixisset, opinor. Ern. — *ac ne pax*] «ac ne securitas quidem illis vera erat, sed languida quaedam et soluta, qualem facit languor et animus dissolutus ex temulentia.» Duebn. — *nisi*] Alius dixisset: *si modo quies et languor, torpor temulentorum, pax dicenda est;* saltem dixisset *ut inter temulentos.* Wolf.

51. *avidas*] caedis; absolute ut Horat. 3, 4, 58: *Hinc avidus* (pugnae) *stetit Volcanus.* — *cuneos*] Veget. 3, 19: *Cuneus dicitur multitudo militum, quae iuncta acie primo angustior, deinde latior procedit et adversariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur.* Hic, ubi non tam de pugna quam de caede agitur, videtur accipiendum de aequis exercitus partibus, *Colonnen*, ut Curt. 3, 5, de phalange. Idem 7, 32. — *non sexus, non aetas*] Acriter Luden *Geschichte* I. p. 265., ubi hanc expeditionem narrat, et p. 305. alteram adversus Marsos (Ann. 2,25.), invehitur in Germanici perfidiam atque crudelitatem, haud satis expendens in Variana clade ulciscenda omnia vel saevissima licita Romanis esse visa. — *templum*] Etsi Tacitus Germ. 9. Germanos *cohibuisse parietibus deos* negat, tamen h. l. propter vv. *solo aequantur*, quae de luco sane usurpari non poterant, de aedificio aliquo sursum fortasse aperto, quale antiqui Germani *halla*, Gothi *hallus*, atrium, porticus, vocabant, cogitandum esse manifestum est. Cfr. Grimm *Mythol.* p. 74. De Germanorum templis memorabilis est locus in dubitabili illo, sed satis antiquo Fragmento *Vellei Galli* apud Grimm *Mythol.* p. 269: *Deae Zisae templum ex lignis barbarico ritu constructum.* Duebner explicat: «Lu-

Tamfanae vocabant, solo aequantur. sine vulnere milites, qui semisomnos inermos aut palantis ceciderant. excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque per quos exercitui regressus, insedere. quod gnarum duci, incessitque itineri et proelio. pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio, et mediis impedimentis sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere; vicesima legio terga firmavit; post ceteri sociorum. sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere. turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna hoc illud tempus oblitterandae seditionis clamitabat: pergerent, properarent culpam in decus vertere. exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque. simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. quietum inde iter; fidensque recentibus ac prio-

1. *tafanae* cum lineola super prim. syll., id est, *Tamfanae* M: *Tanfanae* B. — 2. *caedis bructiros* M. — 4. *gnaram* M. — *proelio* h. l. M, alibi *praelio*. — 6. Habet *unetv*. — 7. *acmen* M. — 8. *ads.* M: *ass.* B. — 9. *levis* M. — 10. *illut* M. — 11. *saeditionis* (*a* puncto notatur) M. — 14. *primis agminis* clarissime M, non *primis agminum*, ut est apud Bekkerum; qui error in alterum induxit Doederleinium, ut vellet: *caeduntque simul* (una cum) *primis agminum. Copiae evasere silvas* cet.

cum sive nemus, non aedem exstructam», vix recte. — *Tamfanae*] Sane obsequendum fuit Mediceo, cuius compendium scripturae nullam aliam explicationem admittit; ac mirabile est in eandem scripturam incidisse etiam sceleratum illum Pyrrhum Ligorium in inscriptione ab ipso conficta et Interamnae locata *TAMFANAE SACRVM* cet. Gudius p. 35, 8. Inscr. m. Lat. N. 2053. Omnes hic ex lectione Beroaldi ad Italicam pronuntiationem conformata edunt *Tanfanae*. Ceterum, quod numen hoc sit, nemo adhuc extricavit, ne Grimmius quidem (*Mythol.* Ed. alt. p. 69. et 236.), qui p. 70. confert nomina Germanica *Hludana*, *Sigana*, *Liutana*, *Rdbana*, et p. 236: *Berlana*, *Rapana*, *Madana*; permultas Germanorum de hoc nomine opiniones omnes aeque incertas cumulavit Ruperti. Ukert *Germanien* p. 433. — *milites*] fuerunt. Prorsus improbabiliter Freinsheimius deleta ante *sine* distinctione *militis* - - *ceciderat*, probante Doederleinio. — *Bructeros*] ad Amisiae fl. utramque ripam. Strabo 7. p. 290: ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε. Plin. Epp. 2, 7: *Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum; ostentatoque bello ferocissimam gentem - - terrore perdomuit.* Cfr. L. von Ledebur *das Land und Volk der Bructerer*. Berlin. 1827. Prope Monasterium (*Münster*) eos ponit Ukert *Germanien* p. 381. — *Tubantes*] Ann. 13, 55. In Taciti *Germania* non memorantur; Ptolemaeo sunt Τούβαντοι, Straboni per errorem Σουβάττιοι; hi ad utramque Luppiae ripam habitabant. Cfr. Ukert p. 363. Eorum vicini *Usipetes* sive *Usipii* (Germ. 32. Hist. 4, 37., ubi meridiem versus progressi Magontiacum obsident.) Cfr. Ukert p. 356. — *proelio*] ita incessit, ut et itineri et proelio, ubi res posceret, paratus esset. Nota hunc dativi usum, simillimum huic Ann. 13, 40: *qui viae pariter ac pugnae composuerat exercitum.* Cfr. A. 13, 40. Curt. 3, 8: *itineri simul paratus et proelio.* — *ducebant*] primi incedebant, ἡγοῦντο. Dübner. — *porrigeretur*] in longum extenderetur. Quievit hostis, donec agmen *universum* silvam *ingressum* esset; infra rem fuisset Heinsii *progrederetur*. Wolf. Hist. 5, 16: *Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit.* — *leves cohortes*] sunt iidem homines, qui paullo supra *ceteri sociorum*. — *recentibus*] recentis victoriae gaudio et fiducia fretus obliviscebatur dira seditionis (supplicia illa). Wolf.

52. *quaesivisset*] non est idem quod *ac-*

rum oblitus miles in hibernis locatur. (52) nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere. gaudebat oppressam seditionem: sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. rettulit tamen ad senatum de rebus gestis, multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione. cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

(53) Eodem anno Iulia suprêmum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. fuerat in matrimonio Tiberii florentibus Gaio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio causa cur Rhodum abscederet. imperium adeptus extorrem infamem et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exilii ratus.

2. *adf.* M: *aff.* B. — 5. *in speciem*] *inspectam* M. — 8. *aput* M. — 10. *Rheginorum* Beroaldus et W: *Reginorum* M et B., ut sane est in Inscript. aliquot. Vide Forcellinum in *REGINUS*. Sed alterum rectius. — 12. Habet h. l. *Gaio et Lucio* M. — *imperarem* M. — 13. *caus* (sic) M. — 14. *post unum* M, in mg. Beroaldi, ut videtur, manu *posthumum*. — 15. *exilii* M: *exsilii* B.

quisivisset; sed ex persona Tiberii dictum; ambitionis scilicet Germanicum insimulabat, qua instigatus militum favorem sibi conciliare studuisset. Cfr. Dio 57, 6: *Τιβέριος δὲ ἐπῄνεσε μὲν αὐτὸν ἐπὶ τούτῳ, καὶ πολλὰ καὶ κεχαρισμένα καὶ ἐκείνῳ καὶ τῇ Ἀγριππίνῃ ἐπέστειλεν, οὐ μέντοι καὶ ἥσθη οἷς ἔπραξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλεῖον αὐτὸν, ὡς καὶ τὰ στρατεύματα ἀνηρτημένον, ἔδεισεν.* — *intentior*] magis ex animo, *mit mehr Wärme* (vel, ut Gutmann, *inniger*). Id fieri poterat brevi oratione, rem minus accurate explicante; pauca loquitur verus affectus. Wolf.

53. *Iulia*] nata a. 715. pervenit ad annum aetatis LII. — *ob impudicitiam*] Vell. 2, 100: *Iulia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit. — Eam ultro comitata est mater Scribonia.* Seneca de Benef. 6, 32: *D. Augustus filiam ultra impudicitiae maledictum impudicam relegavit et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, Forum ipsum ac Rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quaestuariam versa ius omnis licentiae sub ignoto adultero peteret.* Plin. 21, 3. Suet. Oct. 65. Dio 55, 10. 13. — *Pandateria*] ad Campaniam sita (Dio l. l.), in sinu Puteolano. Plin. 3, 12, 6. — A plerisque vocatur *Pandataria*, quod ideo recepit Broterius; apud Melam 2, 7. tamen et Dionem nostra scriptura exstat. Wolf. Hodie *S. Maria*. In eandem postea sunt relegatae Agrippina Tiberii nurus, Suet. Tib. 53., et Octavia, Ann. 14, 63. — *imparem*] Suet. Tib. 7. Dio 54, 31. *nicht ebenbürtig*. Sal. Iug. 11: *Iugurtha materno genere impar erat.* Liv. 6, 34. de Fabia minore Ambusti filia, nupta viro plebeio, *quod iuncta impari esset.* Tac. Hist. 2, 50: *maternum genus impar.* Lipsianam argutiam (*taurum non ad illud iugum*) nulli Romanorum in mentem venisse crediderim. Wolf. — *tabe longa*] etsi eodem anno 767., quo pater eius a. d. XIV. Kal. Sept. obiit, tres circiter menses, quo summam inopiam passa est, ad eam perimendam sane suffecerunt. — *longinquitate*] diuturnitas exilii (XIV. annorum) faciebat, ut homines iam paene obliti eius minus eam, et quae ei acciderent, curarent. Ern. Relegata est iam a. 752., ut e Velleio l. l. et Macrobio Sat. 2, 5. docuit Norisius

par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippae temeraverat. nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat; litteraeque quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur. igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quattuordecim annis exilium toleravit. tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris, nihil laetum opperientem. quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per litteras daret, cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat. quidam non Roma eos milites sed ab L. Asprenate proconsule Africae missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

2. Habet h. l. *Marci* M. — 3. *contumatia* M. — 4. *littereque* M. — 6. *exilium* M: *exsilium* B. — 7. *litoris* M: *littoris* B. — 11. *L.* M: *Lucio* B.

Cenot. Pis. p. 180. Wolf. — *Gracchum*] Cfr. Vell. l. l. Exstant eius nummi cum inscriptione: *TI. SEMPRON. GRACCVS* (sic). *IIII. VIR. Q. DESIG.* Akerman I. p. 125. — *prave facundus*] non est garrulus, ut Bachius explicavit, sed facundus, ita tamen, ut pravas fere sententias proferret atque defenderet. — *scripsit*] aoristus, saepius. Wolf. — *Cercinam*] ad Syrtem minorem, hodie *Kerkine*. Relegatus est simul cum Iulia. Fuit inter eos, de quibus Dio 55, 10: οἱ δὲ λοιποὶ ἐν νήσοις ὑπεχωρίσθησαν. Ceteri *Quinctius Crispinus*, *Appius Claudius*, *Scipio aliique minoris nominis utriusque ordinis viri.* Vell. 2, 100. — *L. Asprenate*] cognomen gentis Noniae. De Asprenatum claritudine et familia consulari Plinius 30, 7. Suet. Oct. 43. Lips. Cfr. Schottum de claris rhetoribus apud Senecam, in quo multa mentio Asprenatum. Wolf. Consul hic fuerat a. 759. — *speraverat*] Freinshemius probante Ryckio et Ernestio malebat *speraverit;* spem hanc certam fuisse indicativo significavit Tacitus.

54. *sodalium Augustalium*] Cfr. Suet. Claud. 6. Galb. 8. Dio 56, 45. et 58, 12. eos appellat τοὺς τοῦ Αὐγούστου θιασώτας, 59, 7: ἱερέας Αὐγουστείους. Horum monumentum haud spernendum superest in Fastis Bovillanis a Th. Mommsenio editis in Bergk et Caesar *Zeitschrift* 1845. p. 513: *MAGISTERIA SODalium Augustalium CLAVDIALIVM. A . . . IMP. ANTONINO PIO FELICE I . .* (supple *IIII.*) *D. CAELIO BALBINO II. SEX. FVRNIVS SVLPICIANVS I. L. VALERIVS PAETVS I. ANN. CC.* cet. Iam consulatus hic memoratus, ut notavit Borghesius, incidit in a. u. 966., *ANN. CC.* in Annum 767., quo constitutum est hoc collegium. — Exemplum hoc placuit postea in omnibus imperatoribus, qui facti divi: ita sodales Claudiales (Inscr. m. Lat. N. 3044.), Flaviales (N. 364.), Titiales Flaviales (N. 2432.), Hadrianales (N. 918.), Antoniniani (N. 3186.), Antoniniani Veriani (N. 2761.), *Neroni Caesari Germanici F. Ti. Augusti N. Divi Aug. Pron. Flamini Augustali, Sodali Augustali* (nomina sex) *VI. Viri Augustales*, qui a sodalibus Augustalibus distinguendi sunt. Grut. 237, 1. Inscr. m. L. 663. (Est Nero Caesar, Germanici et Agrippinae filius, qui periit Seiani artibus a. 784.) — *Titios*] pugnat aperte Marte secum Tacitus Hist. 2, 95. (ubi alium auctorem secutus est: Or.), ubi volt sodales Titios (ita enim scribendum, non *Tatios*, ex lapidibus ac libris; dictique a praenomine Tatii :) institutos non retinendis sacris, sed a Romulo memoriae Tatii sacrandae, quae causa hoc quidem loco aptior erat; fortasse et verior. Lips. Memorantur a Lucano 1, 602: *Septemvirque epulis festis, Titiique sodales,* et in aliquot Inscrr. (Grut. 19, 4. 243, 5 et 7. 305, 1 et 2.), quarum tamen nonnullae suspectae. Murat. 299, 5: *Septemviro epuloni, sodali Titiensi.* Aliter rursus Varro L. L.

(54) Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti: Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiciuntur. ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histrionum. indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. alia Tiberio morum via: sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

(55) Druso Caesare C. Norbano consulibus decernitur Germanico triumphus manente bello; quod quamquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit. nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrum-

1. *T.* M: *Titus* B. — *Titios*] *tatios* M. Emendavit Vertranius et Lipsius. (Vv. *ut quondam* - - *instituerat* suspecta Schneidevino.) — 10. *C.* M: *Gaio* B. — *cos.* M.

5, 85: *Sodales Titii dicti ab Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent.* Omnia haec sane ut in tanta antiquitate aeque incerta. Alii, ut Ritter, eos non ad Titum Tatium referunt, quippe quae sit persona mythica, sed esse sacerdotes Titiensium seu Titium tribus. Varro L. L. 5, 55. et 81. — *primum coeptos*] Lipsius speciose coniecit *coepta* ex C. 77. Si *coeptos* Taciti est, aliter explicari nequit, quam cum Wolfio: «tum primum sollemni modo editos et sive celebratos novum in modum sive instauratos a senatu.» Cfr. ad C. 15. — *discordia*] Rem sic narrat Dio 56, 47: *κἀν τούτῳ τὸ πλῆθος, τῶν ὀρχηστῶν τινὸς μὴ θελήσαντος ἐπὶ τῷ τεταγμένῳ μισθῷ εἰς τὸ θέατρον τοῖς Αὐγουσταλίοις ἐσελθεῖν, ἐστασίασε· καὶ οὐ πρότερον ἐπαύσαντο ταραττόμενοι, πρὶν τοὺς δημάρχους τήν τε βουλὴν αὐθήμερον συναγαγεῖν, καὶ δεηθῆναι αὐτῆς ἐπιτρέψαι σφίσι πλεῖόν τι τοῦ νενομισμένου ἀναλῶσαι.* — *indulserat*] Inter causas labefactati paullatim inde ab Augusto imperii hanc quoque refert Zosimus 1, 6: *ἥτε γὰρ παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις, οὔπω πρότερον οὖσα, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρώτων αὐτὴν μετελθόντων* κ. τ. λ. Cfr. Salmasium ad Vopisci Carinum 19. — *amorem Bathylli*] Cfr. Scaliger ad Euseb. p. 169. Dio 54, 17: *ἐπεὶ Πυλάδην τινὰ ὀρχηστὴν διὰ στάσιν* (histrionalem) *ἐξεληλαμένον κατήγαγεν, οὐκέτι ἐκείνων* (legum severarum, quas improbarat populus,) *ἐμέμνηντο, ὅθεν περ πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης, ἐπιτιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ, ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι καὶ τῷ Μαικηνάτι προσήκοντι, διεστασίαζεν, εἰπεῖν λέγεται ὅτι, Συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι.* — *civile rebatur*] Suet. Octav. 45.

55. *decernitur*] sed triumphavit demum a. d. VII. Kal. Iun. a. 770. Ann. 2, 41. — *manente bello*] contra veterem usum. — *praecepit*] occupavit, maturius incepit. — *dissidere*] infinitivus praesentis pro futuro, ut A. 2, 34. 14, 14. Hist. 1, 51: *accessit callide volgatum decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti.* — *et repentino*] quidem. Wolf. — *Arminium*] Graecis ubique est *Ἀρμένιος*; Germanis autem poëtis *Hermann*, quod Lohensteinii videtur commentum; stirps autem haec: Sigimerus (Vellei. 2, 118.) et Inguiomerus fratres; Sigimeri filii duo, Arminius (cuius uxor Thusnelda, Segestis filia, filius Thumelicus) et Flavus (cuius uxor filia Cattumeri, filius Italicus Ann. 11, 16.). Ex altera parte Segestes eiusque frater Segimerus. Taciti A. 1, 71. (diversus utique a Velleii Sigimero, nisi vero in hoc scriptore latet error:) Segestis filii Segimundus et Thusnelda, Segimeri a Tacito memorati filius Sesitacus huiusque uxor Rhamis, Ucromyri (?) filia; quae tria postrema nomina nobis servavit Strabo 7, 4. Thusneldae nomen Germanicum fuisse *Thurshilda* vel *Thusshilda* vel

que perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae, Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit, suasitque Varo ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis, atque ipsi tempus fore quo crimina et innoxios discerneret. sed Varus fato et vi Arminii cecidit: Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat, gener invisus, inimici soceri; quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant. (56) igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxiliarium milia, et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit; totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit; positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. nam (rarum illi caelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur. sed Chattis adeo inprovisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut

3. *vinceret* (a Beroaldo) superscr. *i* M. — 5. *armeni* M. — 8. et 9. *aput* M. — 14. *L.* M: *Lucio* B. — 16. *metuebatur* M, quem secuti sunt Walther, Ritter, Doederlein: *metuebantur* cum Lipsio et Wolfio B. — *inpr.* M: *impr.* B.

Thursinhilda opinatur Grimm *Mythologie* Ed. alt. p. 488. — *supremo convivio*] de Vari imprudentia cfr. Dio 56, 19: *Ἀρμένιος καὶ Σηγίμερος συνόντες τε αὐτῷ ἀεὶ καὶ συνεστιώμενοι πολλάκις*. Vell. 2, 118. Florus 4, 12. — *crimina et innoxios*] vera crimina et ficta, noxios et innoxios. Bach. — *inimici*] inter se. Utique sunt duo membra: *gener* socero (Segesti) invisus, inimici ipsi *soceri* utriusque coniugis, Sigimerus Arminii pater, Thusneldae socer, et Segestes, pater Thusneldae, socer Arminii. (Aliter Ritter: «Quemadmodum *regina* et *rex* dicuntur *reges*, *soror* et *frater fratres*, ita *soccr et socrus soceri*»: verum ut demus hoc, quamquam exemplum nullum affert, sic idem bis dicitur, si gener erat invisus soceris, hos ei inimicos fuisse per se patet. Tertia denique ratio est Waltheri *gener invisus inimici soceri* (gen. sing.), quae mihi prorsus inepta videtur. (Ceterum cfr. I. F. Massmann *Arminius, Cheruscorum dux*. Lemgoviae 1839.) — *vincula caritatis*] matrimonium enim Arminii et Thusneldae propius etiam duos fratres, generum nurumque cum utroque socero iungere debebat, sed contra evenit: noli vero interpretari de Thusneldae graviditate et spe propagandae stirpis.

56. *Igitur*] Iungendum cum initio Cap. praecedentis *quod - - praecepit*, cuius reliqua tamquam parenthesis interposita sunt. Duebn. — *tumultuarias*] tantummodo ad hanc expeditionem subito conscriptas. Alibi *subiti* Hist. 4, 76., *subitarii* et *repentini* Liv. 3, 4, 11. — *cis Rhenum*] Ubii, Sugambri ab Augusto Rhenum traducti, ut ibi colerent. A. 12, 39. Hist. 4, 20. Suet. Oct. 2. Tib. 9. Eutrop. 7, 5. — *paterni praesidii*] Dio 54, 33: *ὥστε τὸν Δροῦσον φρούριόν τι σφισιν ἐπιτειχίσαι καὶ ἕτερον ἐν Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ*. — *Tauno*] inter Rhenum et Moenum, *Wiesbaden* et *Homburg*, hodie *die Höhe bei Homburg*, aliis *der Heyrich*; alii nominant *die Saalburg* item prope Homburgum. Cfr. Ukert *Germanien* p. 249. — *Chattos*] Cfr. Germ. 30. Habitabant ad Visurgim. — *rapit*] Virgilianum hoc, Aen. 7, 725: *mille rapit populos*. 10, 178: *mille rapit densos*. — *auctus*] non pluralem esse, quod contenderat Wolfius, ideo scribens *metuebantur*, sed singularem, ut rectissime dicatur *fluminum inundatio*, notat Bach et Ritter. Certe Plin. 19, 3, 13. scripsit *fluminum exundatione*. — *Adranam*] hodie *Eder*, prope *Cassel*. Adranam Tacito confusam esse cum Logana *(Lahn)* nemo nunc credit

trucidatum sit. iuventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant. dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra condicionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere; quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. fuerat animus Cheruscis iuvare Chattos: sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma; et Marsos congredi ausos prospero praelio cohibuit. (57) neque multo post legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quoniam bellum suadebat: nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur. addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed iuvenis conscientia cunctabatur. quippe anno quo Germaniae descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles. adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata; beni-

1. *tramiserit* M. Emendavit Acidalius et Pichena. — 2. *temptatis* M. — 3. *conditionibus* M. — 4. *pagis*] *pacis* M. — 6. *quociens* M. — 11. et 15. *aput* M. — 11. *quoniam* Iac. Gronovius: *quo* cum lineola, quod solitum est v. *quoniam* compendium, M, *quando* cum ceteris Edd. B; *quod* mavolt Doederlein. — 12. *rebus commotis* M. Correxit Lipsius.

Mannerto (*Germania* p. 461.). — *tramiserat*] Prorsus necessaria est haec Acidalii correctio falsae accommodationis in M *tramiserit*, etsi spreta est a Walthero, Bachio, Doederleinio. — «Alterum praedicatum *arcebant* non grammaticum vocis *iuventus* numerum sequitur, sed logicum. Cfr. Liv. 1, 27: *suo iussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant.* Cfr. Drakenb. ad Liv. 3, 28, 2.» Ritter. — *pagis vicisque*] *Gauen und Dörfer*. Cfr. Germ. 12. — *Mattio*] Marburgum hoc non esse apud omnes nunc constat; alii (Wilhelm p. 188.) quaerunt in vico *Maden* prope *Gudensberg*, alii (Reichard p. 270.) in vico *Metz* inter *Niedenstein* et *Gudensberg*. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 98. Prope *Geismar* ad Adranam (*Eder*) fl. ponit Grimm *Mythol*. Ed. alt. p. 68.

57. *Segeste*] Ad totum h. l. cfr. Strabo 7, 4. p. 291: *οἱ πιστευθέντες* (Germani, quibus Romani fidem tribuerant) *τὰ μέγιστα κατέβλαψαν, καθάπερ οἱ Χηροῦσκοι καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι. — — Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεμιγοῦντός τε* (*Segimuntus* Guarinus) *Σεγέστου υἱός, Χηρούσκων ἡγεμών, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουϊντίλιον παρασπονδήσει, καὶ νῦν ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον, ὄνομα Θουσνέλδα, καὶ υἱὸς τριετής,* (a. 770.) *Θουμελικός. - - - Σαιγέστης δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμενίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων, ἐν τιμῇ ἀγόμενος κτλ.* Grimm *Gr. Th.* p. XL. Ed. I. arbitratur scriptorem Graecum nomen *Θουσνέλδα* finxisse ex Germanico *Thushild* s. *Thussinhild*. Bach. — *rebusque motis*] Med. *rebus commotis*, quod consuetudo vix patitur; *ἀσύνδετον* certe locum non habet. — *anno*] u. c. 762. — *Germaniae*] plures Germaniae populi, ut A. 2, 26. Agric. 15. — *aram Ubiorum*] Cfr. ad C. 39. — *ruperat vittas*] laceraverat hoc sacerdotii insigne; etenim proprie videtur intelligendum de actione insolita, qua significavit Romanum hoc sacerdotium a se in perpetuum respui. — Violenta haec vittas rumpendi actio mihi quidem probabile reddit Romanum illud fuisse sacerdotium, non, ut vult Barth (*über die Druiden der Kelten*. Erlangen. 1826. p. 152.), Germanicum,

gneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen; pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. inerant feminae nobiles; inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas neque voce supplex, compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant praedae data. (58) simul Segestes ipse, ingens visu et memoria bonae societatis inpavidus. verba eius in hunc modum fuere: «non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae (quippe proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt), verum quia Romanis Germanisque idem conducere, et pacem quam bellum probabam. ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis vestri, Arminium apud Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci. dilatus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinciret flagitavi. testis illa nox, mihi utinam potius novissima! quae secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. ceterum et inieci catenas Arminio, et a factione eius iniectas perpessus sum. atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta tur-

1. *presidio* M. — 2. *acmen* M. — 3. *eticlientium* (*i* ante *c* puncto notatur) M. — 4. *segestes* M. — 5. *parentes* M. — 9. *inp.* M: *imp.* B. — 10. *ramanum* M. — 13. *invisunt* M, *invisi sunt* iam Beroaldus (?) in mg. M. — 15. *aput* M. — 17. *vinceret* superscr. *i* M. — 20. *turpidis* superscr. *b* M.

quod cur tali modo respueretur nulla causa erat. Etiam Grimm *Mythol.* Ed. alt. p. 80. interpretatur h. l. de Romano sacerdotio. — *pretium*] operae, ut A. 2, 35: *ni pretium foret - - noscere.* Hist. 3, 8: *in Veronensibus pretium fuit.* — *clientium*] Cfr. Germ. 13. 14. Tales Galli vocabant *soldurios* (Caesar B. G. 3, 22.) vel *ambactos* (Id. 6, 15.), in Nibelungiade *Ingesindé, sine Man.*

58. *bonae*] quam semper fidam atque inviolatam servarat. Miro errore Ernestius malebat *nostrae* aut *Romanae*. Recte Wolfius: «nullum ἐναργέστερον vocabulum invenias, nullum in pari simplicitate dignius.» — *conducere*] ex v. *probabam* nostram ad rationem per zeugma assume v. *iudicabam* vel *rebar*. — *pacem quam bellum*] omisso v. *magis*, ut aliquoties apud Tacitum, v. c. infra C. 81. A. 3, 17. et 32. 4, 61. 5, 6. 13, 6. 14, 61. Hist. 3, 60. 4, 55. et 76. 5, 5. Germ. 6. Hist. 3, 60: *praedae quam periculorum socias.* Seneca de Benef. 1, 9: *paupertatem suam quam ullum aliud vereri malum.* — *illa nox*] in qua convivium, de quo C. 55. Ern. — *inieci catenas Arminio*] obscurum factum, cuius nemo praeterea mentionem facit. — *perfidia*] cuius speciem nonnullis fortasse praebui. — *utrum praevaleat*] utrum ei veniam dare malis, quia Segestis fidelis socii filia, an punire (certe in perpetua vincula conlicere), quia hostis Arminii uxor. Elucet sane paternus amor, quo pro ea deprecatur. — *vetere*] Cisrhenana; *vetus* autem *provincia*, quia haec iampridem Romanis subiecta erat nec timeri poterat, ne ea unquam a Germanis liberis recuperaretur. Opponitur cogitatione *veteri* rebellis, quae ante Varianam cladem a Romanis desciverat. Ac veram hanc esse interpretationem monstrant vv. C. 59: *coleret Segestes victam ripam.* Similiter A. 3, 74. Africae partem iamdudum domitam *veterem provinciam* vocat; *vetus* et *nova provincia* in Sicilia apud Liv. 24, 44. 25, 3. — *educatus Ra-*

bidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si paenitentiam quam perniciem maluerit. pro iuventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor. tuum erit consultare utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit an quod ex me genita est.» Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem vetere in provincia pollicetur. exercitum reduxit, nomenque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit: educatus Ravennae puer quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

(59) Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant; volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens. neque probris temperabat. egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam avexerint. sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae dis patriis suspenderit. coleret Segestes victam ripam, redderet

2. *permitiem* (sic) M. — 3. *praecor* (per compendium) M. — 6. *incolomitatem* M. — *vetera* clare, non *vaera*, ut narrant, M. Correxit Lipsius. Cfr. Lib. 3, 74. Seyffert proponit *nostra*, et parum probabiliter (quomodo enim ex hoc factum esset *vetera*?) et otiose; omnes enim omnino provincias Romanus scriptor *nostras*, id est, Romanas, vocare poterat. — 8. *reuennae* M. — 13. *vaecordem* M. — *ceruscos* M.

vennae] ut Göttling putat separatus a matre, quae Romae remanere debuerit, ne fortasse exstimularet in Romanos filii animum. Ravennae habitus postea etiam Maroboduus 2, 63., ubi uterque a classiariis facile in libera custodia retineri poterat. — *mox*] postea; nam ad adolescentiam pervenisse videtur. Cfr. Ann. 11, 16. — *memorabo*] in libris deperditis memoravit; nunc eius *ludibrii* memoria interiit; incerta enim, etsi ingeniosa, est Goettlingii suspicio, gladiaturae eum destinatum esse, etsi, ut notat ex Suet. Caes. 31. et Plut. Caes. 32. Ravennae ludum gladiatorium aedificandum curaverat Caesar; *Thumelicum* autem arbitratur esse nomen non Germanicum, sed puero inditum a Romanis, videlicet Θυμελικόν, quod tamen χορευτῇ aptius quam gladiatori futuro, et Straboni est Θουμελικός. (Mortem horribilem, quam sibi conscivit gladiator utique Germanicus, describit Seneca Epist. 70.) Cfr. C. W. Göttling *Thusnelda, Arminius Gemalin, und ihr Sohn Thumelicus in gleichzeitigen Bildnissen nachgewiesen.* Iena 1844. fol. — De stupro adolescentulo illato cogitare videtur Luden *Geschichte* I. p. 683., quo sensu utique usurpatur interdum v. *ludibrium.* Vide Forcell. et Ann. 13, 17: *illusum isse pueritiae Britannici Neronem.* Ego hariolari nolo.

59. *quibusque-invitis*] ut Herodot. 8, 10: ὅσοισι δὲ καὶ ἡδομένοισι ἦν τὸ γενόμενον. Thucyd. 2, 3: τῷ πλήθει οὐ βουλόμενον ἦν. Liv. 21, 50: *quibusdam volentibus novas res fore.* Tac. Hist. 3, 43: *ceteris remanere volentibus fuit.* Agr. 18: *quibus bellum volentibus erat.* — *non enim se proditione*] His ea refutari opinatur Luden *Geschichte* I. p. 665., quae de Varo ab Arminio decepto tradunt Velleius ac Dio, non satis reputans aliud esse proditionem, aliud dolum bellicum, in patriae oppressores sane licitum. *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* — *dis patriis*] 2, 10: *penetralis Germaniae deos.* Hist. 5,

filio sacerdotium: hoc unum Germanos numquam satis excusaturos quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa; quae quoniam exuerint, inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne inperitum adulescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. si patriam parentes antiqua mallent quam dominos et colonias novas, Arminium potius gloriae ac libertatis quam Segestem flagitiosae servitutis ducem sequerentur. (60) conciti per haec non modo Cherusci sed conterminae gentes, tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate; unde maior Caesari

1. *sacerdotium: hoc unum Germanos* Horkel: *sacerdotium hominum Germanos* pr. M, Bach, Doederlein, explicantes «Caesaris et Augusti»; id quod et nimis contortum est nec verum; apud aram enim Ubiorum sane colebatur vel *Roma et Augustus*, ut Polae (Inscrr. m. Lat N. 606.) et N. 4018. Lugduni, vel *Augustus* solus, ut Perusiae (Ibid. N. 607. 608.); cum omnino *D. Iulii* cultus sub ipso iam Augusto satis negligeretur: quippe cum omnes scirent, Augustum id appetere, ut in omnibus rebus patrem adoptivum anteiret; *sacerdotium: hominem Germanos* cum corr. M plerique, *sacerdotium Romanum: Germanos* de Wolfii coni. B. quae coniectura caret probabilitate critica. Nuperrime Seyffert: *sacerdotium omissum, Germanis nunquam satis excusaturus.* Sed parum probabile est, v. *omissum* corruptum esse in *hominum*, et in Germanorum ore mire friget ac *χαρέλκει* tenue hoc *ἐπίθετον*, quod nihil acerbi habet. Alteram coniecturae partem debet Acidalio, *enim vero Germanis nunquam satis excusaturum* proponenti. — 3. *imperi* M. — 4. *quoniam* (*quo* cum lin. ex solito compendio, frequentissimo in Cod. Mediceo Ciceronis Epistolarum ad Familiares) M: *quando* B. — *exsuerint* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 5. *inp.* M: *imp.* B. — 9. H. l. et infra habet *Cherusci* M. — 10. *aput* M.

17: *Germaniae deos in aspectu.* — *hoc unum*] recepta hac Horkelii et Bezzenbergeri coni. locus ab interpretibus mire vexatus mihi quidem facillimus videtur; «nunquam fore, ut Germani sat idoneas causas reperiant, propter quas ignoscant Segesti.» Contortiorem iudico Waltheri rationem: «Segestem eiusque proditionem nunquam satis idoneam fore causam, qua sese excusarent ignominiaque purgarent Germani, quod - - viderint.» — *Germanos*] scil. vere hoc nomine dignos, quibus tacite opponitur degener Segestes, idque significare volebat Grotius coniectura sua *homines Germanos*, quam probavit Kritzius *Allg. Schulzeitung* 1830. N. 16. In *hominem* nescio quam volunt inesse despicientiam. — *ignorantia*] Aliis gentibus excusatius esse, si imperio Romano non valde resisterent; etenim eas ignorare rationem imperii Romani, nondum expertas esse supplicia et saevitiam, nescire quae et quanta tributa imponere soleant: Germanis contra veniam dari non posse, si rursus iugum illud subeant. Ern. — *nescia*] passive, ut supra C. 5. *gnarum*, 2, 13. et 3, 69: *ignara.* — *delectus*] nolim cum Freinshemio explicare ex optimis electum gerendo bello, quo quidem sensu *delectus* dici poterat etiam Drusus maior atque tunc ipsum Germanicus; sed cum I. Fr. Gronovio: quem unum ex omnibus dignum Augustus putarit, ut heredem successoremque destinaret. — *patriam parentes*] Cfr. Cort. ad Salust. Catil. 6. Ern. Et sic, quidquid contra dicunt, intelligendum etiam illud Sal. Iug. 3: *vi quidem regere patriam aut parentes* cet. Tac. Hist, 5, 17: *coniugum*, *patriae*, *parentum memores.* Transiit haec formula proverbialis etiam ad ICtos. Fr. 2. de I. et I. I. I.: *parentibus et patriae parcere;* quo ex loco, ubi *parentes* praeponuntur, maxime apparet, quam absurda sit altera interpretatio. Male enim hic quoque Boetticher interpretatus est *τοὺς ὑπηκόους.* — *Colonias novas* Arminius opponit iis, quas victoria sua deleverat.

60. *sed conterminae*] Haud raro sic omittit *etiam.* C. 77. 3, 1. 27. 44. — *auctoritate*] Non quod amicus Romanis esset, sed quod vir fortis ac prudens, cuius magna apud Romanos opinio, ut recte Freinshemius explicat. Ern. — *Pedo*] postea non iam memoratur. «Credo Albinovanus Pedo, cuius fragmentum exstat de navigatione Oceani apud Senecam Suasor. 1.; est

metus. et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit. ipse inpositas navibus quattuor legiones per lacus vexit; simulque pedes eques classis apud praedictum amnem convenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit; interque caedem et praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam. ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur. (61) igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant;

3. *inp.* M: *imp.* B. — 4. Habet *eques* M, non *equos*, ut traditur apud Bekkerum. — *classes* M. Correxit Lipsius. — 5. *aput* M. — 7. *L.* M: *Lucius* B. — 11. *decebantur* M. — 15. *umido* M. — *incaedunt* M. — 16. *deformides* M. Emendavit Beroaldus.

tamen et alius Pedo Pompeius vir illustris, quem nominat Seneca in Ludo de morte Claudii sub finem. Lips. — *finibus ducit*] per fines, ut infra C. 63: *litore Oceani petere Rhenum*, supra C. 8: *ut porta triumphali duceretur funus.* — *lacus*] omnes postea haustos a sinu austrino. *(Zuydersee.)* Wolf. — *aquilam*] cfr. Ann. 2, 25. — *Amisiam - Lupiam*] *Ems*, *Lippe*. — *amnes inter*] Sic praepositiones haud raro postponit. Cfr. C. 65. 75. L. 3, 43. 49. 75. 4, 5: *Misenum apud et Ravennam.* 4, 16. 48: *hostem propter.* 6, 37. 15, 17: *Euphraten ultra.* — *Teutoburgiensi saltu*] in Lupiae ripa septentrionali inter Paderbornam et Osnabrüggium, *der Lippische Wald*, apud eruditos rursus *der Teutoburgerwald.* Varias opiniones de Varianae cladis loco complexus est atque examinavit Ukert *Germanien* p. 124. (p. 128: «*Der Teutoburger-Wald war schwerlich auf die nächste Umgebung des Teut beschränkt, sondern umfasste wohl, wie Möser (Osnabr. Gesch. I. 146.) richtig annimmt, einen grossen Theil des Osning und eine grosse Strecke des westlich davon liegenden Landes. Clostermeier (Wo Herrmann den Varus schlug. Leipzig 1822.) giebt an: «der eigentliche Zug begann bei Vlotho. Das erste Lager war bei Salzuffeln, die Römer wurden dann genöthigt, den bei Detmold sich öffnenden Pass zu durchziehen. Die Stelle des zweiten Lagers ist nicht mit Sicherheit aufzufinden. Den dritten Tag kam man bald in's Freie, bei Kreuzburg und Osterholz.»*) Opiniones de cladis loco usque ad a. 1834. a viris doctis propositas ad h. l. collegit Ruperti. — *dicebantur*] Etenim exercitus Romanus tum nondum viderat, sed per famam tantum sciebat. Male igitur Heinsius *visebantur.* Walth.

61. *principiis*] Cfr. 15, 16. Sic vocabatur medium castrorum spatium, quadratum, idem fere quod in urbibus forum, ubi auguratorium, ducis praetorium et tribunal, aquilae, signa, legatorum ac tribunorum tentoria erant; locus sacer. Hist. 1, 48. *(dimensis;* nam ad contiones habendas locus in iis esse debebat tribus legionibus sufficiens.) — *trium legionum manus*] e magnitudine ambitus et principiis ex disciplina Romana dimensis intelligebant consuetudinis castrensis periti tres legiones ibi tetendisse. Ern. V. *manus* tamen accuratius explicandum: ostentabant trium legionum opera ea castra posita esse, *die Arbeit dreier*

dein semiruto vallo, humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intellegebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. adiacebant fragmina telorum equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora. lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant. et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali contionatus Arminius, quot patibula captivis, quae scrobes; utque signis et aquilis per superbiam inluserit. (62) igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, maesti simul et infensi condebant. primum exstruendo tumulo

1. *intelleg.* M: *intellig.* B. — 3. *adiaciebant* M. — 4. *aput* M. — 6. *vinculae labsi* M. — 7. *dextera* M: *dextra* B. — 8. *invenerit; quot patibula captivis, quae scrobes; quo tribunali contionatus, utque* cet. mavolt Doederlein. Mihi in tam terribili re concitatiorem perturbatioremque orationem consulto praetulisse videtur Tacitus; plena autem esset «*quot patibula, quae scrobes* (quarum vestigia etiamtunc visebantur) eius iussu factae sint.» Or. — *contion.* M: *concion.* B. — 10. *inl.* M: *ill.* B. — 13. *extruendo* M.

Legionen. Gutmann. — *dein*] teste Dione 56, 21. Germani primum aggressi sunt Varum *κατ' ὄρη καὶ φαραγγώδη καὶ ἀνώμαλα, καὶ τὰ δένδρα καὶ πυκνὰ καὶ ὑπερμήκη ἦν. - - αὐτοῦ ἐστρατοπεδεύσαντο·* (prima castra:) - - *συντεταγμένοι μέν πῃ μᾶλλον τῇ ὑστεραίᾳ ἐπορεύθησαν, ὥστε καὶ ἐς ψιλόν τι χωρίον προχωρῆσαι, οὐ μέντοι καὶ ἀναιμωτὶ ἀπήλλαξαν. ἐντεῦθεν δὲ ἄραντες, ἴς τε ὕλην αὖθις ἐσέπεσον* (ubi multi rursus periere) - (*ἔπειτα*) *ἡμέρα πορευομένοις σφίσιν ἐγίγνετο·* dies tertius, quo castra *semiruto* illo *vallo* aliquatenus munita posuere, iuxta quae prorsus deleti sunt. Clades autem Variana, ut statuit Massmann p. XXIV., accidit 9. 10. 11. d. Septembr. a. 762. Cfr. etiam Velleius 2, 118. Florus 4, 12. — *semiruto* vocabulum imprimis a Livio usurpatum, ut 36, 24: *partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere*, collato ibi Drakenborchio. Ex constante autem Latinitatis consuetudine significat *ex dimidia parte collapsus*, a qua cur hic semel recedamus, nullam causam video. (Abundant huius usus maxime apud illum exempla; vide modo Forcellinum. Adde Liv. 31, 24, 2: *semirutae ac fumantis sociae urbis.* 32, 17, 7: *strage semiruti muri.* Rutilius 1, 228: *Index semiruti porta vetusta loci.*) Placet autem Ritteri explicatio: «vallum ex parte collapsum, quia Vari milites iam numero pauci inter metum et ingruentes hostes magna festinatione ac defatigati hoc vallum struxerant (unde mox collapsum est; alterum autem castrametationi legitimae conveniebat; ideo mansit).» Qui explicant «semiperfecto, in dimidiam tantum partem iustae altitudinis exstructo», aliud saltem exemplum afferre debebant. Minime enim huc, ut volunt, quadrat Horat. Sat. 2, 5, 21: *Unde divitias aerisque ruam, dic augur, acervum?* — *accisae*] multum iam deminutae. — *consedisse*] De secundis his castris intelligendus videtur Dio 56, 21. — *medio campi*] quod erat inter utraque castrorum loca. Walth. — *aggerata*] rursus utitur verbo Virgiliano Ge. 3, 556. Aen. 11, 79. — *ora*] Grimm *Myth.* p. 42. intelligit de equorum Romanorum tunc immolatorum capitibus abscissis, ut apud Saxonem Gr. p. 75. memoratur *immolati diis equi abscissura caput.* Equidem interpretor calvarias et hominum et equorum, quos victimas mactaverant. Nam de solis equorum calvariis v. *ora* usurpaturum fuisse Tacitum non credo. — *barbarae arae*] barbaras vocat, in quibus foedo atque immani ritu homines immolarant. Cfr. 13, 57. de Hermunduris. Germ. 9. Iornandes Getic. 5. p. 195. Murat.: *Martem Gothi semper asperrima placavere cultura; nam victimae eius mortes fuere captorum, opinantes bellorum prae-*

caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos, et praesentibus doloris socius. quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad praelia et formidolosiorem hostium credebat, neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse. (63) sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis quos per saltus occultaverat. tunc nova acie turbatus eques; missaeque subsidiariae cohortes, et fugientium agmine impulsae, auxerant consternationem; trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset. inde hostibus terror, fiducia militi; et manibus aequis abscessum. mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat; pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa; Cae-

2. *haut* M. — 5. *adtr.* M: *attr.* B. — 7. *hostes* M. — 11. *constenationem* M. — 15. *litore* M: *littore* B.

sulem aptius humani sanguinis effusione placandum. Apud Cimbros teste Strabone 7. p. 294. sacerdotes feminae captivos mactabant et e sanguine in crateram fuso suam quandam captabant divinationem. Cfr. Grimm *Mythologie* Ed. alt. p. 38. qui affert memorabilem Sidonii Apoll. locum 8, 6: *Mos est Saxonibus remeaturis decimum quemque captorum per aequales* (quia mactandos sortiebantur) *et cruciarias poenas, plus ob hoc tristi, quod superstitioso ritu necare.* — *infelici dextera*] Dio 56, 21: *ὥστε τὸν Οὔαρον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς λογιμωτάτους, φοβηθέντας μὴ ἤτοι ζωγρηθῶσιν, ἢ καὶ πρὸς τῶν ἐχθίστων ἀποθάνωσι (καὶ γὰρ τετρωμένοι ἦσαν), ἔργον δεινὸν μέν, ἀναγκαῖον δὲ τολμῆσαι· αὐτοὶ γὰρ ἑαυτοὺς ἀπέκτειναν.* *Infelici* autem explica «ipsi Varo summa in desperatione mortem afferenti;» neutiquam vero, ut volunt alii provocantes ad 2, 46: *tres vacuas legiones*, «infelici exercitus reliquiis»; quas quidem Varus, etiamsi cladi superfuisset, parum iuvisset. — *patibula*] h. l. manifesto *Galgen, gibets*, usitatissimum apud Germanos supplicium. Orosius 5, 16: *homines* (Romani) *laqueis collo inditis ex arboribus suspensi sunt* a Cimbris. — *scrobes*] in quibus Romani Germanis maxime invisi vivi defoderentur: Germ. 12. Noli cum aliis intelligere, in quas occisorum cadavera abiicerentur: etenim eorum ossa per medium campum dispersa erant: et quos mactarant vel in patibulis morte affecerant, vix sepelivere.

62. *qui aderat*] Aberat v. c. Stertinius; grata autem quadam negligentia repetitur ex initio praecedentis capitis. — *vetustissimis*] iam a Romulo in condenda Urbe servatis. Sunt cerimoniae, quae adhaerent auguratui, nec violandae erant. Cfr. Inscrr. m. L. N. 656: *Germanico Caesari Ti. Avg. F. Divi Avg. N. Divi Ivlii Pron. Avg(uri). Cos. Imperatori II.* — *adtrectare*] Suet. Cal. 3: *dispersas reliquias - - colligere sua manu et comportare primus aggressus est.* — *feralia*] Non augures solum, sed pontifices et, opinor, omnes sacerdotes arcebantur a funestis. Apparet ex facto Augusti et Tiberii, qui velo interposito mortuos laudabant. Lips.

63. *eripi*] raptim occupare atque hostes inde pellere. Mihi videtur vocabulum militare neque, uti volt I. Fr. Gronovius, e circo petitum, quemadmodum est sane in Dioclis agitatoris inscriptione apud Gruterum p. 337: *eripvit et vicit.* — *impulsae*] idem fere ac repulsae. Hist. 3, 16. *Vitellianos impulit.* Item 4, 78. — *manibus aequis*] aequo Marte, sive ut Livius 34, 47: *aequis viribus ac prope pari spe.* Sal. Cat. 39: *aequa manu.* At Romanos, si non fusos, certe cum damno aliquo

cina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. angustus is trames vastas inter paludes, et quondam a L. Domitio aggeratus; cetera limosa, tenacia gravi caeno aut rivis incerta erant; circum silvae paulatim adclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Caecinae dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii praelium inciperent. (64) barbari perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi lacessunt, circumgrediuntur, occursant. miscetur operantium bellantiumque clamor. et cuncta pariter Romanis adversa, locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis; neque librare pila inter undas poterant. contra Cheruscis sueta apud paludes proelia, procera membra, hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. nox demum inclinantis iam legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta; mersaque humo, et obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. igitur futura volvens non aliud repperit quam ut hostem silvis coërceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. nam medio montium et paludum porrigebatur planities; quae tenuem aciem pateretur. deliguntur legiones quinta dextro lateri, unetvicesima in laevum, primani

1. *monitos* superscr. *u* M. — 3. *L.* M: *Lucio* B. — 5. *adclives* M: *acclives* B. — 9. *sequi* M. — 10. Habet *nisi* M, non *nissi* Edd. Beroald Rhen. Ald. — 13. *liberare* M. — 14. *aput* M. — *proelio* (sic) M. — *haste* M. — 15. *Mox* M. — *tam* M, in mg. *iam*. — 18. *quo defectum* M. — 21. *aliut* M. — *cohercerel* M. — 24. Habet *unetvic.* M. — *levum* M.

discedere coactos e consequentibus recte notarunt viri docti. Wolf. — *Pontes longos*] *Moordamm:* eorum reliquiae superesse feruntur prope monasterium *Terapel* et *Valthe* non longe a Coevorda a silva *Weerdinger* usque ad *Ter-Haar*, in provincia *Drenthe*, Reichard *Germ.* p. 222.; aliae prope oppidulum *Ahlen* in tractu Monasteriensi. Wilhelm p. 303. Ruperti ad h. l. Ukert *Germanien* p. 181: *So weit unsere Lokalkenntnisse reichen, dürften die* pontes longi *in der Gegend von Coesfeld, Borken und Dülmen zu suchen sein.* — *L. Domitio*] Neronis imperatoris avo. Ann. 4, 44. Suet. Ner. 4. De eius expeditione, qua Albim flumen transcendit, lege Dionem Cassium in Fragmento Moreliano Lib. 55, 13. Ed. Sturz. III. p. 362. Memorabilis autem est de hoc Dionis loco disputatio Frid. Rothii a Pabstio inserto Eclogis Tacitinis. Lipsiae 1831. p. 29. — *in loco*] ipso, quo pervenerant, et ubi pontes reponendi erant: ut 4, 47: *castris in loco communitis;* item 13, 41. — *ut opus et alii*] Liv. 3, 37: *virgis caedi, alii securi subiici.* Non rara scil. exempla, in hac praesertim aetate, pronominis distributivi omissi vel in priore vel in posteriore membro. Ern. Accelerat haec omissio narrationem. Ita Hist. 3, 27: *dum ligones, dolabras et alii falces convectant.*

64. *inclinantis iam*] Ut C. 61: *accisas iam reliquias.* Germ. 8: *inclinantes iam et labantes acies.* Nec delenda particula,

ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos. (65) nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse. coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo humentia ultra. neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit. sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos iubet, clamitans «en Varus et eodem iterum fato vinctae legiones!» simul haec, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disicere obvios, proterere iacentes. plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. iuvit hostium aviditas, omissa caede praedam sectantium; enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. neque is miseriarum finis. struen-

1. *uicensimanus* M. — 3. *aput* M. — 6. *quintillium* M. — 7. *intendentes* M. — 8. Habet *reppulisse* M. — *contumatia* M. — 9. *umentia* M. — 13. *inr.* M: *irr.* B. — *et eodemque* M. W. Correxit Lipsius. (*En Varus, en, eodemque* Pichena; id quod Kiesslingio placuit. Sed in scriptore historico nimius esset hic παρένθυρσος. *En Varus et legiones, eodemque iterum fato vinctae* Doederlein. Or.) — 14. *vinctae* pr. M. Recepere Walther, B., Ritter, Doederlein. (*victae* cum corr. M. et Beroaldo Edd. ante Walth.) — 16. *disicere*] *dissicere* M, *disticere* B. — *proterrere* M. — 17. "*adversum* "*ferri* M: signa autem transpositionis alia manu alioque atramento apposita sunt. — 20. *eniseque* M.

ut suasit Ernestius, nec Med. *tam* transponendum ante v. *adversae*. — *volvens*] plene Hist. 1, 30: *comissationes et feminarum coetus volvit animo*. Sed *volvere* absolute positum Tacitus ex poëtarum more usurpavit, ut 3, 38: *bellum adversus nos volverat*. Hist. 1, 54: *mox eadem acrius volvens*. 64: *bellum volvebat*.

65. *ignes*] stationum, excubiarum, vigilum. Comparat Gronovius Statii Theb. 266: *iam male pervigil ignis*. — *interruptae*] ab ipsis vigilibus, *abgebrochene*, non ab aliis, *unterbrochene*. Doed. Hist. 5, 22. item de vigilibus: *intermisso signo et vocibus*. Post *voces* subintellige *essent*, ne colorem habeat nonnullorum emendatio *adiacere* ꝛ *oberrare*. Wolf. — *quies*] somnium, ut dicimus *per quietem videre*. Lucan. 7, 26: *Dira quies et imagine maesta diurna*. — *humentia*] qualia *uliginem* vocat C. 64. — *vinctae*] quasi vinculis a fuga impeditae. Sic Hist. 1, 79: *velut vincti caedebantur*. Agr. 32: (Romanos) *clausos quodammodo et vinctos dii nobis tradiderunt*. Liv. 5, 44: *nisi vinctos somno velut pecudes trucidandos tradidero*. Poëtica haec imago longe efficacior est quam Beroaldi *victae*. Poëticum etiam sequens *simul haec*. Stat. Theb. 2, 659: *simul haec, et crassum* cet. — *rectoribus*] Sine causa Heinsius malebat *vectoribus*, ut aeque inutiliter in Silii 17, 138: (equus) *rectorem prodidit hosti*, ubi v. Drakenb. Etiam Suet. Tit. 4: *equi rector*.

dum vallum, petendus agger; amissa magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos caeno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur. (66) forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit. tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas; quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam. simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerunt. (67) tunc contractos in principia, iussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet. unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda, manendumque intra vallum donec expugnandi hostes spe propius succederent; mox undique erumpendum; illa eruptione ad Rhenum perveniri. quodsi fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam. quae domi cara, quae in castris honesta, memorat: reticuit de adversis. equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent. (68) haud minus inquies Germanus spe cupidine et diversis ducum sententiis agebat, Arminio, sinerent egredi egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam praedam fore.

1. *perque geritur* M. Correxit Rhenanus; *geritur* praetulit Walther. — 6. *inr.* M: *irr.* B. — *gredentium* M. — 9. *praecibus* M. — 12. *pavorem esse* M. Beroaldus. Iac. Gronovius. Volgo ante Walth. et B. omittebatur *esse*. — 17. *sevitiam* M. — 21. *haut* M. — *gemanus* M. — 22. *sentiis* M.

— *agger*] Quaerenda materies (terra, caespes, lapides, stipites), ex qua agger strueretur. Dubn. — *per quae egeritur humus*] Hac παραφράσει devitare voluit rusticiora corbium ac sportarum nomina. — *tentoria manipulis*] manipulatim videlicet tentoria in castris stabant, intervallo aliquo, ut videtur, separata a proximorum manipulorum tentoriis, ideoque sine dubio manipulatim quoque coniuncta in itinere vehebantur. Walth. — *funestas tenebras*] quasi vitae finem portendentes, ut *ferales* 2, 31. Wolf.

66. *decumana*] opposita praetoriae et aversa ab hoste. Hygin. Grom. p. 77. Schel.: *Quae a cohortibus decimis ibi tendentibus decumana est appellata.* Rectius Müller *Etrusker* II. p. 126. et 150. ducit a nota numeri decem X. etiam ab Etruscis recepta; sita erat Occidentem versus, Orientem versus praetoria. — *proiectus*] Idem aliquando fecerat Cn. Pompeius adolescentulus. Plut. Pomp. 3.

67. *honesta*] dona honorifica, non tam in castris reposita quam adhuc merenda. Pichena. — *nulla ambitione*] nullius hoc favorem quaerens, sed unice fortitudinem respiciens. *(ohne Parteilichkeit* Gutmann.)

68. *incorruptam*] integram, non in paludibus aut alio modo vitiatam. Ern. (*weniger verdorben* Gutmann.) — *proruunt fossas*] βραχυλογία pro: ea fossarum margine exteriore, ad quem iis patebat adi-

igitur orta die proruunt fossas, iniciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubae concinuere. exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic silvas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur; cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim sanitatem copias cuncta in victoria habuere. (69) pervaserat interim circumventi exercitus fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti; ac ni Agrippina inpositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. tradit G. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. id Tiberii animum altius penetravit. non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri. nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tamquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari velit. potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; con-

1. *fossos* M. — *inic.* M: *iniic.* B. — 2. *roro* M. — 9. *offenduntur* M, in mg. (Beroaldi fortasse manu) *offeruntur.* Correxit Rhenanus. — 8. *ingoiomerus* M. — 13. *inp.* M: *imp.* B. — 16. *inopsa (a* puncto notatur) M. — *G.* M: *Gaius* B. — 17. *aput* M. — *poti* (sic, non *ponti)* M. — *laudis* M. — 19. *militum* M. *(militum studia quaeri* suspicatur Doederlein.) — 21. *temptet* M. — 22. *caliculam* M. — 23. *aput* M. *conpr.* M: *compr.* B.

tus, proruta terra eas expleat;» quod cum non satis intelligeret Turnebus coniecit: *proruunt* (prorumpunt), *fossis iniiciunt crates.* Tu cfr. Caesarem B. G. 7, 79: *fossam cratibus integunt atque aggere explent.* (Crates non iniiciebantur ad explendas fossas, sed ut pontis instar essent. Walth.) — *summa valli*] in opposito margine ducti, quem ad marginem expleta fossa iam sine impedimento appropinquare poterant. — *aequis locis*] *Ici tout est égal, le terrain et les dieux* Burnouf, *auf parteilosem Boden parteilose Götter* Gutmann. — *ira et dies*] rursus poëtici quid habet, quod oblitteravit Heinsius coniectans *iratis dies.* Cfr. A. 13, 15: *dissimulationem noox et lascivia exemerat.*

69. *pontem*] apud Novesium *(Neuss)* in Ubiis vel apud Vetera, ubi V. et XXI. legiones hiemabant, v. Ryck. ad h. l. Wolf. — *munia ducis - - induit*] exsequitur, eius persona suscepta. Amat, recte hoc monente Pabstio, et hunc tropum Tacitus (Ann. 12, 40. 15, 45. 16, 28. Hist. 4, 38. et 57.), et contrarium *exuere.* (Ann. 2, 72. Hist. 1, 55. 3, 42. 4, 70.) — *G. Plinius*] teste Plinio Epp. 3, 5. scripsit *Bellorum Germaniae viginti, quibus omnia, quae cum Germanis gessimus, bella collegit. Inchoavit, cum in Germania militaret, somnio monitus.* Cfr. Ann. 15, 53. Hist. 3, 28. — *non-simplices*] non sine arcano aliquo fine agitatas. — *militem quaeri*] *βραχυλογία* efficacior pro: militum studia

pressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii, odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret. (70) at Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secundam et quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente aestu quietum habuit: mox inpulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen. et opplebantur terrae: eadem freto litori campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, sarcinae; corpora exanima interfluunt, occursant. permiscentur inter se manipuli, modo pectore modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda; nihil strenuus ab ignavo, sapiens a † prudenti, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles

4. Habet h. l. *decimam* M. — 5. *P.* M: *Publio* B. — *clasis* M. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 9. *litori* M: *littori* B. — 12. *extantes* M. — 13. *subtractos* M. — In v. *solo* *o* post *l* est e correctione. — *non*] *Nox* M. — 14. *a prudenti* M: *ab rudi* cum Frehero, qui tamen male *ab rude*, et Wolfio B, *ab imprudenti* Lipsius, prob. Doederleinio, ut Ann. 4, 70. Mediceus *non prudentem* pro *non imprudentem*. — 16. *editiorae nisus* M.

conciliari, quibus quandoque contra Tiberium utatur. — *odia in longum iaciens*] metaphora sane a serendo et recondendis frugibus petita. «Odii materiam praeparans et semina invidiae spargens in animum Tiberii, quae longo tempore post se exsereret; *quae reconderet* de Tiberio intelligenda sunt et explicant vv. *in longum.*» Ern.

70. *P. Vitellio*] Pisonis postea accusatori A. 3, 10. Suet. Vit. 2. — *vadoso mari*] ubi Flevo *(Zuyderzee)* et *Wymertz* fl. mari illabitur. Reichard *Germ.* p. 188. Wilhelm *Germ.* p. 64. — *aequinoctii*] auctumnalis. — *brevia*] vadosa; refert sermonem poëticum. Virg. Aen. 1, 111: *In brevia et Syrtis.* Aen. 5, 221: *brevia - - vada.* Sic etiam Graeci. Herod. 2, 102: *θάλασσαν οὐκέτι πλωτὴν ὑπὸ βραχέων.* — *sternuntur*] ad hoc v. refer v. *iumenta*; de hominibus infra est *obruti.* Aliter distinxit Walther: *hauriuntur gurgitibus: iumenta, - - interfluunt*; id quod minus placet. — *vox et mutui hortatus*] Noli cum Wolfio *aut*; est enim *ἓν διὰ δυοῖν*, voces quibus se invicem hortabantur. Singul. *vox* de pluribus 2, 29. 4, 72. Alii sic distinguunt: *vox* ducis, tribunorum, centurionum; *mutui hortatus* militum inter se. — *sapiens a prudenti*] alterutrum sane corruptum; mihi quoque *ab imprudenti* prope probabilius videtur quam *ab rudi*, quamquam haud inscite Walther: «*ab rudi* per errorem facile potuit abire in *a prudi*, unde emendandi studio factum *a prudenti*;» nec vero mala est T. Badenii coniectura, a Bachio tamen nimis properanter recepta: *ab ruenti.* Hist. 2, 34: *Caecina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur.* Ergo corruptelam significare satius duxi. Ceterum fatendum est, v. *prudens* per se sic usurpari a Tacito 2, 23: *miles - - officia prudentium corrumpebat.* — *involvebantur*] *(hineinziehen)* in fluctus; ita quidem ut nonnulli rursus emersisse videantur. Virg. Aen. 6, 336: *quos - - Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.* — *utensilia*, *τὰ χρειώδη* Graecorum, id est, omnia quae ad victum sunt necessaria, ut 2, 60. 3, 52. 15, 39: *subvecta utensilia ab Ostia.* Walth. Minus recte Freinshemius de supellectile accepit. — *circumsidet*] quovis alio tempore

quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. lux reddidit terram, penetratumque ad amnem † Visurgin, quo Caesar classe contenderat. impositae dein legionès, vagante fama submersas; nec fides salutis, antequam Caesarem exercitumque reducem videre. (71) iam Stertinius, ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis praemissus, ipsum et filium eius in civitatem Ubiorum perduxerat. data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus inlusisse dicebatur. ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliae Hispaniae Italia, quod cuique promptum, arma equos aurum offerentes. quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem iuvit. utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibique et proelio firmabat.

(72) Decreta eo anno triumphalia insignia A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico gestas. nomen patris patriae Tiberius, a

1. *illic* M. Correxit Beroaldus. Cod. lectio, ut saepe, non deterior videtur Doederleinio. — 3. *uisurgin* (sic) M: *Unsingim* Altingio auctore B. — *classem* (*m* puncto notatur) M. — «*dein* M. Legebatur *deinde.*» Bekk. — *legeones* M. — 7. Habet *cunctantius* M. Ante Pichenam edebant *cunctatius*. — 8. *quinctilii* M. (supra non.) — *inlusisse*] *inlussis* (sic) M, *illusisse* B. — *caeterum* M. — 12. *utquae* (*a* puncto notatur) M. — 14. *proelio* h. l. M: *praelio* B. — 15. *A.* - *L.* M: *Aulo* - *Lucio* B. — 16. *C.* M: *Gaio* B.

in aliquo oppido; est enim sententia generalis neque intelligo, quomodo Doederlein explicare potuerit: «Scil. in pontibus longis, C. 65.» At illi iamiam *enisi in aperta et solida*, deinde *cuncta in victoria habuere*; ergo non iam obsidebantur. Cfr. C. 65. et 68. — *Visurgin*] In re incerta servanda erat Codicis scriptura, quam defendit Wersebe *über die Völker des alten Teutschl.* p. 35., corruptam sed ab Altingio non recte correctam censet Grimm. Plerique iam receperunt Altingii *Unsingim*, hodie *Unse* vel *Hunse* vel *Groeninger Diepe*, cuius tamen nomen Latinum nulla auctoritate antiqua nititur. Lipsii autem *Vidrum* (*Οὐΐδρου ποταμοῦ ἐκβολάς*. Ptolem. 2, 11.), etsi nimis a Cod. discrepat, probat Reichard *Germ.* p. 186., ita tamen, ut sit non *Vecht*, ut alii volebant, sed flumen, quod hodie *Wymerz* vocatur. Ukert *Germanien* p. 140. fluctuat inter flumina *Hunse*, *Vecht*, *Wymerz*, v. *Visurgin* corruptam esse non dubitans.

71. *Segimerum*] unus Velleius 2, 118. Arminium fuisse filium *Sigimeri* (sic Codex) memoriae prodidit; hic igitur Taciti *Segimerus* (idem sane nomen est) Segestis frater, ab illo diversus. Cfr. Ruperti ad C. 55. — *filium eius*] Sesithacum. Strabo 7. p. 292. — *propria pecunia*] generoso animo ductus noluit, ut unquam Galli aurum donatum Romanis, dominis suis, imputare possent. — *circumire saucios*] in tentoriis cubantes; nam tunc temporis neque medici (?) neque valetudinaria militaria erant, quorum primam mentionem facit Hyginus de castramet. (Graev. Thes. X. p. 1014.) sed sauciorum aegrotorumque militum cura ducibus, legatis, tribunis et praefectis demandabatur, et motis castris in vicos oppidave vicina deferri solebant. Ex Kühnii Programmatis XI. de medicinae milit. apud Gr. et Rom. condicione. Lipsiae 1824. Ruperti. (At medicos Leg. XI. et XXI. reperies in Inscrr. m. L. N. 448. et 4996., nec facile sine talibus expeditiones suscipi poterant.) — *adloquio*] consolatione. Vide me ad Horat. Epod. 13, 18.

72. *triumphalia insignia*] In inscrr. semper (Inscrr. m. Lat. 622. 750.) est proprium vocabulum, quo Senatus his temporibus utebatur, *triumphalia ornamenta*. Nemo iam ipsum triumphum obtinebat principi reservatum. — *nomen patris patriae*] re vera non comparet in eius in-

populo saepius ingestum, repudiavit; neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. non tamen ideo faciebat fidem civilis animi. nam legem maiestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant, si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset. facta arguebantur, dicta inpune erant. primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres pro-

1. *rupudiavit* M. — 3. *lubico* superscr. *r* M. — *dictan* M. superscr. *s*, quod ab alia manu esse videtur. Correxit Muretus. — 5. *aput* M. — *iudicum* M. — *veniebat* pr. M, dein corr. *veniebant*. — 6. *aut*] *ut* M. Correxit Beroaldus. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *spetie* M. — 9. *inl.* M: *ill.* B.

scriptionibus et nummis. Dio 57, 8: *τὸ τοῦ πατρὸς τῆς πατρίδος πρόσρημα παντελῶς διεώσατο, καὶ τὸ τοῦ Αὐγούστου οὐκ ἐπέθετο μέν (οὐδὲ γὰρ ψηφισθῆναί ποτε εἴασε) λεγόμενον δ' ἀκούων καὶ γραφόμενον ἀναγινώσκων ἔφερε· καὶ ὁσάκις γε βασιλεῦσί τισιν ἐπέστελλε, καὶ αὐτὸ προσενέγραφε.* In eius nummis tamen plerisque (Akerman I. p. 144.) atque in inscrr. (N. 687. 688. in meo *Συντάγματι*) nuncupatur *AVGVSTVS*. — *ingestum*] per acclamationem. — *in acta sua iurari*] nota hoc distingui a formula *in verba principis iurare*. C. 7. Primum illud factum a triumviris, qui Kal. Ian. a. 712. teste Dione 47, 18: *αὐτοί τε ὤμοσαν καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν, βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου* (Iulio Caesare) *γινόμενα, καὶ τοῦτο καὶ νῦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς τὸ κράτος ἀεὶ ἴσχουσιν ἢ καὶ ἐπ' αὐτοῦ ποτε γενομένοις, καὶ μὴ ἀτιμωθεῖσι, γίγνεται.* Cfr. 57, 8. Suet. Tib. 26. et 67. Lipsii Excurs. A. ad 16, 22. — *alia*] alia erant crimina, de quibus tum quaestio habebatur. Wolf. — *male gesta re publica*] maxime in bello aliquo gerendo, vel etiam in legatione. — *inpune*] solita haec apud Tacitum huius adv. constructio cum verbo substantivo. Cfr. 2, 52. 3, 28: *deterrima quaeque impune fuere.* 12, 34. Germ. 25. Totum ad locum cfr. Senecam de Benef. 3, 27: *Sub divo Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, iam molesta.* — *de famosis libellis*] quae cognitio haberi debebat ex lege XII. tabularum Tab. VIII. 1. apud Dirksen p. 733: *Si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.* Iam vero teste Cic. Fam. 3, 11: *verumtamen est maiestas, ut Sulla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret.* (*voluit* scil. in *lege Cornelia maiestatis*. Cic. in Pis. 21. de Orat. 2, 39. de Inv. 2, 17. Partitt. or. 30.) quod exemplum, ut videtur, callide secutus Augustus semel certe in Cassium Severum formula aliqua legis Iuliae de maiestate abusus est, obtendens procacibus eius scriptis imminutam esse maiestatem ac dignitatem populi Romani. (Ad consuetudinem Latinam semper mihi notabilis visa est *absentis consulis maiestas* apud Livium 31, 49.) Hoc exemplum rursus imitatus similia crimina, quibus principis *maiestas* laederetur, in cognitionem de maiestate vocavit Tiberius. Cfr. Suet. Tib. 58: *consulente praetore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercendas esse leges respondit, et atrocissime exercuit.* Seneca Benef. 3, 26. Plin. Pan. 11. — *Cassii Severi*] Cfr. A. 4, 21. Vide imprimis Weichert de Cassio Parmensi p. 199. et Meyeri *Oratores R.* Ed. alt. p. 545. — *procacibus scriptis*] Quintilianus 10, 1, 116: *Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus, qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingenii plurimum est in eo et acerbitas mira et urbanitas eius summa; sed plus stomacho quam consilio dedit.* — *redderentur*] *Iudicia reddere* vel *dare* dicitur praetor, cum potestatem agendi actionemque et iudices dat. Cfr. L. 1. D. *nautae caup. stabul.* L. 1. D. *de negot. gest.* Strombeck. — *carmina*] intelligit etiam quinque illa apud Suet. Tib. 59., quorum quartum: *Fastidit vinum, quia iam sitit*

cacibus scriptis diffamaverat, mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. hunc quoque asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum. (73) haud pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, praetentata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio obiciebat accusator quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset, quodque venditis hortis statuam

2. *legis* M. — 5. *praetemptata* M. — 7. *inr.* M: *irr.* B. Contra M. *corripuerit.* — 8. *falanio* h. l. M. — *obiciebat* M: *obiiciebat* B.

iste cruorem: Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum. Sic Paconianus in carcere ob carmina in principem factitata strangulatus est. Ann. 6, 39.

73. *haud pigebit*] Cfr. Dio 57, 9 et 19. qui τὰς τῆς ἀσεβείας δίκας vocat. — *modicis*] opponuntur *splendidis, illustribus.* (A. 2, 59.) Sic A. 11, 7: *modicos senatores.* Ceterum de equitum sub Augusto et deinde sub Caligula statu cfr. Dio 54, 30. 55, 2. 56, 27. 59, 9. Ryckius ad A. 2, 59. Marquardt *Historiae Eq. Ro. L. IV.* Berolin. 1840. p. 50. Zumpt *über die Röm. Ritter. Berlin. Abhandl.* 1839. p. 96. *gravissimum exitium*] Seneca de Benef. 3, 26: *Sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens et paene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium.* — *dein*] Lipsius explicavit sub Vespasiano et Tito: *postremo*, sub Domitiano. Quae quidem interpretatio satis arbitraria videtur neque aliter defendi potest, nisi ut dicamus saevitiae huiusce initia minus in volgus nota fuisse; haec igitur referre operae pretium Tacito visum esse; deinde quae omnibus nota essent, clementiam Vespasiani et Titi, Domitiani crudelitatem oppositionis dumtaxat causa brevissime esse significata. Alii contra, (Ryckius, Walther, Bachius, Burnouf, Doederlein, quibuscum equidem facio) utramque tempus ad Tiberium referunt, collato maxime Ann. 3, 26.; arsit autem cunctaque corripuit maxime Seiani instigatione. *Les Annales, qui finissent avec Néron, feraient-elles connaître ce qui arriva long-temps après lui?* Burn. Ad v. autem *noscatur* supple cogitatione non *toto hoc nostro Annalium opere,* sed h. l. (Probabitne autem quisquam transpositionem a Doederleinio propositam: *quibus initiis gravissimum exitium irrepserit, quanta dein Tiberii arte repressum sit:* — ?) — *cultores Augusti*] utique diversos a Sodalibus Augustalibus memoratis C. 54. Talia autem cultorum varii generis collegia passim memorantur in Inscrr. Inter meas proxime accedunt N. 738: *Cultores imaginum Domus Augustae* et N. 1662: *Cultores Domus divinae* sane ad posteriora tempora referendi. — *per omnes domos*] scil. honestiores, *in den Häusern herum* Gutmann. Duae sunt explicationes, altera Lipsii: «Circuibant domesticatim collegae, et sacrum alibi atque alibi faciebant, sparsi igitur per omnes domos, sed statis temporibus conveniebant;» Ernestii altera: «Si ita esset, unde ius et potestas modico equiti legendi collegae? evidens puto proprium collegium cultorum habuisse Falanium, et sic similiter ceteros.» — Sed si hoc sensu (quem secutus est Burnouf *dans une de ces confréries que chaque maison réunissait alors:*) *singuli* collegia habebant, unde tandem adsciscebant alios collegas? Difficultas autem, quam movit Ernestius, evanescet, ubi statuemus, Falanium hunc collegio alicui praefuisse, ita ut ad eum alios adsciscendi ius per annum spectaret. Ceterum noli cum hoc instituto, ut facit Bachius, confundere ea quae fiebant vivo etiamtunc Augusto. Ovid. ex Ponto 4, 9, 105: *Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus In nostra sacrum Caesaris esse domo.* — *corpore infamem*] Paulli Sent. 2, 26. §§. 1, 4: *infames et eos, qui corpore quaestum faciunt* cet.

Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti. quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. ius iurandum perinde aestimandum quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae. (74) nec multo post Granium Marcellum praetorem Bithyniae quaestor ipsius Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone; qui formam vitae iniit quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt. nam egens ignotus inquies, dum occultis libellis saevitiae principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnis adeptus, dedit exemplum quod secuti ex pauperibus divites,

1. *periturio* (*t* puncto notatur) M. — 2. *nomen* M. Correxit Freinshemius. — 3. *pernitiem* M. — 4. *alios ei'* (i. e. *eius*) *eiusdem* M. — 6. *effegies* M. — *numinus* pr. M. — 8. Habet *dis*, non *diis*, M. — 9. *bithiniae* M. — 11. *audatiae* M. — 13. *aput unum* M. — 14. *omnis* M: *omnes* B.

wegen Unzucht berüchtigten Gutm. 15, 49: *mollitia corporis infamis.* — *mancipasset*] cum omnibus formulis iuris Romani simul vendidisset. Dio 57, 24., de quo h. l. Lipsius et Wolfius verba faciunt, ad a. 777. de statua *Tiberii* cum domo a quodam vendita loquitur; ergo huc non pertinet. — *numen*] Hanc Freinshemii emendationem recipere non ausus erat Ernestius. «Me audentiorem facit Bentleius ad Horat. Epp. 2, 1, 15. *Violari* potest *numen*, non *nomen*. Cfr. Suet. Calig. 24: *nec unquam postea - - nisi per numen Drusillae deieravit.* Alius generis est sacramentum in nomen, de quo supra.» Wolf. — *ludis quos mater*] Suet. Cal. 56. Accurate eos describit Iosephus Antiqq. 19, 1, 11. et 13. «Credo eos esse, qui Palatini postea a loco dicti, alii ab Augustalibus, videnturque (ut prodit vel ex hoc loco) non equestres aut curules fuisse, ut illi, sed scenici. Dio 56, 46: *χωρὶς δὲ τούτων καὶ ἡ Λιουΐα ἰδίαν δή τινα πανήγυριν αὐτῷ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ Παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ δεῦρο ἀεὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται.*» Lips. — *dis curae*] Regula deinde fuit iuris Romani. Cod. 4, 1, 2: *Imperator Alexander A. Felici: iuris iurandi contempta religio satis deum ultorem habet.*

74. *praetorem Bithyniae*] Bithynia ex divisione Augusti inter eas provincias, quae senatui et populo relictae erant, testibus Strabone 17, 25. p. 840. et Dione 53, 12. et 14. (Suet. Oct. 47.); quocirca praesertim ex A. 16, 18: *proconsul Bithyniae* et ex Plinii Epistolarum Lib. X. toto iam Lipsius statuebat v. *praetorem* h. l. positum esse pro *proconsule*, et pro hac opinione afferunt A. 2, 55. 4, 15. Cic. ad Fam. 2, 17, 6: *officio quaestorio te adductum reticere de praetore tuo*, id est, de Bibulo, proconsule Syriae. Cfr. Bake ad Cic. de Legg. 1, 20: *L. Gellius, cum pro consule ex praetura in Graeciam venisset.* Item Marini *Atti de' Fr. Arv.* p. 741. Vide etiam Waltherum, cui tamen assentiri nolim suspicanti «Marcellum fuisse legatum Caesaris extra ordinem et nomine *praetoris* missum cum exercitu, ut regeret Bithyniam.» Pro impietate autem habebatur, si quaestor suum proconsulem accusabat. *Sic enim* (ut ait Cic. Div. in Caec. 11.) *a maioribus nostris accepimus praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere.* Ibid. 18: *Quoniam quaestor Verris fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare: si vero nulla tibi facta est iniuria, sine scelere eum accusare non potes.* — *Romano Hispone*] cuius declamationum Electa in Senecae Controversiis non uno loco. Lips. — *qui formam*] non

ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. sed Marcellum insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse: inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. addidit Hispo statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam, et alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. ad quod exarsit adeo ut rupta taciturnitate proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam palam et iuratum; quo ceteris eadem necessitas fieret. manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. igitur Cn. Piso «quo» inquit «loco censebis, Caesar? si primus, habebo quod sequar: si post omnis, vereor ne imprudens dissentiam.» permotus his, quantoque incautius efferverat, paenitentią patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis. de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est. (75) nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium

1. *comtemptis* M. — *pernitiem* M. — 4. *accussator* M. — 6. *inindítam* (prius *in* punctis notatum) M. — *at quot* M. — 9. *Cn.*] *CN.* (sic) M, *Gnaeus* B. — 11. *oms* cum lineola M; unde scripsi *omnis*, ut est supra: *omnes* B. — 12. *efferuerat* M. — 13. *peccuniis* M. — 14. *ads.* M: *ass.* B.

Hipponem, sed Crispinum intelligi recte monet Pichena; id patebit, si consideres sequentia: *sed Marcellum insimulabant - - addidit Hispo*. Sic etiam Ryckius, qui comparat locum similem e 15, 19. Ern. Ablativus absolutus quasi in parenthesi intercurrit. Tam subitae mutationis relationum aliud exemplum erat C. 69. extr. Wolf. — *adrepit*] Callide apud Tiberium se insinuavit, ut eius saevitia ad propria consilia obtinenda abuteretur. — *amputato capite*] ceterum id frequens illo tempore parcimoniae causa. Plinius 35, 2: *surdo figurarum discrimine capita permutantur*. Suet. Cal. 22. Dio Chrysostomus per totam Rhodiacam. — *exarsit*] ut pietatem erga Augustum ostentaret. — *laturum*] de diversis modis, quibus sententias ferre consuerit Tiberius cfr. Dio 57, 7. Cfr. 4, 21: *ut iudicio iurati senatus Cretam amoverentur*. Senatus enim atque principes in gravioribus iudiciis sententias suas iure iurando confirmare solebant. De Tiberio *iurando se adstringente* v. 4, 31. — *necessitas*] pariter iurandi. — *patiens*] «His permotus et, *quanto* incautius incendi se ira passus erat, *tanto* patientius propter poenitentiam tam improvidi motus et leniore animo tulit absolutionem rei.» Dubbn. (Constructio non ita rara apud Tacitum; sine ulla causa Ernestius et Kritzius malebant *quandoque*.) — *absolvi reum*] damnatum dicit Suetonius 58., qui iudicium repetundarum cum cognitione maiestatis videtur confudisse. — *ad reciperatores*] qui de Bithynorum petitione quaererent et, si Granius damnaretur, litem aestimarent. Cfr. Sell *die Recuperatio der Römer. Braunschweig* 1837. p. 377. — *itum est*] verbum hac in re proprium. Gaius 4, 141: *ad iudicem recuperatoresve itur*.

75. *in cornu*] Suet. Tib. 33: *magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium assidebatque iuxtim vel ex adverso in parte primori*, ubi Ernestius: *in parte primori*] «Intellige angulum alterum quemcunque» (dextrum, puto:) in parte tribunalis quadrilateri anteriore, quem Tacitus *cornu* vocat. Magistratus sedet in medio tribunalis, iudices infra tribunal. De eadem Tiberii consuetudine Dio 57, 7: *ἐπεφοίτα δὲ καὶ ἐπὶ τὰ τῶν ἀρχόντων δικαστήρια, καὶ παρακαλούμενος ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀπαράκλητος. Καὶ ἐκείνους μὲν ἐν τῇ ἑαυτῶν χώρᾳ καθῆσθαι εἴα, αὐτὸς δὲ ἐπὶ τοῦ βάθρου τοῦ κατάντικρυς σφῶν κειμένου καθίζων.* Ad v. *cornu* cfr. etiam Sidon. Apoll. 1, 11: *primus iacebat* (lecti) *cornu sinistro consul* cet. — *curuli*] absolute, ut Hist. 2, 59. Plin. Paneg. 59: *ascendere curulem*. —

preces constituta. sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. inter quae Pius Aurelius senator questus mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium patrum invocabat. resistentibus aerarii praetoribus subvenit Caesar, pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta pecuniae cupiens; quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse. tentantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in iis etiam quae rite faceret acerbus. unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.

1. *praeces (a puncto notatum)* M. — *constituta. sed*] *constituas et* M. — 2. *quaestus (a puncto notatum)* M. — 4. *praetiumque* M. — 6. *exsueret* M. — 8. *temptantis* M. — *causa* M. — *cupidioe* M. — 9. Habet *iis* M. Ante Bekkerum volgabatur *his*.

preces] Rei secum adducere in iudicium solebant homines quos poterant potentissimos (qui proprie dicebantur *advocati)*, ut auctoritate ipsorum aut precibus condemnationem evitarent. Dübn. — *veritati*] iustitiae atque iudiciorum integritati; contra *libertas* est iudicum integra religio, quae sponte sua interdum certe de nonnullis aliter quam Tiberius statuisset. Recte autem Io. Fr. Gronovius reiecit Freinshemii coni. *severitati*, probatam rursus Bakio ad Cic. de Legg. p. 276., quae hic nullam omnino habet probabilitatem criticam; etenim v. *severitati* vix unquam in alterum mutatum esset. Atque cfr. Quintil. 5. Prooem. 1: *quia iudicem a veritate depelli misericordia, ira similibusque non oporteret.* — *senator*] nullo magistratu functus, ut A. 3, 36. — *aedis*] aliter explicari nequit quam de domo urbana; ergo *moles publicae viae* est impressio *(Druck)*, quam contra illas aedes continuo faciebat via ingentibus silicibus substructa, quorum ope toleraret pondera illa enormia, quae quotidie per urbem vehebantur. Accedebant eiusdem molis aquaeductus, quibus labefactabatur eadem domus, debilitatis eius fundamentis et cum construerentur et postea ipsa impressione in eam facta. (Augusto autem imperante multa eius generis opera exstructa. Cfr. Frontin. de Aquaed. 9. aqua Iulia, Appia restituta; C. 10. aqua Virgo; C. 11. Augusta.) Sic hunc locum interpretandum duco propter iuncturam *viae* et *aquaeductus*, quamquam Freinshemius atque Wolfius prius dumtaxat membrum explicant ex Plinii Paneg. 51: *non, ut ante, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur; stant securae domus, nec iam templa nutantia.* — *aerarii praetoribus*] Dio 53, 2: πρὸς τὴν διοίκησιν δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσεν Αὔγουστος. Suet. Oct. 36: *Auctor fuit, ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transiret*; idque mansit sub Tiberio et Caio. Claudius eos abrogavit, quaestoribus hoc munere, ut antiquitus constitutum erat, mandato. Suet. Claud. 24., qui addit: *curam aerarii Saturni nunc praetura functi sustinent.* Atque sub Vespasiano Hist. 4, 9. rursus comparent *praetores aerarii*. Inspice etiam Dionem 60, 24. et locum imprimis memorabilem Ann. 13, 28. cum Lipsii Excursu. Varie autem nominantur; simpliciter *praetor aerarii* est Grut. 360, 3., *praetor ad aerarium* Inscrr. m. Lat. N. 723., in S. C. apud Frontinum de Aquaed. C. 100: *praetoribus, qui aerario praesint.* Dio l. l.: τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας. — Doederlein distinxit *invocabat, resistentibus - - praetoribus. Subvenit* cet.; ex solita tamen interpunctione clarius elucet hic sensus: «quamvis resisterent praetores, subvenit Caesar.» — *Propertio Celeri*] Is igitur fuit inter paucos illos senatores, quorum inopiam sustentavit. Suet. Tib. 47., qui deinceps idem narrat, quod h. l. Tacitus et Seneca de Benef. 2, 7: *omnes iussit reddere in senatu aeris alieni causas.* — *veniam*] excusationem, deponendi ordinis facultatem, cum censum senatorium non haberet. Dübn.

76. *Tiberis*] Cfr. Dio 57, 14. — *renuit*] *renuere* est superiorum, *abnuere* inter pares. Doederlein Synon. IV. p. 35. — *ob-*

(76) Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur. renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens. sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit. edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus

3. *sybillini* M. — *rennuit* (prius *n* puncto notatum) M. — 4. Habet h. l. *coèrcendi* M, non *cohercendi* Beroald. — 5. *L.* M : *Lucio* B. — *acchaiam* (prius *c* puncto notatum) M. — *depcantis* cum lin. super *p*, id est, *depraecantis*, M. — 8. *praesidit* M. — *in vulgus* mg. M, ubi adscriptum est *in* dumtaxat; tum Lipsius: *vulgus* omisso *in* M. W., Doederlein, *vulgo* auctoribus I. Fr. Gronovio et Wolfio B.

tegens] veritus fortasse, ne ambigui versus ex iis proferrentur, quos homines in deteriorem partem de ipso interpretarentur. Similiter Suet. Tib. 63: *vicina urbi oracula etiam disiicere conatus est, sed maiestate Praenestinarum sortium territus destitit.* — *Achaiam*] Pausan. 7, 16: *καλοῦσι δὲ οὐχ Ἑλλάδος ἀλλ' Ἀχαΐας ἡγεμόνα οἱ Ῥωμαῖοι, διότι ἐχειρώσαντο Ἕλληνας δι' Ἀχαιῶν τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προεστηκότων.* — *proconsulari imperio*] quia durius quam legatorum Caesaris in provinciis senatus populique. Dio 53, 12. Nimirum in has interdum, ubi necessarium videbatur, ut hic narratur, proconsulum vel propraetorum loco ab imperatore mittebantur, quemadmodum constat ex Inscrr. (v. Forcellinum in v. *LEGATUS* et Inscrr. m. Lat. N. 3672: *LEGATO PRO PRAETORE PROVINCIAE NVMIDIAE*, quae senatoria erat.) Hi sane, ut procuratores, accuratam totius administrationis rationem ipsi Caesari reddere debebant. «Gravius autem illud proconsulare imperium erat annuum (Dio 53, 13.) et quotannis provincialibus afferebat molestias cum adventu novi procuratoris coniunctas; Caesaris vero provinciarum praesidibus procuratio in plures annos tribuebatur. Quare Iosephus Ant. 18, 8. Tiberium continuandis legatorum imperiis pepercisse sociis et provincialibus dicit. Tum proconsulum comitatus frequentior, ornatior, splendidior, oneraque inde redundantia in provincias grandiora. Porro proconsules sorte ibant in provincias (sine dubio tamen rem semper occulte moderante Tiberio), Caesar legatos deligebat. Inde fortuiti boni praesides: hinc res pendebat e Caesaris cura. Quare Augustus cum Asiae provinciae terrae motibus afflictae succurrere vellet, misit praesidem suffragio, non sorte lectum ad biennium. Dio 54, 30. (ubi vide Criticos.) Denique Caesar plures provincias per unum legatum regebat, quibus singulis antea proconsules erant ferendi. Eaque ratione tum levabantur Achaia et Macedonia, utraque senatus provincia. Cfr. §. 80: *Prorogatur P. Sabino provincia Moesia additis Achaia et Macedonia.* (Horum pleraque excerpsimus ex Walthero. Optime autem de tota provinciarum administratione sub Augusto disputavit Hoeck *Römische Geschichte* I. p. 357. II. p. 184.) Ceterum magnificas laudes Tiberio tribuit Philo Leg. ad Caium 2. propter administrationem provinciarum, quae utique eius saevitiam haud experiebantur: *ὡς γὰρ ἐπ' οὐδενὶ τῶν πώποτε αὐτοκρατόρων ἅπαντες ἠγάσθησαν, κτῆσιν καὶ χρῆσιν ἰδίων τε καὶ κοινῶν ἀγαθῶν οὐκ ἐλπίζοντες ἕξειν, ἀλλ' ἔχειν ἤδη νομίζοντες πλήρωμα τινὸς εὐδαιμονίας, ἐφεδρευούσης εὐδαιμονίας.* — *tradique Caesari*] quod etiam factum. (Cfr. A. 5, 10: *Poppaeus Sabinus Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat.)* Ideoque Strabo, qui vixit medio Tiberii principatu, Achaiam et Macedoniam Caesarianis provinciis accensuit; aliter quam Dio, qui populi. Sed mutavit iterum Claudius, qui populo restituit. Habes in Suetonio Cl. 25. et Dionis 60, 24. Lips. — *quamquam*] levem excusationem occultat: «nimis sanguine gaudens, quamquam vili servulorum.» Mox *et* est *etiam*. Wolf. — *quod in vulgus*] Sic, vel si mavis *vulgo*, utique legendum. Qui dederunt Codicis *quod vulgus*

formidolosum, et pater arguisse dicebatur. cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant; alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu conparationis, quia Augustus comiter interfuisset. non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quamquam id quoque dictum est. (77) at theatri licentia, proximo priore anno coepta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe sed militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiae ut praetoribus ius virgarum in histriones esset. intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat. valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. de modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decer-

2. *conp.* M : *comp.* B. — 3. *hostentandam* M. — 5. *quoque*] *quod* M. Correxit Lipsius. — 6. *tum*] *dum* M. — *sed*] *et* M. Emendavit Lipsius. — 13. *uerborum* M.

ad interpretationes satis miras confugere coacti sunt, veluti «*quod vulgus formidolosum* esse dicebat, vel arguebat.» — *abstinuerit*] Dio 57, 14: *τὸν μὲν ἀγῶνα αὐτῶν οὐχ εἶδε*, nulla ratione allata. — *trahebant*] «varias ad causas referebant.» Amat hoc v. pro *interpretari*. Cfr. C. 62. 3, 37. 4, 64. 13, 47: *in contrarium trahens*. 16, 1. — *tristitia*] austeritate. Plin. 28, 2, 23: *Tiberium, tristissimum hominem*. — *comiter*] Suet. Oct. 45: *Quoties adesset, nihil praeterea agebat, seu vitandi rumoris causa seu studio spectandi et voluptate.*

77. *proximo priore*] Cic. Or. 64: *proximum superiorem*. N. D. 2, 20: *orbem proximum inferiorem*. N. D. 3, 21: *proxime superiores*. Nimirum omnes praecedentes anni sunt priores, superiores; igitur non inepte additur *proxime*. Ern. — *cohortis*] Cohors igitur praetoria in theatro ad compescendas turbas theatrales. Sic Ann. 13, 24. (fine anni 808.): *Statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis foret.* — *simulacra libertatis*] Similiter 3, 60: *Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem libertatis senatui praebebat.* — *Augustus - - responderat*] de ea re consultus. Suet. Oct. 45: *Coërcitionem in histriones magistratibus omni loco et tempore vetere lege permissam ademit, praeterquam ludis et scena* (si ibi per petulantiam delinquerent). Ex eo, quod dicit Tacitus, apparet servili poena exemptos fuisse histriones expositos civilibus carceris atque exilii. Cfr. 4, 14. 13, 28. — *neque fas*] Tiberius firmandae suae dominationis causa ipse sibi imposuerat hoc veluti sanctum officium nihil unquam in Augusti actis institutisque mutandi. Dio 57, 8: *ἐπὶ ταῖς τοῦ Αὐγούστου πράξεσι τούς τε ἄλλους πάντας ὥρκου καὶ αὐτὸς ὤμνυε.* — *lucaris*] penultima brevi, teste Charisio 1, 65. Putsch. *Lucar* merces histrionum, a lucis, qui multi circa urbem, quorum reditus destinati ad ludos et spectacula, testibus Plutarcho in Q. R. p. 285. C. (ubi scribitur *λοῦκαρ*) et Festo in v. *Lucar* p. 119. Muell. et *Pecunia* p. 253. Cfr. Suet. Tib. 34: *Ludorum ac munerum impensas corripuit mercedibus scenicorum recisis* cet. Sen. Ep. 80, 7: *Ille, qui in scena latus incedit - -, servus est:* (singulis mensibus) *quinque modios accipit et quinque denarios.* — *fautorum*] plausorum, quales iam ante duo secula mercede conducebantur, ut huic vel illi histrioni faverent, horum aemulos exploderent atque deprimerent. — *ne egredientes*] Mansit tamen et postea insanus hic mos. Plin. 29, 1, 9. de Thessalo, Neronis medico: *nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat.* Seneca Ep. 47: *ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum.* Q. nat. 7, 32. Tertull. de Spectac. p. 100. A: *admini-*

nuntur; ex quis maxime insignia, ne domos pantomimorum senator introiret; ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro spectarentur; et spectantium immodestiam exilio multandi potestas praetoribus fieret. (78) templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum. centesimam rerum venalium, post bella civilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti; simul imparem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. ita proximae seditionis male consulta, quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.

(79) Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus per quos augescit; auditaeque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis

2. *egredientes* M: *egredientis* B. — 3. *exitio* M, *exsilio* B. — Habet *multandi*, non *mulctandi*, M. — 4. *fieret* M. — 6. *centissimam* M. — 7. *depcante* cum lineola super litt. *p* M, ut supra. — 8. *pubplicam* M.

stratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, arenarios illos amentissimos, quibus viri animos, feminae autem illis etiam corpora substernunt - - -, quam magni faciunt! — *alibi*] Puto, ne domi, ne in hortis. Lips.

78. *exemplum*] «Statim ex quo exemplum a Tarraconensibus datum divulgatum est, omnes provinciae eandem adulationem imitatae sunt.» Templum illud hodieque multi Tarraconensium nummi servant, inscripti *DEO AVGVSTO*. Wolf. Ceterum Asiae saltem civitates hoc exemplo minime indigebant, quippe quae iam multis ante annis et Caesari et Augusto templa consecrassent. Cfr. 4, 37: *D. Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamenos sisti non prohibuit.* Differentia tamen ea fuit, quod Tarraconenses Augusto soli sine *συννάῳ* Roma templum struxerunt. — *rerum venalium*] auctionum, quam *post bella civilia* instituit Augustus. Cfr. 2, 42., ubi huius vectigalis vices significabimus. — *militare aerarium*] cuius inventor idem Augustus. Suet. Oct. 49. Id factum demum a. 759. Dio 55, 25., propriique huic aerario praefecti. Cfr. Inscrr. m. L. NN. 946. 1171. 1811. — *simul*] «scilicet edixit, proprio haud dubie edicto, quare comma posui.» Doed. At vero solitae Tiberii dissimulationi multo magis convenit, caput hoc occulte, ut ita dicam, insertum esse edicto de centesima venalium, ne singulari atque aperto de XX. stipendiis edicto militum animos denuo exasperaret. — *sedecim stipendiorum finem*] id est, quem *sedecim* stipendia statuunt. Sic Cic. Off. 1, 16: *vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem* cet., quem Ennius praescribit. Gronovius.

79. *Arruntio et Ateio*] quibus ambobus ea cura commissa erat. C. 76. Erant igitur hi veluti duumviri rei cognoscendae. Quod autem Dio 57, 14. narrat *πέντε ἀεὶ βουλευτὰς κληρωτοὺς ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ποταμοῦ προσέταξεν*, minime huic loco repugnat, sed refertur ad *curatores alvei Tiberis et cloacarum sacrae Urbis*, frequenter in Inscriptionibus memoratos, ut in meo *συντάγματι* NN. 1172. 2284. cet. — *verterentur*] alio, ex solito alveo in aliam partem. Duebn. Minime necessaria est Heinsii coniectura *averterentur*; etenim verbo simplici, ut saepe alibi, pro composito usus est Tacitus, narrans id agitatum esse, an fluminum cursus aliquantum mutaretur atque corrigeretur. — *flumina*] Clanis, Nar, Tinia, Faberis, Allia, Cremera, Anio. Ceterum usque ad nostra tempora aquarum illarum ac paludum damnosissimae manent difficultates. Vide Vittorio Fossombroni *Memorie idraulico-storiche sulla Val-di-Chiana. Firenze* 1789. — *Clanis*] hodie *Chiana*. Oritur apud Arretium et partim in Arnum, partim in Tiberim prope *Orvieto* effunditur. — *Arnum*] hodieque

perniciem afferret. congruentia his Interamnates disseruere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum; optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit; spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint. quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

(80) Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis Achaia ac Macedonia. id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. causae variae traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse, quidam invidia, ne plures fruerentur. sunt qui existiment, ut

1. *permitiem* (sic) pr. M. — *ante manates* (sic divise) M; ut nos mg. M, Beroaldus et seqq. Edd., *Antemnates* malebat Pichena. — 3. *deductus* M. — 5. *obtume* M. — 9. *praeces* M. — 10. *concederet* M. Correxit Lipsius. (*concederent* (patres) mavolt Doederlein). — 11. Habet *ac* M. Ante Wolfium edebant *et*. — 13. *istem* M. — 15. *fuerentur* M.

Arno. — *Interamnates*] Sic recte Beroaldus. *Interamna* enim (hodie *Terni*) Umbriae oppidum ad *Narem (Nera)* situm; unde in Inscr. Interamnae reperta apud me N. 3210: *L. DEPIO CVRATOR ALVEI ET RIPARVM NARIS.* Pichenae contra Antemnates, incolae oppidi in Sabinis, iam a Romulo, ut tradunt, capti et in civitatem Romanam recepti (Liv. 1, 11.), hic locum non habent. — *Reatini*] a *Reate*, *Rieti.* — *Velinum*] inter Reate et Interamnam, hodie *Piè di Luco* s. *lago delle Marmore.* Cic. ad Att. 4, 15, 5: *Velinus lacus a M'. Curio emissus in Narem defluit, ex qua est illa siccata et humida tamen modice Rosea.* Varro R. R. 1, 8, 10: *Roseae campi in agro Reatino*, Italiae sumen *dicti a Caesare Vopisco.* Idem valebat de Interamnatium campis. — *lucos et aras*] Cfr. Plin. Epp. 8, 8. de *Clitumno* deo eiusque cultu. — *patriis amnibus*] «quorum cultus a maioribus traditus sit posteris, per quorum regionem fluunt.» Sic Ernestius; contra Doederlein: «potius patriam suam perfluentibus.» Illud tamen praefero, cum hic de eorum cultu agatur.

80. *Poppaeo Sabino*] avo materno Poppaeae Sabinae, Neronis pellicis. Cfr. etiam A. 5, 10. 6, 39. 13, 45. De eo ad a. 787. Dio 58, 25: ἥδιστα προαπηλλάγη πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν. — *morum*] Idem illi moris fuit in privatis quoque rebus. A. 4, 6. — *exercitibus*] sub legatis Caesaris. C. 76. — *iurisdictionibus*] procuratorum eiusdem sine exercitibus. — *causae variae*] Non omnes enumerat Tacitus. Suet. Tib. 41. ignaviam et negligentiam rei publicae (id quod tamen dumtaxat de ultimis Tiberii annis valere videtur), Iosephus Ant. Iud. 18, 8. honestiorem multo, studium placendi sociis et provincialibus. Ern. Dio denique 58, 23. tradit id esse factum ἀπορίᾳ τῶν διαδεξομένων αὐτούς, scilicet satis idoneorum; voluntas certe plerisque haud defuisse credibile est. — *semel placita pro aeternis servavisse*] Eandem morosam constantiam retinuit etiam in typo eodem denariorum aureorum et argenteorum inde ab a. 768. usque ad mortem servando. Vide Eckhel D. N. VI. p. 188. — *mandaverit quibusdam*] Cfr. Suet. Tib. 63. — *quos egredi*] Pingitur ambiguitas consilii. Mandavit quibusdam provincias, quos sive metu sive aliqua alia causa Romae retinere antea statuerat. Multi haec perperam interpretantur. Wolf. — Cfr. A. 6, 27. Dio 58, 19. de talibus: ἔργῳ μὲν μηδενὸς αὐτῶν δεόμενος, λόγῳ δὲ δὴ τιμᾶν αὐτοὺς προσποιούμενος.

callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. qua haesitatione postremo eo provectus est ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.

(81) De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius orationibus reperiuntur. modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intellegeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent. speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

1. *virtutis* M. — 2. *sibi sibi* sine interpunctione M. — 4. *quibustdam* M. — 8. *aput autores* M. — Habet h. l. *sed* M. — *repperiuntur* M. — 10. *intelleg.* M: *intellig.* B. — 12. *aput* M. — 14. *in spetiosa* M. — 16. *seruitium. FINIT P. CORNELI LIB. I. ‖ INCIPIT LIBER. II.*

81. *tum primum*] secundo anno Tiberii, quo primum designavit consules; nam proxime priore destinaverat Augustus. *Deinceps* intellige de reliquis annis eiusdem Tiberii, non de successoribus eius. Cfr. Dio 58, 20. Wolf. — *aliquando*] An igitur privatim aliquando candidatos suos commendare satis habuit, in senatu vero ignarum egit, simulacrum praebens liberae electionis? Nimia hercle brevitas. Wolf. Probabilior videtur Doederleinii explicatio: «Unde igitur coniecturam de principis voluntate facere poterant patres, cum nihil prorsus significabat Caesar? Per ipsos credo candidatos, qui non sibi deessent, quin curam sibi Caesaris promissam iactarent palam ac divulgarent.»

ANNALIUM

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Initia belli Parthici. Phraates, Vononis pater. 2. Vonones popularibus invisus. 3. Ab Artabano pulsus, ad Armenios profugus. 4. In Armenia mutatio regum. 5. Germanicus invidia Tiberii revocatus Germanos confestim aggredi parat. 6. Classis eius. Rhenus. 7. Irruptio in Chattos. Ara Drusi restituta. 8. Fossa Drusiana. Amisia. In rebelles Angrivarios animadversum. 9. Arminii cum fratre colloquium. 10. Inde ira et iurgium. 11. Visurgim transeunt Romani. Batavorum discrimen. Chariovalda caesus. 12. Germanicus militum animos explorat. 13. Transfugis praemium pronuntiatum a Germanis, mox castris Romanis adsultatum. 14. Germanici somnium. 15. Eius et Arminii orationes ad suos. 16. Locus pugnae, campus Idistaviso. Acierum instructio. 17. Faustum augurium. Fuga Germanorum et clades. 18. Tropaeum positum. 19. Quo dedecore accensa gens bellum resumit. 20. Acriter pugnatum. 21. Vincunt tandem Romani, quamquam ambiguo equitum proelio. 22. Monumentum et titulus rerum magnificus. 23. Milites classe revecti. 24. Ex tempestate calamitas et paene exitium. Recollecti naufragi. 25. Hac fortuna erectos denuo Germanos aggreditur Germanicus caeditque, simul aquilam Varianam recipit. 26. Tum rebus infectis avocatur a Tiberio. 27. Libo Drusus ab amico delatus. 28. Accusatus in senatu. 29. Cum patronos non reperiret, 30. nec tam sceleris quam vecordiae convinci posset, novo iure servos torqueri in suum caput vidit. 31. Iam frustra orato principe Libo se ipse confecit. 32. In defunctum sententiae senatorum. Astrologi et magi ex Italia pulsi. 33. Luxus publicus leviter coërcitus, quem defendit Asinius. 34. Pisonis libertas, Urgulaniae potentia. 35. De rebus proferendis certamen in senatu. 36. Asinii sententia de comitiis, a Tiberio reiecta. 37. 38. Hortali levamentum inopiae suae poscentis orationem aspere excipit Tiberius, tamen liberis eius nonnihil largitur. 39. Clementis servi facinus. Is Postumum Agrippam se mentitus principi curam iniicit, 40. sed Sallustii Crispi dolo captus occiditur. 41. Romae dedicantur nova opera.

Anno proximo triumphat Germanicus. 42. Archelaus rex Cappadocum in urbem accitus perit. 43. Oriens turbatus committitur Germanico; Pisoni, feroci homini, Syria. 44. Drusus in Illyricum missus, Suevis contra Cheruscos auxilium petentibus. 45. Ita inter se discordes Germani accinguntur ad pugnam. Arminii ad suos oratio. 46. Marobodui item ad suos. Atrox proelium. Maroboduus pro victo. 47. 48. Terrae motus in Asia. Eo afflictos sublevat Tiberius, in alios non minus liberalis. 49. Templa quaedam dedicata. 50. Varilia maiestatis postulata. 51. De praetore substituendo contentio. 52. Tacfarinatem et Mazippam bellum in Africa moventes fundit Camillus. Triumphalia ei decreta.

53. Germanici varia itinera. 54. Consulit in reditu Clarium Apollinem. Oraculi ratio. 55. Piso et uxor Plancina Germanicum insectantur; etiam castra corrumpunt. 56. Germanicus Armeniae regem, Cappadociae et Commagenae legatos imponit. 57. Pisonis insolentia in congressu, consilio, conviviis. 58. Vonones Syria demotus.

59. Germanicus Aegyptum petit, improbante Tiberio. 60. Canopus. Thebae priscae. 61. Statua Memnonis, Pyramides et alia. 62. Germanorum discordia, astu Drusi. 63. Maroboduus vi Catualdae pulsus confugit ad Romanos. Eadem mox fortuna Catualdae. 64. Rhescuporis, Cotye fratris filio oppresso, Romanam divisionem egressus, illius partem appetit. 65. Ipso per fraudem comprehenso universam Thraciam occupat. 66. Hinc vocatus ad caussam dicendam Cotyn occidit. 67. Romam perductus et damnatus. 68. Vonones fugam tentat; at deprehensus confoditur. 69. Germanicus aegrotat, scelere, ut creditur, Pisonis, 70. cui amicitiam renuntiat veteri more. 71. 72. Mandata familiaribus ultione datisque coniugi monitis moritur. 73. Alexandro M. comparatus et praelatus. 74. Sentius Syriae praeficitur. 75. Agrippina properat in urbem. 76. Pisoni Germanici casu exsultanti reditum in Syriam dissuadet filius; 77. 78. suadet contra Domitius Celer, ac persuadet. 79. Piso vim parans in successorem Sentium obviam fit Agrippinae. 80. Castellum occupat, aciem struit: sed pellitur a Sentio. 81. Tandem tutum ei iter Romam conceditur. 82. Ibi magna ob necem Germanici ira et luctus. 83. Honores viro decreti. 84. Livia

Druso gemellos parit. 85. Scita in libidinem mulierum. Pulsa sacra Aegyptia et Iudaica. 86. Capta Vestalis. 87. Frumento pretium constitutum. Novos honores aversatur Tiberius. 88. Arminii caedes et praeconium.

Haec gesta annis quattuor, Coss. T. Statilio Sisenna Tauro et L. Scribonio Libone, C. Caelio Rufo et L. Pomponio Flacco, Ti. Caesaere Augusto III. et Germanico Caesare II, M. Iunio Silano et C. Norbano Flacco.

(1) Sisenna Statilio Tauro L. Libone consulibus mota Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur. is fuit Vonones, obses Augusto datus a Phraate. nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat, partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei popularium diffisus. (2) post finem Phraatis et sequentium regum ob internas caedes venere in urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononem vetustissimum liberorum eius

1. *Ab excessu diui Augusti. Sisenna* M. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lineola M. — 4. *datus aprahate. nam prahates* M, ut est in plerisque Codd. etiam Horatii aliorumque scriptorum. Ut nos, edunt inde ab Ernestio. — 8. *prahatis* M.

1. *petitum Roma*] Suet. Oct. 21. de Parthis: *pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobaverunt.* — *Arsacidarum*] De tota hac stirpe consule Vaillant Arsacidarum imperium, Parisiis 1728. Sainte-Croix de imperio Parth. in Oberlini Tacito II. p. 867. Richter *hist. krit. Versuch über die Arsaciden. Leipzig* 1804. Visconti *Iconographie grecque* III. p. 43. seqq., quem in his potissimum secutus sum. — *Vonones*] sive Arsaces XVIII. — *obses*] Strabo 16, 1, 28. Titio, Syriae praesidi, *τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρισεν ὅμηρα - -, Σερασπαδάνην καὶ Ῥωδάσπην καὶ Φραάτην καὶ Βονώνην* (duorum priorum memoria superest in Inscrr. m. Lat. N. 628.) *καὶ γυναῖκας τούτων δύο καὶ υἱεῖς τέτταρας δεδιὼς τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιθεμένους αὐτῷ.* Vell. 2, 94. — *Phraates*] huius nominis quartus, Orodis I. filius. Cfr. Iustin. 42, 5, 6. Strabo 16, 1. — *depulisset*] a. u. 718. deleverat exercitum Oppii Statiani, Antonii legati. Plut. Ant. 38. Dio 49, 25. — *venerantium officia*] Locutio est huic aetati propria. Dial. de Or. 29: *ambitio salutantium.* Agr. 4: *illecebrae peccantium.* Wolf. *Officia* autem illa erant restitutio signorum atque captivorum ex tribus Romanorum cladibus pacta a. u. 734., unde Augusti nummi cum inscriptione *SIGNIS RECEPTIS.* Cfr. Mon. Ancyr. ed. Chishull p. 176. et 204. et novum eius fragmentum apud Hamilton *Researches in Asia minor* II. Tab. 102: *Πάρθους τριῶν στρατευμάτων Ῥωμαίων σκῦλα καὶ σημείας ἀποδοῦναι ἐμοί, ἱκέτας τε φιλίαν δήμου Ῥωμαίων ἀξιῶσαι ἠνάγκασα· ταύτας δὲ τὰς σημείας ἐν τῷ Ἄρεως τοῦ ἀμύντορος ναοῦ ἀδύτῳ ἀπεθέμην.* Vell. 2, 91. Suet. Oct. 21. Dio 53, 33. 54, 8. — *diffisus*] Olim hic afferebant locum Dionis 55, 11. ex vulgata lectione, in qua *Φραάτης*, sed nunc ex Sturzii lectione ibi est *Φρατάκης*, de simili huius diffidentia in suos.

2. *finem Phraatis*] a. u. 753. — *sequentium regum*] Phraatacis et Orodis II. a Parthis occisorum. Iosephus Ant. 18, 2. — *in urbem*] ad Augustum. Refertur huc locus Suetonii Tib. 16: *Data* (Tiberio a. 757.) *rursus potestas tribunicia in quinquennium; delegatus pacandae Germaniae status; Parthorum legati, mandatis Augusto Romae redditis, eum quoque adire in provincia iussi.* — *primoribus*] quos *megistanas* vocat A. 15, 27. Suet. Cal. 5. — *Vononem*] in unico eius nummo, qui Parisiis exstat, *ΟΝΩΝΗΣ*. Regnum adiisse dicitur a Vaillantio a. u. 758. vel 759. — *vetustissimum*] scilicet etiamtunc viventium, ut vult Freinshemius et Viscontius III. p. 96. Quamquam *vetustissimus* per se significat natu maximum, quod quidem ita verum esse addubitavit Lipsius, quia Strabo 16, 1, 28. Vononem ordine quartum posuisset. Sed Wolfius, «Strabo», inquit,

accirent. magnificum id sibi credidit Caesar, auxitque opibus. et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia. mox subiit pudor, degeneravisse Parthos; petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum; iam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi darique. ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? accendebat dedignantes et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine, fastuque erga patrias epulas. inridebantur et Graeci comites, ac vilissima

1. *accipere* M. Pro infinitivo historico habet Doederlein; sed merus est librarii error alteram perfecti formam ignorantis, uti C. 7. pro *fecere* dedit *facere*, C. 80. *venire* pro *venere*, et sic persaepe. Emendavit iam Beroaldus. — 2. Habet *subiit* M. Ante Bekkerum edebant *subit*. — 7. *venatu* bis posuit M, sed alterum sex punctis subnotatum est. — 9. *inr.* M: *irr.* B.

«hunc Vononem quartum quidem ponit ordine; an aetate nemo dixerit; nec sciebat ipse fortasse.» — *opibus*] comitatu, pecunia, alia pompa instruxit regium in morem. Lips. Sic Ann. 6, 32: *Tiberius ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium.* — *alio ex orbe*] Universus terrarum orbis tum in Romanos et Parthos divisus videbatur. Muretus. — *inter provincias Romanas*] Lipsius affert locum Hegesippi in oratione Agrippae regis 2, 9: *Persarum superba audimus imperia, sed eorum quoque obsides vidimus; et cum ipsi pluribus nationibus imperent, offerunt liberos suos et nobilitatem suam. Servire Romanis gaudent pro fide pacis, simul ut serviendo discant suis imperare. Offerunt vestes, monilia, elephantos, quodque Romanis visum tributorum genus imponere.* — *Antonium*] maxime illa Statiani, legati eius, clade. — *diversus a maiorum institutis*] «*Il est curieux d'observer comment ce prince, élevé en Occident, s'éloignoit des usages orientaux même dans les types de ses monnoies. On y voit d'un côté l'effigie de Vononès, dont la légende offre le nom ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΝΩΝΗΣ; sa tête est ceinte du diadême; ses oreilles sont ornées de boucles; mais il n'a point la coiffure médique des Arsacides. La figure de la Victoire est le type du revers; et la légende ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΝΩΝΗΣ ΝΕΙΚΗΣΑΣ ΑΡΤΑΒΑΝΟΝ est d'un style dont on ne trouve aucun exemple dans la numismatique des rois.*» Visconti. Manifesto refertur ad *primum* illum *congressum* mox memoratum. — *venatu*] *Regum regem et exercitatione venandi et convictu megistanum abstinuisse*, luctus signum teste Suet. Cal. 5. — *segni equorum cura*] Iustin. 41, 3: *Equis omni tempore vectantur; illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt* cet. — *fastu*] invidiose de contemptu. — *epulas*] Quae magnam partem carnibus ferinis constabant. Iustin. 41, 3: *Parthi in cibum parci.* Megistanibus autem ille praeferebat Graeculos suos, philosophos puta et rhetores scurras. — *utensilium*] Etsi h. l. Bachius interpretatus est de supellectile, accipe ut 1, 70. ceterisque Taciti locis de penu ac vino. — *clausa*] expresso in cistis signo anuli signatorii, Romano et Graeco more, qui, ne servi furarentur, vel panem obsignabant. Duebn. Festive Plautus Persa 2, 3, 15: *Isti parcipromi, qui salinum servis obsignant cum sale.* Et Ciceronum mater lagenas etiam inanes obsignabat. Q. Cic. ad Fam. 16, 26. — *obvia*] *entgegenkommende*, ut Quintil. 8, 4, 24: *obvia eius voluntate.* — *nova vitia*] per explicationem: virtutes Vononis, quia ignotae ante Parthis in regibus, pro novis vitiis habebantur. Ern.

3. *Artabanus*] huius nominis tertius. Cfr. Iosephus Ant. 18, 2. p. 875. — *e sanguine*] materna origine. A. 6, 42., ubi vide, cur apud Dahas adultus sit. — *Dahas*] Scytharum populum ad mare Caspium, nunc *Dahistan.* Ad Dahas, Hyrcanos, Bactrianos propter communem originem Parthorum (Strabo 11, 10. p. 515.) Arsacidae expulsi refugere solebant. Cfr. 6, 44. 11, 8. — *reparat vires*] fuga nimirum capta ad montes Mediae, auctore Iosepho Ant. 18, 3. — *infida*] aeque et Parthis et Romanis. Cur

utensilium anulo clausa. sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia; et quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis. (3) igitur Artabanus Arsacidarum e sanguine apud Dahas adultus excitur, primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden regem Armeniorum specie amicitiae inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quam-

1. Habet *anulo*, non *annulo*, M. — 2. *maioribus* M. Emendarunt Muretus et Lipsius; errorem praetulit Walther. — 3. Habet *Artabanus* M, non Beroaldi *Arthabanus*. — *aput* M. — 5. *pathorum* M. — 7. *spetiae* (*a* puncto notatum) M. — *inl.* M: *ill.* B.

Parthis infida fuerit pro noto omittit, properans statim ad scelus Antonii. Wolf. Parthos scilicet oderant ob metum, ne ab his subigerentur. — *Artavasden*] Tigranis filium. Cfr. Strabo 11. p. 524. et 530. Plutarch. in Crasso p. 554. et in Antonio 50. p. 939. Dio 49, 25. 31. 33. 39. Hic Antonium in Oppii Statiani infelici expeditione Parthica deseruisse visus, fallacibus ab eo litteris excitus, in vinclis habitus et in triumpho Alexandriam ductus est. — *catenis*] argenteis primum in castris et aureis in triumpho. Cfr. Dio 50, 1: *Ἀντώνιος τὸν Ἀρμένιον ἐξαπατήσας καὶ συλλαβὼν καὶ δήσας πολλὴν τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων κακοδοξίαν προσετέτριπτο.* Vell. 2, 82: *Antonius Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit.* a. u. c. 720. — *postremo interfecerat*] non statim post triumphum. Post pugnam demum Actiacam Cleopatra, ut auxilia ab Artavasde, Medorum rege, impetraret, caput cognominis Artavasdis Armenii ad illum misit. Dio 51, 5: *τὸν Ἀρμένιον ἀποκτείνασα, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ τῷ Μήδῳ, ὡς καὶ ἐπικουρήσοντι σφίσι διὰ τοῦτο, ἔπεμψεν.* a. u. c. 724. — *Artaxias*] Dio 49, 39: *οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες* (Armenii) *Ἀρτάξην τὸν πρεσβύτατον τῶν παίδων αὐτοῦ βασιλέα ἀνθείλοντο.* A Iosepho Ant. 15, 5., ut a Tacito, vocatur Artaxias. — *nobis infensus*] Hinc teste Dione 51, 16. Octavianus a. 724. *τῷ Ἀρτάξῃ τοὺς ἀδελφούς, καίπερ αἰτήσαντι, οὐκ ἔπεμψεν, ὅτι τοὺς ὑπολειφθέντας Ῥωμαίους ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ ἀπεκτόνει.* Ceterum cfr. etiam Dio 49, 44. — *occiso Artaxia*] Differt Iosephus Ant. 15, 4, 3: *Ἀρταξίαν Ἀρχέλαος καὶ Νέρων Καῖσαρ ἐκβαλόντες Τιγράνην τὸν νεώτερον ἀδελφὸν ἐπὶ τὴν βασιλείαν κατήγαγον.* Dio 54, 9. Velleius 2, 94., ubi consule Kritzium. Scilicet uterque scriptor rem confusius tradit. Tum vide me ad Horat. Epist. 1, 12, 26. Cum Tacito satis congruit Augustus ipse in Monumento Ancyrano (in Oberlini Tacito II. p. 847. vel in Wolfii Suetonio II. p. 575.) atque melius nunc in Graeco apud Hamilton *Researches in Asia minor.* London 1842. II. Inscr. 102. et Franz in Gerhard *archaeol. Ztng.* 1843. p. 19: *Ἀρμενίαν τὴν μείζονα ἀναιρεθέντος τοῦ βασιλέως δυνάμενος ἐπαρχίαν ποιῆσαι, μᾶλλον ἠβουλήθην κατὰ τὰ πάτρια ἡμῶν ἔθη βασιλείαν Τιγράνῃ, Ἀρτουάσδου υἱῷ, υἱωνῷ δὲ Τιγράνου βασιλέως, δοῦναι διὰ Τιβερίου Κλαυδίου Νέρωνος, ὅς τότε μου πρόγονος* (privignus) *ἦν.* (a. u. c. 734.) Suet. Tib. 9. — *nec Tigrani*] Ad hanc C. 3. partem cfr. rursus Monumentum Ancyranum et Hamiltonianum integrius, quod post vv. supra exscripta ita pergit: *καὶ τὸ αὐτὸ ἔθνος ἀφιστάμενον καὶ ἀναπολεμοῦν δαμασθὲν ὑπὸ Γαΐου τοῦ υἱοῦ μου βασιλεῖ Ἀριοβαρζάνει* (sic), *βασιλέως Μήδων Ἀρταβάζου υἱῷ, παρέδωκα* (a. u. c. 755.), *καὶ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἀρτουάσδῃ, οὗ ἀναιρεθέντος Τιγράνῃ, ὅς ἦν ἐκ γένους Ἀρμενίου βασιλικοῦ τις, τὴν βασιλείαν ἔπεμψα.* Cfr. Augusti nummum apud Arneth II. p. 40. N. 94: *ARMENIA CAPTA*, et N. 95., in quo expressa est Armenia flexum genu submittens. Vide praeterea Norisii Cenot. Pis. Diss. 2. C. 9. p. 169.

quam sociatis more externo in matrimonium regnumque. (4) dein iussu Augusti inpositus Artavasdes, et non sine clade nostra deiectus. tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur. is Ariobarzanen, origine Medum, ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere; tentatoque feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique et magis sine domino quam in libertate, profugum Vononen in regnum accipiunt. sed ubi minitari Artabanus, et parum subsidii in Armeniis, vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Suriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu et regio nomine. quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

(5) Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. at ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior,

2. *inp.* M: *imp.* B. — *C.* M: *Gaius* B. — 3. *ariobarzanen* M, ut supra est *Artavaden* et mox v. 6. *Vononen*, contra p. 73, 9. *Vononem*. Inde a Lipsio hic edunt *Ariobarzanem*. — 5. *adsumpto* M. — 6. *tempt.* M. — 7. *uononen* M: *Vononem* B. — 9. *si nos aui* M. Correxit Beroaldus. — 10. *Syriae* M. Sic aliquoties; saepius tamen *Suria*, quam scripturam Bekkerum secutus ubique exhibui. — Habet *Silanus*, non *Sillanus* (Ber. Rh.), M. — 14. *spetiae* M. — 16. *caelerandae* M.

Graev. atque imprimis Visconti *Iconographie grecque* III. p. 305., cuius dilucidam harum rerum enarrationem dabimus in Excursu I. ad finem huius libri.

4. *C. Caesar*] filius naturalis Agrippae, adoptivus Augusti, in reditu ex illa provincia mortuus a. u. c. 757. Cfr. supra 1, 3. — *Artabanus*] qui Oroden filium regem eis dedit. Duebn. — *defenderetur*] Vonones. Id. — *in loco*] infra C. 68. Similiter Hist. 4, 64: *suo loco*. Ann. 1, 58: *in tempore*.

5. *novis provinciis*] Accurate; non enim uni provinciae praepositus, sed omnibus, quae in Oriente, sive ut C. 43., quae mari dividuntur, cum imperio proconsulari. Ern. Ceterum totum hunc Tiberii dolum adversus filium ita interpretatur adulator Velleius 2, 129: *Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias!* — *intentior*] omisso, ut saepe, v. *tanto*. Exempla attulit Bachius 1, 2. 4, 69. 6, 21. Hist. 3, 18. 58., qua quidem ellipsi lectorem minime impediente concitatiorem reddebant orationem illius aetatis rhetores. — *praeliorum vias*] Lallemand, Wolfius, Duebner proprie intellexerunt: «cogitare, quibus viis hostem ad pugnam eliceret»; vel ut Walher: «in animum revocare et reputare vias, quas usque ad id tempus erat secutus in expeditionibus adversus Germanos.» Malim equidem cum aliis tropice: «cogitare, quae via ac ratio praeliorum ineunda esset; totum belli consilium meditari;» ut 1, 54: *alia Tiberio morum via*. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 6: *omnes vias pecuniae norunt*. pro C. Rabirio 5: *omnes seditionum vias*. Liv. 38, 18: *Deam Romanis viam belli et victoriam dare*. Thucyd. 1, 122: *ὑπάρχουσι δὲ καὶ ἄλλαι ὁδοὶ τοῦ πολέμου ἡμῖν*. — *tertium iam annum*] A. 764. Germanicus primum cum imperio profectus est contra Germanos. Dio 56, 25. Romam reversus anno insequente consulatum gessit, bello Germanico iam tum ab Augusto destinatus. Dio ibid. 26. Ad quod bellum a. 766. profectus est et inde tres anni sunt computandi. Nam ante consulatum nullo tum praelio hostem vicerunt Romani nec quidquam memoratu dignum fecerunt. Dio 56, 25. Walth. — *iustis*

tractare praeliorum vias, et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent. fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis, paludibus, brevi aestate et praematura hieme; suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum adfici; fessas Gallias ministrandis equis; longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. at si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam, simul bellum maturius incipi, legionesque et commeatus pariter vehi; integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore. (6) igitur huc intendit, missis ad census Galliarum P. Vitellio et C. Antio. Silius et Anteius et Caecina fabricandae classi praeponuntur. mille naves sufficere visae properataeque, aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent; plures adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent; multae pontibus stratae, super quas tormenta veherentur, simul aptae ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citae remis,

2. *prosperae* (*e* puncto notatum) M. — 4. *adf.* M: *aff.* B. — 5. *oport.* M. — 10. *P.* M: *Publio* B. — *C. Antio* Ursinus: *cantio* M, *Gaio Antio* B. — 12. *brevis* M. — 13. *adp.* M: *app.* B. — 14. *utrimque* M: *utrinque* B. — *repetente* M. Correxit iam Beroaldus. — 15. *adp.*] *adb.* M, *app.* B. — *super quis* mavolt Doederlein. Non male; ac si hoc idem Lipsius olim coniecisset, fortasse iamdudum esset receptum. Quodsi tamen Tacitus scripsit *super quas*, cogitavit de futura harum navium destinatione, antequam earum aedificatio ad terminum perducta esset; inde accusat., motûs casus.

locis] Male *aequis* coniecit Broterius. *Iusta loca* sunt idonea ad pugnandum; talia sunt aequa, plana. Wolf. Adde patentia, silvis non vestita, non paludibus infesta; breviter, ubi iusta acies instrui potest. — *damno armorum*] unde 1, 71. *ad supplenda exercitus damna* etiam *arma* a Galliis cet. oblata sunt. — *possessionem*] occupationem, *Besitznahme*, ut Agr. 18: *cuius insulae possessione revocatum.* Liv. 33, 41: *in nova possessione regni.* «Cursu maritimo Romanis facile fore praeoccupare hostilem agrum, aequa loca ad Visurgim seu *media in Germania*, inscils incolis, qui classem, antequam illuc appulisset, ipsis supervenire haud animadvertissent.» Hoc enim significat *ignotam*, improvisam, necopinatam. — *integrum*] viribus, non fessum longis et impeditis itineribus. Doederlein.

6. *census Galliarum*] 1, 31. — *C. Antio*] Probabilis sane est haec Ursini correctio pro Cod. *Cantio*. Grut. 50, 9. Inscrr. m. Lat. N. 1415: *DEO MERCVRIO ET ROSMERTE* (sic enim legendum) *C. ANTIVS TITI FI. EX VOTO.* Antemoduni Lingonum. Et in nummo Morel. I. p. 17: *RESTIO C. ANTIVS. C. F. Sentio* malebat Freinshemius ex C. 74. — *breves*] opponit *longis navibus*, id est, triremibus. Lips. — *planae carinis*] Caesar B. G. 3, 13. de Gallorum navibus: *carinae aliquanto planiores quam navium, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent.* — *utrimque*] ex prora et ex puppi. Similes, quas *camaras* vocat, describit Hist. 3, 47. Suidas: *Τινὰ δὲ πλοῖα καὶ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώρας ἑκατέρωθεν πηδαλίοις ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἀπόπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν.* Lips. — *hinc vel illinc*] Iunge cum v. *adpellerent* vel prora vel puppi, non, ut alii volunt, cum v. *converso*. — *pontibus stratae*] Est pro simplici adiectivo *κατάφρακτοι*, *σεσανιδωμέναι*. Nominantur etiam *tectae*, iisque opponuntur *apertae*. Liv. 31, 22. et 46. — *super quas*] quibus, in quibus navibus. Ernestii suspicio *super quos* nequaquam est necessaria. — *aptae*] Est: «et vehendis tormentis aptae et fe

augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. insula Batavorum, in quam convenirent, praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens; verso cognomento Vahalem accolae dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque inmenso ore eundem in Oceanum effunditur. (7) sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Chattos facere iubet: ipse audito castellum Lupiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo

1. *spetiem* M. — *batuorum* M. (infra *bataui.*) — 2. *adp.* M: *app.* B. — 3. *oportuna* M. — 4. *aput* M. — 7. *placidor* superscr. *i* M. — *adfl.* M: *affl.* B. — *uahalaem* M. Correxit Beroaldus. — 8. *inm.* M: *imm.* B. — 10. *inr.* M: *irr.* B. — *chatos* M. — 11. *flumine* pr. M. — *adp.* M: *app.* B.

tendis equis. Wolf. — *augebantur*] Faërnus et Muretus malebant *agebantur*, quod v. non convenit ultimis *in speciem ac terrorem*. Sensus est: «cum accederet etiam militum alacritas, augebatur species ac terror totius classis.» Ern. — *insula Batavorum*] Cfr. Hist. 4, 12. Germ. 29. atque iam apud Caesarem B. G. 4, 10. Plin. 4, 15: *nobilissima Batavorum insula*. Est tractus, cuius fines constituunt Rhenus proprie dictus, Vahalis, Mosa, Oceanus. Wilhelm *Germanien* p. 104. — *praedicta*] ante constituta. Corn. Nep. Them. 7, 9: *collegis praedixit, ut ne prius legatos dimitterent* cet. — *copiis*] militibus, non, ut aliis visum, commeatui. — *transmittendum*] bellum transmittere, ut Ovid. Met. 12, 25: *Permanet — Nereus violentus - - Bellaque non transfert.* Plin. Paneg. 12: *Danubius - - duratus glacie ingentia tergo bella transportat.* Burnouf: *pour envoyer la guerre sur un autre rivage.* — *circumveniens*] exquisitius dictum pro «circumfluens, complectens.» Cfr. Bake ad Cic. de Legg. p. 472. — *placidior adfluens*] Eadem constructione dicitur, qua Virg. Ge. 4, 373: *In mare purpureum violentior effluit amnis*, ubi Cod. Toll. e gloss. *violentius*. — *Vahalem*] nunc *Waal*, Gallice *Wahal; Mosa, Maas, Meuse.* — *eiusque*] non, ut volunt nonnulli, vocabulo vel nomine appellatus, sed «Mosae ore,» ut patet ex Hist. 5, 23: *spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit.* Rectius Plinius 4, 15, 29: *insulae inter Helium et Flevum. Ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alveum.* Cfr. etiam Caesar B. G. 4, 10. Strabo 4, 3.

7. *castellum Lupiae*] a Druso conditum, Aliso, hodie *Elsen* sive *Alsen*. Vide infra C. extr. Vellei. 2, 120. Ibi *ὅ τε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων* (Aliso fl., *Alme*) *συμμίγνυνται.* Dio 54, 33. Cfr. Ukert *Germanien* p. 439. — *duxit*] Ernestius malebat *ducit* propter praecedens v. *iubet*. Sed hanc temporum mutationem amat Tacitus. C. 20: *tradit - - instruxit.* 1, 39: *imperat - - recepitque*, ubi *recipitque* frustra Rhenanus. Tali autem variatione concitatior fit oratio. — *Arpi*] Nusquam alibi hic memoratur. — *aram Druso sitam*] in eius honorem ac memoriam, eo fortasse loco, ubi vita decessit *πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν*, Dio 55, 1., sane prope Alisonem; non, ut alii volunt, a Druso exstructam. Differt autem a cenotaphio Druso ad Rhenum, Moguntiaci excitato. Dio 55, 2: *τιμὴν κενοταφίου πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών.* Eutrop. 7, 13. Suet. Claud. 1: *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent;* hoc vero eo loco, de quo Tacitus, prope Lupiam fl. fieri non poterat; *veterem* autem vocat, quia Drusus iam a. 745.

duxit. neque Silio ob subitos imbres aliud actum quam ut modicam praedam et Arpi principis Chattorum coniugem filiamque raperet; neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus eius dilapsi. tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud visum. et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita. (8) iamque classis advenerat, cum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus, fossam cui Drusianae nomen ingressus, precatusque Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. classis Amisiae relicta,

1. *aliut* M. — *predam* M. — 2. *chatorum* M. — 3. *opsessores* M. — *faecere* M. — 12. *amissiam* M. Nihil superscriptum. Mox habet *amisiae*.

decesserat. (Aliud rursus monumentum Claudius ei Ravennae exstruxit, ad quod quotannis rosas deferre debebat collegium fabrum municipii Ravennatis. Vide titulum a Lipsio allatum Inscrr. m. Lat. N. 706. et 707.) — *decucurrit*] Descriptiones funebris huius honoris vide apud Virg. Aen. 11, 188. Lucan. 8, 735. Stat. 6, 213. Lips. Atque cfr. Herodian. 4, 2, 19. in *ἀποθεώσεσιν* imperatorum *πᾶν τὸ ἱππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλῳ μετά τινος εὐταξίας καὶ ἀνακυκλώσεως πυῤῥιχίῳ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ.* Exemplum talis decursionis exhibet basis columnae Antonini Pii, quam descripsit Vignolius Romae 1705. Oberl. — *castellum*] Male Vertranius et Walther interpunctum volebant: *castellum, Alisonem* (fluvium), *ac Rhenum. Aliso* est ipsius castelli nomen, quod in confluentibus Lupiae et Alisonis fl. positum, teste Dione 54, 33. Vellei. 2, 103: *ad caput Lupiae fluminis hiberna. Caput Lupiae* putant esse hodiernum *Lippsprung*, id est, Lupiae fons, prope *Elsen*, Taciti *Aliso*, et *Neuhaus*. Post cladem Varianam a praesidio Romano relictum est. Vellei. 2, 120.; quo ex loco cum Taciti verbis collato consequitur, id castellum a Germanico in prioribus expeditionibus praesidio rursus instructum fuisse, ut notavit Ritter. Adde C. v. M. (id est, von Müffling) *Ueber die Römerstrassen am rechten Ufer des Niederrheins, von dem Winterlager* Vetera *ausgehend zur Veste* Aliso, *über die* Pontes longi *zu den Marsen und der niedern Weser. Berlin* 1834. Alb. von Bardeleben *Zweifel und Ansichten über die örtliche Lage des von Drusus im Jahre* 11. *vor Christus erbauten Castells an der Lippe.* *Cassel* 1839. Deycks *Museum des Rheinisch-Westphälischen Schulmänner-Vereins.* II. 3. p. 335.

8. *Drusianae*] Suet. Claud. 1: *Drusus trans Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quas nunc adhuc Drusinas* (sic) *vocantur.* De hoc plurali Wolfius: «Sic alii (Mela 2, 5.) *fossam* in Gallia *Marianam*, alii (Plin. 3, 4.) *fossas Marianas* appellant, non ut augeant rem, sed ex solo usu Latinitatis, ut in opere paullo maiore.» — Haec autem fossa Rhenum et Ysseliam coniunxit et has aquas in Flevum lacum *(Zuydersee)* per ostium orientale perduxit. Wilhelm *Germanien* p. 64. Ukert *Gallien* p. 154. — *eadem ausum*] Nam et Drusus navibus conseruit in Amisia fl. vicitque Bructeros. Strabo 7. p. 290. Lips. Dio 54, 32. de Druso: *ἔς τε τὸν Ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο κτλ.* — *lacus*] ut 1, 60.; at hodie unus, quod mare meridionale appellant. Pomponius Mela 3, 2: *Rhenus - - iam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur.* — *Amisiae*] oppidum vel castellum ad Amisiam flumen, *Ἀμάσεια* Ptolemaeo 2, 11. Wilhelm *Germanien* p. 153. habet pro portu ad laevam Amisiae ripam, non longe a *Delfzyl*, ex adverso Emdae hodiernae; Reichard *Germanien* p. 64: *Emsbüren*, Ukert *Germa-*

laevo amne; erratumque in eo quod non subvexit. transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus ilico Stertinius cum equite et armatura levi igne et caedibus perfidiam ultus est. (9) flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit. erat is in exercitu, cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. tum permissum, progressusque salutatur ab Arminio; qui amotis stipatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent postulat, et postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. illo locum et proelium

1. *subvexit transposuitque* quasi cum Beroaldo Doederlein; at est Ritteri coniectura, ab hoc iam recepta. — 3. *adcr.* M: *accr.* B. — 6. *angriuoriorum* M. — 7. Habet *ilico* M, non *illico*. — 8. *flum* cum lin. M. Litterae *ui* proximi vocabuli sunt in rasura. — 11. *conl.* M: *coll.* B. — Ter habet *flauus*, non *flavius*, M. — 12. *diberio* superscr. *T* M. — *permissu* M. — 15. *fratrum* M. — *proelium* M: *praelium* B.

nien p. 435. rursus prope *Delfzyl* collocat. — *laevo amne*] ea ripa, quae ad Rhenum et insulam Batavorum spectat, ut dextrae terrae in dextra Amisiae ripa inter hanc et Visurgim. — *erratum in eo, quod non subvexit*] in fluminis alveo usque ad locum idoneum, ubi militem e navibus ipsis in ripam ipsam exponeret. *Subvehere*, ἀνάγειν, adverso flumine vehere. Suet. Cal. 16: *inde* (Ostia) *Romam Tiberi subvectos*. Walth. *Pourquoi Germanicus ne débarqua-t-il sur la rive droite, où devait agir son armée? C'est, sans doute, parce qu'il n'y trouvait point d'abord ni de station pour ses navires, comme il en eût rencontré s'il avait remonté le fleuve plus haut.* Burnouf. — *transposuit*] quia militem non subvexerat, coactus est eum transponere per pontes in ripam dexteram. Ritteri *transposuitque* et critica probabilitate caret et totum locum obscurat. Tacito multo convenientius hoc ἀσύνδετον· «sed (contra) transposuit,» unde etiam ceteris verbis praeponitur, quia praecipua ei inest vis. Verbum autem *transponere*, traiicere, transducere, aeque sane usurpari poterat et de navibus et de pontibus. — *iturum*] qui tamen ire debebat. Scilicet his vv. exponit, qua in re erratum sit. — *pontibus*] aut per enallagen dictum, ut apud Suetonium *fossae Drusinae*, aut etiam pontes super aestuaria et paludes facti, ut placet Cluverio (item Wolfio ac Walthero), sed illud melius. Sic C. 11. *pontes in Visurgi*. Plancus (apud Cic. ad Fam. 10, 23.) dicit se *pontes*, *quos fecerat in Isara*, interrupisse; atque is unus fuit ipso teste Ep. 18, 4. Ern. Quidni tamen intelligamus de pluribus pontibus παραλλήλως effectis, ut tantus exercitus celerius quam per unum transduceretur? Opportune Doederlein affert Hirt. Bell. Gall. 8, 14: *Caesar pontibus palude constrata, legiones transduxit.* — *aestuaria*] *Seitengewässer* Gutmann. Vim vocis explicat Liv. 10, 2: *stagna irrigua aestibus maritimis*, hic fluvii exundatione. — *in parte ea*] in auxiliorum agmine, non, ut volebat Brotierius, in aestuariis illis. — *Angrivariorum*] utriusque Visurgis ripae accolarum. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 108. Ibidem et ad flumina *Hunse* atque *Aller* eos collocat Ukert *Germanien* p. 388. Non memorantur nisi a Tacito (Germ. 33.) et a Ptolemaeo, Ἀγγριουάριοι. Nominis memoria superesse videtur in ducatu *Engern*, Westphaliae parte. Utrum iam Varianae cladis tempore Romanis cum Chaucis fideles manserint, an praecedenti Germanici expeditione anni proxime prioris iis conciliati,

referente, quodnam praemium recepisset exquirit. Flavus aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, inridente Arminio vilia servitii pretia. (10) exin diversi ordiuntur, hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam; neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae, libertatem avitam, penetralis Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. paulatim inde ad iurgia prolapsi quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrens plenum irae armaque et equum poscentem Flavum adtinuisset. cernebatur contra minitabundus Arminius, proeliumque denuntians. nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset. (11) postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Caesar, nisi pontibus praesidiisque inpositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit. praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius,

2. *inr.* M: *irr.* B. — 3. *praetia* M. — 7. *adf.* M: *aff.* B. — 8. *gurgia* M. — 10. *adc.* M: *acc.* B. — 11. *proel.* M: *prael.* B. — 12. *interiacebat* M. — 15. *inp.* M: *imp.* B. — 16. *primilliarium* M. Correxit Beroaldus.

non liquet. — (Mannert *Germanien* Ed. II. 1820. p. 82. non, ut ait Doederlein, ante vv. *Metanti castra* quaedam excidisse ratus est; sed propter rerum gestarum minus accuratam notitiam Tacitum nonnulla transiisse nec satis clare exposuisse. Atque meminisse debemus, vix aliter fieri potuisse, quam ut talia in exteris ac prope ignotis regionibus gesta interdum admodum incerta remanerent, quia nec in actis senatus neque in diurnis neque in ducum epistolis atque commentariis Taciti iam temporibus prorsus exacta eorum exstabat expositio.

9. *Flavus*] Haec Cod. lectio unice vera; *cognomentum* enim hoc ei fuisse tradit Tacitus; *Flavius*, quod olim vulgabant retinuitque Walther, gentilicium est nomen, quod is gerere non poterat; nam, etsi Arminius *iure civitatis Romanae ius equestris gradus consecutus erat*, teste Velleio 2, 118., idem de hoc eius fratre nusquam memoratur; et, si vel maxime fuisset civis Romanus, a *Flavio* nescio quo hoc eum nomen accepisse quis credat? E capillorum autem colore Germanorum proprio illud cognomentum ei inditum videtur. — *insignis fide*] Etenim *fidem adversus Romanos, volentibus Germanis, sumpserat.* Ann. 11, 17. — *fide et amisso*] Nota singularem compositionem per breviloquentiam; est enim: «quam fidem oris deformitas ipsa satis clare testabatur.» Cfr. Roth ad Agr. p. 277. — *tum*] (quod Muretus deletum volebat) reditum a digressione de Flavo ad narrationem de Arminii precibus indicat, ut 11, 31. 12, 33. Doed. — *vilia*] ex Arminii fratrem irridentis, non ex ipsius solius Taciti iudicio.

10. *diversi*] «Uterque causas suas et consilia proferre coepit, diversa inter se et contraria.» Wolf. Sic sane apud Liv. 32, 38: *Achaiae, regionis ab se* (Philippo) *diversae*, id est, aversae atque inimicae. At malim equidem explicare cum Walthero *ἐναντίοι*, ex adverso, e regione sibi stantes. Posuit hoc, quo evidentius redderet horrendum illud fratrum inimicorum spectaculum; adversarios autem eos fuisse tota ex narratione iam satis patebat. — *in deditionem venienti*] «Si frater cum popularibus suis, saltem suo cum comitatu (*mit sinen man*) Romanis sese subiiceret.» Prorsus generalem esse sententiam: «cuicunque in deditionem venienti,» Balbo et Burnoufio non credo. — *penetralis*] Cic. de N. D. 2, 27: *Dii Penates - - etiam penetrales a poëtis vocantur.* Seneca Phoen. 340: *Facibus petite penetrales deos.* Oed. 265: *iuro - - perque penetrales deos.* Ex-

distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. qua celerrimus amnis, Chariovalda dux Batavorum erupit. eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere: dein coorti et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Chariovalda diu sustentata hostium saevitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos inrumpens, congestis telis et suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertinio Aemilioque subvenientes periculo exemere. (12) Caesar transgressus Visurgim, indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae; convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram, ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides, et cernebantur ignes; suggressique propius speculatores audiri fremitum equorum inmensique et inconditi agminis murmur attulere. igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat. tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem; si contio vocetur, illic quoque, quae pauci incipiant, reliquos adstrepere. penitus

1. *deducerent* M. Correxit Rhenanus in Castigg. — *cellerrimus* M. — 2. Habet *chariovalda* utrobique M, non *Cariovalda* Waltheri. — 3. *circumlectam* M. — 6. *fringerent* M. Correxit Lipsius; *effringerent* mavolt Doederlein, id quod non magis Latine dicitur quam Germanice *Schaaren erbrechen, aufbrechen.* — *ipse in*] *ipsis* M. Correxit Beroaldus. — 7. *inrupens* (sic) M: *irr.* B. — 13. *inm.* M: *imm.* B. — 14. *propinquos* (*s* puncto notatur) M. — 16. *sepius* M. — 17. *servilla* M. — *contio* M: *concio* B.

quisitius est pro *dis patriis* (1, 59.) et hoc quidem loco variandi causa positum, quia praecessit *fas patriae.*

11. *Chariovalda*] dumtaxat h. l. memoratur. — *saltibus*] Ablativus est, non dativus, ut alibi assolet, v. c. Liv. 36, 30: *circumiectum templo agrum.* Saltus planitiem cingebant, non planities saltus. — *saevitia*] vehementia, impetu, ut 1, 67. Ern.

12. *silvam Herculi sacram*] Taciti locos de Germanorum lucis *prisca formidine sacris* (Germ. 39. Claudian. Stilich. 1, 228: *lucosque vetusta Religione truces:*) collegit Grimm *Mytholog.* Ed. II. p. 61. De Germanorum Hercule (Germ. 3. et 9. Tabula Peuting. *Castra Herculis* prope Noviomagum. Widukind Corbeiensis 1, 12: *Thuringi effigie columnarum imitantes Herculem.*) cfr. Grimm *Myth.* p. 337. Ipse interpretatur heroëm *Irmin.* De *Hercule Saxano* (Inscrr. m. Lat. N. 2006. seq. N. 3478.) cogitandum non esse scite idem perspexit. Ceterum intelligunt saltum montemque hodie appellatum *Bückelberg* aut *Süntelgebirge* prope Hamelam, cuius in cacumine (*Hohenstein*) repertae sunt veteris arae reliquiae (*Trudenstein*). Ruperti. Wilhelm *Germanien* p. 48. Ukert p. 137. — *incorruptum*] sincerum ac vero prorsus congruum, ita ut nullo pacto falleretur. — *adstrepere*] cum incondito clamore temere approbare. — *militaris cibos*] Iosephus Bell. Iud. 3, 5, 3: *οὔτε γὰρ δεῖπνον ἢ ἄριστον ὁπότε θελήσειαν αὐτεξούσιον ἑκάστῳ, πᾶσι δὲ ὁμοῦ.*

13. *egressus augurali*] In castris Romanis ad dextram praetorii partem auguraculum erat, ubi duces auspicarentur et ex pullis auguria captarent; quod Graecis *οἰωνιστήριον* est. Hyginus gromaticus *de Castramet.* Ed. Schel. Amstelod. 1660. fol. a, 3: *auguratorium* (Tacito *augurale*) *parte dextra praetorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit; parte laeva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper*

noscendas mentes, cum secreti et incustoditi inter militaris cibos spem aut metum proferrent. (13) nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui, cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria per iocos eundem animum laudibus ferrent, reddendamque gratiam in acie faterentur, simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo, voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges; accipere omen, et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare. tertia ferme vigilia adsultatum est castris, sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere. (14) nox eadem laetam Germanico quietem tulit; viditque se operatum, et sanguine sacro respersa praetexta, pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse. auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat contionem, et quae sapientia praevisa aptaque imminenti pugnae, disserit. non campos modo militi Romano

1. *cum secreti*] *consecreti* M. — Habet *militaris* M. — 3. *umeros* M. — 4. *ads.* M; *ass.* B. — 13. *peccunias* M. — 14. *ads.* M: *ass.* B. — *conlectu* M. — 16. *sacri* M. Correxit Beroaldus. Illud restituere W. et Doederlein, quasi vero Tacitus h. l. inutilem affectationem sectatus esset. — *res tersa* (divise) M. — 18. *cont.* M: *conc.* B.

ascendat et exercitum felici auspicio alloquatur. Ex praetorio igitur non rectâ egressus est, sed, quo minus a militibus animadverteretur, clam ex auguratorio. — *ferina pelle*] Vitavit volgare *rhenonis* (sic enim scribendum videtur ad analogiam v. *rhedae*, non *renonis*) Germanici illius et Gallici tegumenti *(Wildschur)* vocabulum. Scilicet Germanicus videri volebat gregarius miles auxiliaris, Batavus, ut opinor. — *per seria per iocos eundem animum*] Egregie opponuntur haec Tiberii perpetuae simulationi, dissimulationi, tristitiae. — *ruptores pacis*] Sic Cheruscos appellat, quia Vari legiones, duce perfidia decepto, rupta pace trucidaverant. — *sestertios*] ad monetae Romanae usum apud Germanos cfr. Germ. 5: *Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque.* — *matrimonia*] Similiter Suet. Caes. 51: *Caesarem ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse* cet. — *tertia - vigilia*] Veget. 3, 8: *In quattuor partes* (ternarum horarum) *ad clepsydram sunt divisae vigiliae.*

14. *operatum*] Hac significatione solitum hoc participii tempus. Horat. C. 3, 14, 6: *Prodeat iustis operata sacris*; id est, operatura; quo tempore usus est Iul. Obsequens 72. Liv. 10, 39: *dum hostes operati superstitionibus consilia secreta agunt.* Curt. 8, 36: *rex per decem dies Libero Patri operatum habuit exercitum.* Cfr. Brissonium de Formulis. Ed. Lips. 1754. p. 17. — *praetexta*] Quintil. Declam. 340: *ego vobis allego etiam illud ipsum sacrum praetextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus; quo infirmitatem pueritiae sacram facimus.* — *auctus*] laetitia ac fiducia. — *praevisa*] I. Fr. Gronovius requirebat *provisa*, hoc recepto eundem, quem Freinshemius, sensum statuens: «quae commoda quasque opportunitates ad futuram pugnam providentia sua comparasset.» Recte Wolfius ex Wopkensio: «Nullum in tota contione Germanici verbum est, quo commoda a se parata aut quidquam providentia sua curatum memoret. Ut potius sese parent futurae neces-

ad proelium bonos, sed si ratio adsit, silvas et saltus: nec enim inmensa barbarorum scuta, enormis hastas inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina. denserent ictus, ora mucronibus quaererent: non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis et fucatas colore tabulas; primam utcumque aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela. iam corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum abire, fugere; pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum, neque bellum ultra, modo se, patris patruique vestigia prementem, isdem in terris victorem sisterent. (15) orationem ducis secutus militum ardor, signumque pugnae datum. nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari, hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus

1. *proelium* M: *praelium* B. — *ads.* M: *ass.* B. — *inm.* M: *imm.* B. — 4. Habet *denserent* M. — 6. *tenuis et fucatas* Cod. Mediceus, Rhenanus, Lipsius, Pichena, Ryckius, Iac. Gronovius: *tenuis fucatas* Oberlinus, Bekker, Walther, Ritter, Doederlein, operarum errore diu propagato. — *utcumque* M: *utcunque* B. — 10. *memoris* M. — 13. *sisterrent* M.

sitati, milites suos hortatur, ea disserens, quae sapienter praeviderat et animadverterat usui futura.» — *haberi*] geri, tractari, ut *habilis gladius* (Liv. 7, 10.) qui facile tractari potest, εὐμεταχείριστος. Ern. — *tegmina*] C. 21. militi Romano *scutum* pectori *appressum*. — *galeam*] Cfr. Germ. 6. — *nervo*] corio, ut Sil. Ital. 4, 293: *subtextaque tegmina nervis*. Ut saepe, ex rhetorica illius aetatis indole vitavit vocabulum humile et abiectum. — *viminum*] Sic Aduatici utebantur *scutis ex cortice factis aut viminibus intextis*. Caesar B. G. 2, 33. — *fucatas colore*] unde postea, media quam dicunt aetate, principum equitumque insignia *(Wappen)* orta. Sic Frisii scuta habebant fusca *(braun)*, Saxones rubra. *Asegabuch* 7, 10. apud Pabstium p. 53. — *utcumque*] Agr. 39: *cetera utcunque facilius dissimulari*. Verte *allenfalls noch* (Doederlein), *höchstens* (Gutmann), *après tout* (Burnouf). — *praeusta*] igne durata. — *impetum*] Germ. 4: *magna corpora et tantum ad impetum valida*; *laboris atque operum non eadem patientia*. — *patris patruique*] Drusi et Tiberii. — *sisterent*] exquisitius hoc quam *redderent*; inest enim stabilis atque certae victoriae notio. Comparant Virg. Aen. 3, 117: *Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris*, quod tamen admodum differt.

15. *signumque pugnae*] Caesar B. G. 2, 20: *vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret*. — *hos esse Romanos*] contemptim: «hos, quibuscum pugnandum sit, esse eosdem illos Romanos, tali nomine vix dignos.» Similiter Quinctius Flamininus suos alloquitur apud Liv. 33, 8: *cum iisdem Macedonibus pugnaturos, quos ad Epiri fauces - - expulissent*. — *induerint*] Acerbe, quasi diceret, «se seditione armaverint.» Doedern. Amat hoc v. Tacitus pro *suscipere*, *inire*. — *vulneribus*] in foeda fuga acceptis, non, ut vult Ritter, e centurionum verberibus, quae vibices, non vulnera efficiunt. Aeque contemptim Hist. 5, 16. Cerialis de Batavis: *superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant*. — *boni spe*] Arbitror Tacitum dedisse *bona spe*: sic semper, quod sciam; nunquam *spes boni*. Ern. At cfr. Wolfium ad Pseudocic. post red. in Sen. 5: *Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo?* H. l. est «praemii atque utilitatis spe.» — *avia Oceani*] «occulte per Oceanum eos navigasse.» Insolentior sane iunctura sequentibus vv. explicatur. — *premeret*] acriter persequeretur. Doedern. —

terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis dis obiciant, nulla boni spe. classem quippe et avia Oceani quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. meminissent modo avaritiae, crudelitatis, superbiae: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium? (16) sic accensos et proelium poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, deducunt. is medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique

1. *tergu* cum lineola M, unde ediderunt *tergum* usque ad Wolfium, qui recte Mureti et Pichenae *terga* recepit. — In v. *fractos* litt. *o* ex corr. in M. — 2. *obic.* M: *obiic.* B. — 3. *praemeret* (per compendium) M. — 5. *aliut* M. — 6. *proelium* M: *praelium* B. — 7. *idista viso* divise M. Ingeniosissima est Iacobi Grimmii, viri summi, coniectura, verum huius campi nomen fuisse *Idisiaviso* a prisco voc. Germanico *Idis*, *Nympha*, genit. plur. *Idisia*, *Nympharum*, et *uiso* nom. singul. campus, pratum, hodie *Wiese*. Esset igitur Nympharum pratum; quodsi verum est *Idistaviso*, hoc significat campum (herba et floribus) quam maxime nitentem, *Schimmerwiese*, *Glanzwiese*, *amoenissimum pratum*, ut prius exposuerat Grimm *Gramm. Einl.* p. XLII. ab antiquo *id*, *nitens*, eiusque superlativo *idista*. — 8. *ripe* M. — *caedunt* M. — 11. *proeliantibus* M: *praeliantibus* B.

miscuerint manus] Sic Agr. 36: *miscere ictus*. Lucan. 6, 80: *Maior cura duces miscendis abstrahit armis*. — *aliud*] Saepissime abest particula interrogandi, ubi aperta est interrogatio: doctorum sedulitatem et certamen iure mirere. Wolf. Nimirum excidisse putarunt *nihil*, *non*, *nec*, *haud*, *quid*.

16. *Idistaviso*] Nominativus. Locus nunc incertus. Planitiem intelligit Wilhelm *Germ.* p. 164., quae est inter Hausbergam, Vennebeccam et Holtrupam; alii aliter. Grimm in Commentario *Ueber zwei entdeckte Gedichte aus der Zeit des deutschen Heidenthums. Berlin* 1842. p. 5. et *Mythologie* Ed. II. p. 372. legens *Idisiaviso* explicat *Nympharum pratum*, quae *Idisi*, Nymphae humanorum fatorum potentes, similes videntur *Matribus* et *Matronis* persaepe memoratis in Inscrr. m. L. NN. 2074. seqq. 2077. seqq. Carminis autem ipsius verba haec sunt: *Eiris sâzun idisi*, *saezun hera duoder*, *suma hapt heptidun*, *suma heri lezidun* cet., id est: *Olim sedebant Nymphae*, *sedebant huc atque illuc; Aliae vincula vinciebant*, *aliae exercitum morabantur*; similes itaque virginibus illis fatalibus, quas appellant *Walküren*. — *cedunt* - - *resistunt*] Tolerari nequit Waltheri expositio: «V. *ripae* accipe in dativo; qui *cedunt* sunt *colles*; *prominentia montium* sunt, quae *resistunt*.» Manifesto v. *ripae* (nomin. plur.) opponuntur *prominentibus montium*, uti v. *cedunt* verbo *resistunt*. Quocirca nec satis recta videtur Doederleinii ratio, ex qua utrumque fere idem esset: «*Resistunt*,» inquit, «procurrere desinunt, antequam attingant ripam, non *obsistunt*. *Inaequaliter* campus *sinuatur*, dum modo flumen cedit, occidentem versus se flectens, modo montes, plerumque prominentes, minus prominent ideoque orientem versus sinum campi efficiunt.» Equidem cum Freundio probo Ernestii interpretationem: «*Cedere ripae fluminis* sive flumen ipsum dicitur, cum sinum facit aversum a campo (sane occidentem versus): *montes resistere* (ne flumen orientem versus sinuetur), cum longius prominent in campum.» *Montes* autem accipio pro homonymo v. *colles*, quod variare voluerit scriptor; Ritter vero suo arbitratu de sinistra fluminis ripa, cuius montes hic illic prominentes impedirent, ne fluvius campis in dextra parte sitis ubique cederet. Frustra Freinshemius volebat *ripae flumini*; ripae cum flumine cedunt campo, ut fiat latior. — *silva, editis* cet.]

in fronte, post quos pedites sagittarii; dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar; exin totidem aliae legiones et levis armatura cum equite sagittario, ceteraeque sociorum cohortes. intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret. (17) visis Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. interea pulcherrimum augurium, octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere. exclamat, irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina. simul pedestris acies infertur, et praemissus eques postremos ac latera impulit. mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant. medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur; inter quos insignis Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam. incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorumque et Gallicae cohortes signa obiecissent. nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. quidam adgnitum a Chaucis inter auxilia Ro-

4. *ads.* M: *ass.* B. — 7. *tergaue* M. Correxit Lipsius. — *adf.* M: *aff.* B. — 10. *nuina* M. — *pedestres* M. — 15. *callicae* M. — 17. *adgn.* M: *agn.* B.

Proinde silva abietum et pinuum. Dübn. — *praetoriis cohortibus*] Roma missis, ut propria Germanici custodia fungerentur. — *intentus paratusque*] Quasi formulae speciem habet haec iunctura. Sal. Cat. 27. Liv. 30, 10. — *adsisteret*] «ut ordo agminis, quando agmen sisteretur, aciem statim formaret neque opus esset talem tunc demum instruere.» (De incessu huiusmodi insignis est locus Sal. Iug. 49. Gron.) Cfr. C. 19: *hic pedes adstitit.* Ex oppositione clarius etiam patefiet sensus. Liv. 33, 9: *phalanx* (Macedonica) *agmen magis quam acies, aptiorque itineri quam pugnae.* 35, 28: *inconditum agmen et tantummodo aptum viae.*

17. *advertere*] Liv. 1, 12: *adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculi viri.* Tac. Hist. 3, 48: *advertit ea res Vespasianum.* Aliter Ann. 12, 51: *Zenobiam advertere pastores.* — *legionum numina*] Hist. 3, 10: *mox conversus ad signa et bellorum deos.* Dionys. Hal. 6, 45. de aquilis: τιμιώτατα γὰρ Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατείας, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζεται. Liv. 26, 48: *obstringere periurio non se solum suumque caput, sed signa militaria et aquilas sacramentique religionem.* Lips. Plin. H. N. 10, 3, 4: *Romanis aquilam legionibus C. Marius in secundo suo consulatu proprie dicavit.* — *inter hos*] Triplex erat Germanorum acies: 1) *in silva pone tergum*; 2) *barbara acies*, quae *prima silvarum tenebat*; 3) soli *Cherusci iuga insedere.* Iam Cherusci a Romanis detrudebantur *inter hos*, id est, primam illam et secundam aciem, diverso agmine fugientes. Mire rem obscuravit Luden *D. Geschichte* I. p. 679. *inter hos* explicans «inter Romanorum pedestrem aciem et equitem.» Sane detrudebantur Cherusci ab equitatu Romano, ut ait, *praemisso.* — *manu*] nutu, quo signa dabat iis, qui ipsum exaudire non poterant. — *voce*] hortando eos, qui propius *adstabant.* — *vulnere*] vulnus, quod acceperat (sane levius, quo in pugnando haud impediretur), identidem ostentans, ut militum iram in Romanos accenderet. Veram hanc esse interpretationem demonstrant vv. *oblitus faciem suo cruore.* Alii explicant «vulnere infligendo, pugnando.» Nimis, ut opinor, artificiose Doederlein: «*manu*, retinendo (hoc quidem defendere poterat Liviano illo 34, 14: *ut quosdam Cato consul manu ipse reprehenderit*); *vulnere*, gladio et suos fugam tentantes ultro vulnerando, occidendo:» deceptus, puto,

mana agentibus emissumque tradiderunt. virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. ceteri passim trucidati. et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. quidam turpi fuga in summa arborum nisi, ramisque se occultantes, admotis sagittariis per ludibrium figebantur; alios prorutae arbores adflixere. (18) magna ea victoria neque cruenta nobis fuit. quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum cadaveribus atque armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit, struxitque aggerem, et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit. (19) haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira adfecit. qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt; plebes primores, iuventus senes agmen Romanum repente incursant, turbant. postremo deligunt locum flumine et silvis clausum, arta intus planitie et humida: silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant,

6. *adfl.* M: *affl.* B. — 7. *ora* M. — 10. *proelii* M: *praelii* B. — 11. *tropheorum* M. Correxit Gronovius 1672. — 13. *adfecit* M: *affecit* B. — 16. *planitiae* M. — *umida* M.

loco Hist. 3, 17: *consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis.* Minus recte Walther vv. *manu, voce, vulnere* iunxit cum v. *insignis*, cum pertineant ad v. *sustentabat.* — *illa*] illa parte viae per sagittarios aperta. Agr. 28: *mox hac atque illa rapti.* — *rupturus*] pro volgari *perrupturus*, quo v. utitur Hist. 3, 29. 4, 71. — *ruentium*] Heinsius ad Sil. 14, 554. malebat *irruentium*; frustra, fugientium est *ruere*, multitudo eodem ruentium oppressit priores. Ern. — *prorutae*] succisae, securibus ad hunc usum militi paratis, ut 3, 46: *miles correptis securibus et dolabris.* Dio 37, 2: *οὗτοι ὑποτμηθέντων τῶν δένδρων ἐφθάρησαν.* Silius 5, 507: *Procubuit tandem multa devicta securi Suffugium infelix miseris et inhospita quercus Elisitque virum spatiosa membra ruina.* Gron. et Doed.

18. *Tiberium imperatorem*] significatione antiquiore. Oportuerat Germanicum ipsum, qui dux et auctor facti, sed Augustus ut auspicia servavit sibi, sic honorem omnem rei a ducibus suis legatisve gestae. Nam qui ductu quidem suo, alienis tamen auspiciis vicerat, ne antiquitus quidem imperator salutabatur aut triumphabat. (Cfr. Horat. C. 4, 14, 33.) Lips. Ovid. Trist. 2, 174. Suet. Oct. 21: *Domuit partim ductu, partim auspiciis suis - - Raetiam et Vindelicos ac Salassos.* Hoc exemplum cum sequeretur Tiberius, Germanicus ipse illum imperatorem salutandum a militibus curavit. Fiebat autem hoc apud imaginem principis. Plin. Pan. 56, 8. — *in modum tropaeorum*] Rarior ac posterior hic apud Romanos mos. Primum inveni apud Salust. Hist. Fr. inc. 68. ex Servio ad Aen. 11, 6: *Pompeius devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit.* Ann. 15, 18: *Romae tropaea de Parthis sistebantur.* — *subscriptis - - nominibus*] prorsus ut in tropaeo Alpium Augusti apud Plinium 3, 20, 2, collato Grut. 226, 7. et titulo arcus Segusini apud Maffeium *Mus. Ver.* p. 234.

19. *flumine*] Visurgi. — *profunda palus*] Alii habent pro lacu nunc dicto *Steinhuder Meer*; aliis est *Dümmer See.* Non sine causa totam hanc narrationem obscuram et mancam esse queritur Ukert *Germanien* p. 136. Nec tamen est haec Taciti culpa reputanda, verum commentariorum, quibus uti coactus erat. — *latus unum*] Aliter interpretari non possumus, nisi *latus unum paludis.* Mire in his haesit Luden *Geschichte* I. p. 680.

quo a Cheruscis dirimerentur. hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret. (20) nihil ex his Caesari incognitum: consilia locos, prompta occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque; peditum aciem ita instruxit ut pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur; quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. quibus plana evenerant, facile inrupere: quis inpugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur. sensit dux inparem comminus pugnam, remotisque paulum legionibus funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem iubet. missae e tormentis hastae, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. primus Caesar cum praetoriis cohortibus, capto vallo, dedit impetum in silvas: conlato illic gradu certatum. hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria. (21) nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium; contra miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret, inprompto iam Arminio ob continua pericula, sive

1. *ad . . stitit* M. (Erasae videntur litterae duae.) — 2. *iis* M. Mutavit Oberlinus. — 4. *permitiem* (sic) M. — 7. *planae uenerant* M, non *plane venerunt*, ut traditur apud Bekkerum. — *inr.* M: *irr.* B. — *inp.* M: *imp.* B. — 9. *inp.* M: *imp.* B. — 10. *libritoresque* M. Recepit Iac. Gronovius. — 13. *conl.* M: *coll.* B. — 18. *ads.* M: *ass.* B. — 19. *proelium* M: *praelium* B. — *adpr.* M: *appr.* B. — 21. *inpr.* M: *impr.* B. — *iam ob* sine ullo defectus signo M; in margine ab alia manu: «Deest ut arbitror *Arminio.*» *iam* * *ob* cum defectus signo Ed. Beroaldi, quo auctore supplementum Edd. seqq. inseruerunt.

20. *sibi*] Ex v. *permisit* per zeugma elice *sumpsit*, *reservavit*. Mirum huius syllepsis exemplum affert Walther ex Herod. 4, 106: ἐσθῆτα δὲ φορέουσι τῇ Σκυθικῇ ὁμοίαν, γλῶσσαν δὲ ἰδίην. — *murum succederent*] idem sane h. l. atque *impugnarent*, *scalis eniterentur*. Muretus sine causa malebat *muro*; utraque constructio recta. Discrimen vero, quod statuunt Ryckius, Wolfius, alii *murum succedere* esse subire, scandere, *muro succedere* accedere, non usquequaque verum est: etenim apud Livium 38, 9, 7: *succedens murum* nihil aliud est quam prope accedens; atque ibidem c. 45: *succedentium muros*, appropinquantium ad muros. Alterius constructionis exemplum praebet idem 23, 44: *Hannibalem aggressurum Nolam, ut successisse muris Marcellus vidit.* — *libratores*] (*Wurfschützen* G.) qui tormentis hastas aut lapides excutiunt; quia librant iactus et arte expendunt. Hist. 3, 23: *vincla ac libramenta tormentorum*. Prorsus diversi sunt *aquae libratores (Nivellirer)*, quos ex Cod. Iust. 10, 64, 1. huc arcessivit Ernestius. Contra apte comparabis Inscr. apud Kellermann *Vigil.* p. 55. N. 127: *D. M. C. AELII C. F. GAL. SEGOvia LIBRATORIS. ET. TESSERAR. COH. II. PR.* cet. Nihil est v. *libritores*, quod caeco duce, Iac. Gronovio, recepit Bachius solus inter recentiores.

21. *protenderet*] «protentas gerere posset.» Duebn. — *colligeret*] retraheret, reduceret, semel si protentae essent. — *scutum*] diversum a Germanico. Illud planum non sic tegebat, hoc incurvum corpori adhaerebat et circumfundebatur. Lips. —

illum recens acceptum vulnus tardaverat. quin et Inguiomerum, tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat. et Germanicus quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatque insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore. iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. equites ambigue certavere. (22) Laudatis pro contione victoribus, Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monimenta Marti et Iovi et Augusto sacravisse. de se nihil addidit, metu invidiae, an ratus conscientiam facti satis esse. mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere. (23) sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae; plures Caesar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis inpelli: mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen inpedire; milesque pavidus et casuum maris ignarus dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. omne dehinc caelum et mare omne in austrum cessit, qui

1. *tardauarat* M. — 3. *adgn.* M: *agn.* B. — 4. *internitionenem* (sic monstruose) M. — 7. *cont.* M: *conc* B. — *congerie marmorum* M. — 9. *munimenta Marii* (sic) M. Prius v. correxit Lipsius; alterum Beroaldus. — 10. *factis* M. Correxit Aldus; illud restituit W., probavit Doederlein habens pro ablativo absoluto, «post facta;» quo sensu omnino accipi nequit. Nihil aliud est nisi geminatio seq. *s.* Or. — 11. *agrivarios* M. — 12. *aegestate* M. Correxit Beroaldus; *aegre*, *aestate* suspicatur Doederlein. Sed ut in superiore monstro *internitionenem* et infra C. 30. *adgnonoscentes* supervacaneas litteras dormitans librarius inculcavit. — 14. *prmo* (sic) M. — 15. et 17. *inp.* M: *imp.* B. Ceterum Doederlein distinxit: *aequor; mille navium* cet., ita ut *mille* sit *χιλιάς*· id quod sequi non potui. — 17. *cassuum* M.

insidens capulo manus] quocirca certiores ictus intentare poterant. — *nuda ora*] nam, ait in Germ. 6: *vix uni alterive cassis aut galea.* Lips. — *foderent*] Sic iam Liv. 8, 10: *hastis ora fodientes.* — *ambigue*] ambiguo eventu, ita ut incertum esset, utrum ipsi, an Germani vicissent; non, ut Waltherus opinabatur, ambiguis animis; nam equites, inquit, plerique sumebantur e sociis, Gallis Germanisque; etsi sane hac significatione est Hist. 3, 35: *ne - - ambigue agerent.* Sed hoc si voluisset, vel uno saltem verbo clarius expressisset Tacitus.

22. *mandat*] Ernestius malebat *mandabat.* Verum post Waltherum recte Bachius: praesens historicum pro imperfecto positum. Explica: «bellum Stertinio mandavit, idque etiam esset gestum, nisi Angrivarii celeriter se dedidissent.»

23. *aestate iam adulta*] Servius ad Virg. Ge. 1, 43: *Veteres per singula tempora anni, quae in tres menses dividuntur, observant, ut sic dicant, primum mensem novum ver, secundum adultum, tertium praeceps; ita de hieme, aestate, auctumno. Sic semper Salustius.* Cfr. 11, 31. 13, 36. (Graece *τοῦ θέρους ἀκμάζοντος*.) Similiter Hist. 3, 23: *adulta nocte.* — *aut velis inpelli*] hoc proprie non ad mare, sed ad naves dumtaxat pertinet, sed per singulare zeugma cum strepitu remorum iungitur, ad absolvendam tam laetae navigationis picturam. — *incerti fluctus*] modo huc modo illuc illico sese volventes. — *in austrum cessit*] ita ut is iam solus flaret atque unus mari dominaretur. (Cum ante variae

tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera, et fluctu superurgente. (24) quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia caeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus, aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare. pars navium haustae sunt, plures apud insulas longius sitas eiectae; milesque, nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit; quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere

3. Habet *abruptis* M. (*abruptas* Lipsius). — 5. *anchoris* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 7. *super urgente* Doederlein. — 9. *litoribus* M: *littoribus* B. — 11. *mare* M, Edd. ante Oberlinum, rursus Walther, Bach, Doederlein: *mari* de I. Fr. Gronovii coni. Oberlinus et B. — 11. et 14. *aput* M. — 13. *germanice* M. — 14. *adp.* M: *app.* B.

procellae fluctus *incertos* huc illuc impulissent, nunc et aër et mare *in austrum* vertitur et eo vento solo impellitur. Duebn.) *Das Meer gerieth in des Südwinds Gewalt.* Gutmann. — *tumidis*] montosis (ut explicant etiam Pichena et Forcellinus); nam *montes causae ac materies tempestatum.* Agr. 10. Nec obest huic explicationi, quod circa illud mare Germania caret montibus; e longinquis enim et interioribus regionibus adveniunt procellae. Doed. Multi interpretantur *tumidis humore*, ut sit idem fere atque *humidis*, uti coniecerunt Rhenanus ac Faërnus. Sed praestat prior interpretatio. Cfr. Frontin. *de Colon.* p. 126. Goes.: *tumores terrae*, *tumuli*, *colliculi.* — *mutabat*] intransitive, ut 12, 29: *in superbiam mutans;* frequentius sic *vertere* pro *se vertere.* Similiter *ferebat* Freinshemius explicat *ferebatur* (ut nos *treiben*), nullum tamen exemplum attulit. Comparaverim locutionem *via ad urbem*, *ad flumen*, *ad hostem fert*, cuius permulta exempla congesserunt interpretes ad Liv. 39, 27., ut si hic esset: «aestus ad eundem caeli cardinem ferebat (*nahm den Zug*), quo ventus.» Alii quidem cogitatione supplent «fluctus et quidquid deprehenderat, id est, naves.» Sed an dici queat *aestus* (qui ipse nihil differt a fluctibus, quibus efficitur) *fert fluctus*, aliis expendendum relinquo. — *praecipitantur*] rursus est praesens historicum pro imperfecto neque opus Ernestii *praecipitabantur.* — *manantes*] nove dictum pro: «irrumpentem magna copia recipientes atque ea prope repleti.» Alii explicant de aqua rursus ex alveis emanante; id quod parum probabile est, cum hoc ipsum naves aliquatenus levasset. — *superurgente*] sive divise scribimus *super* (desuper) *urgente*, cum iunctim scriptum nunc sit ἅπαξ λεγόμενον, est *oberhalb eindringend*: non solum per latera influebat aqua, sed vento etiam super latera attollebatur. Suam ad rationem Doederlein affert Virg. Aen. 9, 168: *Haec super e vallo prospectant Troes.* Lucan. 6, 291: *Cum super e totis emisit collibus agmen.*

24. *excessit*] Heinsius *alias* excidisse opinabatur; sed est absolute positum, ut Agr. 42: *modestiam - - eo laudis excedere.* — *vasto et profundo*] scil. *mari*, quod ex seq. mutuandum, ut Iuven. 10, 210: *nam quae cantante voluptas, Sit licet eximius citharoedus sive Seleucus*, ubi alii ex interpolatione *eximius, citharoedo sive Seleuco*, ut hic Gronovii *mari* intulerunt editores Taciti. Doed. Neque vero magnopere placet sic abrupte in clausulae fine poni *mari*; licet qui hoc praeferunt speciose dicere possint, codicis *mare* meram esse accommodationem ad vv. proxime praecedentia,

amici quo minus eodem mari oppeteret. tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus, et quaedam a validioribus tractae, revertere; quas raptim refectas misit ut scrutarentur insulas. collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere; quidam in Britanniam rapti, et remissi a regulis. ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita. (25) sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, ita Caesarem ad coërcendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum milibus ire in Chattos imperat; ipse maioribus copiis Marsos inrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. missa extemplo manus quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna. eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, exscindit non ausum congredi hostem aut, sicubi

6. *remissa regulis* M. — 10. *C.* M: *Gaio* B. — 11. *inr.* M: *irr.* B. — 12. *loco* M. Correxit Lipsius. — 13. *exemplo* M. — 14. *eligeret* M. — 15. *adf.* M: *aff.* B.

quae frequentissima sane est corruptelarum origo. — *sine terris*] ultra quod iam nullae essent terrae. — *insulas*] Intelligunt Orcades, Shetlandicas et quae Norvegiae oras cingunt; possunt esse etiam propiores Holsteiniae et Iutlandiae, quae ipse tunc Romanis *longius sitae* videri poterant. — *elisa*] ad litus electa. Cum Wopkensio *allisa* vel *illisa* reponere supervacaneum est. — *toleraverant*] aegre sustentaverant. Sic Caesar B. G. 7, 77: *eorum* (hominum) *corporibus vitam toleraverunt*. Utrobique inest notio foedi ac miserabilis victus. — *claudae*] remis ab altero latere amissis vel fractis. Doederl. *Schadhaft, délabrés*, imagine a remis fractis petita; *claudas mutilatasque naves* dixerat iam Livius 37, 24. similique τρόχῳ ibidem *vulneratam navem*. — *vestibus*] Hist. 5, 23: *Lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis adiuvabantur*. Iuven. 12, 67: *inopi miserabilis arte cucurrit Vestibus extentis - - prora*. — *interioribus*] aliquanto remotioribus ab ora maritima, ad quos Romani fame coacti aut etiam per excursiones ad litus atque insulas ab his *interioribus* factas intercepti pervenerant. Paullo aliter Doederlein: «ulterioribus et remotioris litoris accolis.» — *monstra maris*] Pertinet huc imprimis Pedonis Albinovani de hac ipsa expeditione locus apud Senecam Suasor. 1: *Nemo Latinorum declamatorum* (de Oceano) *potuit tanto spiritu dicere, quanto Pedo, qui navigante Germanico dixit: - -* (experiuntur) *Nunc illum, pigris immania monstra sub undis Qui ferat, Oceanum, qui saevas undique pristis, Aequoreosque canes, ratibus consurgere prensis. - - Seque feris credunt per inertia fata marinis Tam non felici laniandos sorte relinqui* cet. Multa de monstris marinis collegit Plin. H. N. 9, 5.

25. *C. Silio*] Mirum sane est nihil omnino a scriptore tradi de exitu huius expeditionis Silianae. — *Mallovendus*] hic quoque, ut Segimerus, frater Segestis (1, 71.), popularibus invisus, tantum cum comitatu suo in deditionem receptus videtur, Marsorum autem populus Romanorum hostis remansisse. — *aquilam*] Florus 4, 12, 38: *Signa et aquilas duas adhuc barbari possident. Tertiam signifer prius, quam in manus hostium veniret, evulsit mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.* Quae pugnant cum Tacito et cum Dione, quibus merito haud paullo meliorem fidem tribuit Freinshemius. Ille enim Ann. 1, 60. unam receptam esse tradit, hic alteram; tertiam Claudii temporibus Dio 60, 8. De re controversa cfr. Luden *Geschichte* I. p. 682. et Langium in Pabstii *Eclogis* p. 25. — *exscindit - - hostem*] ut Hist. 5, 16. Agr. 22:

restiterat, statim pulsum, nec umquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, et velut aucti numero inrupissent. (26) reductus inde in hiberna miles, laetus animi quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. nec dubium habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere, et si proxima aestas adiceretur, posse bellum patrari. sed crebris epistulis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum. prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, grávia tamen et saeva damna intulissent. se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum. posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui. precante Germanico annum efficiendis coeptis, acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste nonnisi apud

1. *umq.* M: *unq.* B. — 2. *cassibus* M. — 4. *lit.* M: *litt.* B. — *velut* M: *veluti* B. — 5. *inr.* M: *irr.* B. — *hiona* M. Correxit Beroaldus. — 9. Habet *adiceretur* M. — Habet *epistulis* M. — 11. *proelia* M: *praelia* B. — 13. *consilia* M. — 14. Habet *Sugambros* M. — *suebos* M, item C. 44. 45. 62. 63. — 16. *quoniam* (*quo* cum lineola) M: *quando* B. Vid. ad p. 52. v. 4. — *esset*] *est* M. Correxit Muretus; *est* restituit W. — 17. *praecante* pr. M. — 20. *aput* M.

vastare nationes. Exscidit loca et res hostis congredi non ausi.

26. *labare*] non iam constanter perseverare in belli studio. Amat hoc verbum de hominum inconstantia Livius. (2, 39. 27, 1. 32, 30. et 61. cet.) — *novies*] Dubitat Lipsius an toties; quare Boxhornius *novies* mutat in *toties*. At vulgatum satis habet speciem veritatis. Nam Tiberius in Germaniam profectus est 1) a. 738. Dio 54, 20. 2) a. 745. D. 55, 2. 3) a. 746. D. 55, 6. 4) a. 747. D. 55, 8. 5) a. 757. D. 55, 13. 6) a. 759. D. 55, 28. 7) a. 763. D. 56, 23. 8) a. 764. D. 56, 25. Iam quid deest ad numerum explendum? Nihil igitur opus est, ut expeditiones in Pannoniam et Illyricum factaé huc trahantur. Walth. — *Sugambros*] v. Zeuss *die Deutschen* p. 83. et 327. Cfr. Suet. Oct. 21: *Suevos et Sugambros dedentes se in Galliam traduxit et in proximis Rheno agris collocavit.* Tib. 9: *Germanico* (bello a. 740. una cum Druso gesto) *quadraginta milia dedititiorum traiecit in Galliam iuxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit*; quocum consentit Oros. 6, 21. In libris Eutropii 7. 9. est: *CCCC. milia captivorum ex Germania transtulit*, ubi Glareano auctore plerique nunc edunt *XL. milia.* — *Suevos*] Germ. 38—45. Ukert *Germanien* p. 341. — *Maroboduum*] Vellei. 2, 108. 109. Res est anni 759. — *adgreditur*] urget, exsuperare conatur oblato consulatu, cui se quamvis modestus nullo pacto excusare poterat, nisi superbus videri ac filialem pietatem laedere voluisset. *Modestiam* autem solito sensu acceperim, non cum aliis pro obsequio. — *deportare lauream*] Triumphatores lauream suam coronam in gremio Iovis Capitolini deponebant. Praeterea teste Plinio H. N. 15, 30: *Fasces imperatorum laurus decorat, ex his in gremio Iovis O. M. deponitur, quoties lae-*

Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intellegeret.

(27) Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. eius negotii initium ordinem finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem inprovidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat, hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret. (28) ut satis testium et qui servi eadem noscerent repperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare. atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat); cunctaque eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat, donec Iunius quidam, tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. celebre inter accusatores Trionis

1. *ads.* M: *ass.* B. — 2. *germanicos* M. — *sequi* M. — 6. *dum* M. — 7. *inpr.* M: *impr.* B. — 9. *interpraetes* (per comp.) M. — 10. *consobrinus caesaris* M. — 12. *inl.* M: *ill.* B. — 13. Habet *repperit* M. — 14. *crimini* M. — 15. *proprior* (alterum *r* puncto notatur) M. — 16. *sermone* M. — 18. *commocior* M. — 19. *mallebat* M. — 20. *temptatus* M. — 21. *accussatores* M. — *triones* M.

titiam nova victoria extulit. Huius ritus exemplum praebet Augustus apud Dionem 54, 25. (Sic in lucerna fictili apud Passerium I. Tab. 27. expressa est laurea in gremio Iovis sedentis.) Alias etiam sine iusto triumpho lauream dumtaxat eo deportabant. Suet. Ner. 13. Dom. 6.

27. *Libo Drusus*] Seneca Ep. 70., ubi eius mortem describit, eum *adolescentem tam stultum quam nobilem* vocat. — *facilem inanibus*] *(leicht empfänglich)* in cuius animum facilem accessum habebant res inanes. Duebn. Ut omnis generis superstitiones, ut vanae computationes ac praedictiones *Chaldaeorum*, id est, astrologorum sive genethliacorum. — *disseram* pro *edisseram*, ut Sal. Cat. 5. Liv. 41, 6. — *proavum Pompeium*] Libonis huius stemma probabiliter ordinavit Ryckius ad h. l.: 1) Cn. Pompeius Magnus; 2) Sex. Pompeius; 3) Pompeia; 4) huius filius L. Libo praetor. — *amitam Scriboniam*] sic etiam Seneca l. l. uterque pro *amita magna*, avi paterni sorore. (Paulus Dig. 38, 10.) — *consobrinos Caesares*] Caium et Lucium, tunc quidem iamdiu mortuos; horum mater Iulia Augusti F., avia, Iuliae mater, Scribonia, magnanima illa mulier, quae Iuliam filiam in exilium comitata, Libonem ad voluntariam mortem mature sibi consciscendam exhortata est. — *necessitatum*] inopiae ex aere alieno quod nimiis sumptibus conflaverat *(Geldverlegenheiten)*; socius autem necessitatum Catus, quando a feneratoribus ei pecunias comparabat, quibus vetera debita solveret. (Neutiquam vero sunt *libidinosae sodalitates*, ut volunt Hillerus et Oberlinus.)

28. *noscerent*] rursus simplex pro composito *agnoscentes servos* C. 30. — *Flaccum Vescularium*] qui tamen 6, 10. est *Vescularius Atticus* - - *insidiarum in Libo-*

ingenium erat, avidumque famae malae. statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit. et vocantur patres, addito consultandum super re magna et atroci. (29) Libo interim veste mutata cum primoribus feminis circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa praetenderent, eadem formidine. die senatus metu et aegritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri, et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto eius vultu excipitur. mox libellos et auctores recitat Caesar, ita moderans ne lenire neve asperare crimina videretur. (30) accesserant praeter Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et C. Vibius, certabantque cui ius perorandi in reum daretur, donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus, protulit libellos vecordes adeo ut consultaverit Libo an habiturus foret opes

1. *fame* M. — 2. Habet *cognitionem senatus* M. Inde a Beroaldo omnes praeter Iac. Gronovium *senatus cognitionem*. — 4. *adf.* M: *aff.* B. — 8. *suplices* M. — 9. *asperari* M. — 11. *C.* M: *Gaius* B. — 11. et 12. *liuius* M. Correxit Ryckius ex Ann. 4, 28. et 29. — 13. *ipse* M. — *vaecordes* M.

nem internuntius. Sed potuit duo cognomina habere ut *Scribonius Libo Drusus*.

29. *veste mutata*] ut Liv. 6, 20., ubi praecedit *sordidatum reum*. Cic. Pis. 41. A. Gell. 3, 4. Talem *atratum* dicit Suet. Ner. 27. — *vocem*] defensorem, quem non invenit: unde mox *sine patrono* curiam introiit. — *simulato morbo*] vere aegrotasse narrat Dio 57, 15. — *lectica delatus*] quod receptum in solis aegris. Cfr. Suet. Tib. 30. — *fratri*] Lipsius cogitabat de huius anni consule; id parum probabile esse sentiens Ryckius in stemmate alium ei fratrem Scribonium Libonem tribuit, ceteroquin ignotum.

30. *certabantque*] ut quondam in causa Verrina Cicero et Caecilius Niger; idque genus causae, si perpetua oratione tractabatur, *divinationem* appellabant; hic potius mera altercatio significari videtur. — *singillatim*] omissa artificiosa ac iusta peroratione, qua actor omnia uno tenore persequitur, singula crimina simpliciter se prolaturum, ut reus ad singula statim responderet. Ita et Nero cognoscendi morem eum tenuit, ut continuis orationibus omissis singillatim quaeque per vices ageret. Suet. Ner. 15. Walth. — *libellos*] ipsius Libonis pugillares ab accusatore interceptos, diversos sane ab accusatorum libellis supra memoratis. — *consultaverit*] magos vel mathematicos. — *Appiam*] quam Statius Silv. 2, 2, 12: *reginam viarum* vocat. Frontin. *de Aquaed. U. R.* 5: *aqua Appia inducta est ab Appio Claudio Crasso censore, cui postea Caeco fuit cognomen, qui et viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Quis eandem ad Brundisium usque perduxerit, incertum est. Horat. Epp. 1, 18, 20: *Brundisium melius Numici via ducat, an Appi.* Strabo 5. p. 233. 6. p. 283. Via erat longissima CCCLX. mil. pass., unde maior etiam Libonis stultitia. — *Caesarum*] tunc vivorum, Tiberii, Drusi, Germanici. — *uni tamen libello*] pro *in uno*. Nollem, Ruperti *uno* sua de coniectura scripsisset. *Tamen* autem significat haec non iam stultitiam fuisse sed gravem culpam. — *atroces vel* (certe) *occultas notas*] quae ad defixiones magicas (χαταδέσμους) spectabant. Ovid. Am. 3, 7, 29: *Sagave poenicea defixit nomina cera.* Appul. Met. 3, 17. p. 182. Hildebrand: *Pamphile saga apparatu solito instruit feralem officinam - -, ignorabiliter* (obscure) *laminis litteratis.* Vide Ryckium. Cfr. C. 69. Ipsum autem v. *notas* clare demonstrat haec atrocia et occulta quaecunque fuerunt non litteris sed signis sive figuris expressa fuisse. Neque audio Burnouf haec adnotantem: «*Comment les esclaves de l'accusé pourroient-ils reconnaître si ces traits, qui ne seraient pas des lettres, sont de sa main ou non? il faut*

quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. inerant et alia huiuscemodi, stolida, vana, si mollius acciperes, miseranda. uni tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat. negante reo, adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. et quia vetere senatus consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur. ob quae posterum diem reus petivit, domumque digressus extremas preces P. Quirino propinquo suo ad principem mandavit. (31) responsum est ut senatum rogaret. cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat,

4. *adgnonescentes* (sic) M. — 5. *interrogare* M. Correxit Lipsius. — *questio* M. — 6. *prohibebantur* pr. M. — 9. *P.* M: *Publio* B. — *Quirino* Lipsius: *Quirinio* M, B, alii. — 11. Habet *strepebant etiam* M, non *strepebantque etiam*. (Lipsius.) *et strepebant iam* mavolt Doederlein. Longe efficacius Tacitus per *βραχυλογίαν* hoc dicit: «non solum cingebatur milite domus, sed etiam complures milites strepebant in vestibulo, id quod terrorem augebat.» Or. — 12. *possint* M.

nécessairement que, notas, *signifie quelque chose d'écrit*, *des remarques ajoutées au nom de chaque membre de la famille impériale.*» *Nomina Caesarum aut senatorum* manifesto cum essent *manu* Libonis, nihil prorsus intererat, utrum ab eodem, an a mago aliquo *notae* illis appositae essent; culpa enim semper erat Libonis, utpote qui hominem maleficum ad id scelus conduxisset. — *vetere S. C.*] Quando et quo auctore factum sit id S. C., quaero. Sane antiquum est et Cicero pro Deiot. 1. et pro Mil. 22. referre videtur ad morem maiorum potius quam ad legem. Derogatum ei legi antiquitus in causa incesti. (pro Mil. ibid.) Iurisconsulti excipiunt etiam adulterii crimen, fraudati census et maiestatis. l. 1. C. de quaestion. l. 9, 41. Lips. Quod de tempore huius S. C. aliunde nihil constat nec quo auctore factum sit, inde explicandum, quod ante Caesares SCta non habuerunt nomina. Ad rem cfr. Cic. Orat. Partt. §. 118: *De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen et coniuratione, quae facta me consule est, quaerendum putaverunt.* Adde pro Sex. Roscio Am. C. 41. — *novi iuris*] Immo infamia huius inventi penes Augustum: erratque noster, si non errat Dio 55, 5. Lips. Hic modus inveniendae veritatis more maiorum vetitus iam ab Augusto a. u. 746. institutus narratur a Dione, sed videtur per imperium pacatum illius principis in oblivionem abisse. Dubn. — Adde Dionem 57, 19. de Tiberio: *ἐβασανίζοντο δὲ οὐχὶ οἰκέται μόνον κατὰ τῶν ἰδίων δεσποτῶν, ἀλλὰ καὶ ἐλεύθεροι καὶ πολῖται.* Ann. 3, 67. — *actori publico*] publicus est servus sive libertus; proprio tamen munere, qui res rationesque rei publ. administrabat. Cfr. 3, 67. Lips. Plin. Epp. 7, 18: *agrum ex meis - - actori publico mancipavi*, id est, publicum feci. Dio l. l. *δοῦλον - - ἐκέλευσε - - τῷ δημοσίῳ - - πιπράσκεσθαι.* — *Staatsverwalter* Gutmann, *agent du fisc* Burnouf, potius aerarii quam fisci proprie dicti. — *P. Quirino*] est P. Sulpicius Quirinus (cfr. 3, 22. et 48.) qui Aemiliam Lepidam habuit uxorem, unde adfinitas. Nam ipse ignobilis. Lips. Cfr. Morel. Thes. I. p. 624. Male Bachius, Ritterus, Doederlein rursus edidere *Quirinio*, quae non est gens Romana. Utinam consuluissent Ryckium! qui in talibus prorsus egregius est. — Quod autem Strabo, Iosephus, Dio eum *Κυρίνιον* vocant, est ex Graecorum more cognomina in *US* efferendi per *ΙΟΣ*.

31. *cum - - vocare*] Bene fecit Bachius, quod huius constructionis, quae aliquoties etiam apud Livium reperitur (2, 27. 4, 51.), exempla apud Tacitum obvia collegit. C. 40: *cum distrahere.* 3, 26: *postquam*

epulis excruciatus vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium. atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpositum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus in viscera direxit. ad gemitum conlabentis adcurrere liberti; et caede visa miles abstitit. accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, iuravitque Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset. (32) bona inter accusatores dividuntur, et praeturae extra ordinem datae iis qui senatorii ordinis erant. tunc Cotta Messalinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit, Cn. Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret. supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti. dona Iovi Marti Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies

1. Habet *prensare* M, non *prehensare* (Beroaldus, Lipsius). — 3. *adp.* M : *app.* B. 4. *derexit* M. — *conl.* M : *coll.* B. — *adc.* M : *acc.* B. — *cede* M. — 5. *adstitit* M, quod defendi nullo modo potest, etsi conatus est Doederlein. — *aput* M. — *ads.* M : *ass.* B. — 7. *accussatores* (alterum *s* puncto notatur) M. — *praeture* M. — 8. *his* M et Edd. ante Bekkerum, qui correxit. — 10. *C. N.* M, *Gnaeus* B. — *ads.* M : *ass.* B. — 11. *constituti ut dona* ex geminatione litt. *uti* M. Correxit Freinshemius. (*et dona* Muretus.) — 11. *cordiae* M. — 12. *septrium* M.

exui aequalitas. 4, 50: *cum Sabinus circumire.* 6, 44: *cum Tiridates distrahi.* 12, 51: *ubi quati uterus.* Hist. 3, 10: *ubi crudescere.* 3, 31: *cum languescere.* ibid.: *ut praeberi.* Etiam praegresso pron. relativo. Hist. 3, 63: *quibus fidere Vitellius.* — *excruciatus*] cruciatu atque angore ab epulis exturbatus. — *percussorem*] servum, qui eum necaret. — *adpositum mensa*] Volgare *mensae* vel *in mensa* volebat Groslotius. Construxit Tacitus ut simplex *positum.* — *feralibus*] Poëticum hoc colorem habet pro mortem ei iamiam allaturis ac velut minitantibus. — *adseveratione*] cura atque studio pertinaci. — *petiturum se*] scil. fuisse, quae ellipsis rarissima est. — *properavisset*] plena φράσις est apud Propert. 2, 28, 25: *Quodsi forte tibi properarint fata quietem.*

32. *praeturae extra ordinem*] supra numerum ordinarium et extra comitiorum ordinem. Obstrinxerat quidem Tiberius iure iurando (A. 1, 14.) se numerum XII. praetorum non esse excessurum. Dio tamen 58, 20. tradit deinde illum modo XV., modo XVI. praetores creasse. Scilicet praeturis extra ordinem datis ius iurandum illud non violavit, quia ordinarius numerus XII. praetorum mansit. Apud Suet. Cal. 18. etiam C. Caesar praetorem extra ordinem designat. Walth. Unus modo praetor obierat; si numerum legitimum XII. praetorum Tiberius non auxit (quod se non facturum iuraverat), reliquae praeturae in proximum annum destinatae erant. Duebn. — *Messalinus*] degener Messalae oratoris filius. Plin. H. N. 10, 22. — *cognomentum Drusi*] Sic alibi praenominis mutatio decernitur. 3, 17. Liv. 6, 20. Suet. Tib. 1. — *Cn. Lentulus*] de quo 4, 44. — *L. P.*] Frustra divinarunt *L. Piso, L. Paetus, L. Plancus, L. Pedo* cet. — *auctoritates adulationesque*] sententias adulationis plenas. — *facta et de mathematicis*] immo repetita potius. Nam veteri lege edictoque pridem amota e re publ. illa pestis. Lips. Iam a. u. c. 614. *Cornelius Hispellus praetor edicto Chaldaeos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit*, teste Val. Max. 1, 3, 2. Alia exempla annorum 721. et 761. praebet Dio 49, 43. et 56, 25. Vide Lipsii Excursum G. et cfr. Hist. 1, 22. Cum maleficis coniunguntur Cod. IX. Tit. 18: *de maleficis et mathematicis.* A. Gell. 1, 9: *Vulgus, quos gentilicio nomine Chaldaeos dicere oportet, mathematicos dicit.* — *saxo*] Sic Cic. ad Att. 14, 15. de Dolabella: *de saxo* (Tarpeio seditiosos liberos praecipitari iussit), *in crucem* (servos agi). Et sic iam Plautus Trin. 2, 1, 30. Lucret. 3, 1028. Tac. Ann. 4, 29. — *Esquilinam*] nunc *porta maggiore*, sita ad australes aggeris Tarquinii Superbi terminos. Cadavera autem se-

festus haberetur, L. P et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere; quorum auctoritates adulationesque rettuli, ut sciretur vetus id in re publica malum. facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est, in P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

(33) Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo; decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Serica viros foedaret. excessit Fronto, ac postulavit modum argento, supellectili, familiae: erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. contra Gallus Asinius disseruit: auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum sed e vetustissimis mo-

1. *L.* M: *Lucius* B. — *P et*] *P. et* M. Nominis non remansit nisi prima littera *P.* Suspicantur *Paetus*, *Piso*. — *galius* M. — *L.* M: *Lucius* B. — 2. Habet *rettuli* M. — 4. *L.* M: *Lucius* B. — 5. *delectus* M. — *P.* M: *Publium* B. — Habet *Esquilinam*, non *Exquilinam*, M. — 7. *Q.* M: *Quinto* B. — 9. *sirica* M. — 13. *adolevisset* M.

curi percussorum ibidem in puticulos abiiciebantur. Supplicia pleraque apud Romanos sumi solita extra portas, vel hanc, ut Suet. Claud. 25: *civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit*, vel extra Metiam. Plaut. Mil. gl. 2, 4, 6. Pseud. 1, 3, 97. Alia tamen supplicia vel de saxo Tarpeio deiectorum vel in carcere Tulliano strangulatorum, ut Catilinariorum Sal. Cat. 55., vel parricidarum culeo insutorum. — *classicum*] Cum civi rei capitalis dies dicta esset, classicum in celeberrimis urbis locis canebatur et postremo ante domum damnati. Plutarch. C. Gracch. 3: *πάτριόν ἐστιν ἡμῖν εἴ τις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν αὐτῷ τοὺς δικαστάς*. Varro L. L. 6, 92. Müll. p. 111: *In M. Sergii Mani filii quaestoris, qui capitis accusavit Trogum, extremum scriptum caput edicti hoc est: - - curent eo die quo die comitia centuriata erunt, in Arce classicus canat tum circumque moeros et ante privati huiusce T. Quinti* (Quinctii) *Trogi scelerosi hostium* (ostium) *canat et ut in Campo cum primo luci assit.* Sen. de Ira 1, 16. Epist. 70. — *more prisco*] 4, 30. Suet. Ner. 49: *puniri more maiorum: - - nudi hominis cervicem ingeri furcae, corpus virgis ad necem caedi.* — *advertere*] sic fere Tacitus pro *animadvertere*, quo tamen usus est Germ. 7.

33. *praetura functo*] Sic scripsisse videtur pro *praetorio* variandi causa post voc. *κύριον*, *consulari*: nollim enim credere Freinshemio sine certo exemplo affirmanti, hac aetate illud significare eum, qui munus ipsum gesserit, praetorium vero eum, qui praetoria dumtaxat insignia adeptus sit (id quod nunc omnes repetunt). — *solida*] inaurata igitur permittebantur. — *vestis serica*] Cfr. Lipsii Excursum ad h. l. Voss. ad Virg. Ge. 2, 121. Cuvier ad Plin. Lemairii Vol. IV. p. 431., qui ambo intelligunt de ea textura, quam nos vocamus *Seide*, *soie*, *seta*, non cum aliis de gossympina, *mousseline*, *Baumwolle*, *cottone*. — *foedaret*] Seneca de Benef. 7, 9: *Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit.* Ep. 90, 21: *vestis nihil celatura.* — *excessit*] in dicenda sententia relationem egressus est (infra C. 38. cfr. 4, 74. 13, 49.) aliud quid addendo. — *modum argento*] id est, tot pondo argenti facti s. caelati, tot servos, talem supellectilem. Lips. Ad constructionem cfr. Cic. de N. D. 2, 64: *ut ex animalium corporibus multa remedia morbis et vulneribus eligamus.* — *loco sententiae*] oblata sententiae dicendae occasione, cum pronuntiasset consul formulam solitam:

ribus: aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publicam referri, qua tenui angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi ex fortuna possidentis. distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis ordinibus dignationibus, antistent et aliis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. facilem adsensum Gallo, sub nominibus honestis, confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. adiecerat et Tiberius non id tempus censurae, nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem. (34) inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure, testabatur; simul curiam relinquebat. commotus est Tiberius, et quamquam mitibus

1. *aput scipionis* M. — 3. *manificentiae* M. — 4. *aliquit* M. — 6. *antistent. Talis* (sic) *quae* M. Emendavit Grotius et I. Fr. Gronovius. In littera autem illa unciali *T* in v. *Talis* manifestum est vestigium notae part. *et*. (*talibus*, *quae* mavolt Doederlein.) — 8. Habet *delenimentis*, non *delinimentis*, M. — 9. *ads.* M: *ass.* B. — 11. *quit* M. — 12. *L.* M: *Lucius* B. — *ipso* M. — *fore* M. — 13. *sevitiam* M.

DIC - (praenomen) *OCTAVI*. — *pecuniam*] «substantiam bonorum, universitatem rei familiaris», uti explanat Dirksen in *Manuali* v. *Pecunia*. — *ad rem publ. referri*] ἀναφέρεσθαι, cuncta esse ac populari aestimatione reputari talia, qualis singulis aetatibus sit rei publ. conditio ac potentia maior vel minor. — *gliscere*] sensim crescere, proprie de igni ac procellis. Est igitur h. l. augeri opibus. — *quaeque ad usum parentur*] Variat v. *supellex*. — *senatus et equitum census*] census equester quadringentorum H. S. Horat. Epp. 1, 1, 57. Plin. H. N. 33, 1, 8. Plin. Epp. 1, 19: *Esse tibi censum centum milium satis indicat, quod apud nos decurio es; igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC. milia nummum.* Iuven. 1, 105. 5, 132. Martial. 4, 67. 5, 8. et 26. De censu autem senatorio egit Ritter ad h. l. Tu examina Dionem 54, 17: *τὸ βουλευτικὸν τίμημα - - ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας* (*δραχμῶν*, decies sestertium) *προήγαγε.* Ibid. 26., tum 55, 13. ad a. u. c. 757., qui tertius locus prorsus convenit cum Suet. Oct. 41: *Senatorum censum ampliavit ac pro octingentorum milium summa duodecies* (1,200,000.) *sestertium taxavit supplevitque non habentibus.* Cfr. etiam Hoeck *Röm. Geschichte* II. p. 132. — *diversi natura*] senatores et equites; de plebe non loquitur. Cfr. de diversa senatorum et equitum condicione Cic. pro Cluentio 56. — *locis*] Equidem intelligo de locis in theatro et circo; atque recordare orchestrae senatoribus, XIV. ordinum lege Roscia equitibus assignatorum. — *et aliis quae*] ex probabilissima hac Grotii ac Gronovii emendatione eleganti *χαραφράσει* complectitur omnia vitae commoda, quibus senator pro ampliore suo censu sane largius ac facilius frui poterat quam eques. — *ut* autem h. l. aliter accipi nequit quam *ἵνα*, *damit*, *afinque*, scilicet ex voluntate atque consilio maiorum, qui rei publicae formam constituerunt. Gronovius quidem correctionem suam ita explanat: *non quia natura diversi* (sint), *sed* (quia), *ut* (quemadmodum) *locis - - antistent*, (ita antistent) *et aliis*, *quae* cet. — *confessio vitiorum*] Similes audientium mores effecerunt, ut tacite plerique, ut opinor, se eidem luxus vitio esse obnoxios faterentur, neque ei iam posse obsisti. (Aliter I. Fr. Gronovius: «*confessio* est illorum, qui post Gallum sententias dixere; *simili*-

verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in ius Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abscessit, quamquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum Urgulaniae diceret, processit Palatio, procul sequi iussis militibus. spectabatur occursante populo compositus ore, et sermonibus variis tempus atque iter ducens, donec propinquis Pisonem frustra coërcentibus deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. isque finis rei; ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est praetor qui domi interrogaret, cum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

2. *pcibus* cum lin., id est, *praecibus* M. — 5. *illi* M. — *abscessit* Ernestio auctore Walther, Bach, Ritter, Doederlein: *abscissit* M, *abstitit* (Aldo et) Lipsio auctore B. — 7. *praetoriis* pr. M. — *adf.* M: *aff.* B. — 12. *caeterum* M. — 13. *aput* M. — 15. *iudicii* superscr. *o* M.

tudo audientium illorum, qui non sunt locuti, sed verbo aut manu promissa assensere.» Praestare tamen nostra ratio videtur.) — *non id tempus*] quo cum maxime senatus deliberaret. — *corrigendi auctorem*] Is ipse Tiberius futurus erat; invidebat enim senatui *morum regimen*, quod sibi seposuerat utpote Augusto olim usurpatum. Suet. Oct. 27: *Recepit et morum legumque regimen aequeperpetuum* (ut erat tribunicia potestas), *quo iure, quamquam sine censurae honore, censum populi ter egit.* Adde Horat. Epp. 2, 1, 3. Doed. Hinc Augustus a Dione 54, 30.' vocatur ἐπιμελητής τε καὶ ἐπανορϑωτής τῶν τρόπων.

34. *ambitum fori*] studium in corrumpendis iudicibus. Apud scriptorem liberae rei publicae significaret potius ambitum in petendis honoribus, qui Tiberii tempore locum iam non habebat. — *relinquebat*] non *reliquit;* sed inibi erat, ut e curia excederet, ni Tiberius eum retinuisset. (Recte Doederlein: Waltheri explicatio: «*er vermied die Curie*, post illum diem senatum non amplius frequentabat:» prorsus intolerabilis est.) — *tenerent*] Rursus v. simplici consulto usus est pro composito *retinerent;* ut Liv. 34, 39: *primae angustiae paullisper - - tenuerunt.* Permulta huiusmodi exempla collegit Ruperti in Indice Latinitatis p. 840. — *doloris*] indignationis, *Kränkung*, *Erbitterung*; ut Cic. de Legg. 1, 14, 40: *iusti sui doloris causam* et saepius apud eundem: vide ibi Bake p. 393. — *supra leges*] ita ut quasi soluta legibus earum nullam iam curam gereret atque pro lubitu eas violaret, Liviae favore freta. «Res ita facta: Piso Urgulaniam, quae pecuniam ei debebat, in loco publico sibi obviam adit, Veni, inquiens, mecum *in ius* (ante tribunal praetoris). Illa neque obtemperat neque cautionem de iudicio sistit, quod ex lege fieri debebat; sed *spreto Pisone*, id est, eius in ius vocatione neglecta, illa vehitur in Palatium. Eo quoque Piso eam secutus est, ut rite antestatus eam traheret ad tribunal.» Duebn. — *abscessit*] petitione sua, ut *abscedere incepto* est apud Liv. 26, 7. — *procul*] quadam ex distantia, ut omnis violentia vel minarum species abesset. — *tempus atque iter ducens*] longiore sermone utens, tarde incedens, interdumque subsistens. Hoc ipso, quod ἓν διὰ δυοῖν vocat Roth, itineris tarditatem exprimere conatus est. — *missus est praetor*] Quod in egregiis personis observari Paullus iubet. Dig. Lib. 12, 12, 15:

(35) Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, quamquam afuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendas censebat, ut absente principe senatum et equites posse sua munia sustinere decorum rei publicae foret. Gallus, quia speciem libertatis Piso praeceperat, nihil satis inlustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Caesaris, eoque conventum Italiae et adfluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat. audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque contentionibus acta: sed res dilatae. (36) et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est. nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur, princeps duodecim candidatos in

1. *C.N.* (sic) M: *Gnaei* B. — 3. Habet *afuturum*, non *abf.*, M. — *ut - - foret* M, Ritter, Doederlein: *et - - fore* cum Iac. Gronovio et Ernestio B. (Inde a Beroaldo usque ad Ryckium edebant: *agendum c. ut - - possent - - sustinere: decorum r. p. fore.)* — 6. *inl.* M: *ill.* B. — *tignitate* M. — *Romani*] *R.* M. — 7. *italia* M. — *et*] *et ei* M. Correxit Beroaldus. (*ei* ortum est ex geminatione part. *et*. Obstinate *ei* retinuit Walther, explicans *Caesari.)* — *adfl.* M: *affl.* B. — 8. *utrimque* M: *utrinque* B. — 12. *dum* M.

Ad personas egregias eosque, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iurandum. Lips.

35. *res-prolatas*] dilatas, ut est infra; qua formula indicantur feriae rerum agendarum in senatu et in foro. Cic. Muren. 13. ad Att. 14, 5. ad Qu. Fr. 3, 8. Doed. — *absente principe*] Scilicet simulaverat se afuturum, de quo Tiberii ludibrio cfr. 4, 4. Suet. Tib. 38. — *equites*] horum munia sunt iudicia. — *conventum Italiae*] rarissimum hoc v. de Italia, frequens de provinciis; significat homines Italos, qui litium aliorumve negotiorum publicorum, veluti vectigalium conducendorum, scripturae pastionis in agro publico conficiendae cet., Romam se conferre debebant.

36. *in quinquennium*] sicuti fecerat iam Iulius Caesar. Suet. Iul. 76. *Magistratus in plures annos ordinavit.* Appian. B. C. 2, 128. Quid, quod Vitellius *comitia in X. annos ordinavit?* sed frustra. Suet. Vit. 11. — Gallus aut remedium quaerebat adversus omnis generis ambitum, aut potius adulaturus Tiberio hoc ei gratum fore opinabatur. — *legionum legati*] Saepe memorantur in Inscrr. semper hoc ordine *LEGATI LEGIONUM.* V. Marini *Fratelli Arvali* p. 18. 754. 807. cet. — Hoc autem caput inseruisse videtur Gallus, quia ex horum praecipue numero a principe nominari praetores sciebat; nam alioquin eorum gratiam captare quid attinebat? — *princeps duodecim candidatos - - nominaret*] Separanda haec a praecedentibus *utque - - destinarentur:* iure suo legionum legati (erant circiter XXV.) praeturam obtinere debebant ex Galli sententia; sed delectus inter eos annuus penes principem erat; iis, quos eo ex numero delegisset arbitratu suo alios addere poterat candidatos, ut per se intelligitur, sine repulsa et ambitu designandos (Lib. 1, 15.) usque ad numerum duodenarium in singulos huius quinquennii annos. Rem, nisi fallor, obscuravit Ritter haec adnotans: «Si princeps quotannis ex legionum legatis XII. praeturae candidatos nominaret, post V. annorum orbem LX. erant, unde in comitiis ad patres translatis praetores in quinquennium sumerentur. Praetoribus autem ad provincias Caesarum administrandas opus erat tantummodo sive XII. (2, 14.) sive XVI. (Dio 58, 20.) Recte igitur paullo post dicit Tiberius: Grave moderationi suae tot eligere (id est, candidatos nominare), *tot differre.* Nam si ex LX. candidatis XII. vel XVI. in quinquennium designarentur, ceteri ultra quinquennium prolicien di erant. Qua re cum principum in distribuendis provinciis licentia multum coërceretur, vis simul imperii infringebatur.» «Legati legionum, gesta praetura, appellabantur *legati consulares;* nondum gesta, *legati praetorii:* finito munere legationis in urbem reduces, erant candi-

annos singulos nominaret. haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii tentari. Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius, disseruit: grave moderationi suae tot eligere, tot differre. vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis qui ultra quinquennium proiciantur. unde prospici posse quae cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint. favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit. (37) censusque quorundam senatorum iuvit. quo magis mirum fuit quod preces Marci Hortali, nobilis iuvenis, in paupertate manifesta superbius accepisset. nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo

1. *haudubium* M. — 2. *temptari* M. — *auretur* M, *auferretur* mg. M. Correxit Rhenanus. — 5. *iis* M: *his* B. — *proic.* M: *proiic.* B. — 7. *honorum* M. — 8. Habet *quinquiplicari* M. (*quintuplicari* Lipsius.) — 9. *spacia* M. — 11. *quo*] *quod* M. — 12. Habet h. l. *Marci* M. — 13. *inl.* M: *ill.* B.

dati consulatus aut praeturae. Ita cum in quinque annos dilata ea spes legatorum erat, Gallus eos iam nunc *praetores destinandos* esse censet.» Duebn. — *altius penetrare*] ut nos, *diess greife tiefer in das Regierungssystem ein.* — *Arcana imperii* et *dominationis* sunt artes ab Augusto, suggerente imprimis Maecenate, inventae ad imperium summum et comparandum et retinendum, et instituta Caesarum eodem comparata. *Arcana* vocantur, quia non in vulgus nota erant, sed occultabantur, ne animadverterentur consilia dominandi. Cfr. Ann. 1, 6. 2, 59. Hist. 1, 4. Ern. Talia enim etiamtunc interdum dissimulanda erant in civitate regio imperio nondum satis assueta. *Das geheime Triebwerk der Regierung* vertit Gutmann. — *tentari*] quoniam, si magistratus in quinquennium ordinarentur, nimis appareret, quos princeps favore suo prosequeretur, quos postponeret, unde illi superbi fierent, hi diuturnum odium in principem, invidiam in eos, qui ipsis essent praelati, conciperent. — *moderationi*] Frequenter hoc vocabulum usurpasse videtur simulator ille maxime principio imperii, nondum certo rerum suarum statu atque Germanici causa anxius, unde etiam eius nummus cum inscr. *MODERATIONI* cum huius deae capite apud Eckhel VI. p. 187. — *mens*] bona, an animus rei publ. ac principi infensus. V. 4, 70. 6, 24.— *domus*] mores ipsorum, coniugum, filiorum probi an pravi; item propinquitates et affinitates; nam et propinquorum peccata poterant efficere, ut aliquis in suspicionem veniret et potestas ei male credi videretur. — *fortuna*] integra an afflicta. Gron. — *agitent*] mente; continuo id cogitent se praetores esse designatos ideoque superbiant. Male Bachius: exerceant, honore fungantur. — *exercendae-industriae*] bonis artibus se et principi et civitati commendandi. — *favorabili*] apta ad favorem populi ei conciliandum.

37. *censusque*] ut infra C. 52: *circumferrent. compulerantque. Que* in talibus locis significat, id eodem fere tempore praeterea factum esse. — *Hortali*] Hortensiorum cognomen. Cic. ad Att. 4, 15, 4: *Hortalus* (Hortensius) *in ea causa fuit, cuiusmodi solet.* — Eandem rem narrat Suet. Tib. 47. (Ceterum dubitant interpretes, an idem ille Hortensii nepos sit, quem Valerius Max. 3, 5, 4. mala fama notavit. Ego nil dubitem. Quod autem Valerius quaecunque turpia invidiose in eum cumulat, quis non videt eo turpi adulatori quaeri gratiam Tiberii et excusari huius adversus hominem rigorem? Walth. Attamen eum vocat *Hortensium Corbionem*, et vita tam obscoena vix convenit matrimonio tam fecundo.) — *in paupertate manifesta*] Wolper in Seebodii *Archiv für Phil.* 1, 4, 795. monet M. Hortalum haud profudisse pecuniam ab Au-

Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia exstingueretur. igitur quattuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, cum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem modo Augusti intuens, ad hunc modum coepit: «patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat; simul maiores mei meruerant ut posteros haberent. nam ego, qui non pecuniam, non studia populi neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam si tenues res meae nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent. iussus ab imperatore uxorem duxi. en stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum. nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero. adsequentur florente te, Caesar, quos dederis honores: interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos ab inopia defende.» (38) inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: «si quantum pauperum est venire huc et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli numquam exsatiabuntur, res publica deficiet. nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem et, quod in commune conducat, loco sententiae proferre, ut privata negotia et res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserint largitionem sive abnuerint. non enim preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et inprovisa, cum

1. Habet *sestertii* M, non *sestertium* Beroaldi. — 2. *exting.* M. — 4. *imagine* M. — 5. — *nemerum et puritiam* M. — 12. *absequentur* M. — 13. *interimq; hortensq;* (sic) M. — 15. *tiberio quod* (comp.) *fuit* pr. M. — *promcius* M. — 17. *peccunias* M. — *numquam* M: *nunquam* B. — 18. *egrendi* M. — 20. *negotia et res* M, Beroaldus, Rhenanus: *negotia res* cum Lipsio, qui *et* vel tacite delevit vel incuria, fortasse cum priore aliqua Ed., omisit B, W, Ritter, Doederlein. At vero facillimum est zeugma: «*ut privata negotia* hic agamus *et* cet.» Or. — 21. *abnuerunt* M, sed *u* in rasura. — 22. *istut* M, *istuc* cum ceteris Edd. B. Sed ad analogiam scripturae Mediceae *aliut, aliquit*, *aput* cet. hic quoque scribendum erat *istud.* — *inpr.* M: *impr.* B.

gusto datam, quia hoc ei non vitio vertatur, et preces eius non nisi (certe maxime) ad filiorum salutem ac dignitatem senatoriam iis comparandam spectasse. — *decies sestertii*] Suet. Oct. 41: *senatorium censum ampliavit - - supplevitque non habentibus*; idque saepius fecit. Cfr. Dio 53, 2. 54, 17. 55, 13. Quod igitur ad Hortalum attinebat, sciebat ei certe ducenta milia H. S. esse. — *loco sententiae*] Vide C. 38. — *inter oratores sitam imaginem*] quibus igitur etiam curia illa, ut ita dicam, Palatina (13, 5.) erat ornata. Cfr. infra C. 83. — *tot consulum, tot dictatorum*] Ego in Hortensia gente unum dumtaxat dictatorem reperio, unum consulem; dictatorem a. u. 468. secessione plebis, consulem Q. Hortensium, huius avum, a. 685.; sed intelligit fortasse maiores suos etiam ex stirpe materna. Lips. — Memoratur praeterea in Fastis L. Hortensius cos. a. 646., sed damnatus antequam consulatum iniret. Verum, uti scite Ryckius adnotavit, respexit praecipue ad Marcios Philippos; Marcia enim Catonis Hortali huius avia.

38. *inclinatio senatus*] propter id ipsum, quod eo inclinare senatum animadvertebat Tiberius, hanc liberiorem eius voluntatem reprimere decrevit. — *deficiet*] aerarium exhaurietur. — *loco sententiae*] eodem tempore, quo sententiam de relatione dicit, uno verbo saltem assentiens. Non enim, ut alii volunt, hoc significare credo relatione prorsus praetermissa, alia

aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non conpellatus, nec ea lege ut semper daretur. languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves.» haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. sensitque Tiberius; et cum paulum reticuisset, Hortalo se respondisse ait: ceterum si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. egere alii grates: siluit Hortalus, pavore, an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

(39) Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus, nomine Clemens, conperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. ausa eius inpedivit tarditas onerariae navis; atque interim patrata caede, ad maiora et magis praecipitia conversus fura-

2. *transmerei* M. Correxit Gryphius. (*transferre* Hillerus, *transmovere* Crollius.) — 3. *ambitionem* M. — 5. *conp.* M: *comp.* B. — 7. *exp.* M. — 8. *ads.* M: *ass.* B. — Habet *iis* M. Ante Bekkerum edebant *his*. — 9. *honesta*] *adnesta* (sic) M. — 10. *excipere* M, qui h. l. non potest esse infinitivus historicus, ut opinatur Doederlein. Correxit Beroaldus. — 13. *Hortalus*] postr. syll. in M est e corr. — *pavare* M. — 15. *dilabaretur* M, *dilaberetur* Beroaldus et seqq. ante Ernestium, qui correxit. — 16. *audatia* M. — *nematurae* M. Correxit Beroaldus. — 18. *conp.* M: *comp.* B. — 19. *frude* M. — 20. *inp.* M: *imp.* B. — 21. *parata* M, Beroaldus. Correxit Rhenanus. — *precip.* M.

omnia proferre. Notissimum est enim Catonem cum per plures horas de consulis relatione verba fecisset, in fine semper subiunxisse: *Ceterum censeo Karthaginem esse delendam.* — *modestiam*] *Zartgefühl*, *délicatesse*; qua ducti alii senatores senatoris preces repudiare vix vellent aut possent, nisi si ipsi se dedecorare nihil pensi haberent. — *transmittere*] aliquanto efficacius quam *transferre*, quo cum v. interdum iungitur. Ulpian. 26, 5: *eas* (res) *habeat et transmittat et in alios transferat.* — *pavore an - - retinens*] Frequens hic modus apud Tacitum: exempla collegit Bachius 1, 13: *casu an pedibus eius impeditus.* 1, 65: *metu an contumacia.* 2, 22. 42. 67. 3, 3. 9. 30. 44. 4, 8. 54: *forte an quia audiverat.* 6, 38. 12, 30. 14, 1. 7. 15, 59. Hist. 3, 25. 4, 66: *ausus an ex composito.* — *retinens*] eadem constructione Cic. ad Q. Fr. 1, 2: *sui iuris dignitatisque retinens.* Tacitus ipse rursus 5, 11: *modestiae retinens.* 6, 42. 16, 5., ut ἀντέχεσθαι.

39. *Agrippae servus*] Suet. Tib. 25. Dio 57, 16., cui si fides habeatur, Clemens in Galliam venit, ibi multos, plurimos in Italia sibi adiunxit ac tandem Romam contendit, principatum repetiturus. Multo veri similiora narrat Tacitus. Brot. — *patrata caede*] Cfr. 1, 6. — *furatur cineres*] scilicet ne prolata urna fraudis illico convinceretur. Doederlein: «An superstitione, ut sibi ultionem audenti numinis instar

tur cineres, vectusque Cosam Etruriae promontorium ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat. tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud inperitissimi cuiusque promptas aures, aut rursum apud turbidos eoque nova cupientes. atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici, neque diutius isdem locis, sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut praeveniebat. (40) vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, credebatur Romae; iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. modo nihil spernendum modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat. postremo dat negotium Sallustio Crispo. ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit, atque hortatur, simulata conscientia adeant,

1. *coram* nunc M; fortasse pr. m. *Cosam*, uti emendavit Lipsius. — *promunturium* M. — 2. *haut* M. — 4. *sermonilius* (sic) M. — 5. *vagor umore* (sic) M. — *aput* M. — *inp.* M: *imp.* B. — *promtas* M. — 6. *aput* M. — 8. *festimatione* M. — 10. Habet *Ostiam* M, non *Hostiam*, ut Edd. ante Ryckium. — 11. *catus* M, in mg. *cetus*. — 13. *vanesceret* M. — *spernemdum* M. — 15. *cilentibus* M. — 16. *diligit* M. — *aderant* M.

adesset?» At hoc vix veri simile. — *Cosam*] Strabo 5. p. 225: *μετὰ δὲ Ποπλώνιον Κόσσα πόλις μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης. ἐστὶ δὲ ἐν κόλπῳ βουνὸς ὑψηλός.* Servius ad Aen. 10, 167: *Cosae civitas Tusciae, quae numero singulari etiam secundum Salustium dicitur.* — *dissimili in dominum*] structura Graeca apud Tacitum frequens. C. 48: *magnifica in populum.* C. 59: *grata in vulgus.* Hist. 2, 56: *avidus in omne nefas.* Agr. 33: *decorum in frontem.* Walth. — *relinquebat*] «Abibat vel cum inciperetur spargi vel priusquam spargeretur rumor eum adesse.» Gron. Aliter praeeunte Lipsio interpretatur Walther: «Ita versari solebat in omnibus locis, ut municipia relinqueret, simul ac fama de se spargi ibi coepisset, et in alia transiret, antequam fama de se eo pervenisset;» id quod praefero; sane *relinquebat* est *subducebat hic se famae*, *praeveniebat* autem, *illic comparebat.* Cfr. C. 55: *Piso linquit Germanicum praevenitque.* — *praeveniebat* Freinshemius in Paraphrasi sic explicat: «Solebat venire, priusquam adventurum esse quisquam audivisset (aut suspicatus esset).

40. *celebrabant*] Duplici sensu accipiendum: multitudo Ostiensis Clementem frequentia et occursando, comitando, cingendo celebrabat, *coetus* vero urbani sermonibus et consiliis ad eum pertinentibus. Nec enim ipsam urbem introiisse hominem veri simile est. Doed. Recta tamen in Palatium pertractus esse videtur. — *servum suum*] quippe qui fuisset servus Agrippae, cuius universa hereditas ad Tiberium venerat. — *simulata conscientia*] fingentes se conscios ac participes eorum, qui iampridem illius adventum optarint et exspectarint, adeoque conspirationis pro servato munere deum Agrippa factae, et velle omni modo Augusti sanguinem adversus inimicos tueri. Gron. — *pericula*] Sunt, qui explicent «experimenta, specimina fidei.» Sic Duebner; equidem semper sic accepi: «pollicebantur sese prorsus paratos esse ad eadem pericula ultro subeunda, quae ipsi imminerent.» — *quomodo tu Caesar*] «id est, aeque immerito ac per meram fraudem.» Responsum est iamiam de vita desperantis. Male nonnulli haec vv. pro interrogatione habent; nostra enim ratione irrisio fit multo acerbior, ac no-

offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. exsequuntur ut iussum erat. dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum, clauso ore, in Palatium traxere. percunctanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur «quomodo tu Caesar.» ut ederet socios, subigi non potuit. nec Tiberius poenam eius palam ausus, in secreta Palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri. et quamquam multi e domo principis equitesque ac senatores sustentasse opibus, iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

(41) Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur.

C. Caecilio L. Pomponio cos. Germanicus Caesar a. d. VII. Kal. Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, proeliorum; bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro con-

3. *finctum* M. — 4. *quomodo tu Caesar?* distinxit Ritter. — 5. *penam* M. — 9. *edem saturnio praecepta* M. — 10. *fortes* M. — 12. *aput* M. — 13. *C.* M: *Gaio* B. — *caelio* M. Correxit Broterius. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* M: *consulibus* B. — *a. d.*] *ad* M, *ante diem* B. — *VII.* M: *septimum* B. — *Kal.*] *K* cum lin. traversa M, *calendas* B. — 14. *cattisque* M. — 16. *proeliorum* M: *praeliorum* B.

biscum facit Dio 57, 16: *ἐπύϑετο αὐτοῦ, Πῶς Ἀγρίππας ἐγένου; καὶ ὃς ἀπεκρίνατο ὅτι Οὕτως ὡς καὶ σὺ Καῖσαρ.*

41. *arcus*] De hoc arcu vide Göttling *Thusnelda* p. 9. — *aedem Saturni*] antiquissimam in octava Urbis regione imoque clivo Capitolino atque capite Fori; ibidem erat aerarium. Hac sub aede miliarium aureum posuit Augustus. Cfr. Hist. 1, 27. Plinius H. N. 3, 9. Suet. Oth. 7. Canina *Indicazione di Roma antica* p. 159. — *ob recepta signa*] Vide C. 25. Huc spectat nummus sat obvius, qui hinc Germanicum in quadrigis triumphalibus, sinistra scipionem cum aquila legionaria, illinc stantem paludatum, sinistra rursus aquilam gestantem sistit, addito in area: *SIGNIS. RECEPT. DEVICTIS. GERM. S. C.* Eckhel D. N. VI. p. 209. De priore Germanici triumpho cfr. Ovid. ex Ponto 2, 1. Oberl. — *ductu - - auspiciis*] Cfr. Horat. C. 4, 14, 33. Suet. Oct. 21. Scilicet et Augustus interdum eiusque exemplo Tiberius inde a principatus initio aliis ducibus bella gerenda committebant, dicis causa, quo gloria rerum feliciter gestarum ad ipsos redundaret, auspicia sibi reservantes. — *Fortis Fortunae*] Varro L. L. 6, 17: *Servius Tullius fanum Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit.* Liv. 10, 46: *Sp. Carvilius consul* (a. 461.) *aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit prope aedem eius deae a Ser. Tullio dedicatam.* Donatus ad Ter. Ph. 5, 6, 1. Aedem Fortis Fortunae in regione Transtiberina prope Augusti naumachiam ponit Canina *Indicazione* p. 301. Deae cultum describit Ovid. Fast. 6, 771. seqq. — *in hortis*] Suet. Caes. 83: *populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecenos sestertios legavit.* — *Bovillas*] Latii oppidum in via Appia IX. vel X. M. P. a Roma distans. Non est, ut vulgo aiunt, vicus hodie *le Fratocchie* appellatus. Vide Nibby *Viaggio* II. p. 217. Ibi autem hoc sacrarium structum, quia *Bovillis equester ordo corpus Augusti Romam portandum susceperat.* Suet. Oct. 100. — *C. Caecilio*] Integra horum consulum a. u. 770. nomina sunt C. Caecilius C. F. Rufus, L. Pomponius L. F. Flaccus. Inscriptio autem Grut. 448, 8., quam affert Ryckius, Ligoriana est, id est, subditicia. — *simulacra montium*] Antiquus hic mos.

facto accipiebatur. augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus. sed suberat occulta formido reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum, breves et infaustos populi Romani amores. (42) ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam consulatui eius destinavit. nec ideo sincerae caritatis fidem adsecutus, amoliri iuvenem specie honoris statuit, struxitque causas aut forte oblatas arripuit. rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Caesare missoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia credebatur. ut versa Caesarum subole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quae non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. ille ignarus doli, vel, si intellegere crederetur, vim metuens, in urbem properat; exceptusque immiti a principe, et mox

7. *ads.* M : *ass.* B. — 9. *pociebatur* M. — 11. *C.* M : *Gaio* B. — 15. *gnarus* M. Correxit Rhenanus. — *intelleg.* M : *intellig.* B.

Liv. 41, 28. (a. u. 577.) Polyb. 6, 15. De Hierosolymis triumphatis locum praeclarum habet Iosephus B. Iud. 7, 5, 5. — *augebat*] «Spectationem amplificabat, maiore studio spectabatur.» Duebn. Sive «maiore admiratione atque gaudio spectatores afficiebat.» Cfr. C. 14. — *quinque liberis*] Erant Nero, Drusus, Gaius, Agrippina, Drusilla; nam Iulia tunc nondum erat nata. (C. 54.) Ex triumphantium ritu, qui pueros minores in ipso curru, grandiores interdum equis triumphalibus imponebant. Cic. pro Mur. 5. Suet. Tib. 6. Lips. — *haud prosperum*] quia infelici casu oppressus mature decessit. Cfr. 1, 3., ubi et de Marcello.

42. *struxitque causas*] Simili tropo Virg. Aen. 9, 219: *causas nequidquam nectis inanes.* — *Archelaus*] in nummis *ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ Ο ΚΤΙΣΤΗΣ* (scil. *Ἐλεούσης, τῆς νῦν μετωνομασμένης Σεβαστῆς.* Iosephus A. 16, 4, 5.); minime confundendus cum Archelao, Iudaeae tetrarcha, de quo Iosephus A. 17, 11. De hoc Cappadociae rege, quem a popularibus accusatum Tiberius Augusto cognoscente defenderat (Suet. Tib. 8.), v. Dio 49, 32. 51, 2. 55, 9. 57, 17., Visconti *Iconographie gr.* II. p. 238. Hisely Disput. de historia Cappadociae p. 217—223. — *quinquagesimum*] Regnum acceperat ab Antonio a. 718. — *versa*] ut 3, 36. 54. et 12, 45. pro eversa, Agrippa Postumo in exilium acto, solent accipere; equidem malim: «tota Caesarum subole morte exstincta atque ei substituta Claudiorum stirpe.» — *accusatus in senatu*] Dio 57, 17: *ὡς καὶ νεωτερίζοντά τι.* Cum Archelao etiam Ciliciae praesidem Tiberii iussu rerum novarum reum poenas dedisse narrat Philostratus in Vita Apoll. 1, 12: *ὡς ξὺν Ἀρχελάῳ νεώτερα ἐπὶ Ῥωμαίους πράττοντα·* quae sane absurda erat senis decrepiti accusatio. — *aequa*] aequa cum ceteris condicio, status civilis. Duebn. — *finem vitae*] Dio l. l. *τότε* (ex accusatione) *μὲν ἐσώθη· ἄλλως δ' οὐ πολλῷ ὕστερον ἀπέθανε.* — *redactum*] senatus consulto statim, uti videtur, post Archelai mortem facto, quod mox executus est Germanicus *missus*, ut ait supra, *ad res Orientis.* Cfr. C. 56. Strabo 12. p. 534: *τελευτήσαντος τὸν βίον Ἀρχελάου τοῦ βασιλεύσαντος ἔγνω Καῖσαρ καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων αὐτήν.* — *ducentesimam*] Cfr. Eckhel D. N. VI. p. 224: «Exhausto per bella civilia aerario Augustus constituit vectigal centesimae auctionum seu rerum venalium, quod onus cum a. 768. deprecaretur populus, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti. (Ann. 1, 78.) A. 770., ut hic narratur, ducentesimam in posterum sta-

accusatus in senatu, non ob crimina quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio, et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem vitae, sponte an fato, implevit. regnum in provinciam redactum est, fructibusque eius levari posse centesimae vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit. per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; et provinciae Syria atque Iudaea, fessae oneribus, deminutionem tributi orabant. (43) igitur haec, et de Armenia quae supra memoravi, apud patres disseruit; nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia conponi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent. sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat;

1. *set* M. — 2. *nudum* M. — 4. *ducentisimam* M. — 5. Habet *commagenorum* M, non *commagenonum*, ut traditur apud B. — 7. *Syria* M: *Suria* B. — 8. Habet *demin.*, non *dimin.*, M. — 9. *aput* M. — 10. *conp.* M: *comp.* B. — 13. Habet *iis* M, non *his*, ut Edd. ante Bekkerum. — 14. *Syria* M: *Suria* B. — *adf.* M: *aff.* B. — *conexum* M.

tuit. A. 784. ad pecuniam iam multo attentior rursum pro ducentesima centesimam instituit (Dio 58, 16.). A. 791. *Caligula comitia populo reddidit, quae ei Tiberius ademit et vectigal centesimae sustulit.* (Dio 59, 9.) Restituta igitur fuit Tiberii vetus ducentesima. Anno demum 792. ipsam etiam ducentesimam a Caligula remissam aperte testantur h. a. nummi inscripti *RCC.* id est, *Remissa Ducentesima,* atque istud confirmat Suetonius Cal. 16: *ducentesimam auctionum Italiae remisit*, etsi tempus non definit. Et constantem fuisse hanc liberalitatem, probant sequentium annorum Caligulae nummi, in quibus beneficium istud a grato senatu recolitur.» Inscriptionem autem Murat. 1992, 5., quae male habuit turbavitque Sanclementium (De vulg. aera p. 86.) atque adeo ipsum aliquatenus Eckhelium, nunquam exstitisse demonstrat Hagenbuchius in Apparatu Mss. Muratoriano nihilque aliud continere nisi nummorum illorum inscriptionis falsissimam solutionem: nam homo fallax atque imperitus ex notis *RCC.* fecit *REI CENSITAE. CONSERVATOR.* — *Antiocho*] inter reges Commagenos huius nominis tertio, filio Antiochi II. interfecti ab Augusto a. 725. Dio 52, 43., et pater Antiochi, qui est apud Tacitum A. 13, 7. Hist. 2, 81. 5, 1. Suet. Cal. 16. Dion. 60, 8. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 12. — *Philopatore*] huius nominis altero, filio Philipatoris I. et Tarcondimoti I. nepote. De his v. Dio 41, 63. 47, 26. 50, 34. 51, 2. et 7. 59, 9., quibus ex locis Ciliciae res sic adumbravit Walther: «Tarcondimotus I., qui in bello civili Pompeium contra Caesarem potissimum re navali iuverat, a victore gratiam nactus tunc quidem in regno mansit, postea a Cassio invitus ad societatem compulsus est. Interiit in bello Actiaco in partibus Antonii. Filii eius post cladem ab Antonio defecerunt. Patri successerat Philopator I., quem regno spoliavit Augustus; tribuit fratri eius Tarcondimoto II. a. 734.; post quem regnavit Philopator II., cuius hic mentio est.»

43. *supra*] Cap. 3. — *motum Orientem*] turbatum, ut C. 1: *mota Orientis regna.* 14, 61: *res motae.* — *quae mari dividuntur*] Asia tota et Aegyptus; de Africa vix cogitavit. — *maius imperium*] ut quondam *imperium infinitum* Pompeio piratico in bello (v. Cic. pro lege Manil.) et M. Antonio Cretico. Dio 53, 32: τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀπάντων ἰσχύειν. — *Creticum Silanum*] Ex Iunia gente hic Silanus, sed adoptione in Caeciliam transierat. Itaque nomina illi Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus. Dio 55, 30. Consul fuerat a. 760. — *pacta erat*] neque tamen rata fuisse ea

praefeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit, mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur; vix Tiberio concedere, liberos eius ut multum infra despectare. nec dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici coërcendas. credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi. divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi praecellebat. sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.

1. *C. N.* ut semper, M: *Gnaeum* B. — 2. *affrica* M. — 6. Habet *uxoris quoque* M, ut Rhenanus et seqq. Edd. Beroaldus edidit *uxorisque*. — 8. *Syriae* M: *Suriae* B. — *cohero.* M. — 10. Habet M *aemulatione muliebri*, non *mul. aemul.*, ut Edd. ante Bekkerum. — 13. *aput* M. — 14. *mater* M. Correxit Rhenanus. — *M.* M: *Marcum* B. — 17. *fama* cum lin., ut sit *famam*, M. — *prec.* M.

pactio videtur; nam infra 3, 29. refertur de nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. Walth. — *Cn. Pisonem*] Seneca de Ira 1, 16, 13: *Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed pravus et cui placebat pro constantia rigor*; tum narrat exemplum eius saevitiae. — *in Africa*] Scr. belli Afric. 18: *M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus MC. electis peditatuque eius generis satis grandi occurrunt.* Item 4: *Adrumeti Cn. Piso cum Maurorum circiter tribus milibus apparuit.* Lips. — *consulatum*] a. 731. gestum cum ipso Augusto, quod honorificentius erat. — *paternos spiritus*] eandem arrogantiam, eundem fastum, qui iam in patre notabatur. Sic 4, 12: *Agrippinae tumidos spiritus.* — *Plancinae*] a Dione 58, 22: *Munatia Plancina* dicitur; ut certum sit eam illustris illius L. Munatii Planci filiam fuisse aut neptem. Nominare hanc ipsam videtur lapis apud Grut. 985, 8: *DIS MANIBVS L. MVNATI PLANCINAE L. POLYCLITI.* Ern. — *liberos eius*] Germanicum et Drusum. — *infra*] ipsum positos. — *insectandi*] nunc pendet, ut volebat Freinshemius, a v. *aemulatione* (sic enim quid *monuerit* Livia Plancinam mire taceretur), sed a v. *monuit*, quasi ex hoc eliceretur v. *monitu*. Sic 15, 5: *Vologesi penitus infixum erat* (consilium) *arma Romana vitandi.* Ibid. 21: *maneat provincialibus* (facultas) *potentiam suam tali modo ostentandi.* Singulare hoc quoque 13, 26: *nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem.* — *avunculum*] maiorem sive proavunculum. Nam Germanici mater, Drusi coniux, fuit Antonia minor, Antonii triumviri filia ex Octavia, Augusti sorore nata. Sic C. 27: *amita* pro amita magna; 5, 6. et 6, 8: *gener* pro progenero; 14, 55: *avus* pro proavo. — *Pomponius Atticus*] notus ille Ciceronis amicus, cuius filia Pomponia prior coniux fuit M. Agrippae et mater Vipsaniae Agrippinae, quae Tiberio nupta Drusum peperit. — *Liviam - - praecellebat*] ut προέχειν τινά apud Xenophontem Anab. 3, 2, 19: ἑνὶ μόνῳ προέχουσιν ἡμᾶς οἱ ἱππεῖς. Sic construit frequenter imprimis v. *praeminere*. 3, 56. 12, 12. 33. 15, 34. Hist. 1, 7. Livia autem sive Livilla uxor primum C. Caesa-

(44) Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet; simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente. sed Suevi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes. nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant. vis nationum, virtus ducum in aequo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat. (45) igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum; sed e regno etiam Marobodui Suevae gentes, Semnones ac Langobardi, defecere ad eum. quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. diriguntur acies, pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa ad-

4. *suebi* M. — 5. *orantentes* M. — *ac* ante vv. *vis nationum* transponendum suadet Doederlein; haberi posset potius pro geminatione seqq. litterarum *u a c*, sed probabiliter Walther significat esse praecedentium *ἐπεξήγησιν*. Or. — 6. *ads.* M: *ass.* B. — 7. *aequos et* M, Beroald. Correxit Rhenanus. — 8. *aput* M. — *pellantem* M. (Ut supra *finctum*, sic hoc vestigium est Germanici librarii.) — 9. *cheruscis* M. — 10. *suebae* M. — 11. *Langobardi* M, ut Ann. 11, 17. Germ. 40. Gerlach.: *Longobardi* B. — 12. Habet *clientium* M, non *clientum*, ut edebant ante Ernestium. — 14. *deriguntur* M. — *utrimque* M: *utrinque* B. — *aput* M. — 15. *pec.teruas* (sic) M. — Habet *adversum* M, non *adversus*, ut Edd. ante Brotierium.

ris, qui Agrippae filius fuit ab Augusto adoptatus; deinde Drusi.

44. *lascivientem*] 3, 37: *neque luxus in iuvene* (Druso) *adeo displicebat* (populo): *huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret* cet. — *Suevi*] Cap. 26. Cfr. etiam Zeuss *die Deutschen* p. 55. cet. — *discessu*] cum discessissent Romani *ac* vacui ipsi essent omni externo metu. — *et tum*] Sine causa in hoc haesere nonnulli. Est: *tunc ipsum (gerade damals) praesertim aemulatione*. — *Maroboduum*] Vellei. 2, 108. Strabo 7. p. 290. ex Tzschuckii lectione: *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς καὶ τὰ τῶν Σοήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπου τὰ τῶν Κολδούων· ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ Βουΐαιμον (Boiohemum* Velleii, *Boiemum* Taciti Germ. 28.), *τὸ τοῦ Μαροβούδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομμάνους· ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον· νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ· ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε καὶ κατεστήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λουΐους τε, μέγα ἔθνος, καὶ Ζούμους καὶ Βούτονας καὶ Μουγίλωνας καὶ Σεβινοὺς καὶ τὸ τῶν Σοήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος, Σέμνωνας.*

45. *Semnones*] Germ. 39. Velleius 2, 106.: (a Tiberio) *a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* Ukert *Germanien* p. 241. Zeuss *die Deutschen* p. 130: *das angesehene Centralvolk der Sweben.* — *Langobardi*] Germ. 40. Ann. 11, 17. Vell. l. l.: *gens etiam Germana ferocitate ferocior.* Habitabant iuxta Chaucos, ad Occidentem Albis fluminis. Zeuss p. 111. Ukert p. 406. — *manu clientium*] comitatu, de quo Germ. 13. — *fratris*] Segimeri. Vell. 2, 118. — *iuveni*] nam biennio post hanc pugnam obiit XXXVII. annos natus. C. 88. — *diriguntur*] instruuntur, ut Hist. 4, 16. Liv. 22, 19: *diriguntur in pugnam naves.* 34, 28: *acie directa*, ubi v. Drakenb. — *vagis incursibus*] Doederleinio videtur dativus, mihi ablativus, quem dicunt, absolutus; *dirigi* enim *acies* ordinatim instru-

versum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat; contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus, proditorem patriae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum quam Varum Quintilium interfecerint. meminissent modo tot proeliorum; quorum eventu, et ad postremum eiectis Romanis, satis probatum penes utros summa belli fuerit. (46) neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat, sed Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quae prospere ceciderint, testabatur: vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniae et ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius servitium adhuc tolerent. at se duodecim legionibus petitum

2. Habet *ac tunc* M, non *et tunc*, ut Lipsius aliique. — *conl.* M: *coll.* B. — 4. Habet *derepta* M, non *direpta*, ut Edd. ante Ryckium. — 5. 8. *proel.* M: *prael.* B. — 9. *electis* M. — 11. *oms* cum lin. *(omnes)* M. — 12. *caecid.* M. — 13. *vaec.* M. — 15. *ignomina* M. — 16. *filios* M. — *se*] *si* M.

ctas ad *vagas excursiones* faciendas dicere vix poterat. — *ac tunc*] non eadem omnibus dixit, sed alia his, alia aliis. Hist. 3, 24. Curt. 3, 10, 4. Freinsh. De *Hercynia silva* et de Maroboduo *satellite Augusti* v. supra Strabonis locum. Cfr. Vell. 2, 108: *gens Marcomannorum, Maroboduo duce excita sedibus suis atque in interiora refugiens incinctos Hercynia silva campos incolebat.* — *petivisse foedus*] Vellei. 2, 109: *legati, quos mittebat ad Caesares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur.* — *summa belli*] prosper eventus, victoria; sic Liv. 3, 61. et alibi.

46. *illo in corpore*] viro, *Person*, ut Curt. 5, 35, 4: *in illo corpore* (Dario) *posita est victoria nostra.* — *rerum nescium*] experientia destitutum, ut *rerum imperitum* Cic. Tusc. 4, 42. — *vacuas*] post Vari mortem duce destitutas, qui insuper ipse fraudis fuerit ignarus. Mire autem Walther explicat *otiosas*, ad proelium non paratas. Immo in expeditionem profectae erant adversus populum Germanicum, qui ad speciem arma adversus Romanos ceperat. Dio 56, 19. Neque vero cum Wopkensio et interpretibus Italicis atque Gallicis exponi potest *non plenas, incomplètes*; nobis est *entblösst, sich selbst überlassen.* — *deceperit*] per zeugma: prius decepit Varum ac desperatione ad necem sibi consciscendam adegit; tres legiones delevit. — *coniunx - filius*] Thusnelda et Thumelicus. 1, 57. 58. — *petitum*] cfr. Vellei. 2, 109. 110. — *discessum*] post aequam pacem factam et Romanum et se suos utrumque in fines redisse. — *neque paenitere*] per λιτότητα hoc dictum: magnum sibi meritum neque exiguum commodum id iure ac merito videri, quod ipsi debeant populares, quod perfecerit, ut liberum iis sit, utrum pacem malint sine bello, an bellum gerere, id quod integra spe liceat facere, quandoquidem nondum antea victi a Romanis sint. Ern. — *pro antiquo decore*] a Cheruscis, *aut recenti libertate*, a Langobardis, qui nuper e regno Marobodui ad Arminium defecerant. Walth. — *sperabatur*] ut saepe, exspectabatur. — *transfugiis*] ut αὐτομολίαις Thuc. 1, 142. H. 2, 14: *crebris, ut in civili bello, transfugiis.* H. 3, 61: *crebra transfugia tribunorum;* et iam Livius 22, 43: *transfugia impeditiora.* — *paci firmator*] Hoc mutandum non erat in genit. Cfr. A. 1, 24: *rector iuveni.* 2, 67: *liberis tutorem.* 3, 14: *custos saluti.* 15, 49:

duce Tiberio inlibatam Germanorum gloriam servavisse, mox condicionibus aequis discessum; neque paenitere quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint. his vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, cum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recenti libertate, et contra augendae dominationi certaretur. non alias maiore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. id signum perculsi fuit; et transfugiis paulatim nudatus in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. responsum est non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset. missus tamen Drusus, ut rettulimus, paci firmator.

(47) Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes conlapsae nocturno motu terrae; quo inprovisior graviorque pestis fuit. neque solitum in

1. *inl.* M: *ill.* B. — 3. Habet *adversum* M, non *adversus*. — 4. *cause* M. — 5. *Langobardisque* M: *Longobardisque* B. — *recente* M. — 7. *utrimque* M: *utrinque* B. — 8. *ne* M. — 9. Habet *transfugiis* M, non, ut opinabantur, *transfugis*, quem Beroaldi errorem correxit Lipsius. — Habet *Marcomannos* M. Walther edidit *Marcomanos*, ut sane libri Germ. 42. — 11. *adverus* M. — 13. Habet *paci* M. Ante Bekkerum *pacis*. — 14. *conl.* M: *coll.* B. — 15. *inpr.* M: *impr.* B.

initium coniurationi. Hist. 1, 88: *ministros bello*. 4, 19: *causam seditioni*, atque alibi. Efficacius sic exprimi arbitratus est finem, qui firmatori, rectori, custodi propositus esse debebat. Similia sunt A. 2, 64: *causas bello*. Horat. C. 1, 15, 21: *exitium tuae genti*, et quae ibi attuli exempla. — Ceterum, quomodo Drusus pacem firmaverit, disces ex Cap. 62: *illiciens Germanos ad tumultus*. Dicis igitur causa veniebat, ut pacificator, ne Maroboduus regno illico spoliaretur a Cheruscis, quos Drusus cum exercitu coërceret; re vera autem secreta exsequebatur Tiberii mandata, *ut fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur*. Quomodo Luden *Geschichte* I. p. 684. *pacem* hanc interpretetur inter Romanos et Maroboduum, equidem haud intelligo; siquidem nullum tunc inter hos bellum erat.

47. *motu*] Plin. H. N. 2, 86: *Maximus terrae memoria mortalium exstitit motus Tiberii Caesaris principatu, duodecim urbibus Asiae una nocte prostratis*. Dio 57, 17. Strabo 12. p. 579: *Καὶ τὰ περὶ Σίπυλον καὶ τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ μῦθον οὐ δεῖ τίθεσθαι, καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν τὴν ὑπ' αὐτῷ κατέβαλον σεισμοί, ἡνίκα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων τὰς ἐπιφανεστάτας κατὰ πολλὰ μέρη διελυμήναντο· ἐπηνώρθωσε δ' ὁ ἡγεμὼν χρήματα ἐπιδούς*. Hieronymus in Chron. p. 419. Roncall.: *Tredecim urbes terrae motu corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mostene, Aegae, Hierocaesarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cymae, Myrina, Apollonidea, Hyrcania*. — Refertur huc Tiberii nummus cum inscriptione *CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS.* Eckhel D. N. VI. p. 192. et praeclarum illud marmor a. 1693. apud Puteolos effossum, quod Tiberio dicatum XIV. figuras muliebres exhibet cum subscriptis urbium Asiaticarum nominibus: 1. *SARDIS* (ut videtur). 2. MAGNESIA. 3. PHILADELPHEA. 4. TMOLVS. 5. CYME. 6. TEMNOS. 7. CIBYRA. 8. MYRINA. 9. *EPHESOS*. 10. *APOLLONIDEA*. 11. *HYRCANIA*. 12. *MOSTENE*. 13. *AEGAEAE*. 14. *HierocAESAREA*. Marmor hoc descripsit Laur. Theod. Gronovius in Gronovii *Thesauro Graec. Antiqq.* VII. p. 433—504. Mirum sane est a Tacito enumerari XII. dumtaxat civitates, praeteriri Ephesum et Cibyram. Utrum hae urbes minus quidem ipsa terrae motus illius calamitate afflictae, nihilominus propter qualemcunque causam

tali casu effugium subveniebat, in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. sedisse inmensos montes, visa in arduo quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidienses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit qui praesentia spectaret refoveretque. delectus est M. Aletus e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oreretur. (48) magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae, locupletis intestatae, petita in fiscum Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et Patulei di-

1. *effigium* M. — *deductis* M. Correxit Beroaldus. — 2. *inm.* M: *imm.* B. — 3. Habet *ignes* M. Inde a Iac. Gronovio usque ad Bekkerum *ignis.* — 6. *sypilo* M. — *habit* (sic) M. — 7. *Apollonidienses* malui ex Codd. Cic. pro Flacco 29.: *Apollonienses* M, *Apollonidenses* cum Ernestio B. — *qui quem osteni* M. — 8. *hiero caesariam* (sic divise) M. — *cyment molum* M. — 10. *M.* M: *Marcus* B. — Fort. *Aletius* e Grut. 585, 2. Tamen *L. Aletus* Mur. 936, 8. — 12. Habet *oreretur* M, non *oriretur*, ut edebatur ante Bekkerum. Cfr. 3, 61: *poteretur.* — 13. *intestate* M.

Tiberii liberalitatis participes fuerunt? an per meram adulationem in principem ad hoc monumentum pecuniam contribuerunt? — *prorumpendi*] Hoc gerundium, etsi negat Ernestius, sane pendet a v. *effugium.* — *sedisse*] In simili terrae motus descriptione Salustius Fragm. inc. p. 247. Gerl.: *Ventis per cava terrae citatis rupti aliquot montes tumulique sedere.* Pertinet autem ad v. *sidere* (1, 70. Corn. Nep. 12, 4, 2. *navis rostro percussa coepit sidere*), de cuius praeterito *sedi* consule Priscianum 10. p. 889. et 893. P. — *Sardianos*] Bianor in Anthol. Pal. II. p. 150: *Σάρδιες αἱ τὸ πάλαι Γύγου πόλις, αἵ τ' Ἀλυάττου Σάρδιες, αἳ βασιλεῖ Περσὶς ἐν Ἀσιάδι, Αἳ χρυσῷ τὸ παλαιὸν ἐπλινθώσαντο μέλαθρον, Ὄλβον Πακτωλοῦ ῥεύματι δεξάμεναι· Νῦν δὲ ὅλαι δύστηνοι ἐς ἓν κακὸν ἁρπασθεῖσαι, Ἐς βυθὸν ἐξ ἀχανοῦς χάσματος ἠρίπετε. Βοῦρα κάθησ' Ἑλίκη τε κεκλυσμένα· αἱ δ' ἐνὶ χέρσῳ Σάρδιες ἐμβυθίαις εἰς ἓν ἔκεισθε τέλος.* — *lues*] pestis, pernicies, neque opus est conicere *labes.* Hist. 2, 13: *immensa belli lues.* — *Sipylo*] Strabo 13. p. 621. *ΜΑΓΝΗΤΕΣ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ* in nummis, quo cognomine distinguitur a Magnesia ad Maeandrum duabusque aliis Magnesiis. — *aut*] copulative usurpatum aiunt, ut Hist. 4, 71: *locum montibus aut Mosella amne saeptum,* qui locus tamen differt, cum sit *partim montibus, partim alibi amne s.* Oberlinus auctore Ernestio dedit *ac* et sane *ac* et *aut* saepe confusum; v. Hand Turs. I. p. 512. — *Macedones Hyrcani,* id est Hyrcani permixti cum Macedonibus; habitabant in Lydiae Hyrcanio campo.

48. *auxit*] «Hoc vult: Gratiam magnifica in publicum largitione comparatam auxit privata liberalitate haud minus grata. *Liberalitas* proprie dicitur de Caesarum largitione in privatos: Hist. 1, 20. Suet. Galba 15: *liberalitates Neronis non plus decimis concessis - - revocandas curavit.*» Doed. — *Aemiliae Musae*] «Libertina haud dubie erat Musa» (id quod elucet ex hoc ipso cognomine, ut libertus erat Antonius Musa, illustris ille Augusti medicus:) «propinquis nullis nec patrono aut patroni posteris superstitibus aut saltem non satis certis demortua, cuius bona ut vacua, *ἀδέσποτα*, in fiscum petebantur» (ab huius procuratoribus: memorantur proprii *procuratores hereditatum* ex Fr. 32. de iure fisci. 49. 14. a Dirksenio *Man.* p. 768. ac teste Strabone 17. p. 797. in Aegypto erat *ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος ὃς τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστής ἐστι·*)

vitis equitis Romani hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus. neque hereditatem cuiusquam adiit nisi cum amicitia meruisset. ignotos et aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat. ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu aut sponte cedere passus est.

(49) Isdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum, quam A. Postumius dictator voverat. eodemque in loco aedem Florae ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam, et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duilius struxerat, qui primus rem Ro-

2. *M.* M: *Marco* B. — 3. *nobilitate utrisque* M. Correxit Beroaldus. — *peccunia* M. — 8. *sullamque vitellum* M. — 12. *quas* M. Correxit Lipsius. — *A. Postumius*] *apostumius* M, *Aulus Postumius* B. — *aedem*] *aead* (sic cum lin. recta super alterum *a*) M. — 13. *Lucio* et *Marco* hic omnibus litteris M. — 14. *aput* M. — *holitorium* M. — *C.* M: *Gaius* B. — *Duilius* cum Fastis Baiterus: *dullius* M, *Duillius* B.

«Remisit Caesar, tamquam certum esset, quod videbatur tantum, sed apud iudices evinci non poterat ad Aemilii domum eam pertinuisse, utpote ab uno ex eius maioribus manumissam.» Doed. Poterat etiam manumissa esse ab aliquo Lepidi liberto, cuius memoria evanuerat. — *M. Servilio*] de quo 6, 31. — *nobilitatem - - iuvandam*] ut eam tueri eaque digne vivere possent. Ern. — *aliis*] iis quidem, ad quos hereditas iure pervenire debebat. Duebn. — *amicitia meruisset*] heres scribi; multi enim id ex mera adulatione faciebant, aut ut posteris suis principis favorem conciliarent, aut certe reliquam partem bonorum iis servarent. Agr. 43. Plin. Paneg. 43. — Idem ac Tacitus tradit Dio 57, 17. extr. — *procul arcebat*] eorum testamenta non admittebat, repudiabat. — *Q. Vitellium*] Suet. Vit. 2: *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.*

49. *Libero*] Cic. de N. D. 2, 24: *hunc dico Liberum Semela natum, non eum, quem nostri maiores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest* cet. *Libera* (Proserpina) *in Hennensium nemore a Dite patre rapta*. Verr. Acc. 4, 48. In Inscrr. m. Lat. N. 2361: - - *LIBERO ET CERERI ET CORAE SACRATAE APUD AEGYNAM* (sic) cet. — *A. Postumius dictator*] a. u. c. 258. ante pugnam ad lacum Regillum, qua devicti Tarquinii. Dionys. Hal. 6, 17: *Ἀπὸ δὲ τῶν λαφύρων ἐξελόμενος τὰς δεκάτας ἀγῶνάς τε καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς ἐποίει καὶ ναοῦ κατασκευὰς ἐξεμίσθωσε Δήμητρι καὶ Διονύσῳ καὶ Κόρῃ κατ' εὐχήν.* Ibid. 94: *Κάσσιος δὲ* (Spurius Cassius Viscellinus Cos. II. a. 261.) *ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων - - τὸν νεὼν τῆς Δήμητρος καὶ Διονύσου καὶ Κόρης - - καθιέρωσεν, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἱπποδρόμου τέρμασιν, ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένος τὰς ἀφέσεις* (carceres.) — *Publiciis*] Malleolis fratribus. — *aedilibus*] plebeiis (a. 514.) auctore Ovid. Fast. 5, 287. Cfr. Varro L. L. 5, 32. p. 62. Muell. Festus in *Poblicius clivus*. Lind. p. 208., qui *curules* facit. — *apud forum olitorium*] diversum a Iani templo, quod Numa constituit apud infimum Argiletum. Liv. 1, 19. Hoc autem forum erat in regione XI. prope templa Iunonis Matutae (*Sospitae* Sigonius). (Liv. 34, 53.) Pietatis, Spei. Canina *Indicazione* p. 276. — *C. Duilius*] consul a. 494. cuius Columna rostrata. Inscrr. m. Lat. N. 549. in qua, ut hic: *bene rEM NAVEBOS MARID CONSOL PRIMOS Cesit* (gessit). —

manam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.

(50) Adolescebat interea lex maiestatis. et Appuleiam Variliam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset, Caesarique connexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. de adulterio satis caveri lege Iulia visum: maiestatis crimen distingui Caesar postulavit, damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari. interrogatus a consule quid de iis censeret quae de matre eius locuta secus argueretur, reticuit; dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent. liberavitque Appuleiam lege maiestatis: adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur suasit. adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

(51) De praetore in locum Vipstani Galli, quem mors abstulerat,

2. *a* debetur Beroaldo. *in* M, *dein* suspicatur Doederlein. — *iatillius* M. Ut nunc editur, iam Beroaldus. — 5. *inl.* M: *ill.* B. — *conexa* M. — 8. *inr.* M: *irr.* B. — 9. Habet *iis* M, *his* Edd. ante Bekkerum. — 12. *puleiam* h. l. M. — *depcatus* cum lin., id est, *depraecatus*, M. — 14. *affrica* M. — 15. Habet *Vipstani* M, non *Vipsanii*, ut edebant ante Bekkerum. Idem coniectura assecutus erat Hagenbuchius *Epp. epigr.* p. 228.

Atilius] est A. Atilius Calatinus consul a. 496.; qui triumphavit a. 497. Cic. de Legg. 2, 11: *recte etiam a Calatino Spes consecrata est.* Liv. 21, 62: *aedem Spei, quae est in foro olitorio*, hodie *Piazza Montanara.*

50. *Adolescebat*] semper maiore cum vi atque rigore exercebatur. — *sororis Augusti neptem*] Oportet igitur Octaviae minoris (v. Eckhel D. N. VI. p. 159.) filiam Claudiam Marcellam nuptam in gentem Appuleiam et liberos habuisse. Facit huc, quod Dio 54, 30. et 56. Sex. Appuleium, qui consul fuit in Augusti morte, *συγγενῆ Αὐγούστου* appellat. — *adulterio*] Nusquam, ubi de adulterii accusationibus narrat Tacitus, refert, an crimen re vera probatum sit. — *maiestatis delator arcessebat*] innixus Augusti exemplo, qui *impudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit, gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellabat.* Ann. 3, 24. — *Iulia*] de adulteriis et stupris, lata a. 737. Cfr. 4, 42. — *in se iacta*] Dio 57, 9: *τό γε ὑβρίσθαι πρός τινος καὶ τὸ ἠσεβῆσθαι πρός τινος (ἀσέβειάν τε γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον) ἥκιστα προσεποιεῖτο. οὐδὲ ἔστιν ἥντινα τοιαύτην ἐφ' ἑαυτῷ γραφὴν προσεδέξατο, καίπερ τὸν Αὔγουστον καὶ ἐν τούτῳ σεμνύνων.* At plane mutatum Tiberium invenies apud Dionem 58, 24. Walth. — *secus*] maligne, irreverenter, ut Liv. 8, 33: *quid de collega secus senatui scriberet.* Val. Max. 9, 11. 2. — *graviorem poenam*] quae lege Iulia irrogabatur. Similiter Suet. Oct. 5: *in deprecanda graviore adulterii poena;* ubi Wolfius quidem interpretatur: «graviore quam statuta erat lege Iulia de adulteriis»; sed hic saltem Appuleia multo clementius punita esse narratur, quam iubebat lex illa. Cfr. Iulii Paulli rec. Sentent. 4, 26, 14. ed. Arndts p. 86*, qui solus est ex tota antiquitate locus de huius legis poena: *Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis et tertia parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coërceri; adulteris vero viris pari in insulam relegatione dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diversas insulas relegentur.* — *propinquis suis*] Dionys. Hal. 2, 25., ex Romuli, ut narrat, lege: *γυνὴ ἁμαρτάνουσά τι δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον* (maritum) *ἐλάμβανε καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον· ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος κτλ.* Cato apud

subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romae erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fovebant: contra plerique nitebantur ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret. victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis, quomodo etiam cum valerent leges vincebantur.

(52) Eodem anno coeptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. is natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare, dein more militiae per vexilla et turmas componere, postremo non inconditae turbae sed Musulamiorum dux haberi. valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma, Maurosque accolas in bellum traxit. dux et his Mazippa. divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et caedes et terrorem circumferret. conpulerantque Cinithios,

7. *affrica* M. — 8. Habet *auxiliaria* M. Male Lipsius *auxiliaris*, Freinshemius *auxiliariis*. — 11. *musula maiorum* M. — *valide agens* M. — 12. Habet h. l. *Africae* M. — 16. *cnitios* M. Emendavit Beroaldus. — *conp.* M: *comp.* B. — *cnitios* M.

Gell. 10, 23: *Vir, cum divortium facit, mulieri iudex pro censore est. Imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Livius 39, 18: *Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent; si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur.* Suet. Tib. 35: *Matronas prostratae pudicitiae, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui more maiorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit.* Illustre exemplum habes Ann. 13, 32. — *ultra ducentesimum lapidem*] ab urbe Roma. Arbitraria manifesto haec erat poena, multo tamen mitior, quam relegatio in insulam; de dimidia autem parte dotis et tertia bonorum an quidquam in Appuleiam statutum sit, tacet.

51. *Haterium Agrippam*] Est is, qui supra 1, 77. a. 768. tribunus plebis fuit, consul a. 775. Cfr. 3, 49. et 52. Huic praenomen fuit Decimo. Diversus est a Q. Haterio 1, 13. 2, 33. 4, 61. De propinquitate nihil compertum: Ryckio videtur matrem habuisse Vipsaniam M. Vipsanio Agrippa et Marcella genitam. Cfr. Suet. Oct. 63. — *quod lex iubebat*] scil. Papia Poppaea de maritandis ordinibus lata a. 762., cuius caput erat: *Qui candidatorum plures liberos secundum hanc legem habebit, praefertor.* (Bach *Hist. iurispr. R.* p. 313.) Cfr. 15, 19. Plin. Epp. 7, 16: *Calestrius Tiro me in tribunatu liberorum iure praecessit.* Cfr. Ann. 15, 19.

52. *turmas*] ad eius equitatum refertur. — *Musulamiorum*] Pone Cirtam ad Austrum sub Audo monte eam gentem locat Ptolemaeus Μισουλάμους vocans 4, 3.; magis ad Occasum Tacitus, Mauris propinquos. In ora Mauretaniae maritima Musulubium Horrea. Oberl. — *disciplina*] ut Cic. de Orat. 3, 15: *homines labore assueti.* Liv. 31, 35: *genus pugnae, quo assuerant.* — *suesceret*] active pro *assuefaceret*, cuius usus exempla affert Bentleius ad Horat. Sat. 1, 4, 105.; nullo enim pacto cum aliis ad ipsum Tacfarinatem referri potest. — *copia*] apud Livium aliosque usitatum vocabulum est *levis armatura*; sed v. *copia* num. sing. armaturae et exercituum significatione utitur Tacitus etiam 4, 4. et 27. — *Cinithios*] memorantur etiam a Ptolemaeo 4, 3., cui sunt Κινήθιοι, al. Κινύθιοι. *Cinyphii*, quos hic substitutos ivere Aurelius et Vitius ad Gratii Cyneg. 34. ad Syrtim positi nimis

haud spernendam nationem, in eadem, cum Furius Camillus pro consule Africae legionem, et quod sub signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit, modicam manum si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil aeque cavebatur quam ne bellum metu eluderent. spe victoriae inducti sunt ut vincerentur. igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur. nec Tacfarinas pugnam detrectavit. fusi Numidae, multosque post annos Furio nomini partum decus militiae. nam post illum reciperatorem urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat; atque hic quem memoramus bellorum expers habebatur. eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit; et decrevere patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.

(53) Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiae Nico-

1. Habet *pro consule* M. Ante Waltherum et Bekkerum cum Beroaldo plerique *proconsul.* — 3. *manum similitudinem* M. — 9. Habet *memoramus* M, non *memoravimus*, ut Edd. ante Ernestium. — 10. *aput* M. — 11. *insigna* M. — 12. *impunae* M. — 14. *aput* M. — *nicopolem* M.

longe abesse videntur. Oberl. — *pro consule*] Additum provinciae nomen adeo insolitum videbatur Ernestio, ut restitueret Lipsii *proconsul.* At confer 3, 38: *pro consule Cretae.* — *in unum conductos*] pro *contractos* rarius sane est, sed reperitur etiam 4, 47. — *bellum eluderent*] callide evitarent; verbum petitum a gladiatoribus, qui corporis declinatione scite adversariorum ictus evitant. Liv. 2, 48: *bellum quiete, quietem bello eludere.* — *reciperatorem urbis*] M. Furium Camillum, qui quater triumphavit a. 358. 364. 365. 387. — *filiumque*] *L. Furium Camillum* Dict. 404. et 409. Cos. 405. Poterat addere L. Furium Sp. F. M. N. Camillum Cos. a. 416. et 429., qui triumphavit a. 416., nisi nepotem cum filio, qui nunquam triumphavit, confudit. — *penes alias familias*] Furiae gentis, cuius duo praeterea triumphi de Gallis memorantur in Fastis triumphalibus Baiteri p. CLVI. P. Furii Phili a. 531. et L. Furii Purpureonis a. 554. — *modestiam*] Mediocri igitur fama cum esset contentus ac *quietem* (14, 47.) sectatus, nullum periculum ab eo timebat princeps.

53. *Tiberium tertio*] sic scripsit, ne quattuor *um* sese exciperent. Suet. Tib. 26: *nec amplius quam omnino tres consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usque in Idus Maias gessit.* Duos ante sub Augusto gesserat a. 741. et 747. Eum autem, quem princeps factus paucis dumtaxat diebus gessit, hunc ipsum esse Taciti tertium demonstravit Hagenbuchius in Adnott. Mss. ad Grut. 26, 9., quam h. l. affert Ryckius; sed est Ligoriana, id est, subditiva. Suffectus est ei amicus L. Seius Tubero. (2, 20. 4, 29.) — *Achaiae Nicopolim*] Late *Achaiae* nomen sumit, non Graeciae solum (1, 76.), sed etiam pro Epiro, ubi sane haec urbs est, ab Augusto condita ad Ambracium sinum. Credo ideo, quia illo aevo tota haec regio uni praesidi permissa ac propterea et nomine uno dicta. Lips. In Antonini Itinerario *Actia Nicopolis* appellatur. Oberl. (Hodie *Prevesa*, ut opinatur Reichard.) Cl. Mamertini Grat. Act. Iuliano 9: *Urbs Nicopolis, quam Augustus in monumentum Actiacae victoriae tropaei instar exstruxit - -; ibi certamen ludicrum lustris omnibus solitum frequentari. Manubias* autem explica ex Suet. Oct. 18: *Ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.* Cfr. Dio 50, 12. 51, 1. — *ut memoravi*] C. 43. — *avunculus*] proprie avunculus maior. — *imago tristium laetorumque*] *tristium*, si Antonium spectaret; *laetorum*, Augustum. Et ipse ab utroque in utrumque affectus. Lips. — *uno lictore*] Vim terroremque imperii Romani ostendebant lictores, secures, fasces. Ideo cum adempto illo metu magistratus

polim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Delmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. igitur paucos dies insumpsit reficiendae classi; simul sinus Actiaca victoria inclutos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit. namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium laetorumque. hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum ut uno lictore uteretur. excepere Graeci quaesitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet. (54) petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit. tum extrema Asiae, Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat. atque illum in regressu sacra

1. Habet *Delmatia* M, non *Dalmatia*, ut pleraeque Edd. ante Bekkerum, etiam Walther. — 8. *excipere* M. — 11. *byiantium* M.

quasi ad amicos agere volebant, removebant insignia potestatis. Sic Antonius ibidem Athenis. Appian. B. C. 5, 76. Atque Romanos magistratus semper humanius et civilius egisse cum Atheniensibus quam cum aliis populis docet Casaubonus ad Athen. 5, 49. p. 212. — Tiberius Rhodi *sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans*. Suet. Tib. 11. Lips. — *praeferentes*] cum iactatione commemorantes. Liv. 37, 37: *Iliensibus in omni rerum verborumque honore oriundos ab se Romanos praeferentibus*. Idem expertus est Germanicus, quod olim Sulla in Athenarum (*linguatae civitatis* Tertull. de Anima 3.) oppugnatione. Plut. Sulla 13: legatos ille *τὸν Θησέα καὶ τὸν Εὔμολπον καὶ τὰ Μηδικὰ σεμνολογουμένους* cum ignominia facessere iussit. Levitatem Atheniensium posteriorum item egregie pingit Livius 31, 44: *qui quidem*, inquit, *litteris verbisque, quibus solum valent, bellum adversus Philippum gerebant*. De nimia Graecorum adulatione cfr. etiam Iuven. 3, 74—108. In v. *dicta* noli haerere: multa huius quasi formulae *dicta factaque* exempla attulit Walther. Nolim vero cum Walthero Rupertioque v. *praeferentes* explicare: «antiquo more se in excipiendo Germanico gerentes, taliaque in honorem eius instituentes, quae antiquitus in honorem insignium virorum institui solebant.» (Ceterum addere hi duo interpretes suis exemplis poterant Ithyphallum, quo Demetrium Poliorceten post Demetrium Phalereum expulsum consalutarunt. Athen. 6. p. 623. B.)

54. *partu*] Huc facit nummus a Mytilenaeis cusus apud Eckhel D. N. VI. p. 214: *ΘΕΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ.* atque eadem adulatione titulus apud Murat. 228, 1: *Ο. ΔΗΜΟΣ. ΝΕΡΩΝΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΠΑΙΔΑ. ΘΕΟΥ. ΝΕΟΥ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΚΑΙ. ΘΕΑΣ. ΑΙΟΛΙΔΟΣ. ΚΑΡΠΟΦΟΡΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ.* — *Perinthum*] Postea appellata est Heraclea Thraciae, unde hodie *Erekli*. — *magistratuum iniuriis*] quales revellerat Laodiceae etiam Cicero. ad Att. 5, 20. Ibid. 6, 2: *mira erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant*. — *sacra Samothracum*] Cabirorum mysteria, quibus initiari volens non potuit. Ceterum vide Amuletum Vindonissense in Inscrr. m. Lat. N. 440., ex quo, ut est item apud Schol. ad Apoll. Argon. 1, 917. Cabirorum nomina erant Axierus, Axiocersa, Axiocersus, Casmilus. *Οὐρανοῦ υἷες* vocantur ab Oraculo Pergameno Welcker *Sylloge* p. 229. Epigr. 183, 7. Vide Schelling *über die Gottheiten von Samothrace. Stuttgart* 1815. 8. (Tiberianum seculum superstitionum cerimoniarumque magicarum fuit studiosissimum; hisque pronior Germanicus Samothracum sacra, Canopum, Memphim, urbes Sera-

Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere. igitur adito Ilio quaeque ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda, relegit Asiam, adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit; tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum et carminum, edit responsa versibus compositis super rebus quas quis mente concepit. et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse. (55) at Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido incessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus exstinctos, sed conluviem illam nationum comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios. etiam vetera obiectabat, quae in Macedones inprospere, violenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum precibus suis non concederent. exin navigatione celeri per Cycladas et compendia maris adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud

1. *samothacum* M. — *igitur adito Ilio quaeque* Vatero auctore Walther, Ritter, Doederlein: *igitur alio quaeque* M, *igitur ab Ilio quaeque* cum Heinsio B, *igitur aliaque quae* cum Beroaldo Ruperti, id quod Latinitati adversatur. Eo facilius autem ego quoque Vateri emendationem ascivi, quia honestissimus ille Walther se nondum inspecta Vateri cura in idem incidisse significat. Est autem hoc *alio* falsa contractio, ut alibi monstruosas vv. dilatationes monstrat M. sic Cap. 21: *internitionenem*, cet. — 2. *varietatate* M. — 3. *adbellitque* M, *appellitque* B. — 4. *aput* M. — 9. *A. T. C. N.* (sic) M, *at Gnaeus* M. — 12. *ext.* M. — *conl.* M: *coll.* B. — *conluvie miliam* M. — 15. *inpr.* M: *impr.* B. — *suo* M. Emendavit Beroaldus. — 16. Habet *Areo* M, ut Beroaldi *a reo* correxit Rhenanus. — 17. *praecibus* M. — 18. *ads.* M: *ass.* B. — *aput* M.

pidis et Apidis cultu oraculisque celebratissimas adire voluit. Brot.) — *adito Ilio quaeque*] et aditis (visisque) iis, quae ibi cet. Duebn. — *varietate fortunae*] Quandoquidem *Priami Paridisque busto Insultat armentum et catulos ferae Celant inultae.* Doed. — *Clarii*] Clarus, Ioniae oppidum prope Colophonem. Strabo 14. p. 642: *Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν.* Sed manebat oraculum etiam Plinii temporibus. H. N. 2, 103: *Colophone in Apollinis Clarii specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita.* Raro tamen illis temporibus consultum esse videtur. Etsi *interrogatum Apollinis Clarii simulacrum* etiam a Lollia Claudii temporibus, sed Romae. Ann. 12, 22. — *Mileto*] Hinc colligit Spanhemius Colophonem colonos accepisse Mileto *de Usu et Praest. Num. Diss.* 9. p. 575. Ern. Res tamen non prorsus certa; poterant modo *certas familias* ibi habitantes respicere.

55. *turbido*] Ex improviso haud dubie et militibus stipatus tamquam hostilem in urbem intraverat, adeo ut rite et honorifice excipi non posset. — *oblique*] ipsum quidem Germanici nomen non proferens. Sic 5, 2: *Fufium consulem oblique perstringens.* — *conluviem*] Nimis faciles enim Athenienses iamdudum fuerant in danda vendendave alienigenis civitate, conquerente iam Demosthene Contribut. p. 173, 16: *νῦν δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φθόρους ἀνθρώπους οἰκότριβας, οἰκοτρίβων τιμὴν ὥσπερ ἄλλο του τῶν ὠνίων λαμβάνοντες ποιεῖσθε πολίτας.* Quamobrem Augustus *ἀπηγόρευσε σφίσι μηδένα πολίτην ἀργυρίου ποιεῖσθαι.* Dio 54, 7. — *violenter in suos*] Themistoclem, Aristidem, Socratem, Phocionem. — *insectationibus*]

nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat ut, cum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis quarum subsidio discrimini eximeretur. neque tamen mitigatus Piso, et vix diei moram perpessus linquit Germanicum praevenitque. et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est ut sermone vulgi parens legionum haberetur. nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse, in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito inperatore ea fieri occultus rumor incedebat. nota haec Germanico: sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit. (56) ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt, adversus Romanos odio et in Parthum invidia. regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia

3. Habet *triremis* M. — 5. *Syriam* M: *Suriam* B. — 13. *inp.* M: *imp.* B. — 14. *incidebat* M. Correxit Lipsius. — 16. *et*] *set* pr. M, *sed* corr. M. Correxit Pichena. Codicis error ortus est ex geminatione praecedentis *s.* — *quoniam*] *quo* cum lin. M. Recte Furia h. l. agnovit *quoniam*, cum plerumque eadem nota, ut in Ciceronis Epistolis ad Fam., male explicata sit *quando*, quam particulam omnibus litteris exhibere solet M, ut mox C. 57: *si quando adsideret.* H. l. ante Bekkerum edebant *quo.* — *laete* (prius *e* puncto notatur) M.

Oratio Pisonis Athenis habita significatur, non machinationes Caesaris et Liviae; alioquin enim *peteretur* dicendum fuisset. Dobd. *Angriffe*; sicque cepit etiam Forcellinus in v. *Insectatio* et Burnouf: *de quelles insultes il avait été l'objet*; contra de inimicorum insidiis *(Fallstricke)* Gutmann. — *parens legionum*] Sil. Ital. 8, 2: *Romana parentem Solum castra vocant* Fabium Cunctatorem. Sic postea Iulia Domna *mater castrorum* dicta. — *decursibus*] Alia haec decursio ab illa funebri C. 7. Nam haec exercitii erat, solita usurpari ter singulis mensibus ex institutione Augusti. Vegetio *campicursio* dicitur; v. 1, 27. 3, 4., *campestris decursio* Suetonio Galb. 6: *campestrem decursionem scuto moderatus etiam ad essedum imperatoris per XX. passuum milia cucurrit.* Lips. — *praeverti ad aliquid* est ante alia omnia se ad aliquod inceptum convertere.

56. *et situ*] Cod. scriptura *sed situ* sensu caret; neutiquam enim significare potest *non modo ingeniis, sed etiam situ*, ut qui defendunt explicant. Priores autem ante Pichenam secuti sunt Rhenanum, qui ita interpolavit: *non modo ingeniis, sed situ.* — *praetenta*] fines provinciarum nostrarum late cingens. Dubn. Fortasse assumpsit ex Virgilianis illis Aen. 3, 692: *Sicanio praetenta sinu insula.* Aen. 6, 60: *praetentaque Syrtibus arva.* — *discordes*] non «inter se,» ut voluerunt nonnulli; sed quod locus ipse demonstrat, ei adversus Romanos et aliis temporibus adversus Parthos,» ut est 12. 44: *discordia adversus patrem.* — *invidia*] quia Parthi multo potentiores. — *Polemonis*] Est primus huius nominis, Zenonis rhetoris filius, qui ad regnum pervenit concessu Antonii et Octaviani. Dio 59, 33. et 44. (a. 719.); supersunt aliquot eius epigrammata in An-

instituta et cultum Armeniorum aemulatus, venatu epulis et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat. igitur Germanicus in urbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. at Cappadoces in formam provinciae redacti. Q. Veranium legatum accepere; et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servaeus praeponitur, tum primum ad ius praetoris translatis. (57) cunctaque socialia prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat. Cyrrhi demum apud hiberna decumae legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur; et erat, ut rettuli, clementior. sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa, ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari. postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare, qualem ira et dissimulatio gignit, responsum a Pisone precibus contuma-

2. *germanicos* M. — 3. *adpr.* M : *appr.* B. — 6. *Q.* M : *Quintum* B. item v. 8. — 8. *servaeius* M. Sic enotavit Baiterus, Furius *serva eius*, Beroaldus sane *Servaeius*. Lipsius dedit, ut est L. 3, 13. 6, 7. — 12. *Cyrrhi* Brotierius: *Cyrri* M, B. Sic Cap. 88. *pyrrum* M. — *aput* M. — *convenire* M. Perfecti formam apud historicos, ut saepe iam vidimus, ignorabat librarius; unde hos errores falso nonnulli pro infinitivis historicis habuerunt. — 17. *praecibus* M.

thologia Graeca. Uxorem habuit Pythodoridem, quam mire a prudentia aliisque virtutibus laudat Strabo 12. p. 555., et quae tunc, mortuo marito, praeerat rebus regni. De Zenone item Strabo ibid. p. 556: *τῶν δὲ τῆς Πυθοδώριδος υἱῶν ὁ μὲν ἰδιώτης συνδιῴκει τῇ μητρὶ τὴν ἀρχήν, ὁ δὲ νεωστὶ καθέσταται τῆς μεγάλης Ἀρμενίας βασιλεύς.* Cfr. Visconti *Iconographie grecque* II. p. 144. et III. p. 5. — *Artaxata*] sic 6, 33.; contra num. plur. 13, 41. 14, 23. — *insigne regium*] Suet. Cal. 1: *Germanicus ad componendum Orientis statum expulsus, cum Armeniae regem devicisset (dedisset* Lipsius), *annum aetatis agens XXXIV. diutino morbo Antiochiae obiit.* — *ex nomine urbis*] nisi potius ex nomine illius Artaxiae, qui dux militiae apud Antiochum Magnum, hoc devicto, Romanorum puta favore, Armeniae rex factus est atque per Hannibalem Artaxata condidit. Strabo 11. p. 528. Plutarch. in Lucull. p. 513. — *provinciae*] Caesaris, non senatus. Dio 57, 17: *ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη.* — *legatum*] legatum Caesaris pro praetore. Sic enim nominabantur, qui Caesaris provincias administrabant. Sub Traiano Plinius, Epistolarum scriptor, est *LEGAT. PRO. PRAET. PROVINC. PONTI. CONSVLARI. POTESTATE.* Grut. 454, 3. Dio 53, 13: *πρεσβευτὰς Καίσαρος ἀντιστρατήγους τε αὐτοὺς ὀνομάζεσθαι, κἂν ἐκ τῶν ὑπατευκότων ὦσι, διέταξε.* Cfr. de toto hoc instituto doctissime disputantem Marinium *A. F. A.* p. 740. et Hoeck *Röm. Gesch.* II. p. 184. — Suspicatur Ritter propter novas provincias, quibus adde ex Ann. 1, 76. Achaiam ac Macedoniam, auctum esse praetorum numerum, quocirca conciliari Tacitum 1, 14. cum Dione 58, 20. «Nam apud illum Tiberius iure iurando obstringit se numerum XII. praeturae candidatorum non excessurum; apud Dionem idem a. u. c. 786. quindecim praetores creat, ac tot fere in singulos annos creasse dicitur.» — *praetoris*] pro *propraetoris*. Strabo 16. p. 749: *ἡ Κομμαγηνὴ μικρά τις ἐστιν· ἔχει δ' ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, ἐν ᾗ τὸ βασίλειον*

cibus; discesseruntque apertis odiis. postque rarus in tribunali Caesaris Piso, et si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. vox quoque eius audita est in convivio, cum apud regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari; abiecitque simul coronam, et multa in luxum addidit, quae Germanico, quamquam acerba, tolerabantur tamen. (58) inter quae ab rege Parthorum Artabano legati venere. miserat amicitiam ac foedus memoraturos, et cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici ut ripam Euphratis accederet: petere interim ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciae maritimam urbem amotus est. datum id non modo precibus Artabani sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

(59) M. Silano L. Norbano cos. Germanicus Aegyptum proficiscitur

1. *discesserantque* M. — *opertis* M. Correxit Lipsius; defendere *opertis* conatur Doederlein, sed manifesto contra dicit praecedentibus. — 2. *ads.* M: *ass.* B. — 3. *aput* M. — 4. *offerentur* M. — 6. *quamquam*, *tamquam*, ut rursus notem, semper M, non *quanquam*, *tanquam*, B. — 8. *venire*, ut supra, M. — *cuperere novari* M. — 10. *vononis* M. — *Syria* M: *Suria* B. — 11. *discordas* M. — 14. *pcibus* cum lin. M. — 17. Sic M: *Marco - Lucio - consulibus* B.

ὑπῆρχε· νῦν δ' ἐπαρχία γέγονε, sine dubio Caesaris.

57. *Cyrrhi*] inter Beroeam, Antiochiam, Zeugma Euphratis siti, nunc *Corus*. — *vultu*] C. 55: *tanta mansuetudine*. — *filios*] in Syria quidem unus tunc erat M. Piso; sed alterum etiam, Cnaeum, qui in Urbe remanserat, criminari poterant, quasi is Tiberium in Germanicum contiuno instigaret. — *ira et dissimulatio*] longe efficacius hoc ad miram utriusque affectus mixturam exprimendam quam Mureti *irae dissimulatio*. — *apertis*] Necessario sic legendum: nam etiam ante hoc colloquium *opertis* (ut exhibet Codex) *odiis* sese persequebantur. — *Nabataeorum*] populi Arabiae desertae sive Petraeae, in confinio Felicis. Plin. H. N. 5, 11. — *coronae aureae*] Huius luxus alia exempla affert Lipsius. v. c. Iustin. 18, 2: *missi in Aegyptum a senatu legati, cum ingentia sibi a Ptolemaeo rege missa munera sprevissent, interiectis diebus ad coenam invitatis aureae coronae missae sunt, quas illi honoris causa receptas postera die statuis regis* *imposuerunt*. — *dari*] ac proinde non adeo luxuriosas et barbaricae magnificentiae plenas esse debere. Duebner.

58. *Artabano*] Cfr. C. 3. — *amicitiam ac foedus*] Est quasi formula de consensu, ut Liv. 42, 12. dixit *amicitiae foedus*; non quod ad res bellicas auxilia Parthus Romano pollicitus sit. — *dextras*] Dextrae iunctae concordiae signum frequens in nummis. Oberl. Hoc igitur petebat Artabanus, ut in signum renovatae amicitiae sibi invicem denuo mitterent tales dextras argenteas cum inscriptionibus mutuam benevolentiam testantibus. — *Vonones*] C. 1—4. — *proceres gentium*] megistanas et Parthos et Armenios. — *magnifice*] potentiam Romanorum extollens, nec tamen Parthos deprimens. — *decore*] ab eo, quod est *decor*. — *Pompeiopolim*] quae, antequam eam restaurasset novisque incolis frequentasset Cn. Pompeius, Soloe, Σόλοι.

59. *M. Silano*] a quibus hoc anno 772. lata est lex Iunia Norbana, quae cavit, ut minus sollemniter manumissi Latinorum coloniariorum iure haberentur, unde *La-*

cognoscendae antiquitatis. sed cura provinciae praetendebatur, levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset. nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus, seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus, insedisset. (60) sed Germanicus nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido

3. *amictus* M. — *pscipionis* M, *Publii Scipionis* B. — 4. *aput* M. — 7. *alexandriam* M. — *alio* M. — 9. *inl.* M: *ill.* B. — 11. «*adversum*] ductu ambiguo inter *m* et *s*.» Bait.

tini Iuniani huiusmodi libertini dicebantur. Gaius 3, 58. seqq. Bachii Hist. iurispr. R. p. 338. — *cognoscendae antiquitatis*] Valde amat hunc genitivum causae Tacitus. Cfr. 3, 9. 27, 41. 6, 30. 13, 11. Hist. 4, 25. 42. cet. — *horreis*] urbi Romae alendae destinatis. Duebn. — *P. Scipionis*] Africani maioris. Liv. 29, 19: *Ipsius imperatoris non Romanus modo sed ne militaris quidem cultus iactabatur, cum pallio crepidisque* (id est h. l. *pedibus intectis*, ὑποδήμασι, sandaliis indutus, non calceis Romanis) *inambulare in gymnasio, libellis eum palaestraeque operam dare.* — *sponte principis*] Priore aetate *sponte* adiectis dumtaxat pronominibus usurpabatur; absolute Virg. Aen. 4, 361: *Italiam non sponte sequor;* cum genitivis iungitur apud Lucan. 1, 234., ut h. l. et 4, 7: *sponte praefecti.* 4, 51: *sponte incolarum.* 6, 31: *sponte Caesaris* pro *voluntate.* Cfr. Suet. Tib. 52: *Tiberius, quod* (Germanicus) *Alexandriam propter immensam et repentinam famem, inconsulto se, adisset, questus est in senatu.* — *equitibus - inlustribus*] qui censum et spem senatorii ordinis habebant, ut 11, 4. 16, 17: *Mela et Crispinus equites Romani dignitate senatoria.* His etiam latus clavus concessus erat, ut Ovidio adolescentulo Trist. 4, 10, 35. Opponuntur autem *modici equites Romani* 1, 73. Bene de hoc antiquitatum Romanarum capite meritus est Ryckius ad h. l., tum Marquardt in Historiae equitum R. Libris IV. Berolini 1840. p. 57: «Augustus equitibus quibusdam dignitatem senatoriam tribuit, qui *novo* abhinc *nomine* illustres dicebantur.» Imprimis autem consulendus Zumpt *über die Röm. Ritter. Berlin. Abhandl.* 1839. p. 97. Ceterum *equites illustres* reperiuntur iam apud Livium 30, 16. alia significatione, magis, ut videtur, generali. — *seposuit*] Totam Aegypti provinciae administrationem sibi reservavit. Cfr. Hist. 1, 11: *Visum hanc provinciam domi retinere;* atque praeterea Ann. 12, 60. — *ne fame*] Aur. Victor Epit. 1, 6: *Augusti tempore ex Aegypto Urbi annua ducenties centena milia frumenti inferebantur.* — *claustraque*] Pelusium, Paraetonium, Alexandriam (Pharum). Propert. 3, 9, 55: *Castraque Pelusi Romano subruta ferro:* ubi Lipsio auctore Edd. ante Iacobum *Claustraque.* Certus contra locus apud Lucanum 10, 509: *tum claustrum cepit pelagi Pharon.* Hist. 2, 82: *claustra Aegypti.* 3, 8: *Aegyptus claustra annonae.* 3, 43: *Foroiuliensem coloniam, claustra maris.* Ceterum male Bötticher: *den Schlüssel zu allen Landen und Meeren;* immo, ut etiam clarius exponam, quam fecit Walther, *claustra terrae* sunt urbes arcesque munitae, quae Aegypti continentem crebris saltem excursionibus tutari possent, cum hostes irrupissent; *claustra maris*, quae itidem hostem eo appellere conantem certe diu arcerent.

60. *Canopum*] Eandem fabulam Graecam tradunt Strabo 17. p. 801. Plin. H. N. 5, 31. Cfr. Heynii Opusc. I. p. 397. — *diver-*

a Canopo. condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus. inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent, eosque qui postea pari virtute fuerint in cognomentum eius adscitos; mox visit veterum Thebarum magna vestigia. et manebant structis molibus litterae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae; iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat habitasse quondam septingenta milia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya Aethiopia Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum; quasque terras Suri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum hinc Lycium ad mare, imperio tenuisse. legebantur et indicta gentibus

2. *greciam* M. — 3. *deiectus* M. Emendavit Iac. Gronovius. — 4. *aput* M. — 10. *pactriano* M. — *scitha* M. — 11. Habet h. l. *Suri* M. — *bythinum* M. — 12. *lycum* M.

sum] quod esset e regione sive in opposita plaga ei, qua esset, quo petebat, ut 3, 2: *diversa oppida*. — *amnis os*] Canopicum, dictum etiam Heracleoticum, inter septem Nili ostia maxime occidentale. Duebn. Strabo 17. p. 801: *Μετὰ δὲ τὸν Κάνωβόν ἐστι τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν*. V. *os* autem pendet a v. *visit*; neutiquam vero cum aliis supplendum v. *est*, id quod hic languidissimum esset. De Hercule Aegyptio cfr. Herod. 2, 43., Diodor. 1, 24., Melam 3, 6., Arrianum de reb. Alex. 2. p. 125. Macrob. Sat. 1, 20. — *Thebarum*] Strabo 17. p. 815: *καλεῖται δὲ νῦν Διὸς πόλις*. p. 816: *καὶ νῦν δείκνυται ἴχνη τοῦ μεγέθους αὐτῆς ἐπὶ ὀγδοήκοντα σταδίους τὸ μῆκος*. — Ceterum mirum est in tam accurata huius itineris descriptione praeteriri Memphin et quae ibi Germanico accidisse narrabant. Plin. H. N. 8, 46, 71: *Ibi Apis responsa privis dat, e manibus consulentium cibum capiendo. Germanici Caesaris manum aversatus est, haud multo postea exstincti*; idem tradit Ammian. Marc. 22, 14, 8: *Germanicum - - aversatus portenderat paullo post eventura*. — *structis molibus*] obeliscis. Cfr. Diod. 1, 57. Ammian. Marc. 17, 4. Eum, de quo hic agit, Ramestis regis, omnium, qui fuere, maximum (altum pedes CXXVIII.), Constantius Caesar Romam transportandum atque in Circo maximo erigendum curaverat, eversum Fontanae ope restituit Sixtus V. Cfr. Zoëga de origine et usu obeliscorum. Romae 1797., qui aliter quam Lipsius hunc locum interpretatus est p. 11: «Obeliscos intelligere iubet Lipsius — —, licet ego non videam, cur de obeliscis accipiendus sit hic locus potius quam de templis sepulcrisve, quibus regum res gestas insculptas fuisse auctor est Diodorus 1, 47, 66.; neque si tantum obeliscos spectasset, integros lapides nulla arte coagmentatos facile *structas moles* dixisset Tacitus.» At confer quae de obeliscis scribit Strabo 17. p. 1171. Vide tamen, ne Tacitus miracula illa Aegypti omnia, templa, pyramidas, obeliscos, ut sunt sane minus accurati talibus in rebus geographicis atque archaeologicis scriptores Romani, hac in narratione aliquatenus confundens, cuncta *molium* nomine complexus sit. — *litterae Aegyptiae*] *ἱερατικῇ μεθόδῳ, ἱερογλυφικοῖς* exsculptae. — *complexae*] continentes atque enarrantes. — *sacerdotum*] An imposuerit sacerdos Germanico magna quaestio; certe iactantia manifesta est. Concinit tamen ex parte ipse Strabo l. l. Neque vero Hermapionis apud Ammianum l. l. interpretatio fidem meretur. — *Rhamsen*] quem Herodotus 2, 121. *Ῥαμψίνιτον* vocat, Diodorus 1, 57. *Ῥέμφην*, Hermapion l. l. Rhamesten. Ceterum quae Tacitus habet de Rhamse, alii praedicant de Sesostri. Cfr. Herod. 2, 100. Diodor. 1, 53. Alii utrumque pro eodem habent. — *Lycium ad mare*] Pontum Euxinum et maris interni partem inter Rhodum et Cyprum. Duebn. — *utensilium*] omnium praeter frumentum rerum ad victum neces-

tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana iubentur. (61) ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens; disiectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum; lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

(62) Dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias, utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur. erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus. is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem inrumpit regiam castellumque iuxta situm. veteres illic Suevorum praedae, et nostris e provinciis

2. *epur* M. — 9. *penetrabiles* M. Corr. Lipsius. — 13. *inl.* M: *ill.* B. — 16. *marcomanorum* M. — 17. *societatatem* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 18. *sueborum* M.

sariarum, ut alibi. — *vi Parthorum*] *βίᾳ δεσποτικῇ*, quae *potentiae* iustae ac legitimae *Romanorum* scite opponitur.

. 61. *Memnonis*] Plin. 36, 7, 11: *Non absimilis basalti narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant Memnonis statuae dicatus, quem quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Iuven. 15, 5: *Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae.* Pausan. 1, 42, 3: *Οὐ Μέμνονα οἱ Θηβαῖοι λέγουσι, Φαμένωφα* (Amenoph) *δὲ εἶναι τῶν ἐγχωρίων, οὗ τοῦτο ἄγαλμα ἦν. Ἤκουσα δὲ ἤδη καὶ Σέσωστριν φαμένων εἶναι τοῦτο τὸ ἄγαλμα, ὃ Καμβύσης διέκοψε καὶ νῦν ὁπόσον ἐκ κεφαλῆς ἐς μέσον σῶμά ἐστιν ἀπεῤῥιμμένον, τὸ δὲ λοιπὸν κάθηταί τε καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνέχοντος ἡλίου βοᾷ καὶ τὸν ἦχον μάλιστ' ἂν εἰκάσειέ τις κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς.* Erat ea sacerdotum fraus; unus enim abditus medio in colosso hunc sonum edebat. Maxime notabiles inscriptiones ei insculptas collegi in Inscrr. m. Latinis N. 517—524. Has nunc exscribo: *CLAVDIVS MAXIMVS LEG. XXII. AVDIVI MEMNONEM HORA I. SEMIS. — C. AEMILIVS HORA PRIMA SEMIS AVDIVI VOCEM MEMNONIS. — PETRONIVS PRAEF. AEG.* (hora prima et secunda) *VOX AVDITA MIHI EST TER BENE MEMNONIA.* Pro lubitu igitur eam pluries edebant sacerdotes; sic et in Hadriani, qui colossum restituit, honorem ter sonuit. Anthol. Pal. II. p. 880. Alii olim arbitrabantur sonum illum editum esse tum, cum primum solis radiis statua calefacta esset. Imaginem eius exhibet Letronne *Recueil des inscr. de l'Égypte* Tab. XII. Cfr. imprimis *Description de l'Égypte. Paris* 1821. II. p. 185. Wilkinson *Topography of Thebes. London* 1835. p. 37., qui cum artificium illud repetendum curasset, Arabes ad statuae basin adsistentes se sonitum aeris percussi audisse exclamarunt. — *disiectas*] non «late patentes», ut nonnulli voluerunt, sed «solutas», *Flugsand.* Auget his *ἐπιθέτοις* rei miraculum, in solo tam instabili educi potuisse instar montium pyramidas, quarum pars re vera successu temporis arenâ tecta est. — *pyramides*] Herod. 2, 124. Diodor. 1, 63. Strabo 17. p. 807. — *lacusque*] Herod. 2, 149: *τοῦ δὲ λαβυρίνθου θῶμα ἔτι μέζον παρέχεται ἡ Μοίριος καλουμένη λίμνη· — — ὅτι δὲ χειροποίητός ἐστι καὶ αὐτὴ δηλοῖ.* —

lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat. (63) Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit. transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam praetulisse. responsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. ceterum apud senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. exstat oratio qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, et quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus

2. *ad* M. — 3. *transtulat* M. Correxit Ernestius. Ante Bekkerum edebant *transtulit*, quod frustra defendere conatur Walther. Exciderunt litterae *er*, ut persaepe accidit in Cod. Mediceo. Exempla collegit Ruperti ad C. 63. Tom. I. p. 227. — *morobuduo* pr. M, *moroboduo* corr. M. — *aliut* M. — 4. *danuuium* M. — 8. *si maneret*] Ad haec per errorem Bekkerus et Ritter rettulerunt *ne si* M; quo pertineret perspexit Doederlein. — 9. Habet *eius* M; ante Pichenam edebant *suis*. — *aliut* M. — *aput* M. — 11. *extat* M. — 12. *ei*] *et* M. — 14. *si*] *ne si* M. Correxit Rhenanus; restituit Walther. — *suebi* M. — *reditus* M. Correxit Rhenanus.

angustiae] Nili. — *spatiis*] mensurarum adhibitarum; ne longissimo quidem fune cum massa ferrea vel plumbea in aquam demisso, *καταπειρητῆρι*, *Senkblei*. Simile quid narravit Saïtes scriba de Nili inter Elephantinen et Syenen altitudine Herodoto 2, 28. «eius fundum reperiri non potuisse a Psammeticho *καίπερ πολλέων χιλιάδων ὀργυιέων πλεξαμένῳ κάλον.*» Ipse vero hoc explicat ex violentis vorticibus, propter quos putat *μὴ δύνασθαι κατιεμένην τὴν καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἰέναι*. Alii h. l. intelligunt de Syringibus prope Thebas, *subterraneis quibusdam et flexuosis secessibus*, quos describit Ammian. Marc. 22, 15, 30. — *claustra*] h. l. terminos, fines. Cic. pro Flacco 13: *omnes sinus - - urbes maritimas claustris imperii nostri contineri*. Plin. 12, 4: *a Syene, fine imperii*. — *rubrum mare*] quod a veteribus usque ad Indicum Oceanum extendebatur. Intelligit autem Traiani res prospere gestas in Arabia, Mesopotamia et Assyria, annis 114. 115. post Chr. Duebn. Eutrop. 8, 3: *Traianus usque ad Indiae fines* et *mare rubrum imperium extendit*.

62. *inliciens Germanos*] Vide ad C. 46. extr. — *Gotones*] qui etiam *Guthones*, *Guttones*, *Gotti* (Spartian. Carac. 10.), *Gothi*. Cfr. Zeuss *die Deutschen*. p. 134. Ukert *Germanien* p. 411. In Maii Kalendario Gothico p. 26. nominantur *Gutthunds*. — *corruptis - - ad societatem*] ineundam; ut 4, 10: *corrupta ad scelus* (patrandum) *Livia*. — *regiam*] *Boiemum* Germ. 28. sive *Boiohoemum* Vell. 2, 109. *Βουΐαιμον* Strabo 7. p. 290. in silva Hercynia. Alii intelligunt *Marobudum* Ptolemaei. (*Budweis* prope Pragam.) Cfr. Wilhelm *Germanien* p. 221. Reichard p. 294. Ukert p. 444. — *ius commercii*] Romanis a Maroboduo concessum, amicitiae et honoris causa sive sponte sive petentibus illis. Ern. Ulpianus Fr. 19, 4: *eos peregrinos*, *quibus commercium datum est*. Contra *nullum aditum esse ad Nervios mercatoribus*, Caesar B. G. 2, 15.

63. *nam*] Causam haec particula significat, cur Romana tutela rex dignum se iudicet. Ex eius autem epistola hanc sententiam desumptam esse apparet. «*Nam* vero Taciti est, scil. *scripsit*, non pars epistolae.» Doed. — *exstat oratio*] in actis puta senatus. — *si quando*] Codicis lectionem *ne si quando* Duebner explicat: «ne occasione forte data insolescerent.» Doe-

in regnum ostentabatur. sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. idem Catualdae casus, neque aliud perfugium. pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce, receptusque Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur. barbari utrumque comitati ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. (64) simul nuntiato regem Artaxian Armeniis a Germanico datum, decrevere patres ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. structi et arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Caesarum, laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. igitur Rhescuporim quoque, Thraeciae regem, astu adgreditur. omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thraecum Rhescuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit. in ea divisione arva et urbes et vicina Graecis Cotyi, quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit; ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox avidum et societatis inpatiens erat. sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem

3. *aliut* M. — 4. Habet M *Vibilio*; duplici *l* Ann. 12, 29. — *daice* M. — 5. *nequetas* (sic) M. — 5. *danuuium* M. — 8. *Artaxian* e M Bekkerus; Ritter et Doederlein restituerunt *Artaxiam*. — 12. *thaeaeciae* (sic) M. Postea multis in locis, non tamen semper, *Thraecia* M, quam scripturam ascivit B. Reliqui Edd., etiam Ritter, Doederlein, *Thracia*. — *regem regem* mira geminatione M. — *ea* M. — 17. *inpaciens* M, *impatiens* B. — 19. *resistentium facere* M. Correxit Beroaldus.

derlein: «ne, si quando insolescerent animis, factis etiam insolescerent.» Neutra ratio placet; equidem *ne* delevi. — *Forum Iulium*] hodie *Fréjus*. — *ne quietas*] Timor hic demonstrat utriusque et Marobodui et Catualdae comitatus satis numerosos fuisse, quibus remissis ipsi artiore iam custodia habiti esse videntur. Cfr. Vellei. 2, 129. Suet. Tib. 37. — *Marum*] Plinius 4, 12, 81: *A Maro sive Duria est, a Suevis regnoque Vanniano dirimens Dacos* cet.; Straboni 7. p. 304. est *Marisus*, Iornandi 22: *Marisia*, Aethico *Marsus*, hodie plerisque *die Marck*, Ukerto p. 54. *Morava*, Schaffarikio apud eundem p. 168. *Marosch*. — *Cusum*] Plerisque ut Wilhelmio p. 59. est *die Waag* sive *Wag*, contra Reichardo p. 210. *der Gusenbach* in Austria e regione oppidi *Ens*, Ukerto p. 54. *der Gran*, Schaffarikio *Keresch*. — *Quadorum*] Zeuss p. 117. Ukert p. 402. Marcomannorum erant vicini Orientem versus. Ammian. Marc. 17, 12: *Sarmatas et Quados vicinitate et similitudine morum armaturaeque concordes.* (Cfr. Germ. 42.)

64. *structi et arcus*] Exstat prope portam S. Sebastiani arcus dictus Drusi, sed is Drusi senioris est, de quo Suet. Claud. 1.; spectatur cum suis tropaeis in Claudii imperatoris nummo. Drusi iunioris arcus aevum non tulit. Oberl. Cfr. Eckhel D. N. VI. p. 177. Canina *Indicazione* p. 42. — *Martis Ultoris*] voti ab Octaviano bello Philippensi pro necis paternae ultione. Ovid. Fast. 6, 545. Suet. Oct. 29. — *Caesarum*] Germanici et Drusi. — *Rhescuporim*] In nummo apud Viscontium *Iconogr. grecque* II. p. 113: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ* cum Victoriae typo; ex altera parte *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ* cum huius capite. Distinguendi autem ab hoc Thraciae rege alii quattuor eiusdem nominis reges Bospori Cimmerii. — *Rhoemetalces*] huius nominis primus. In nummis ex una parte

utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. enimvero audita mutatione principis inmittere latronum globos, exscindere castella, causas bello. (65) nihil aeque Tiberium anxium habebat quam ne composita turbarentur. deligit centurionem qui nuntiaret regibus ne armis disceptarent; statimque a Cotye dimissa sunt quae paraverat auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat, eundem in locum coiretur: posse de controversiis conloquio transigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein condicionibus, cum alter facilitate alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adicit, tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn et, potsquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat. Thraeciaque omni potitus scripsit ad Tiberium structas sibi insidias, praeventum insidiatorem; simul bellum adversus Basternas Scythasque praetendens, novis peditum et equitum copiis sese firmabat. molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentiae fidere; ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos: proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis. (66) eas litteras Latinius Pandus pro praetore Moesiae cum militibus quis Cotys traderetur, in Thraeciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus, maluit

2. *inm.* M: *imm.* B. — *excindere* M. — 3. *amxium* vel *anixium* pr. M. — 7. *conl.* M: *coll.* B. — 9. *rhescupores* h. l. M. — 10. Habet *adicit* M. Ante B. edebant *addicit.* — 13. *scribsit* M. — 14. *Basternas* M, ut sine varietate apud Sillig Plin. H. N. 4, 12, 25: *Bastarnas* praeeunte Rhenano cum plerisque Edd. B. Mutare nolui. — 19. *cotyis* M. — 20. *thraciam* h. l. M.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ cum capite huius, quem *auctorem regni* ita profitebatur, ex altera *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ* cum eius capite. Visconti l. l. p. 110. — *Cotyi*] huius nominis quinto. Visconti l. l. p. 112. — *amoenum*] ut Senecae, Ann. 13, 3. Adeo hoc verum est, ut Cotys hic etiam litteris et poësi excultus fuerit. Ad eum enim est elegia Ovidii Ex Ponto 2, 9. et in huius regno vates ille exsulavit. Lips. Ibi v. 5: *iuvenum mitissime.* v. 49: *Nec regum quisquam magis est instructus ab illis* (ingenuis artibus), *Mitibus aut studiis tempora plura dedit: Carmina testantur* cet. — Eidem mirifice adulatur etiam Antipater Thessalonicensis in Anthol. Pal. II. p. 646. — *vertere in se*] Liv. 21, 53: *occasio in se unum vertendae gloriae.* Suet. Vesp. 4: *ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in se.* — *causas bello*] Appositio totius periodi accusativo casu posita, ut 1, 46. Duebn.

65. *sacra regni*] sanctitatem regii nominis, quod reges sacrosancti et inviolabiles. Cic. Manil. 9: *ut nomen regale magnum et sanctum esse videatur.* Sic 1, 42: *sacra legationis.* Suet. Caes. 6: *sanctitas regum.* — *hospitalis mensas*] Similis locus apud Liv. 23, 9., ubi pater filium conantem interficere Hannibalem sic deterret: *Ab hospitali mensa surgis, - - ut eam ipsam cruentares hospitis sanguine?* Ern. — *Basternas*] populum Germanicum (certe Plinio 4, 11. 25. 28. et Tacito Germ. 16.), cuius sedes erant in Transdanubiana regione. Liv. 40, 58. Primum comparent in auxiliaribus Persei regis Macedoniae. Ibid. 5. et 57. Zeuss *die Deutschen* p. 127. Ukert *Germanien* p. 426. — *transferret*] a se amoveret atque in Cotyn, verum auctorem, transferret, ut hic Romanis traditus ad confessionem sceleris concepti adigi vel saltem testibus convinci posset. Occulte significatur suspectum ficti criminis videri Rhescuporin ipsum.

patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet, mortemque sponte sumptam ementitur. nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis et arta cum rege amicitia, eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit. (67) Flaccus in Thraeciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit ut praesidia Romana intraret. circumdata hinc regi specie honoris valida manus tribunique et centuriones, monendo, suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thraecia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur; iisque nondum adultis Trebellienus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus, atque illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur. (68) per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam

1. *coty* cum lin. M. — 3. *padusa* M. — 6. *thraciam* h. l. M. — 8. *hinc regi*] *in gregi* M. Correxit iam Beroaldus. — *speciae* M. — 9. Habet *abscedebatur* M. Ante Pichena edebant *abscedebat*. — 10. *accussatus* M. — 11. *cotys* M. — 13. *inqui* M. — *cotys* M. — *trebellenus* M. «Incorruptam nominis formam servavit M infra 3, 38. 6, 39.» Ritter. — 15. *M.* M: *Marcum* B. — *ptolemei* M. — 16. *temptans* M.

66. *occidi Cotyn*] Vellei. 2, 29. Strabo 12. p. 556. Suet. Tib. 42. — *Pomponium Flaccum*] de quo Ovidius Ex Ponto 4, 9, 75. Idem praefuit postea Syriae. Ann. 6, 27. — *veterem stipendiis*] quasi veterem, quod ad stipendia attinebat, singulari βραχυλογίᾳ pro eo, qui multa iam stipendia meruerat. Male Pichena, probb. Freinshemio et Ryckio, malebat *stipendii*, quod pro plurali Latinitati adversatur.

67. *praesidia Romana*] locum, qui esset in Romanorum potestate atque a Romanis militibus occupatus. — *ab uxore Cotyis*] Polemonis regis Ponti et Pythodoridis filia, quam, nomen aeque tamen tacens, memorat Strabo l. l. — *Rhoemetalcen*] huius nominis alterum. Exstat eius nummus: hinc *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ* cum eius capite; illinc *ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ*. cum Caligulae effigie. Visconti *Iconogr. grecque* III. p. 302. — *Trebellienus*] huiusmodi nomina plerumque in *anus*, rarius in *enus* formarunt, ut sunt *Aufidienus*, *Nasidienus*, *Gallienus*, *Bellienus*, *Matienus*. — *M. Lepidum*] est M. Aemilius Lepidus bis consul a. u. c. 567. et 579. Pontif. max. — *Ptolemaei* (Epiphanis) *liberis*] Ptolemaeo Philometori et eius fratri atque successori Ptolemaeo Euergetae II. sive Physconi. — *miserunt*] maxime, ut videtur, propter Seleuci Syriae regis insidias statim post Epiphanis mortem a. u. c. 573. ante Chr. 181. Cfr. Val. Max. 6, 6, 1. ex quo non liquet, quis fuerit Ptolemaeorum. Iustinus 30, 2. et 3. per errorem hanc tutelam ad Epiphanem refert; peius etiam Pighius ad a. u. c. 590. (591. Varr.) Exstat denarius cum capite feminili turrito subscripto *ALEXANDREA*: in parte aversa: *M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C.* Akerman I. p. 20. cfr. Champollion-Figeac *Annales des Lagides*. *Paris*. 1819. II. p. 130.

68. *in Ciliciam*] Pompeiopolin. C. 58. Suetonius Tib. 49. paullo aliter haec narrat, et cum Tiberii probro: *Sed et Vononem, Parthorum regem, qui pulsus a suis quasi in fidem populi Romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliavit perfidia et occidit.* Ut Taciti narratio est, imperator extra culpam. Lips. — *Albanos*] ad mare Caspium, inter Caucasum atque Armeniam. — *Heniochos*] ad Pontum Euxinum in Sarmatia Asiatica. — *conatus est. specie*] ut sic interpungeretur, auctor fuit Acidalius; antea sane perperam distingue-

memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. specie venandi omissis maritimis locis avia saltuum petiit, mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolae ruperant audita regis fuga: neque vado penetrari poterat. igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone praefecto equitum vincitur, mox Remmius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram, gladio eum transigit. unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam.

(69) At Germanicus Aegypto remeans cuncta quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit. hinc graves in Pisonem contumeliae; nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem tentabantur. dein Piso abire Suria statuit. mox adversa Germanici valitudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem quae rursum Germanico acciderat. saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones, et

4. *equi edamnem* M. — 7. *adp.* M: *app.* B. — 8. *inl.* M: *ill.* B. — 9. *aput* M. — 12. *tempt.* M. — *Suria* h. l. et infra M. — 15. *degreditur* M. Correxit Lipsius. — *operiens* M. — 17. *repperiebantur* M.

bant: *conatus est specie venandi. omissis* cet. pro quo I. Fr. Gronovius malebat: *conatus, specie venandi, omissis.* Sed ex Cod. lectione suspenditur aliquantisper lectoris animus curiosi, quomodo tandem evadere conatus sit. — *Pyramum*] amnem Ciliciae campestris, qui sub Mallo in Issicum sinum influit, hodie *Dishoun.* — *praefecto equitum*] id est, alae, ut praefecti sociorum, singularum cohortium sociorum legionibus adiunctarum. Sic accipe Inscrr. m. L. 3438. et 3876. Suet. Oct. 38: *Liberis senatorum militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit.* Val. Max. 2, 7, 9. narrans, quomodo L. Piso consul punierit *C. Titium, equitum praefectum, turmas equitum, quibus praefuerat, ademptis equis in funditorum alas transcripsit.* — *evocatus*] Dio 45, 12: *τὸ τῶν Ἠουοκάτων σύστημα κτλ.* 55, 24: *τοῖς ἀνακλήτοις ἤρξατο μὲν νομίζειν ἀφ' οὗ τοὺς συστρατευσαμένους τῷ πατρὶ πρὸς τὰ ὅπλα αὖθις ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ἀνεκάλεσεν, ἐτήρησε δέ· καὶ εἰσὶ καὶ νῦν σύστημα ἴδιον, ῥάβδους φέροντες ὥσπερ οἱ ἑκατόνταρχοι.*

69. *dein*] Sine causa Lipsius ante hoc v. excidisse aliquid, Acidalius *denique* legendum opinabatur. Recte Walther: est *ἐκ τούτου, darauf, ensuite.* — *admotas*] altaribus, ut plene Suet. Cal. 32. Non usurpabant *adductas, attractas,* quia sponte sua hostias adisse ad altaria simulabant. — *festam*] laeto habitu et candidatam. Horat. C. 3, 18, 11: *festus pagus.* Lips. — *proturbat*] repellit ideoque dissipat, vi adhibita. Sic 2, 11: *collectos proturbant.* — *Seleuciam*] eam, quae Pieria cognominabatur. Nam in litore maris erat, parabatque navigationem Piso; tum etiam haud procul Antiochia, unde veniebat. Lips. — *aegritudinem*] aegritudinis eventum. — *erutae*] e sepulcris. Durbn. — *reliquiae*] Dio 57, 18: *ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει κατορωρυγμένα, καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζῶντος ἔθ' εὑρέθη.* Aut mera terricula haec erant ad augendam pavore vim morbi excogitata, aut re vera tacti erant superstitione fore, ut magicae hae praestigiae illius mortem accelerarent. — *carmina et devotiones*] *ἓν διὰ δυοῖν,* formulae magicae, quibus

nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia quis creditur animas numinibus infernis sacrari. simul missi a Pisone incusabantur ut valitudinis adversa rimantes. (70) ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. sed non usque eo defectum Germanicum, neque praemia caedis apud interfectorem mansura. componit epistulas quis amicitiam ei renuntiabat. addunt plerique iussum provincia decedere. nec Piso moratus ultra navis solvit; moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset. (71) Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: «si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus liberis patriae intra iuventam praematuro exitu raperent. nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pecto-

1. Habet *tabe* M. Probabilem Lipsii coni. *tabo* receperunt Walther, Ritter, Doederlein. — 2. *malefica* M. Correxit Beroaldus; *malefica* praefert Bach et Doederlein; sed hoc vocabulo si usus esset Tacitus, ipse agnovisset maleficam talium naturam; scripsit ergo *maleficia*, quibus a superstitiosis *creditur* cet. — 8. *aput* M. — 10. *Piso*] *ipso* M. — *maratus* M. — 11. *qui* M. Correxit Lipsius. — 13. *ads.* M: *ass.* B.

devoveretur morti. — *plumbeis*] ad magicam defixionem hoc spectat, qua nomen hominis devovendi in pugillaribus aut membranis aut laminis plumbeis exaratum, stilo atroci confodiebatur; ipsi scilicet huic vili metallo vis perniciosa inesse credebatur. Cfr. Ovid. Heroid. 6, 91: Medea *devovet absentes simulacraque cerea fixit;* apud Grut. 19, 6. titulus Tuderti positus *IOVI O. M. CVSTODI. CONSERVATORI. QVOD. IS. SCELEROSISSIMI. SERVI. PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO. DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINIS. DECVRIONVM NOMINA. NVMINE. SVO. ERVIT. AC. VINDICAVIT.* cfr. Appul. Met. 3, 17. p. 182. Hild. (v. supra ad C. 30.) — *semusti cineres*] hoc est, semusta ossa, intellige membra cadaverum ex igne rapta, antequam comburerentur, hinc tabo oblita. Walth. An potius semusta in cinerem ligna sive titiones significantur? Nam caprifici et cupressi adurebantur in fascinando. Horat. Epod. 5, 24. Doed. — *tabe*] sane servari potest, etsi v. proprium est *tabum*. Ovid. Pont. 3, 1, 26: *Tinctaque mortifera tabe sagitta madet.* Sen. Herc. Oet. 716: *Ut missa est palla tabe Nessea illita.* Suet. Vit. 10: *cadaverum tabe.* Cfr. N. Heinsium ad Sil. Ital. 3, 342. Quamquam ea significatione quae hic requiritur *(Moder) tabum* usurpat Hist. 2, 70. et 3, 35. — *maleficia*] ut saepe, de huiusmodi incantamentis. Cod. Theod. 9, 16, 9: *noxiorum codicum et maleficii crimine conscriptorum retentator.* Lactant. Inst. 2, 16: *magi et ii, quos vere maleficos vulgus appellat* cet. Nota lex Cod. 9, 18: *de maleficis et mathematicis.* Hieronym. Comm. in Dan. Cap. 2. Opp. ed. Vallars. Ven. T. V. p. 627: *Malefici, qui sanguine utuntur et victimis, et saepe contingunt corpora mortuorum.*

70. *ira quam per metum*] ut solet, variat constructionem. — *renuntiabat*] Hoc spectavit Germanicus, ne limen obsideretur, ne pasceret oculos inimici, si quid sibi accideret; ne coniux et liberi essent in eius ditione; denique, ut e vicinia hominem abigeret. Et intellexit Piso, sive adiectum fuit, decederet provincia, sive non adiectum. Nam qui renuntiat amicitiam, interdicit domo; qui domo, et locis suae potestatis, ut Augustus Cornelio Gallo domo et suis provinciis interdixit. Suet. Oct. 66. Gron. (Utrumque tamen aperte

ribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim. si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrimabunt quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exsequi. flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam; numerate sex liberos. misericordia cum accusantibus erit; fingentibusque scelesta mandata aut non credent homines aut non ignoscent.» iuravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros. (72) tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores irritaret. haec palam, et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. neque

1. *fatri* M. — *accerb.* M. — 3. *propinquos* M. — 4. *inl.* M: *ill.* B. — 5. *superstiten* M. — 6. *aput* M. — 7. *quaestu* M. — 15. *exsueret* M. — *saeuienti* M. — *summ.* M. — 16. *inr.* M: *irr.* B. — 17. *ostender* M.

distinguit Tacitus.) Cfr. Ann. 6, 29: *Morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere.* Plin. H. N. 9, 57: *M. Lollius interdicta amicitia a Caio Caesare Augusti filio venenum bibit.* Efficacius etiam dicebant *inimicitias denuntiare*, ut Cic. Phil. 5, 7. Seneca Ep. 76. — *moderabaturque*] *que* h. l. commode capias adversative pro *sed*. Ern. Adversandi vis non inest in coniunctione, sed in ipsa verbi notione. Ritter. — *propius*] Lipsius *properius* dubitanter suspicabatur, neque vero hoc necessarium; est magis e propinquo, μᾶλλον ἐγγύθεν. — *aperuisset*] non alii praesidii, ut quidam rati sunt; sed: «si tutum sibimet ipsi in Syriam regressum concessisset.»

71. *parentibus*] Tiberio atque Antoniae, etiamtunc superstiti; de qua sola quidem interpretatur Ernestius. — *interceptus*] abreptus, morti datus, *frappé* Burnouf. — *ultimas preces*] Suet. Calig. 3: *ne tunc quidem ultra progressus est, quam ut mandaret domesticis ultionem, si quid sibi accideret.* — *fratri*] Druso; Claudium videlicet, utpote hominem stolidum atque nullius ponderis ad ultionem non memorat. — *quos invidia*] est illud Horatianum C. 3, 24, 31: *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.* — *bellorum superstitem*] eadem constr. Agric. 3: *pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites.* — *sex liberos*] 1) *Nero Caesar* † 784. Ann. 4, 59. 60. 5, 3. 4. 2) Drusus Caesar † 786. Ann. 4, 60. 6, 23. 24. Suet. Cal. 7. 8. 3) Caius Caesar Caligula. 4) Agrippina Claudii, mater Neronis. 5) Drusilla, *cui Caligula templa constituit ac pulvinaria.* Sen. Cons. ad Polyb. 36. Consecratae Pantheae nomen decrevit. 6) Iulia (Livilla Suet. Cal. 7.) a. u. c. 794. a Claudio patruo Messalinae instinctu praetextu adulterii cum Seneca in exilium pulsa ac paullo post occisa est. Dio 60, 8. Suet. Claud. 29. — *cum accusantibus*] non, ut alias assolet, cum reis. — *scelesta mandata*] Tiberii ac Liviae.

72. *ferociam*] cfr. 1, 33: *Agrippina paullo commotior.* 3, 1: *violenta luctu.* 6, 25: *aequi impatiens, dominandi avida.* — *aemulatione potentiae*] quae reapse nulla esset. — *credebatur*] ab amicis ita secretum hoc cum uxore colloquium interpretantibus. — *metum ex Tiberio*] coniugi

multo post exstinguitur, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum. indoluere exterae nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat. (73) funus sine imaginibus et pompa, per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum in quibus interiit, magni Alexandri fatis adaequarent. nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse, neque minus proeliatorem, etiamsi temeritas afuerit praepeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. quodsi solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa, parum constitit. nam ut quis misericordia in Germanicum

1. *ext.* M. — *et cumiacentium* M. — 3. *venerabiles* M. — 5. Habet *ac* M; ante Bekkerum edebant *et*. — 11. *proel.* M: *prael.* B. — 12. *afuerit* M: *abfuerit* B. — *praepuditusque* M. — *serivitio praemere* M. — 14. *ads.* M: *ass.* B.

ac liberis imminentem. — *exstinguitur*] a. d. VII. Idus Octobr. Certe ad hunc diem in Kalend. Antiatino (Inscr. m. Lat. II. p. 401.): *INFER. GERMANIC.* — *exterae*] Suet. Cal. 5: *regum etiam regem et exercitatione venandi et convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos iustitii instar est.* — *visu - - venerabilis*] Pulcherrima Germanici est effigies in Visconti *Iconogr. Rom.* Tab. XXIV. Tab. seq. exhibetur etiam Agrippina. — *adrogantiam*] Dio 57, 18. in pulchro Germanici elogio: *οὐδὲν οὐδὲ πρὸς τοὺς ἀρχομένους ἐπαχθές, οὐδὲ πρὸς τὸν Δροῦσον ἐπίφθονον, οὐδὲ πρὸς τὸν Τιβέριον ἐπαίτιον ἔπραττεν· ἀλλὰ συνελόντι εἰπεῖν, ἐν ὀλίγοις τῶν πώποτε οὔτε ἐξήμαρτέ τι ἐς τὴν ὑπάρξασαν αὐτῷ τύχην, οὔτ' αὐτὸς ὑπ' ἐκείνης διεφθάρη.*

73. *sine imaginibus*] quae Romae asservabantur in atrio domus Germanici. — *locorum*] Antiochiae et Babylonis. Egregie autem sic interponitur membrum secundarium, rationem exponens, cur etiam facilius eam in comparationem inciderint homines; neque vero dicere poterat *propinquitatem etiam locorum - - adaequarent.* Mire tamen in his haeserunt Ursinus, Ernestius, ipseque Walther contortissima ratione vv. *formam, aetatem, genus mortis* pro accusativis Graecis accipiens et ad v. *aequarent* supplens *Germanicum.* — *egressum*] Alexander vixit annos XXXII., menses VIII., Germanicus annos XXXIV. — *suorum*] Germanicum patris atque aviae, quae quidem vulgaris erat opinio. Quod autem ad Alexandrum attinet, haec vv. spectant ad famam, qua huic quoque venenum datum esse ferebant, quamquam Plutarcho auctore C. 77: *οἱ πλεῖστοι τὸν λόγον ὅλως οἴονται πεπλάσθαι τὸν περὶ τῆς φαρμακείας.* Contra Iustinus 12, 13. famam istam asserit. — *certis liberis*] legitimis; spurios habebat Alexander, ut Herculem ex Barsine. — *sepulturae*] id est, cremando corpori: nam cineres Romae conditi. 3, 1. et 4. Ern. *Κενοτάφιον* ei postea ibi exstructum est. C. 83. — *veneficii signa*] Multi affirmant. Plinius 11, 71: *Cor negatur cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint aut veneno interempti. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus non potuisse*

et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

(74) Consultatum inde inter legatos quique alii senatorum aderant, quisnam Suriae praeficeretur. et ceteris modice nisis, inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum: dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit. isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram, nomine Martinam, in urbem misit, postulantibus Vitellio ac Veranio ceterisque qui crimina et accusationem tamquam adversus receptos iam reos instruebant. (75) at Agrippina, quamquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen quae ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantis gratantisque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia. Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur excessisse Germanicum. quo intemperanter accepto caedit victimas, adit templa, neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina, quae

1. *interpraetantur* M. Correxit Beroaldus. Vitium praetulere Kiessling et Walther, quasi vero Tacitus loqueretur de scriptoribus Germanico aequalibus. — 4. *modicensis* M. Correxit Beroaldus. — 5. *CN.* M: *Gnaeum* B. — 8. *accussat.* M. — Habet *tamquam* et *quamquam* M. — 13. *venerantes*, sed *gratantisque* M. — 15. *aput* M. — *ads.* M: *ass.* B.

ob venenum cor Germanici Caesaris cremari. Lips. Adde Suet. Cal. 1: *nam praeter livores, qui toto corpore erant et spumas, quae per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est, cuius ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.* — *interpretabantur*] Saepe in Cod. Med. exciderunt mediis in vocabulis syllabae, ut C. 62: *transtulat* pro *transtulerat.* 64: *reditus* pro *rediturus.* 83: *adseravit* pro *adseveravit.* Sic et hoc loco. Tamen Kiessling, Walther, Bach, Ruperti retinuerunt *interpretantur*, de scriptoribus temporum statim post Germanici interitum viventibus explicantes, nec videntes talibus triplicem illum affectum, contrariae interpretationis causam, attribui vix potuisse a Tacito.

74. *crimina*] testimoniis scilicet probata. — *instruebant*] Paulus in Dig. 22, 4, 1: *Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest, et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur.* Cic. Verr. 4, 19: *ad iudicium nondum se satis instruxerat.* Plin. Epp. 10, 85: *ut longiorem diem ad instruendam causam darem.*

75. *gratantisque*] Amat hanc formam fere poëticam pro *gratulari* Tacitus. Vide 6, 21. 12, 7. 14, 8. Hist. 2, 29. — *sinu ferret*] urnam in amoris signum. Afferunt Tibull. 1, 3, 6: *Non hic mihi mater, quae legat in maestos ossa perusta sinus;* sed hoc ad ossa e rogi cinere legenda pertinet. Aptius huic loco Propertii illud 1, 17, 12: *An poteris - - Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?* Inspice etiam Winckelmann *Monum. ant. ined.* N. 137. — *anxia sui*] quid sibi a Tiberio Liviaque impenderet. — *infelici fecunditate*] Mirum est Ernestium prope proclivem fuisse ad reponendum *in felici f.* Longe efficacius est, quod Tacitus scripsit; pro sex enim liberis patre defensore carentibus multiplicatos iam casus aversos, etiam mortem, timere debebat. Crollius attulit Cic. Phil. 2, 24: Iuliae matris Antonii *fecunditatem calamitosam*, sed haec propter filii flagitia erat infelix. — *Coum*] hodie *Stingo*; id est, ἐς τὴν Κῶ. — *intemperanter accepto*] ad ipsum primum nuntium gaudio immoderato exsultans; sequentia autem

luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit. (76) adfluebant centuriones, monebantque prompta illi legionum studia: repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam. igitur, quid agendum, consultanti M. Piso filius properandum in urbem censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones inbecillas aut inania famae pertimescenda. discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena; et ademptione provinciae satisfactum inimicis. quodsi regrederetur, obsistente Sentio civile bellum incipi; nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor praevaleret. (77) contra Domitius Celer, ex intima eius amicitia, disseruit, utendum eventu: Pisonem, non Sentium Suriae praepositum; huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas. si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum? qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit. relinquendum etiam rumoribus tempus quo senescant: plerumque innocentes recenti invidiae impares. at si teneat exercitum, augeat vires, multa, quae provideri non possint, fortuito in melius casura. «an festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto; et perisse Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur.» (78) haud magna mole Piso, promptus ferocibus, in senten-

1. *adfl.* M: *affl.* B. — 3. *non*] *con* M. — 4. *M.* M; *Marcus* B. — 5. *inb.* M: *imb.* B. — 9. *aput* M. — 13. *quem* M: *quam* cum Pichena ac plerisque Edd. huic posterioribus B. *quem* restituere Walther et Doederlein; Ritter post v. *oppositurum* excidisse arbitratur *eo*; facilius vero excidere id poterat ante v. *oppositurum* inter litteras *a o.* — 14. *man* (in fine versus) *mandata* M. — 17. *adp.* M: *app.* B. — 18. *primorum ore* M.

neque ipse gaudium moderans significant eum etiam postea eodem in gaudio perstitisse; neque vero est *ταυτολογία*, ut videbatur Ernestio. — *luctum - - laeto cultu*] De luctu feminarum apud Romanos consule Lipsii Excursum M. Bekker *Gallus* II. p. 289., qui docent vestem lugubrem primis quidem temporibus pallam atratam, nigram fuisse, contra sub imperatoribus albam, ut testatur Plutarch. Quaest. Rom. 26. Quodsi hic mos veste alba lugendi iam tunc (a. 772.) obtinebat, pro hac Paulina sumpsit amethystinam, hyacinthinam, galbinam, quos colores tunc divites feminae sectabantur. Praeterea ornatus auri, gemmarum, margaritarum significatur.

76. *consultanti - - censebat*] *βραχυλογία* pro *consultanti haec censens respondebat*. Male Bachius *consultanti* a v. *properandum* pendere opinatus est.

77. *huic*] ad remotius Pisonis nomen referendum esse, facile patet; id quod fit interdum, ubi nulla inde oriri potest ambiguitas. — *qui*] v. *eo* vel *quam* (ante *qui)* excidisse sane probabilius est, quam si statuamus tam duram atque insolitam ellipsin ipsi Tacito placuisse. Interea Rupertium secutus mutavi distinctionem. Vulgo edunt: *oppositurum qui - - acceperit?* Walther scilicet cogitatione suppleri iussit: *quem iustius* Pisone *arma oppositurum*, *qui* cet. Pichenianum autem illud *quam iustius* a Bachio receptum mihi quidem inertius videtur. — *propria*] Pisoni soli et quidem secreto data ab ipso Tiberio; *(specialia* nominat Oberlin.) *persönliche*. — *rapiant*] Nolim proprie accipere *rapiant ad supplicium*, sed: «faciant, ut festinanter

tiam trahitur; missisque ad Tiberium epistulis incusat Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse. simul Domitium inpositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Suriam iubet. concurrentes desertores per manipulos conponit, armat lixas, traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Suriam euntium intercipit, regulis Cilicum ut se auxiliis iuvarent scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abnuisset. (79) igitur oram Lyciae ac Pamphyliae praelegentes, obviis navibus quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expediere: dein mutua formidine non ultra iurgium processum est, Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. ille eludens respondit adfuturum, ubi praetor, qui de veneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem prodixisset. interim Domitius Laodiciam urbem Suriae adpulsus, cum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato praevenitur. id Sentius Pisoni per litteras aperit, monetque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentet. quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognove-

3. *inp.* M: *imp.* B. — 4. *litorum* M: *littorum* B. — *lato*] *alto* Lipsii suspicio. — 5. *conp.* M: *comp.* B. — 7. *ignovo* M. — 8. *minesteria* M. — 10. *utrimque* M: *utrinque* B. — 11. *vibimus* M, *Vibinus* Beroaldus, Correxit Rhenanus. — *nutiavit* M. — 12. *adf.* M: *aff.* B. — 14. *prodixisset* M, ut volebant Muretus et Acidalius: *praedixisset* cum Edd. omnibus B. Alterum v. legitimum est in re iudiciali. Cfr. Liv. 2, 61. Alschefski. Exempla contra v. *praedicere* quae afferunt ex Ann. 2, 6. et 13, 36. Sueton. Claud. 8. omnia petita sunt ex re militari. — Habet *Laodiciam* M. Ante Bekkerum *Laodiceam*. — *Syriae* h. l. M, supra aliquoties *Suria*. — *apulsus* (sic) M. — 15. *legiones* M. — 18. *temptet* M.

ac prope indicta causa condemneris vel ultimo supplicio afficiendus vel saltem in exilium pellendus.« — *conscientia*] te mandata sua exsecutum esse. — *iactantius*] ita ut omnes eorum simulatum ac prope nimium maerorem animadvertant.

78. *lato*] Censeo tolerari hoc posse ita, ut significet, «ubi ex insulis non posset conspici neque ab incolis Sentio praenuntiari eius reversio;» vel, ut explicat Duebner: «insulis in latere omissis;» quamquam facilis sane est Lipsii coniectura *alto*. — *regulis Cilicum*] Videntur ii, qui post Philopatoris regis mortem (C. 42.) aliquas Ciliciae partes sibi subiecerant.

79. *praetor, qui de veneficiis quaereret*] Actio veneficii non a praetore in foro, ut libera re publica, sed apud patres praesente Tiberio tractabatur. Piso igitur dum haec iactat eludens probe sciebat a praetore illam actionem sibi intendi non posse. Ita huius loci sensum acute explicuit Walchius ad Agric. p. 158. Ritter. Attamen pro vv. *probe sciebat* pone: «nimis Tiberii favori confidens, sperabat;» qua in spe frustratus est. v. 3, 11. seqq. — Ad lect. *praedixisset*] Ernestius: Nonnulli maluerunt *prodixisset*, quod est usitatum et legitimum in hac re verbum, ut omnes sciunt. Sed quia et alibi in hac re *praedicere* reperitur in libris Taciti, ut supra C. 6. et verbum significare idem potest, nihil mutandum. Idem videbatur Drakenb. ad Liv. 2, 61., ubi pro *dies prodicta* libri quidam itidem habent *praedicta*. At nunc sequendus erat Cod. Med. — *Laodiciam*] Plures (XI.) fuere Laodiciae; sed hic intelligitur, quae in promontorio aedificata non longe ab Orontis ostio et luco Daphnensi, quae *libera* Plinio H. N. 5, 20.

rat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens, et rem publicam armis peti; ducitque validam manum et proelio paratam. (80) nec Piso, quamquam coepta secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae munitum admodum, cui nomen Celendris, occupat. nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis, auxilia Cilicum, quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus (earum quippe accitu venire) sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente. consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent. tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur. contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi hinc militum, inde locorum asperitas: sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia, ad subitum usum properata. ut venere in manus,

2. *proelio* M: *praelio* B. — 3. *fecus* M. — *tutissisima* M. — 4. *Celendris* M, ut est apud Iosephum 17, 5. Contra apud Strab. 14. p. 670. est *Celenderis* et in nummo apud Pellerin Asiae Tab. 73. *ΚΕΛΕΝΔΕΡΙΤων* Beroaldi, Lipsii, Bekkeri. — 7. *provinciam* M. Correxit Beroaldus errorem ortum ex seq. *quam*, frustra defensum a Doederleinio. — Habet *quam is* M, non *quamvis* Beroaldi. — 9. *aciae* M. — 15. *ad*] *aut* M. Correxit Beroaldus. *(aut subitum in usum* suspicatur Doederlein.) — *venire* M.

Ryck. — *magnitudinem imperatoris*] Plerique explicant: «maiestatem principis, quae per arbitrarium, immo temerarium Pisonis inceptum periclitaretur, tantoque magis igitur obsistendum esse Pisonis audaciae.» Contra Freinshemius et Doederlein accipiunt de Germanico, maxime propter C. 72., ubi *magnitudo* Germanici itidem praedicatur, et 3, 12. ac 14., ubi sane *imperatoris* nomine Germanicus intelligitur, non Tiberius. Atque hoc praefero cum propter vv. *quosque Germanici memores*, tum propter v. *magnitudinem*. Si de Tiberio intelligi voluisset, quidni usurpasset v. *maiestatem principis?* Hoc igitur dicit Sentius: «dignitati virtutique Germanici deberi, ut ei quamvis mortuo fideles devotique maneant milites.» — *rem publicam armis peti*] conatum, quo Piso ne consulto quidem principe in provinciam denuo sese intrudere velit, non aliud esse quam bellum civile movere. Haec igitur post Germanici laudes nostra ex ratione nova est sententia.

80. *Celendris*] Celendris sive Celenderis oppidum Ciliciae asperae prope Anemurium, hodie *Celindro*. — *in numerum legionis*] ex vexillo tironum illorum Romanorum, suis et Plancinae servitiis, auxiliis Cilicum unam quasi legionem sex millium circiter hominum composuit, inter quos tamen multi partim barbari, partim servi. Simile est illud Catilinae apud Sal. Cat. 56: *brevi spatio legiones* (duas) *numero hominum expleverat*. — *nisi agrestia*] prorsus ut Catilinarii illi (ibid.): *circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant*. — *dubitatum*] utrum diutius resisterent, an fugam caperent. Sine causa Wopkens malebat *dimicatum*. — *in aequum eniterentur*] in eum collis locum, ubi iam aequis locis pugnare possent. 1, 68: *aequis locis aequi dii*.

81. *classem*] qua Sentius ad Celendrim oppugnandam advenerat. — *adpugnare*] Perapte Tacitus hoc verbo ei, ut videtur, proprio usus est, ut significaret pugnam non reapse et serio commissam sed experiendi gratia tentatam. Cfr. 4, 48. 15, 13. Ritter. Sane alio ex scriptore non affertur neque a Forcellino nec a Furlanetto. Tentavit igitur, an dum Sentius occupatus esset in obsidendo castello, eius classe in ancoris stante (ascensa, ut consentaneum est, classe sua) potiri posset: cum hoc non procederet, Celendrim regressus est,

non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur: vertunt terga Cilices, seque castello claudunt. (81) interim Piso classem haud procul opperientem adpugnare frustra tentavit; regressusque et pro muris, modo semet adflictando, modo singulos nomine ciens, praemiis vocans, seditionem coeptabat; adeoque commoverat ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. tum Sentius occanere cornua tubasque, et peti aggerem, erigi scalas iussit, ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas saxa et faces ingerere. tandem victa pertinacia Piso oravit uti traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Suriam permitteret, consulitur. non receptae condiciones, nec aliud quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

(82) At Romae, postquam Germanici valitudo percrebuit, cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor, ira. et erumpebant questus. ideo nimirum in extremas terras relegatum, ideo Pisoni

1. *enim terentur* (sic) M. — 2. *scilices* M, *s* finale ex corr.; videtur fuisse *t*. — 3. *operientem* M. — *adp.* M: *app.* B. — *temptavit* M. — 4. *adfl.* M: *affl.* B. — 5. *legionis uocans sextae* M. Monstrum lectionis a nullo adhuc memoratum ortum est ex temeraria repetitione praecedentis *vocans*. — 9. *pertinatia* M. — *utiraditis* M. — 10. *Syriam* h. l. M. — *conditiones* M. — *aliut* M. — 12. Habet *percrebuit* M, non *percrebruit*, ut edebant a Beroaldo usque ad Lipsii secundam. — *cunctique* M. — 13. *adferaebantur* (litterae *a* (in altera syll.) et *ur* punctis subnotantur) M. Recte iam Beroaldus. (*afferebantur* B.) — 14. *quaestus* M.

ad quam ei aditus adhuc patebat, per portam puta a Sentianis aversam (etenim Strabo 14. p. 670: *Κελένδερις πόλις λιμένα ἔχουσα*). — *pro muris*] «Accipe de Pisone intra castellum ante muros, hoc est, ante muri loricam (vel inter pinnas Or.) ita astante, ut super muros eminens, cum adversariis colloqui posset, ut Hist. 3, 31: *velamenta et infulas pro muris ostentant;* coll. Ann. 2, 13. Alii Pisonem extra castellum progressum putant, coll. 14, 25: *proelium pro muris ausi erant;* id quod nec tuto neque commode ad invidiam faciendam fieri poterat a Pisone.» Walth. Recte iam Ryckius h. l. explicaverat. — *semet adflictando*] pectus plangens ceteroque gestu commovere spectantium animos tentans. — *praemiis vocans*] ad proditionem illiciens. — *occanere*] solitum hoc in talibus. Salust. Hist. 1. fr. 38. Gerl.: *iussu Metelli cornicines occanuerunt* (sic). De forma *occanere* cfr. Ruddimann Gr. L. I. p. 246. — *peti aggerem*] Recte Freinshemius et Doederlein eodem modo accipiunt, quo 1, 65., ut sit terra, caespes struendo aggeri ad oppugnandum castellum, coll. Caes. B. G. 2, 20. B. Civ. 1, 42. Huiusmodi autem agger cum muro arcte coniungi debebat, quo oppugnatores hunc facile ascenderent; atque intra perbreve tempus muri parti ad expugnandum oppidum sufficienti talis agger exaequari poterat a multis simul caespitem petentibus. Veget. R. mil. 4, 15: *Agger ex terra lignisque extollitur contra murum, de quo tela iactantur.* Alii cum Ernestio *peti aggerem* explicant aggredi murum castelli, provocantes ad Virg. Aen. 10, 23: *Quin intra portas atque ipsis proelia miscent Aggeribus murorum*, ubi Servius: *abusive muros et munimenta omnia aggerem dicimus.* Prorsus autem reiicienda est tertia Bachii interpretatio: «comportari materiam ad explendam fossam muris circumdatam.» — *dum - - consulitur*] Ernestius more suo contendit requiri *consuleretur.* Recte Walther conferri iubet 13, 15: *quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur.* Cfr. Heinrich ad Cic. pro Tullio 15. Sed res nunc omnibus nota.

82. *dolor, ira*] eadem brevitate Hist. 2, 29: *Ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor.* — *extremas terras*] imperii Romani. Cic. ad Q. Fr. 1, 1: *Non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cum audiverim in Italia querelas*

permissam provinciam; hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones. vera prorsus de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia, neque ob aliud interceptos quam quia populum Romanum aequo iure complecti, reddita libertate, agitaverint. hos vulgi sermones audita mors adeo incendit ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus. passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem; et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant. forte negotiatores, vivente adhuc Germanico Suria egressi, laetiora de valitudine eius attulere. statim credita, statim vulgata sunt. ut quisque obvius, quamvis leviter audita in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. cursant per urbem, moliuntur templorum fores. iuvit

3. *aliut* M. — 8. *merebant* M. — 10. *eius*] *ius* M. — 12. *templores* M. — Habet *fores* M, non, ut narratur apud Bekkerum, *flores*. — *iuvat* M. Correxit Lipsius in Ed. secunda, atque etsi unus et alter illud fortasse restitutum ierit, tolerari tamen nequit propter sequens *obstitit*.

civium. — *de Druso*] Suet. Claud. 1: *Drusus fuisse creditur non minus gloriosi quam civilis animi* - - *nec dissimulasse unquam pristinum se rei publicae statum, quandoque posset, restituturum; unde existimo nonnullos tradere ausos suspectum eum Augusto revocatumque ex provincia, et, quia cunctaretur, interceptum veneno.* — *sumpto iustitio*] Aliud exemplum talis iustitii post pacem Caudinam *sua sponte coepti* dat Livius 9, 7. idemque audita Romae Drusi morte factum luculenter exposuit Scriptor elegiae de eius morte inde a v. 181. (v. 183: *Incerti clauduntque domos strepitantque per Urbem* - - *Iura silent mutaeque tacent sine vindice leges; Adspicitur toto purpura nulla Foro.)* — *neque insignibus lugentium*] indicto enim iustitio mutabant etiam vestem. Lucan. 2, 18: *ferale per urbem Iustitium, latuit plebeio tectus amictu Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.* Iuven. 3, 213: *Pullati proceres, differt vadimonia praetor.* Cfr. et Seneca Ep. 18. Lips. Ceterum est pro *ne insignibus quidem*, ut 3, 17. — *illi*] hi alii. Liv. 24, 29: *Et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit. Nam et illis* (missis), *quod iam diu cupiebant, novandi res occasio data est, et hi* (mittentes) *sentinam quandam urbis rati exhaustam laetabantur.* — *moliuntur templorum fores*] vesperi haec gesta ac nocte; et tum clausa templa. Suet. Cal. 6: *vesperi cum incertis auctoribus convaluisse tandem percrebuisset* Germanicum, *passim cum luminibus et victimis in Capitolium concursum est ac paene revulsae templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur.* - - *Non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit duravitque etiam per festos Decembris mensis dies* (Saturnalia). — *nec obstitit falsis*] certam esse Germanici mortem populo annuntians. — *tempore ac spatio*] «temporis spatio»; *ἓν διὰ δυοῖν* maximopere adamarat Tacitus, ubi sententiam aliquanto efficaciorem reddere studebat.

83. *decretique*] Huius decreti reliquias Romae repertas post Feam tractavit Niebuhrius *kl. Schriften* II. p. 266. — *Saliari carmine*] quod saltantes canebant Salii, Martis sacerdotes. Cfr. Horat. Epp. 2, 1, 86. Dionys. Halic. 2, 70: *οὗτοι πάντες οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν.* Cfr. imprimis Plutarch. Num. 13. Huius rei evanidum superest vestigium in Senatus decreto Niebuhriano: *canituR IN PALATIO.* Hoc autem exemplo M. Antoninus Philosophus, mortuo filio Vero, *iussit, ut nomen eius Saliari carmini insereretur.* Spartian. 21. — *sedes curules*] pro vulgari *sellae*; scilicet in theatro et in circo, unde num. plur., qui honos et Iulio Caesari contigerat (Dio 44, 6.) et Marcello (Dio 53, 30.). — *Augustalium*] in quod collegium receptus fuerat Germanicus quinquennio ante 1, 54. — *querceas coronas*] au-

credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio. nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. (83) et populus quasi rursum ereptum acrius doluit. honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur; sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur; ludos circenses eburna effigies praeiret; neve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliae, crearetur. arcus additi Romae et apud ripam Rheni et in monte Suriae Amano, cum inscriptione rerum gestarum ac mortem ob rem publicam obisse; sepulchrum Antiochiae, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. statuarum locorumve in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis

1. *adf.* M: *aff.* B. — *falsi* M. Correxit Beroaldus. — 4. *saltari* M. — 5. *augustalium* M. — 8. *aput* M. — *amono* M. — 10. *sepulchrum* M: *sepulcrum* B. — *epidaphene* M. — *locum* M. — 11. Habet *colerentur* M, non *coleretur*, ut edebant ante Iac. Gronovium. — 12. *clipeos* M.

reae scilicet, teste Dione 44, 6., quales *OB. CIVIS. SERVATOS* (intra coronam querceam, nummus apud Eckhel D. N. VI. p. 121.) datae erant Augusto Dio 53, 16. Valer. Max. 2, 8, 7: *Ceterum ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustae domus sempiterna gloria triumphant.* Ovid. Fast. 1, 614: Iuppiter *Augeat imperium nostri ducis, augeat annos, Protegat et vestras querna corona fores.* Cfr. ibid. 4, 953. — *ludos circenses*] qui honos diis habitus et qui divinos deinde honores meriti videbantur. Notae in his ludis *tensae*, et eburneae et argenteae, quibus simulacra ad pulvinar vehebantur. Pompam eam describit Dionys. Hal. 7, 72. In reliquiis Decreti: *SENATVI. PLACERE. VTI. imaGINES. PONERENTVR.* — *arcus*] in Decreti reliquiis memorantur adhuc *ALTER IANVS* - - *TERTIVS IANVS.* Sueton. Cl. 1: *Praeterea senatus inter alia complura marmoreum arcum via Appia decrevit.* — *Amano*] Tauri montis brachio usque ad Euphratem porrecto, hodie *Lukan*, aliis *Areuna* s. *Monte di Scanderona*; delegit senatus locum undique maxime conspicuum. — *sepulchrum*] κενοτάφιον. — *tribunal*] *Trauerbühne*, suggestum editiorem, arcuatum, sine dubio cum inscriptione, quae *decreto patrum permissas provincias* (*ASIATICAS* Reliq. Decreti) *maiusque imperium* cet. (Cap. 43.) commemoraret. Similiter *tribunal* in honoribus funebribus est Inscr. m. Lat. N. 4548: *P. AELIVS. VENERIANVS. HOC. VAS. DISOMVM. SIBI. ET. FELICITATI. SVAE* (uxori). *POSVIT. ET. TRIBVNAL. EX. PERMISSV. PONTIF. PERFECIT.* et Grut. 725, 7: *HOS. DECVRIONES. FVNERE. PVBLICO. DE. FORO. E. TRIBVNALI. EFFERENDOS. ET. HIC. HVMANDOS. CENS.* «Ad significandam imperatoriam Germanici dignitatem; non simplex cumulus, qualem Ernestius putat, sed ad formam tribunalis castrensis exstructus.» WALTH. — *Epidaphnae*] proprie Δάφνη, suburbium quasi Antiochiae ab hac XL. stadia distans, a quo Latini *Antiochiam liberam Epidaphnes*, Graeci ἐπὶ Δάφνῃ, *cognominabant*. Plin. 5, 21., ut a circiter XV. aliis Antiochiis distinguerent. Itaque non pugnat cum Tacito Suet. Cal. 1., qui Antiochiae Germanicum obiisse tradit. — *colerentur*] eius statuae libationibus. — *clipeus*] honorarius cum eius protome ex vetusto illo more Poenorum (teste enim Livio 25, 39. in perta praeda fuit clipeus argenteus pondo CXXXVIII. cum imagine Barcini Hasdrubalis) et Romanorum iam inde ab Appio Claudio a. u. c. 259. Plin. 35, 9. Supersunt talium clipeorum imagines in *Bronzi d'Ercolano* T. I., item in nummo Augusti a. u. c. 738. Eckhel VI. p. 103. collata p. 121., ubi *S. P. Q. R. CL. V. (clupeum)* eidem decernit. Adde Osann Sylleg. Inscr. V., 1. p. 245. Atque inspice Ciceronis

inter auctores eloquentiae, adseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui iuniorum dicebatur; instituitque uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. pleraque manent: quaedam statim omissa sunt, aut vetustas oblitteravit. (84) ceterum recenti adhuc maestitia soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est. quod rarum laetumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit quin iactaret apud patres nulli ante Romanorum

1. *adseravit* M. Correxit Iac. Gronovius, ante quem edebant *adseruit*. *(asseveravit* B.*)* — 2. *inl.* M: *ill.* B. — 3. *cumeum* M. — 6. *obliteravit* M. — 7. *viriles* M. — 8. *adf.* M: *aff.* B. — 9. *aput* M.

effigiem tali clipeo inclusam apud Visconti *Iconogr. Rom.* Tab. XII. — *auctores eloquentiae*] exquisitius pro oratoribus illustribus. Sic C. 37. *Hortensii inter oratores sitam imaginem* memorat. Eloquentiae Germanici testis Ovidius Fast. 1, 21: *Quae sit enim culti facundia sensimus oris, Civica pro trepidis cum tulit arma reis.* Suet. Cal. 3: *ingenium in utroque* (et Graeco et Latino) *eloquentiae doctrinaeque genere praecellens - - atque inter cetera studiorum monumenta reliquit etiam comoedias Graecas.* Aratea, quae supersunt, utrum ei tribuenda sint, an Claudio Caesari, adhuc ambigitur. — *veteres*] ante Augusti aetatem, ita ut suppar esset Catoni, Gracchis, Hortensio, Ciceroni, Caesari. — *cuneum*] perperam multi vertunt *Geschwader*, *escadron;* equites autem per cuneos compositos esse, quis unquam audivit? tu vero explica ex Vitruvio 5, 6: *cunei spectaculorum in theatro.* Suet. Domit. 4: *singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis.* Est igitur sedilium ordo cuneatus, ut Ann. 16, 5: *cum a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant.* Tessera theatralis Inscr. m. Lat. N. 2539: *CAVea II. CVNeo III. GRADu VIII. CASINA. PLAVTI.* — *iuniorum*] equitum, qui nondum annum XLV. aetatis attigissent; atque Germanicus iam anno XXXIV. aetatis decesserat. Incredibile autem est haec vv. *qui iuniorum dicebatur* Creuzero subditiva visa esse. Locum ita explicavit Marquardt *Hist. Eq. Ro.* p. 71: «Germanicus defunctis C. et L. Caesaribus princeps erat factus iuventutis (Ovid. ex Ponto 2, 5, 41.); quem ut vivum in transvectione sollemni turmae omnes secutae erant, sic mortui imaginem universae sequebantur. Quae cum ita sint, in Taciti loco theatri cuneus intelligendus est; is enim unus locus erat, quo equester ordo cunctus conveniret, discimusque ex hoc loco XIV. ordines in (duos) seniorum iuniorumque cuneos distinctos fuisse.» (Ut erant *centuriae iuniorum* et *seniorum* in civibus. *Cunei* sunt ordines sedilium in theatro cuneiformes, a scalis de procinctione ad orchestram descendentibus. Doerbn.) — *turmae*] Inscr. m. Lat. N. 133: *TVRMAE EQVITVM ROMANORum.* — *Idibus Iuliis*] Forcellinus: «*transvectio* item dicebatur recensio seu recognitio, cum equites sollemniter recensebantur et ante oculos censorum vel (postea) principis equis praetervehebantur. Transvectionem equitis habes in nummo gentis Liciniae apud Morell. *Fam. R.* Tab. I. N. 7.» (in quo tamen nummo figura militaris, veste succincta, equum dextra capistro ducens, laeva hastam tenet et clipeo innititur.) «Fiebat autem transvectio hoc maxime modo: Idibus Quinctilibus ex instituto Q. Fabii Rulliani, ut refert Liv. 9, 46. Val. Max. 2, 2, 9. Plin. 15, 4, 5. Aurel. Vict. de viris ill. 32., equites trabeati equis insidentes, corona ornati oleaginea, ab Honoris sive Martis templo in Capitolium transvehebantur. Si sine culpa essent, abibant; sin aliter, sistebant et equum vendere iubebantur.» Contra Lipsius: «Aliud autem transvectio equitum: aliud recognitio sive censio sive probatio, et cave ea confundas.» Vide tamen ipsum de Milit. 1, 5. Suet. Oct. 38: «*Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis.*»

eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam. nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

(85) Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque ne quaestum corpore faceret cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. nam Vistilia praetoria familia genita licentiam stupri apud aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum inpudicas in ipsa professione flagitii credebant. exactum et a Titidio Labeone Vistiliae marito, cur in uxore delicti manifesta

5. *questum* M. — 7. *aput* M. — 8. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *exacta* M. Correxit Vertranius; erroris origo rursus est quaerenda in litt. *u* et *a* semiaperta. (*exacto* suspicatur Doederlein; non placet; neque vero a Walthero ac Rupertio reponi debebat *exacta* num. scilicet plurali, uti opinantur.) — 9. *uistilie* M.

Transvectionem hanc equitum graphice depingit Dionys. Hal. 6, 13., ubi Idibus Quinctil. s. Iuliis fieri solitam dicit, quia victoria ad lacum Regillum incidit in eum diem. Sed et *Castorum aedes Idibus Quinctil. dedicata*, ait Livius 2, 42., quorum honori praecipue transvectio instituta. Lips. Cfr. Liv. 9, 46. Marquardt Hist. Eq. Ro. p. 68. — *imaginem*] Ita accipio, ut in illa transvectione equitum Germanici imago pro vexillo esset, quod sequerentur. 5, 4: *quorum imagines pro vexillo secuti essent, duces imperatoresque deligerent*. Lips. — Süvern *über den Kunstcharakter des Tacitus* p. 79: *Er legt auf die Geschichte des Germanicus so vorzügliches Gewicht, und behandelt sie mit unverkennbarer Liebe, weil dessen Schicksal entscheidend für den ganzen Staat und den Charakter des Principats insonderheit, und weil sein Tod der Wendepunkt in Tiberius Leben war.*

84. *Livia*] quam Suetonius ubique Livillam appellavit, ne confunderetur cum Livia Augusti. — *duos virilis sexus*] «Horum uni fuisse nomen Tiberio constat. Alterius appellatio ignota; Drusum vocat Tristanus *Comment. hist.* I. p. 171., Germanicum Harduinus ad Plin. Tom. I. p. 729., sed neuter ullo auctore rem probat. Infans hic quadriennio post a. u. c. 776. mortuus est. Ann. 4, 15. Infelicior alter vitam aliquamdiu protraxit, spretus a Tiberio, velut conceptus esset ex adulterio, cognita matris Liviae libidine. (Suet. Tib. 62. Dio 58, 23.) Heres tamen ex testamento aequis cum Caio Caligula partibus est relictus et consors imperii constitutus. Suet. Tib. 76. Dio 59, 1. Verum hanc Tiberii voluntatem Caligula imperium adeptus mox senatus consulto evertit fratre patrueli imperio exuto; adoptavit eum tamen ac principem iuventutis dixit, sed mox quaesita causa (uti divinarat Tiberius. Ann. 6, 46.) interfecit a. 790. Suet. Cal. 15. et 23. Dio l. l. Philo Leg. ad Caium p. 549. Inscr. m. Lat. N. 654: *TI. CAESAR DRVSI CAESARIS F. HIC SITVS EST.* in via Flaminia.» Eckhel D. N. VI. p. 207. — *modicis penatibus*] ῥητορικῶς pro familiis mediocris fortunae. — *temperaverit*] se non continuerit, ut 3, 67: *non temperante Tiberio, quin premeret.*

85. *senatus decretis*] nobis ignotis; nam locum Tertulliani de Pallio 4., quem attulit Lipsius, huc non quadrare apparet ex Salmasii Commentario p. 306. Ed. Paris. 1622. 8. — *apud aediles vulgaverat*] id est, professa erat quaestum meretricium, petens, ut in meretricum album referretur. Cui professioni consequens, ut iure cederet et dignitate matronali, etiam, ut opinor, ornamentis (stola), censereturque inter togatas. Suet. Tib. 35: *Feminae famosae, ut ad evitandas legum poenas iure et dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri coeperant; - - quas, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit.* Lips. *Lenocinium* autem intellige et proprii corporis et ancillarum stupra. Pertinet huc locus Papiniani Digest. 48, 5, 10: *Mulier, quae evitandae poenae adulterii gratia lenocinium fecerit aut operas suas in scenam locaverit, adulterii accusari damnarique ex senatus consulto potest.* Apud aediles autem erat lupanarium popinarumque cura. — *exactum*] a praetore quaesitum.

ultionem legis omisisset. atque ille praetendente sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse, satis visum de Vistilia statuere; eaque in insulam Seriphon abdita est. actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis; factumque patrum consultum ut quattuor milia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. (86) post quae rettulit Caesar capiendam virginem in locum Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praesederat; egitque grates Fonteio Agrippae et Domitio

1. *omississet* M. — 2. *sitis* M. — 6. *et*, *si* divise M et Edd. omnes; rectissime. *etsi* Doederlein; non accedo. Hoc dicit Tacitus: «actum est in senatu de Iudaeis illis in Sardiniam transportandis; *et* (addebat sententiae unus et alter senator) *si* vel *interissent*, *vile fore damnum*, id quod nemo negabat.» — 7. *vile*] *utile* miro acumine Freinshemius ex Vell. 2, 46: *utile imperatoris damnum*. — 8. *exsuissent* M. — 10. *comicio* M.

— *ultionem legis*] accusationem ex lege Iulia de adulteriis. — *sexaginta dies*] dati erant ea lege a die divortii marito ad accusandum. Papinianus in Digest. 48, 5, 11: *Sexaginta dies, qui marito utiles computantur, feriatis quoque diebus, si modo facultatem praesidis adeundi accusator habuit, numerari certum est.* — *Seriphon*] Ann. 4, 21: *Cassius Severus in saxo Seriphio consenuit*; hodie *Servino*, vel, ut alii aiunt, *Serfo*, *Serfanto*. — *abdita*] ex humana societate quasi expulsa. — *sacris Aegyptiis*] Intellige Isidis cultum inde a Sullae temporibus apud Romanos celebratum. Tibull. 1, 3, 23. Boettiger *Sabina* I. p. 232. Doed. Actum autem non tunc primum. Nam et Agrippa, praefectus urbi ab Augusto, sacra Aegyptia repressit edicto, ne quis ea intra quingentos ab urbe passus exerceret, a. 733. Dio 54, 6. Sed de hoc Tiberiano edicto capiendus Seneca Ep. 108, 21: '*Sotionis praeceptis instinctus abstinere animalibus coepi et anno peracto non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis. - - Quaeris quomodo desierim? In Tiberii Caesaris principatum iuventae tempus inciderat: alienigena tum sacra movebantur, sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia.* Apparet eum intelligere etiam Iudaica sacra, qui abstinebant animalibus, quae Moses impura esse edixerat. — De Isidis sacerdotibus a Tiberio in crucem actis, deae simulacro in Tiberim abiecto, templo destructo memorabilis est narratio apud Iosephum A. 18, 3, 4. Saevitiae autem huiusce causa erat, quod conscils sacerdotibus Mundus, eques Romanus, Anubin sese simulans, Paullinem, illustrem feminam, superstitione Isiaca deceptam, in illo templo stupraverat. Idem 5. Iudaeos expulsos esse narrat propter Fulviam, nobilem feminam, a Iudaeo quodam impostore misere deceptam atque exspoliatam: *Καὶ ὁ Τιβέριος (ἀποσημαίνει γὰρ πρὸς αὐτὸν φίλος ὢν Σατουρνῖνος τῆς Φουλβίας ἀνὴρ ἐπισκήψει τῆς γυναικός), κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαϊκὸν τῆς Ῥώμης ἀπελαθῆναι. Οἱ δὲ ὕπατοι τετρακισχιλίους ἀνθρώπων ἐξ αὐτῶν στρατολογήσαντες, ἔπεμψαν εἰς Σαρδὼ τὴν νῆσον· πλείστους δὲ ἐκόλασαν μὴ θέλοντας στρατεύεσθαι διὰ φυλακὴν τῶν πατρίων νόμων.* Idem tradit Suet. Tib. 36: *Iudaeorum iuventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris caeli distribuit.* Sardinia autem *soli quam caeli melioris et ut fecunda, ita paene pestilens.* Mela 2, 7. Et ipsi Sardi *genus militum suetum a pueritia latrociniis.* Salust. Hist. 2. Fr. 7. Gerl. Aliam ut videtur, Iudaeorum persecutionem Seiani instigationibus tribuit Philo Leg. ad Caium 24., quo sublato deceptum se vidisse Tiberium ideoque ad praesides etiam provinciarum scripsisse, ut Iudaeis parcerent. — *libertini generis*] Philo ibid. 23: *Πῶς ἀπεδέχετο* (Augustus) *τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομήν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων; Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες. Αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν, οὐδὲν τῶν*

Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent. praelata est Pollionis filia, non ob aliud quam quod mater eius in eodem coniugio manebat; nam Agrippa discidio domum imminuerat. et Caesar quamvis posthabitam, decies sestertii dote solatus est. (87) saevitiam annonae incusante plebe, statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant. unde angusta et lubrica oratio sub principe qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

(88) Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum Ad-

2. *polionis* h. l. M. — *aliut* M. — 3. Habet *discidio* M, non *dissidio*, ut edebant a Lipsii prima e. 1574. usque ad Ryckium. — 5. *praetium* M. — 7. *adsumsit* M. (*assumpsit* B.) — 11. *aput* M. — *senatoresque*] *senioresque* malebat Lipsius et Douza, cui coni. refra- gatur v. *reperio*.

πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες. — *ob gravitatem caeli*] Pausan. 10, 17, 11. de Sardinia: *ὁ δὲ ἀὴρ ὁ ἐνταῦθα θολερός τε ὡς ἐπίπαν ἐστὶ καὶ νοσώδης· αἴτιοι δὲ οἵ τε ἅλες οἱ πηγνύμενοι καὶ ὁ νότος βαρὺς καὶ βίαιος ἐγκείμενος κτλ.* — *vile*] Stat. Theb. 1, 649: *iacturaque vilior orbis Mors hominum.*

86. *capiendam virginem*] verbum hac in re proprium. Gell. N. A. 1, 12: *Capi virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur in atrium Vestae.* Formulae pars haec erat: *VTEI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Amata inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam, quae prima capta est (a Numa rege), hoc fuisse nomine traditum est.* — *praesederat*] quam Romae et Albae Longae virginem Vestalem maximam appellabant. Vide Inscr. m. Lat. N. 2234.: *V. V. MAXIMAE. SANCTISSIMAE. PIISSIMAEQVE* cet. et Inscr. seqq. — *septem et quinquaginta*] At lex definiebat ministerio virginum tantum annos triginta; spontanea igitur mansio Occiae. Lips. — *in eodem coniugio manebat*] non, quod erat tum frequentissimum, divortio abierat a marito. — *imminuerat*] eius dignitati labes aliqua ex hoc discidio aspersa videbatur. (Honori domus suae detraxerat. Patrimae et matrimae debebant esse Vestales. Duebn.) — *decies sestertii dote*] Numerus hic in dote inter honestiores quasi legitimus et sollemnis. Iuven. 10, 335: *et ritu decies centena dabuntur Antiquo.* Seneca Consol. ad Helv. 12: *Beatioresne istos putas, quorum pantomimae decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi a senatu, tutore suo, in dotem aes grave acceperant?* Lipsius.

87. *saevitiam*] caritatem, *gravitatem* (6. 13.) intolerabilem. Similiter 11, 13: *saevitiam creditorum coërcuit.* Atque omnino hoc vocabulo crebro utitur. — *pretium*] Cfr. 15, 72. — *negotiatoribus*] intellige frumentarios, ut Suet. Oct. 42: *negotiantium*, ubi male Casaubonus quosvis negotiatores intelligebat. Ern. — *parentis patriae*] cfr. 1, 72. Suet. Tib. 26. et 27. Dio 57, 8. 58, 12. Historicorum testimonium confirmant eius nummi omnes. Eckhel D. N. VI. p. 200. Obstinatus tamen Tiberii adulator Valerius Maximus 5, 5, 3. eum vocat *principem parentemque nostrum.* — *increpuit*] Suet. Tib. 27: *Alium dicentem sacras eius occupationes; et rursum alium, auctore eo senatum se adisse, verba mutare et pro auctore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coëgit.* — *angusta et lubrica*] omni libertate carens et anceps, quia semper timere debebant, ne dominum offenderent. (*gehemmt und misslich* Gutmann.)

88. *senatoresque*] Nempe senatores fere commentaria conficiebant eorum quae dicerent in curia. Ea manebant in familia et ostentabantur nonnunquam a posteris, e quibus aeque atque ex actis publicis privatisque concinnari posset legitima historia. Gruter. Quidni interdum aliorum quoque memorabiles sententias scripto mandarint? Nolim equidem cum Bachio

gandestrii principis Chattorum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur; responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum adfectans libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniae, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.

2. *armenii* M. — Habet *responsumque* M et sic Beroaldus, Rhenanus, Lipsius, Pichena, Ryckius. Inde a Iac. Gronovio usque ad Bekkerum editum est *responsum*. Veram lect. ex Furiae collatione restituit Bekkerus. Miro rursus errore Ritter: «*responsum* M: *responsumque* Bekkerus. Aut Bekkeri coniectura adoptanda est aut delendus infinitivus *esse*.» — 5. *pyrrum* M. — 6. *armenius* M. — 7. *adf.* M: *aff.* B. — 8. *haudubie* M. — 10. *proeliis* M: *praeliis* B. — 12. *aput* M. — 14. *FINIT LIBER II. P. CORNELY* ‖ *INCIPIT LIBER III. FELICITER* M.

de actis senatus intelligere, quae interdum a scribis publicis, interdum a senatore huic muneri destinato componebantur. Cfr. 5, 4. 15, 74. — *priscis imperatoribus*] C. Fabricio Luscino cos. II. a. u. c. 476. — *regnum adfectans*] Cum Tacitus solus Arminii exitum tradat, utrum haec accusatio vera sit, an fictum ab eius inimicis crimen, nunc exputari nequit. Lege, si vacat, Luden *Geschichte* I. p. 326. — Quodsi degredi licet ab unico, quod superest, Taciti testimonio, optima sane Arminii defensio erit, ut dicamus, id ab eo ultimis suis inceptis unice spectatum esse, ut firmam ac perpetuam inter Germaniae populos concordiam stabiliret atque componeret turbas illas insanas, quae nationis vires adversus Romanos tamdiu debilitarant; talem autem consensionem sine capite et principe obtineri non potuisse; quo principatu autem quis dignior fuisset quam ipse liberator Germaniae? — *ambiguus*] ut 2, 21: *equites* (Germanici et Arminii) *ambigue certavere*. — *bello non victus*] Lucilius Lib. 26. apud Nonium p. 296. Gerl.: *ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis saepe est multis, bello vero nunquam, in quo sunt omnia.* — *canitur*] de huiusmodi Germanorum cantibus popularibus Iulianus Misopog. p. 337. Spanh.: Ἐθεασάμην τοι καὶ τοὺς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον βαρβάρους ἄγρια μέλη λέξει πεποιημένα παραπλήσια τοῖς κρωγμοῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων ᾀσμενίζοντας, καὶ εὐφραινομένους ἐν τοῖς μέλεσιν. — Ceterum Grimm *Mythologie* Ed. alt. p. 326. suspicatur a Tacito *Arminium* confusum esse cum heroe *Irmino*, quem divinis honoribus dignati sunt Germani. Sed res est prorsus incerta. — *Graecorum*] qui Augusti Tiberiique res composuere. Sic Dio quoque nihil de Arminii rebus gestis post Varianam cladem nec de morte eius tradit. — *haud perinde*] ut 4, 61. ac par est; «multum infra dignitatem» Freinsh.; neutiquam vero: quam apud suos; id quod dici nihil attinebat, cum per se intelligeretur. Tacitus hoc significare voluisse videtur aequum futurum fuisse, ut a Romanis Arminius Pyrrho atque Hannibali saltem aequipararetur. — *celebris*] Nota hanc formam pro *celeber*, ut Scr. ad Herenn. 2, 4: *locus celebris*. Tac. Ann. 13, 47. 14, 19. Curtius 5, 3, 18: *vir illustris - - famaque celebris*. Multa alia exempla voc. masc. *acris*, *alacris* cet. collegit Ruddimann I. p. 14. et 164.

EXCURSUS AD CAP. III. ET IV.
VISCONTI ICONOGRAPHIE GRECQUE III. p. 305.

La captivité d'Artavasde et de sa famille ne fit pas tomber l'Arménie au pouvoir de Marc-Antoine. Les peuples de ce royaume surent défendre quelque temps leur indépendance, et mirent la couronne sur la tête d'Artaxias, fils atné du roi prisonnier, et qui n'avait point partagé son sort. Mais les Arméniens, toujours inquiets et divisés en deux partis, dont l'un était sous l'influence des Romains, l'autre sous celle des Parthes, massacrèrent Artaxias, qui était l'ami de ces derniers, et demandèrent pour roi son frère Tigrane, qui était à Rome. Auguste le leur accorda, et le fit conduire en Arménie par Tibère son beau-fils, qui le couronna de sa main l'an 20 avant l'ère chrétienne. [1])

Le règne de Tigrane fut court, et la couronne ne resta pas long-temps sur la tête de ses enfans, que, suivant l'usage d'Orient, il avait attachés l'un à l'autre par les nœuds de l'hymen. [2]) Il est probable que le jeune Tigrane, fils et successeur du précédent, montrait du penchant pour les Parthes : Rome le détrôna, et donna la couronne à un autre Artavasde, vers l'an 6 avant la même ère. Tigrane, avec l'aide des Parthes, prit sa revanche quatre ans après, et se ressaisit du sceptre de l'Arménie. Ce fut alors que Caïus César, petit-fils et fils adoptif d'Auguste, passa dans l'Orient pour faire la guerre aux Parthes et soumettre l'Arménie. L'influence des Romains avait suscité à Tigrane de nouveaux ennemis parmi les peuples barbares qui environnaient ses états. Tigrane marcha contre eux; mais son expédition fut malheureuse, et il y perdit la vie un an environ avant l'ère chrétienne. [3])

Érato, son épouse et sa sœur, abdiqua une couronne qu'elle n'espérait pas pouvoir conserver; et alors Caïus donna pour roi aux Arméniens Ariobarzane, prince mede qui tirait son origine des rois d'Arménie. Une mort prématurée enleva le nouveau roi; et son fils nommé Artavasde comme deux de ses prédécesseurs, ne put se maintenir sur le trône. Érato recouvra le sceptre; mais les Arméniens se lassèrent bientôt d'être gouvernés par une femme [4]) : ils la firent descendre du trône, et voulurent y placer Vononès, qu'Artabane III venait d'expulser du royaume des Parthes, vers l'an 5 de l'ère vulgaire.

La médaille de bronze gravée sous le n°. 5 de la planche LVII. et frappée sous Tigrane le jeune présente son portrait et celui d'Érato. Le roi est orné de la tiare arménique, et la légende *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΤΙΓΡΑΝΗΣ* contient son nom et son titre [5]). La légende du revers désigne *Érato, sœur*

---

1) Suet. Tib. 9. 2) Ce morceau d'histoire est tiré de ce que dit Auguste lui-même dans les tables d'Ancyre (Chishull *Antiq. Asiat.* p. 175 et 176.), d'un passage de Tacite qui contient un grand nombre de détails indiqués fort succinctement (*Ann.* 2, 3 et 4.), du livre 55, 11. de Dion, et d'un fragment du même livre, publié par M. l'abbé Morelli. Cette dernière autorité inconnue aux savants, qui ont traité cette partie de l'histoire ancienne, y a répandu un nouveau jour. 3) Dion (*Hist. Rom. Fragmenta ab Iac. Morellio edita.* Paris, 1800, fol. pag. 7 et 8. vel Ed. Sturz III. p. 364.) dit clairement, que Tigrane mourut dans cette guerre : *Τιγράνου ἐκ πολέμου τινὸς βαρβαρικοῦ φθαρέντος.* 4) Cela résulte du passage de Tacite, *loco citato*, combiné avec le fragment de Dion. 5) Une médaille presque semblable, mais moins conservée varie dans la légende qui environne l'effigie de Tigrane. On y lit, *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΝΕΟΣ ΤΙΓΡΑΝΗΣ.* Cette dernière épithète y a été ajoutée pour le distinguer de son père.

du roi Tigrane, *ΕΡΑΤΩ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ ΑΔΕΛΦΗ* [6]), et le type présente son effigie.

Cette médaille singulière répand un nouveau jour sur les passages de Tacite et de Dion qui parlent d'une manière très concise des princes et des troubles de l'Arménie.

---

6) Le nom de sœur de Tigrane que prend la reine Érato explique le passage où Tacite, parlant de Tigrane leur père dit: *Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque.* (Ann. 2, 3.)

ANNALIUM
LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Agrippina cum urna ferali magno planctu passim excipitur. 2. Funerum sollemnia. Primores urbis obvii. 3. Tiberius, Augusta et Antonia publico abstinent. 4. Maeror publicus. 5. Tiberius, parcus visus in honorando funere, 6. excusat se et populum erigit. 7. Iustitium omissum. Drusus ad Illyricos exercitus abit, 8. Piso ad Drusum; 9. inde Romam alacri animo. 10. Mox accusatur. Princeps causam ad senatum remittit. 11. Patroni reo quaesiti. 12. Tiberii oratio ad patres. 13. Accusatorum criminationem 14. reus male diluit. In eum iudices haud proni, populus offensissimus. 15. Plancina causam suam dissociat. Pisonis mors, 16. dubium an iussu, et ad Tiberium codicilli. 17. 18. Piso filius absolvitur, Plancina Augustae precibus condonatur. Sententias in Pisonem princeps mitigat. Adulatio impudens. 19. Drusus ovat. Vipsania moritur. 20. Tacfarinas bellum in Africa renovat. 21. Id Apronii severitate opprimitur. 22. Lepida suppositi partus, adulterii, veneficii accusata, 23. Tiberio perplexe agente damnatur. 24. Silanus exsilii veniam impetrat. 25. Lex Papia Poppaea. Delatores. 26. Excursus de legibus, quae initio paucae et simplices, paullatim primo, 27. dein immensum auctae. 28. Earum correctio tentata. 29. Nero Germanici ad honores promotus Iuliam ducit, Drusi filiam. 30. Volusii et Sallustii mors et elogium. Aulae potentia infida.

31. Tiberius et Drusus coss. Irreverentia iuventutis notata. Viarum cura. 32. Tacfarinas turbat iterum. Lepidus Asiae proconsul. 33. Uxores a provinciis arcet Caecina. 34. Ei repugnat Valerius Messalinus adstipulante Druso. 35. Blaesus proconsul Africae. 36. 37. Abusus imaginum principalium repressus a Druso. 38. Accusati repetundarum, maiestatis. Thraciae motum 39. Velleius comprimit. 40. Gallia ducibus Floro et Sacroviro rebellat. 41. Andecavos coërcet Aviola, Turonios opprimit. 42. Florus sua manu cadit. Finis Treverici tumultus. 43. Aeduos turbat Sacrovir. 44. Romam percellit, non Tiberium. 45. 46. Silius Gallos fundit, cruppellarios caedit. Sacrovir sibi manum infert. 47. Tiberius simulat iter in Gallias. 48. Quirini mors honestata. 49. — 51. Lutorius accusatus defenditur a Lepido, et necatur in carcere. SC. de differenda poena.

52. Aediles de luxu coërcendo agunt. Senatus rem remittit ad principem. 53. 54. Hic medicinam a tempore sperandam pronuntiat. 55. Paullatim sponte mutati mores. 56. Tribunicia potestas petita Druso et 57. impetrata cum adulatione patrum. 58. Flamen dialis ambit provinciam. 59. Alii obsistunt. Drusus superbia notatur. 60. — 63. Imago libertatis. Asyla Graecarum civitatum senatus examinat et modum praescribit. 64. Augustae morbus. Tiberii in matrem non sincerus amor. 65. Tempora foeda adulatione infecta. 66. — 68. C. Silanus repetundarum et maiestatis postulatus a multis urgetur et a principe ipso, et damnatur. 69. Dolabellae adulationem 69. reprimit Tiberius et sententias mitigat. 70. Cordus, Ennius, Capito rei. 71. Equestris Fortuna. Ius flaminium. 72. Basilica Paulli. Pompeii theatrum. 73. Tacfarinatis petitio impudens. 74. Blaesus eum adgreditur, fratrem eius capit, nec bellum conficit. 75. 76. Mors Salonini, Capitonis, Iuniae, cuius sollemne funus.

Haec triennio gesta, M. Valerio et C. (M.?) Aurelio, Tiberio imp. IV et Druso Nerone II, C. Sulpicio et D. Haterio coss.

(1) Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam. illic paucos dies conpo-

1. *Ab excessu diui augusti. Nihil* M. — 2. *litora* M: *littora* B. — *conp.* M: *comp.* B.

1. *advehitur*] principio a. 773. Cfr. C. 2. — *Calabriae*] quo nomine incolae antiqui complectebantur tractum, qui Graecis Ἰαπυγία et Μεσσαπία. Strabo 6. p. 277. — *contra*] ex adverso, e regione. Praepositionis positio ut 1, 60: *amnes inter.* — *conponendo animo*] Quintil. 12, 9, 20: *licet praecogitare multa et animum ad*

nendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et rogitantium inter se silentione an voce aliqua egredientem exciperent. neque satis constabat quid pro tempore foret, cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus; neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore an-

2. *quique*] *cuique* M. Correxit Beroaldus. — 5. *adpulsu* cum lin. M. Recte iam Beroaldus dedit *adpulsu*, ut dicitur *facile intellectu* cet. *ad adpulsum* mavolt Doederlein. — 6. *classes* M. — 7. *mari* malebant Muretus, Freinshemius, Ryckius. Verum ut Hist. 3, 42: *propiora fluminis* solitam v. Graeci ἐγγὺς constructionem praetulit scriptor. — 10. *ads.* M: *ass.* B.

omnes casus componere. — *violenta*] ut etiam ante maritum amissum fuerat *paullo commotior.* 1. 33. — *fidissimum*] dictum cum colore Virgiliano, ut subinde. Aen. 2, 23: *statio male fida carinis.* Ibid. 400: *litora cursu fida.* — *proxima maris*] id est, praeter portus reliquum litus, unde longinquior iam erat appellentis conspectus; ut Hist. 5, 16: *propiora fluminis.* Sal. Iug. 48: *fluminis propinqua loca.* Minus recte alii explicant, proximam ipsius maris partem cymbis tunc esse occupatam, uti est sane Hist. 3, 42: *missis per proxima litorum Liburnicis.* — *successit*] portum ingressa est. Sic Virg. Aen. 5, 281: *navis - - velis subit ostia plenis.* Plin. Epp. 9, 26: *inglorius subit portum.* Ern. — *duobus*] Iulia in Lesbo insula anno superiore nata (2, 54.) et Caligula, qui teste Suet. Cal. 10: *comitatus est patrem et Syriaca expeditione.* — *feralem urnam*] 2, 75. — *defixit oculos*] in terram de more tristium. Virg. Aen. 6, 469: *Illa solo fixos oculos aversa tenebat.* Ern. 6, 68: *milite quasi ob metum defixo.* 13, 5: *ceteris pavore defixis.* Frustra Muretus et alii: «ita omnium oculos in se convertit, ut nemo usquam alio intueretur.» At vero hoc et per se intelligitur et inest in praecedenti exspectationis ac reverentiae significatione; atque ipsius Agrippinae summa maestitia erat exprimenda. — *recentes in dolore*] propter urnam ipsam iam primum conspectam in lamentationes prorumpebant. Bongarsius volebat *recens dolore.* Sed scriptor ad Herenn. 2, 7. item: *recentior in dolore.* Oberl.

2. *magistratus Calabriae*] municipales, duumviros iuri dicundo, aediles, similes. — *fungerentur*] cum accus. ut 4, 38: *hominum officia fungi*; alioqui veterum est fere poëtarum. — *signa*] praetoriarum illarum cohortium, nullo ornatu insignia et fulgentia. — *versi fasces*] Consol. ad Liv. 142: *Quos primum vidi fasces, in funere vidi: Et vidi versos indiciumque mali.* Intellige autem fasces ipsius Germanici, signum imperatoriae dignitatis. Lips. Etiam qui portabant, Germanici videntur fuisse lictores, non designatores funeris (Horat. Epp. 1, 7, 6.), ut ratus est Lipsius. — *trabeati*] Trabea quid ad luctum? qua utebantur diebus sollemnibus laetisque, ut Idib. Iul. in transvectione equitum. Credo vestem hanc trabibus purpurae intextis (id enim trabea, Dionys. Hal. 6, 13.) sumptam hic non doloris indicium sed ordinis, ad discriminandum, inquam, in coloniis equitem a plebe et splendorem funeri conciliandum: trabea enim propria equitum,

teibant. (2) miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci vestem odores aliaque funerum sollemnia cremabant. etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. consules M. Valerius et C. Aurelius (iam enim magistratum occeperant) et senatus ac magna pars populi viam complevere, disiecti et ut cuique libitum flentes; aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari. (3) Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur.

1. *addita* M. Correxit Beroaldus. — 2. Habet *Apulique* M. — *supraema* M. — 3. *fungentur* M. Correxit Beroaldus. — *umeris* M. — 4. *uesi* M. — 5. *plebis* M. — 6. *sollemnia* M: *sollennia* B. — 8. *tarricinam* M. Correxit Beroaldus. — 10. *M.* M: *Marcus* B. — *C.* M: *Gaius* B. — Habet *occeperant* M, non Beroaldi et Waltheri *occoeperant*. — 15. *intellegentur* M. Correxit Beroaldus.

unde *trabeata agmina* Statio Silv. 4, 2, 32. Lips. Consentit Ferrar. de Re vestiar. P. 1, 2, 6. Ern. — *vestem*] pretiosam; intellige partim de veste stragula s. tapetibus, quibus sternebantur rogi, partim de hominum vestibus, ut Virg. Aen. 6, 221. in funere Miseni: *Purpureasque super vestes, velamina nota, Coniiciunt.* Silius 10, 569. in Paulli funere: *fulgentia pingui Murice suspirans inicit velamina et auro Intextam chlamydem.* Plutarch. Cato min. 11. Suet. Iul. 84. — *odores*] thus, casiam, cinnamomum. Stat. Silv. 2, 6, 86. in funere pueri delicati: *odoriferos exhausit flamma Sabaeos Et Cilicum messes Phariaeque exempta volucri Cinnama.* — *cremabant*] Doloris hoc indicium; rogos struxerant, ac si Germanicus ibi cremandus esset, et vestes (trabeas) sibi detractas iniiciebant et alias res pretiosas, quas attulerant, quasi non amplius laetum visuri diem. Dobbn. — *funerum sollemnia*] Alibi defunctis et usto iam corpore nihilominus non aras tantum statuebant, sed struebant et accendebant rogos, quasi verum ibi funus esset. Seneca ad Marc. 3. de Germanici patre: *Mater longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret.* Lips. — *diversa*] longius distantia, ab illo itinere dissita. Cfr. 2, 60. — *Aurelius*] In Fastis Baiteri ex testimonio Fastorum apud Dionem et Cassiodori praenomen habet *Marci*. De utroque perdocte disputat Ryckius ad h. l. — *occeperant*] Ergo Ianuario haec mense gesta. Lips. Minus recte in multis Edd. est *occoeperant*. Saepius Livius itidem h. v. utitur de inito magistratu 3, 18 et 55. 6, 5. 41, 17. — *disiecti*] non ordine aliquo, sed passim incedentes; manifesto autem hoc ad solum populum, non ad senatum refertur, qui sine dubio dignitatem suam tuebatur. — *aberat quippe adulatio*] sibi, non principi lugebant. — *laetam Tiberio*] Dio 57, 18: *τοῦ δὲ δὴ Γερμανικοῦ τελευτήσαντος ὁ μὲν Τιβέριος καὶ ἡ Λιουΐα πάνυ ἥσθησαν, οἱ δὲ δὴ ἄλλοι πάντες δεινῶς ἐλυπήθησαν.*

3. *falsi*] ut 1, 7. — *Antoniam*] minor Suetonio Claud. 1. et Plutarcho M. Ant. in fine; in nummis apud Eckhel VI. p. 178. est *ANTONIA. AVGVSTA. SACERDOS. DIVI. AVGVSTI.* Etenim teste Dione 59, 3. a Caligula Augusta et sacerdos D. Augusti facta est. — Haec illa est Antonia, quam Plinius 7, 18. ait nunquam spuisse; illa, quam Val. Max. 4, 3, 3. mire laudat a continentia et amore in coniugem.

matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam, cum super Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint, seu valitudine praepediebatur, seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non toleravit. facilius crediderim Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur. (4) dies quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies; plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant, promptius apertiusque quam ut meminisse inperitantium crederes. nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam, cum decus patriae,

1. *aput* M. — 2. *ulli* M. — 5. *Augustae* mavolt Doederlein. — 9. *conl.* M: *coll.* B. — 12. *inp.* M: *imp.* B.

Lips. — *auctores rerum*] historicos, ut C. 30: Salustius *rerum Romanarum florentissimus auctor* dicitur. Cfr. Germ. 28. Agr. 10. Spalding ad Quintil. 2, 15, 36. — *diurna*] Cfr. Ernestii Excursum I. ad Suet. J-Vict. Le Clerc *des journaux chez les Romains*. Paris 1838. Bene rem breviter complexi sunt Walther et Doederlein: «Hoc est, in actis diurnis populi Romani sive in actis publicis, quibus continebantur res rationesque populi, iudicia publica, comitia, aedificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia. Vid. 13, 31. 16, 22. Probe ea acta (quae *Römische Staatszeitung* dixeris) discernenda sunt ab *Actis senatus*, *den Senatsprotokollen*, quae Tiberius ab uno senatorum conficienda curavit (Ann. 5, 4.). Utraque Iulius Caesar (in primo consulatu a. 695.) primus instituere et publicari iusserat. Suet. Caes. 20. Sed senatus acta ne publicarentur auctor fuit Augustus. Oct. 36.» Complura ex Actis diurnis excerpta Caelius communicat cum Cicerone in Epistolis ad Fam. L. 8. — Vestigia eorum reperiuntur usque ad Theodosium II. Duas Actorum reliquias a Pighio et Dodwello editas, quae feruntur, subditicias esse nunc omnibus praeterquam Lieberkühnio, qui nuper eas defendere conatus est, pro certo constat. Vide apud Le Clerc p. 261. seqq. Ceterum munus acta diurna componendi iniunctum fuisse videtur scribis publicis, quos magnum inde quaestum fecisse consentaneum est, cum non solum in urbe, verum etiam per omnes provincias a civibus Romanis domicilium ibi habentibus avide compararentur. Cfr. etiam Suet. Tib. 5. Cal. 8. et 36. Alibi: 13, 31: *diurna urbis acta*. 16, 22: *diurna populi Romani*, quae ubique a Tacito consulta atque explorata esse ex his locis constat. — *perferre - - non toleravit*] *perferre* sine causa suspectum fuit Ernestio, adeo ut expunctum cuperet. Sed hic qui non satis recte vocatur pleonasmus, egregie exprimit summum matris luctum. Graece dixeris φέρειν οὐκ ἔτλη, id est, non impetravit a se, ut perferret; sicut Plin. 26, 1, 3: *qui perpeti medicinam toleraverant*. — *Augusta - - cohibitam*] ut 6, 41: *sitas Macedonibus urbes;* plene 3, 38: *Philippopolim a Philippo sitam.* cet. — *ut par maeror*] videretur; minus recte Wopkens supplevit *esset*.

4. *vastus*] inanis, desertus: opponitur hoc solitis multitudinis per Forum vicosque Urbis discursibus atque clamoribus. — *ploratibus inquies*] opponitur otiosorum hominum hilaritati *circulos aliquos et sessiunculas consectantium* (Cic. Finn. 5, 20.). — *conlucentes - - faces*] Dixit ad morem priscum, quo ii, qui funus prosequebantur, etiam die, cereos manibus gestabant, candelas, funalia, faces. Donatus id obtinuisse eo censet, quia noctu olim cadavera solita efferri. Lips. — *miles cum armis*] Consol. ad Liviam 217: *Armataeque rogum celebrant de more cohortes; Et pedes exsequias reddit equesque duci.* — *sine insigni-*

solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent, versique ad caelum ac deos integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur. (5) fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse; circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines; defletum in foro, laudatum pro Rostris, cuncta a maioribus reperta, aut quae posteri invenerint, cumulata. at Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse. sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. non fratrem, nisi unius diei via, non patruum,

3. *compararent quaeque* M. Correxit Beroaldus. — 7. *iuliorumque* M: *Liviorumque* Lipsio ac Mureto auctoribus praeeunte Ernestio B. — 8. *autq; posteri* M. — 8. *at*] *aut* M. — 9. *cuicumque* M: *cuicunque* B. — *deditos* M. Utrumque errorem correxit Beroaldus. — 10. *itenerum* M. — *terras* M. — 12. *fratrem* M: *fratres* Lipsio auctore Ernestius et B. In re prorsus incerta praestat *ἐποχή*.

bus] sine toga praetexta, sine anulis, sine lato clavo. Lips. Adde imprimis etiam sine fascibus, quoniam loquitur de magistratibus. — *per tribus*] Non accipiam cum Ernestio de populo universo sine ordine ullo permixto, sed, ut requirunt verba ipsa, per singulas XXXV. tribus ordine disposito. — *solum Augusti sanguinem*] neptem avo dignam; nam Iuliae, alterius neptis impudicae, ab Augusto urbe depulsae (infra C. 24.) nemo meminisse tunc volebat aut poterat. — *antiquitatis specimen*] propter insolitam tunc castitatem ceterasque virtutes, quibus excellebat. Cic. N. D. 3, 32: *temperantiae prudentiaeque specimen Q. Scaevola.* — *iniquorum*] ut 4, 68: *gravis iniquis.* 16, 21: *iniquus Thraseae.* Sine causa Rhenanus suspicabatur *inimicorum*, ut alii interdum apud Ciceronem, ubi in *iniquos suos* invehitur. Cfr. ad Fam. 11, 27. pro Sulla 19. et 23.

5. *pompam*] magnificentiam alias in funeribus publicis adhiberi solitam. Liv. 2, 54: *monent, consulares fasces, praetextam curulemque sellam nihil aliud quam pompam funeris putent.* — *Ticinum*] media aetate *Papia*, hodie *Pavia*. Valer. Max. 5, 5, 3: *Tantum amorem princeps parensque noster* (Tiberius) *insitum animo fratris Drusi habuit, ut, cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum et periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset, protinus inde metu attonitus erumperet.* — *Iuliorumque*] Quamquam Drusus in Iuliam familiam ne adoptione quidem venerat. Sed in magnificis funeribus (tunc certe) cumulabantur imagines familiarum aliquo affinitatis gradu ad defunctum pertinentium. (Et Livia avia tunc Iulia Augusta.) Sic infra C. 76. in Iuniae funere viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt. In Augusti funere teste Dione 56, 34: *καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τῆς τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς τοὺς ἥρωας ἐσεγέγραπτο) αἵ τε τῶν ἄλλων Ῥωμαίων, τῶν καὶ καθ' ὁτιοῦν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξάμεναι ἐφέροντο, καί τις καὶ τοῦ Πομπηΐου τοῦ Μεγάλου εἰκὼν ὤφθη.* Iam Drusi mater uxor Augusti, ipse Drusus maritus Antoniae Octavia, sorore Augusti, natae, etsi non origine gentili aut adoptione, affinitate tamen et Liviae matrimonio particeps domus imperatoriae. Accedit, quod imaginum illarum pompa hic refertur inter honora et magnifica, quae Augustus in Drusum fecerit. Talibus fere argumentis Waltherus refellit Lipsii coniecturam (ab Ernestio receptam, retentam a Bekkero) *Liviorum*. Et *Iuliae* imagines per gradationem postponuntur *Claudiis*, ut 6, 8: *Claudiae et Iuliae domus.* Doed. Adde Val. Max. 5, 5, 3: *fraternum iugum Claudiae prius, nunc etiam Iuliae gentis.* Ipse hic ordo praeposterus videbatur Lipsio: at paternorum maiorum imagines praecessisse consentaneum est. — *fratrem*] Ita si scripsit Tacitus, in eandem Claudii oblivionem incidit populus, in quam

saltem porta tenus, obvium. ubi illa veterum instituta, praepositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, et laudationes et lacrimas, vel doloris imitamenta? (6) gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto multos inlustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiceretur. non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus. convenisse recenti dolori luctum et ex maerore solatia; sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Iulius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus abstruserint tristitiam. nil opus vetustioribus exemplis: quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. principes mortales, rem publicam aeternam esse. proin repeterent sollemnia, et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

1. *praepositam* M: *propositam* Mureto auctore post Oberlinum B. — 4. *inl.* M: *ill.*B. — 7. Habet *populo quae* M, non *populoque* Beroaldi. — 8. *solacia* M. — 13. *aeterna* M. — *sollemnia*] *sollemniae* M, *sollennia* B. — 14. Habet *Megalesium* M, non *Megalensium* Lipsii.

Germanicus ipse 2, 71. et Messalinus in sententia dicenda *omittens Claudii mentionem* infra C. 18. Num. sing. *fratrem* alii sententia a plurali non differre aiunt vertentes *kein Bruder*, quae ratio propter vv. *non patruum*, quae de uno Tiberio necessario intelligenda sunt, satis est inconcinna. — *praepositam toro*] in summo toro positam. Facilis sane Mureti est correctio *propositam*; sed minus solita amare Tacitum in talibus notum est. Ad rem cfr. de Augusti funere Dio 56, 34: *κλίνη ἦν ἔκ τε ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ πεποιημένη καὶ στρώμασιν ἁλουργοῖς διαχρύσοις κεκοσμημένη· καὶ ἐν αὐτῇ τὸ μὲν σῶμα κάτω που ἐν θήκῃ συνεκέκρυπτο· εἰκὼν δὲ δή τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίᾳ στολῇ ἐξεφαίνετο.* Similem posterioris aetatis ritum describit in Severi funere Herodianus 4, 3. — *carmina*] a choris publice canenda. Duebn. — *vel*] vel saltem. Sic de Claudii funere 13, 4: *ceterum peractis tristitiae imitamentis.*

6. *ob rem publicam*] Quod de Germanico dici poterat, quatenus praeses provinciarum Asiaticarum imperatorque mortuus erat. At nescio quae subest malitia, qua tecte significavit Tiberius, eum tamen non in proelio fortiter dimicantem occidisse. — *cunctis*] id gratum atque honorificum esse debere omnibus sine ulla exceptione. — *modicis domibus*] quibus utique concessum sit luctui vel nimio indulgere; non item iis, qui probe meminissent se orbis terrarum imperium participare. (Ennius apud Hieronymum in Epit. Nepotiani: *Plebs hocce regi antistat: in loco licet Lacrimare plebi, regi honeste non licet.* Lips.) — *ex maerore solatia*] ut fert natura humana: *Expletur quippe lacrimis egeriturque dolor.* Ovid. Trist. 4, 3, 38. — *divus Iulius*] Seneca Cons. ad Marc. 14: *C. Caesar, cum Britanniam peragraret* (a. u. c. 700.) *nec Oceano continere felicitatem suam posset, audivit decessisse filiam publica secum fata ducentem - -; tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia et tam cito dolorem vicit quam omnia solebat.* Et mox: *D. Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Caesarum turba* (duo erant) *adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, quam cuius iam res agebatur, cuiusque maxime intererat de dis neminem queri.* — *abstruserint*] summa cum fortitudine vicerint atque represserint. Sic 15, 5: *metu abstruso.* — *nobiles familias*] Respicit gentem Fabiam, et vulgarem famam sequitur, de qua Dionys. Hal. 9, 5, 22. Perizon. *Animadvv. hist.* C. 5. p. 193. Ern. Gell. 17, 21: (a. u. c. 277.) *bello Veiente apud fluvium Cremeram sex et trecenti patricii Fabii cum familiis suis, uni-*

(7) Tum exuto iustitio reditum ad munia, et Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis, et crebro questu quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii exstinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta. (8) at Piso praemisso in urbem filio, datisque mandatis per quae principem molliret, ad Drusum pergit; quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, si vera forent quae iacerentur, praecipuum in dolore suum locum respondit: sed malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. haec palam et vitato omni secreto; neque

1. *exsuto* M. — 2. *animis petendae* M: *animis spe petendae* Freinshemio auctore B. Codicis lect. restituere Walther, Ritter, Doederlein. Ingeniosam esse Freinshemii coniecturam negari nequit; est enim mera geminatio litterarum *s pe*. — *ultioni* Bach. — 3. *quaestu* M. — 5. *a Cn.*] *A. C. N.* M, *a Gnaeo* B. — 6. Habet *Brundisii* M. — *extinctam* M. — 11. Habet *filios familiarum* M, non *filios familiarium* Beroaldi.

versi ab hostibus circumventi, perierunt. — *Megalesium*] In Kalendario Praenestino Inscr. m. Lat. II. p. 388: Pridie Non. April. *LVDI M. D. M. I.* (Matri Deum Magnae Idaeae) *MEGALENSIA VOCANTVR. QVOD EA DEA MEGALE APPELLATVR* cet. — *suberat*] prope aderat, instabat, ut Cic. pro Mil. 16: *cum dies comitiorum subesset.* Caesar B. G. 3, 27: *hiems suberat.* (Mense autem Octobri mortuus erat Germanicus. Cfr. Suet. Cal. 6. et supra ad 2, 72.)

7. *Drusus*] Ex hoc loco patet Drusum non propter aliud ex Illyrico in Urbem vocatum, quam ut Germanici fratris exsequias praesentia sua celebraret. Missus enim in Illyricum Drusus eodem fere tempore, quo Germanicus in Orientem solvit, auctumno a. 770. (2, 44.); fine autem anni 771. iterum Romae fuit. (3, 2.) Veri simile igitur Romam a Tiberio propter Germanici funus evocatum. Ryckius. — *erectis*] intentis et exspectatione suspensis, ut saepe. (Cic. Brut. 54: *adspicere erectos, intuentes iudices.*) Plin. Epp. 4, 9: *inveni ita erectos animos senatus, ita recentes, ut priore actione incitati magis quam satiati viderentur.* Infra C. 11. eadem significatione est *adrecta omni civitate.* Rursus contra Hist. 4, 81: *erecta, quae adstabat, multitudine.* — *petendae - ultionis*] sane dictum, ut C. 9: *vitandae suspicionis* (causa) *devectus.* C. 27: *multa paravit tuendae libertatis.* C. 41: *pugnam ciens ostentandae, ut ferebat, virtutis,* atque alibi haud raro (2, 59. Hist. 4, 25. et 42. cet.) etiam apud Salustium. Quocirca Freinshemii illud *spe petendae* recipi non debebat. — *subverteret*] longo temporis intervallo efficeret, ut difficilius semper fieret accusatoribus crimina sua probare, maxime, si alii quoque testes, ut Martina, quocunque modo, etiam veneno vel sicariorum ope amoverentur. — *ut dixi*] 2, 74. — *nodo crinium*] χορύμβῳ, qui cum acu discriminali figeretur, hac ipsa acu cavata condi poterat venenum. Boettiger *Sabina* I. p. 147. Tali acu (βελόνῃ, ᾗ τὰς τρίχας ἀνεῖρεν) venenata, non aspidis morsu, Cleopatram sese occidisse nonnulli tradebant. Dio 51, 14.

8. *haud*] Pro *haud tam*, ut Liv. 26, 31: *non, quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quam quid isti pati debuerint.* Ann. 5, 6: *ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis.* — *sueta - - liberalitate*] Mos igitur fuit principem donare aliquid filiis praesidum, qui, cum e provincia redissent, ipsum adirent. Aliud exemplum notum non est; videtur autem mos inductus ab Augusto, ut sumptus, quos illi necessario in provinciis fecissent,

dubitabantur praescripta ei a Tiberio, cum incallidus alioqui et facilis iuventa senilibus tum artibus uteretur. (9) Piso, Delmatico mari tramisso relictisque apud Anconam navibus, per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur: eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. ab Narnia, vitandae suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat; dieque et ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, et vultu alacres incessere. fuit inter inritamenta invidiae domus foro imminens, festa ornatu, conviviumque et epulae, et celebritate loci nihil occultum. (10) postera die Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit. contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partis Trioni; neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos. ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret obtinuit, petitumque est a principe, cognitionem exciperet. quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae

1. *ei*] *et* M. Correxit Lipsius. — 2. Habet *Delmatico* M. Ante Bekkerum edebant *Dalmatico*. — 3. *aput* M. — 4. *ads.* M: *ass.* B. — 8. *adp.* M: *app.* B. — 10. *inr.* M: *irr.* B. — 12. *aput* M. — 13. Habet *Veranius* M, non *Verannius* Edd. ante Lipsium. Una *n* scribitur etiam in Inscriptt. Vide Gruteri Ind. — 14. *partis* M: *partes* B. — 14. *accussatores* M. — 15. *illa* M. Correxit Beroaldus. — 17. *patruum* M.

aliquatenus compensaret. — *facilis*] *offenherzig* Gutmann, *leicht sich hingebend* Bötticher; quae explicatio praestat. Cfr. 6, 15: *Cassius facilitate saepius quam industria commendabatur.*

9. *Flaminiam*] quae a porta Flumentana per Umbriam Ariminum usque pertinebat. — *Narnia*] hodie *Narni*, *Nar* h. *Nera*. — *tumulo Caesarum*] C. 4. *tumulo Augusti*. Suet. Oct. 100: *Mausoleum* in Campo Martio inter Tiberis ripam et viam Flaminiam. — *die et ripa frequenti*] Suet. Cal. 15: *medio ac frequenti die*; infra 4, 67: *celeberrimo Fori*, ἀγορᾶς πληθούσης, circiter nostram horam decimam. Vv. *et ripa* autem significant eam ripae partem, ubi plerumque frequentia hominum adesse solebat. — *alacres*] Reos enim quamvis insontes tamen maestos ac sordidatos incedere volebat mos Romanus. — *festa ornatu*] ob laetitiam domini redeuntis. Ornatum festum intelligit laurum et lucernas. Iuven. 6, 79: *Ornentur postes et grandi ianua lauro.* Arrian. Serm. Epict. 1, 19: ἠξίωται δημαρχίας. πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται. ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. ἔρχεται εἰς οἶκον, εὑρίσκει λύχνους ἁπτομένους, ἀναβαίνει εἰς τὸ Καπιτώλιον, ἐπιθύει. Pacatus Paneg. Theodosii 37: *Quid ego referam portas virentibus sertis coronatas? quid aulaeis undantes plateas accensisque funalibus auctum diem?* Lips. — *convivium*] magnus convivarum numerus.

10. *Trio*] 2, 28: *celebre inter accusatores Trionis ingenium.* — *Vitellius*] de P. Vitellio v. 1, 70.; eius exitum narrat 5, 8. Suet. Vit. 2. — *comitati*] qui in cohorte amicorum eius fuerant. — *indices*] se simpliciter res, ut gestae essent, relaturos. Non inest huic loco odiosa *delatorum* significatio. — *exciperet*] reciperet, admitteret. Suet. Oct. 53: *adeuntium desideria excipiens.* — *matris*] Respice ad 2, 77. et 82. — *distraheretur*] efficacius hoc aliquanto quam *rumoribus differre* 1, 4. et infra C. 12. — *hinc*] ab altera parte. Dubn. — *integramque causam*] ab ipso

matris innexum esse: veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni, odium et invidiam apud multos valere. haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur. igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit, integramque causam ad senatum remittit. (11) atque interim Drusus rediens Illyrico, quamquam patres censuissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas ut ovans iniret, prolato honore urbem intravit. post quae reo L. Arruntium, M. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere, arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo; satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. [iis] haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit. (12) die senatus

2. *aput* M. — 3. *molis* M. Correxit Rhenanus. — 8. *L.*] *T.* M, *Lucium* Nic. Fabro auctore B. — *M. Vinicium* de Ernestii suspicione Ritter et Doederlein: *fulnicium* (sine praenomine) M, qui error sane ortus est ex prava *Fulcinii* C. 10. recordatione; *Titum Vinicium* Ryckio auctore B. — 9. *Sex.* M. *Sextum* B. — 9. *M.* M: *Marcus* B. — *lepedus* M. — 10. *L.* M: *Lucius* B. — *liveneius* M. *L. Livineius* ingeniose Muretus. De praenomine tamen aliunde non constat. — *adf.* M: *aff.* B. — *arecta* M. — 11. *praemeret* M. — 12. *tiberius. ac* (in mg. *an) praemeret is* (sic) M, unde Walther incredibiliter: *Tiberius ac premeret is haud alias intentior, populus* cet. Recte geminatum *ac premeret* deletum est. (Ex posteriore *ac praemeret* Beroaldus fecit *an promeret*, idque exhibet Ed. Iac. Gronovii. Voc. *is* Codicis, Edd. *iis* deletum volebat Acidalius. Récte, puto; ortum enim videtur ex praecedd. *ἀρχετύκου* litteris *ius*. Saltem praestaret *his*. Ego seclusi.)

non diiudicatam, nulloque indicio dato, utrum reum pro sonte haberet, an insontem existimaret.

11. *L. Arruntium*] Sic recte Nic. Faber emendavit Med. errorem *T.*; est enim illustris ille vir, senator et consularis, Augusti iudicio dignus principatu. 1, 13. Cos. a. 759. Eius *sanctissimae artes* praedicantur 6, 7. et *rarae frugalitatis virum* dicit Seneca Epist. 114. Plura dat Brummer ad Leg. Cinc. C. 7. Oberl. — *M. Vinicium*] sic, etsi dubitanter, Ernestius ex 6, 15: *M. Vinicius mitis ingenio et comptae facundiae.* — *Aeserninum Marcellum*] Asinii Pollionis nepotem. Vide Suet. Oct. 43. — *Sex. Pompeium*] Cos. 767., quem amicum suum Valerius Max. 4, 7, 2. vocat *clarissimum ac disertissimum virum*. Idem 2, 6, 8. tradit, *facundissimum sermonem ore eius quasi e beato quodam eloquentiae fonte manasse.* Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas. Vide ex Ponto 1, 4, 1., item Ep. 4. et 5. — *M. Lepidus*] Idem fortasse, qui 1, 13. 4, 20: *gravis et sapiens vir.* Num alius sit, qui 4, 56. memoratur, ambigitur. — *L. Piso*] Cognatus haud dubie Pisonis ob C. 12: *si quos propinquus sanguis patronos dedit.* Num frater, num ille idem sit, de quo 2, 34., parum constat. — *Livineius*] postea senatu motus. 4, 17. Praenomen cum praecedentes habeant, huius sane desideramus. — *fiducia reo*] Virg. Aen. 2, 75: *memoret, quae sit fiducia capto.* — *cohiberet ac premeret*] Aeque *ῥητορικῶς* Plin. Paneg. 4: *parens noster - - privatas gratiarum actiones cohibet et comprimit.* — *Tiberius*] Additum illud ex Medicei geminatione vv. *ac premeret* a Beroaldo *an promeret* lusus verborum videtur Tacito indignus. — *haud alias*] et ad *intentior* et ad *plus sibi permisit* simul referendum. Dubn. — *suspicacis silentii*] quod ipsum offendere debebat Tiberium; quocirca multa cum arte hoc zeugmate *permisit* etiam de silentio usus est; uti, quod ipse expertus sum, sub Napoleontis tyrannide non minus interdum nocebat *silentium* quam vel *occultissima vox*.

Caesar orationem habuit meditato temperamento. patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adiutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis. illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum. «nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odero, seponamque a domo mea, et privatas inimicitias non vi principis ulciscar. sin facinus in cuiuscumque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et nos parentes iustis solatiis adficite. simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores; quorum ego nimiis studiis iure succenseo. nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos tamquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista et scrutanda sunt? defleo equidem filium meum semperque deflebo: sed neque reum prohibeo quo minus cuncta proferat quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit; vosque oro ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem. ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam

1. *temperamenta* M. Correxit Rhenanus. — 3. *aput* M. — 4. *ext*. M. — 6. *exsuit* M. — *luctum eo* M. — 7. *non vi*] *novi* M. Correxit Lipsius, praeterea proponens et *non ut pr.* et *non principis*. — 8. *cuiuscumque* M: *cuiuscunque* B. — 9. *solaciis* M. — *adf*. M: *aff*. B. — 12. *in*] *l* ex corr. M. — 13. *suscenseo* M. — 14. Habet *differrique* M, non *diferrique* Beroaldi. — 19. *conexa* M. — *adpr*. M: *appr*. B. — 23. *aput* M.

12. *meditato temperamento*] *voll überdachter Abgemessenheit* Gutmann, *plein de ménagemens étudiés* Burnouf. — *legatum*] in Hispania, ut apparet ex seqq. — *adiutorem*] Liv. 6, 22: *M. Furio adiutor ex tribunis sorte L. Furius datus.* Suet. Tib. 63: *quae consulares - - per legatos et adiutores suos exsequenda curarent.* Iustin. 13, 6. — *integris animis*] neque suspicione odiove neque favore occupatis, *unbefangen*. — *non vi*] «Non utar potestate, quam princeps habet; sed noxas mihi illatas ut privatus ulciscar.» Sic 5, 5: *paratos ad ultionem vi principis impediri.* — *contrectandum*] Lactantius de Opif. Dei 1: *quae neque contrectari oculis neque tangi manu neque percipi sensibus possunt.* Audacius etiam Cic. Tusc. 3, 15: *mente contrectare*; proprie Ovid. ex Ponto 2, 2, 59: *volnus, quod sanabile non sit Non contrectari tutius esse putem.* — *in curia*] videlicet populi studia metuebat Tiberius. Anno demum 776. *publica negotia et privatorum maxima apud patres tractari coepta sunt* 4, 6. — *cetera pari modestia*] «Cetera crimina, quae in Pisonem conferuntur, pariter atque aliorum civium similes causas, modeste (temperanter) ac sine ulla principalis fortunae arrogantia tractari volo.» — *adversa*] *nachtheilig*, ut 14, 11: *adverso rumore.* Hist. 1, 73: *adversa fama*: significat rumores de morte Germanico ex Tiberii arcanis mandatis illata, saltem laete accepta. Miro iudicio h. l. usus summus ille Gronovius volebat *diversa*.

apud iudices de morte eius anquiritur. cetera pari modestia tractentur. nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur.» (13) exin biduum criminibus obiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. tum Fulcinius vetera et inania orditur, ambitiose avareque habitam Hispaniam; quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, obiecere odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum, per licentiam et sociorum iniurias, eo usque conrupisse ut parens legionum a deterrimis appellaretur; contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse; sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum. (14) defensio in ceteris trepidavit. nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat. solum veneni crimen visus est diluisse; quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum. offerebatque familiam reus, et ministros in tormenta flagitabat. sed iudices per diversa implacabiles erant, Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus numquam satis credito sine fraude Germanicum interisse. * * scripsissent expostulantes; quod

1. *aput* M. — 3. *eximbiduum* M. — Habet *obiciendis* M, non *obiic.* — 8. *sed*] *et* M. Correxit Rhenanus. — 10. *conr.* M: corr. B. — 16. *cui obn.* M. Correxit Rhenanus. — 17. *cremen* M. — 20. *visus* malebant Pichena et Heinsius. Sed apud Tacitum praestat variata constructio. — 23. *inl.* M: *ill.* B. — *numquam* M: *nunquam* B. — 24. *scripsissent* -- *abnuere.*] Locus mancus. In M. lacuna non est.

13. *ambitiose*] scil. quaesivisse eum studia militum. — *Hispaniam*] ubi Piso Augusti legatus fuerat. Duebn. — *Servaeus*] 6, 7: *Q. Servaeus, praetura functus et quondam Germanici comes.* — *nefandas*] plerique interpretantur de sacris magicis ac lege vetitis; sed hoc iam in v. *devotionibus*. Praestat igitur, ut opinor, de victimis post acceptam Germanici mortem caesis (2, 75.) intelligere cum Freinshemio et Ryckio, quae *immolationes* rectissime *nefandae* appellari poterant. — *petitam armis*] cum, ut se in provinciam intruderet, Celendrim occupaverat, proeliumque cum Sentio commiserat. 2, 80.

14. *trepidavit*] fluctuavit atque invalida mansit. — *imperatorem*] Germanicum. — *diluisse*] Sic iam Cicero pro S. Roscio 15. pro Mil. 27: *diluere crimen.* — *super eum*] Locum consularem, sive ultimum medii lecti, occupasse videtur Germanicus, tum super eum ad sinistram Piso medium eiusdem lecti locum. Cfr. Plutarch. Symposiac. 1. Qu. 3. Salustii Fragm. Hist. 3, 43. Sidon. Apoll. Epp. 1, 11. cum Sirmondi adnotatione; Excursum meum ad Horat. Vol. II. p. 359. — *visu*] in oculis tot adstantium. Cfr. supra C. 3: *perferre visu.* — *ministros*] servos Germanici, qui tum ministeria mensae obissent. Ern. — *iudices*] senatus ob longe aliam causam implacabilis erat quam princeps. — *scripsissent*] Quaedam hic verba perierunt, quibus indicabatur, quaenam scripta senatores ad causam cognoscendam vel accu-

haud minus Tiberius quam Piso abnuere. simul populi ante curiam voces audiebantur: non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent. igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur. (15) eadem Plancinae invidia, maior gratia; eoque ambiguum habebatur quantum Caesari in eam liceret. atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. quod reus postquam sibi exitiabile intellegit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur; redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. relatus domum, tamquam defensionem in posterum meditaretur, pauca

3. *divellebant* M: *devellebant* Ernestio auctore B. Alterum v. restituere Walther, Ritter, Doederlein. Est: «inibi erant, ut mutilarent atque comminuerent.» Ernestii lectio significaret: «alias Pisonis effigies iam traxerant in Gemonias, alias devellebant.» In re incerta Codicem ego quoque sequi satius esse duxi. (*devolvebant* suspicatur Ruperti.) — *principiis* (alterum *i* punctis notatum) M. — 5. Habet *saluti* M. Ante Bekkerum edebant *salutis*. — *mortes* M. — 8. *cuiuscumque* M: *cuiuscunque* B. — 9. *auguste pcibus* cum lin. (*praecibus*) M. — 13. *anfensas* M. — *vocis* M. — 15. *adf.* M: *aff.* B.

satores expostulassent. Duebn. Manca verba sic supplevit Freinshemius in Paraphrasi: «quidam etiam longius provehebantur, exhiberi recitarique epistolas, quas amici Pisonis ad ipsum scripsissent;» parum quidem probabiliter; potius intellexerim de mutuis Pisonis et Plancinae epistolis. — *effigies*] ut solebat in damnatis. Iuven. 10, 58: *descendunt statuae restemque sequuntur.* Lips. — *divellebant*] ad Gemonias scalas in Aventino monte vel potius in crepidine Capitolii (cfr. 5, 9. 6, 25. Hist. 3, 74. et 85. Piranesi *Antichità romane* T. I. extr.) priusquam per has in Tiberim praecipitarent, rabie incitati, inibi erant, ut eas comminuerent, *in Stücke schlugen.* — *saluti*] ut 2, 46: *paci firmator.* 1, 24: *rector iuveni.* — *mortis exactor*] Sic Livius 2, 5. de Bruto filios plecti iubente: *et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit.* Ann. 11, 37: *denuntiat centurionibus, qui aderant, exsequi caedem: — — custos et exactor e libertis Euodus datus;* ubi tandem tribunus ipse Messalinam conficit.

15. *invidia*] apud patres ac populum; *gratia* apud principem. — *liceret*] ne ante mortem arcana illius mandata evulgaret. — *mediae*] ambiguae inter absolutionem et condemnationem, ita ut etiamtunc modo illam speraret, modo hanc metueret. — *ferret*] ut Hist. 2, 44. pro plena locutione Salustii Iug. 78: *uti fors tulit.* Liv. 3, 27: *si res ita tulisset.* — *redintegratamque accusationem - - perpessus*] Molestissimum videlicet ei esse debebat atque intolerabile rursus audire crimina, quae in eum congerebant infensi accusatores. Multo hoc melius quam languida Ernestii coniectura *redintegrataque accusatione.* — *perrumperetur*] ne verbo vultuve invitus affectum qualemcunque proderet. — *solita curando corpori*] Lavat, ungitur, fricatur, abstergetur, coenat. Murет. — *perfosso iugulo*] In referendo Pisonis interitu admodum brevis est Dio 57, 18: *ὁ δὲ Πείσων ἐς τὸ βουλευτήριον ἐπὶ τῷ φόνῳ*

conscribit obsignatque et liberto tradit; tum solita curando corpori exsequitur. dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit; et coepta luce perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est. (16) audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos eius dictitavisse litteras Tiberii et mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte exstinctum, verum inmisso percussore. quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis qui nostram ad iuventam duraverunt. Caesar flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum * .* crebrisque interrogationibus exquirit qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: « conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos inmortales testor vixisse me, Caesar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate; vosque oro, liberis

2. *cupiculo* pronuntiatione Germanica M. — 3. *refertus* M. — 6. Habet *contineri* M. Inde a Lipsio usque ad Waltherum et Bekkerum edebant *continere.* — *aput* M. — 8. *ext.* M. — *inm.* M: *imm.* B. — 9. *ads.* M: *ass.* B. — 10. *maestitia more* M. — 11. *aput* M. — Locus mancus, qui quomodo cogitatione supplendus sit, non male significavit Ritter; aliis verbis ut utar, hoc fere requiritur: *apud senatum* queritur; exin M. Pisonem alloquitur *crebrisque* cet. (In M. lacuna non est.) — 12. *illo*] *filio* Ryckius. — 16. *inm.* M: *imm.* B.

ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Τιβερίου εἰσαχθεὶς ἀναβολήν τε τινὰ ἐποιήσατο καὶ ἑαυτὸν κατεχρήσατο. Addit tamen, quae a Tacito non memorantur: *καὶ ἀφορμάς τινας φόνων ὁ Τιβέριος ἔσχε· διὰ γὰρ τὸν τοῦ Γερμανικοῦ θάνατον πολλοὶ ὡς καὶ ἐφησθέντες αὐτῷ ἀπώλοντο.*

16. *ex senioribus*] ex viris LXXV. circiter annos natis, qui interitus Pisonis testes fuerant, facile hoc audire poterat Tacitus natus, ut putant, a. 805. — *destinatum*] ab ipso. Cfr. Suet. Tib. 52., qui locus tamen est corruptus. — *apud senatum*] Freinshemius in Paraphrasi: «crebrisque interrogationibus ex liberto (Cap. 15.), qui codicillos a patrono sibi commissos attulerat, exquisivit, quid Piso cet.» At, *quamquam Augusti testamentum in senatu recitavit per libertum* (Suet. Tib. 23.), non est probabile Tacitum h. l. liberti responsa ita partim approbaturum, partim reprehensurum fuisse: quid enim id in homine infimae sortis attinebat? Veri similius aliquanto est Ritteri supplementum: *Marco Pisone coram, queritur* cet. (Dubium mihi quidem remanet, an non magis consentaneum sit, Cn. Pisonem filium sane insontem senatui tunc interfuisse, potius quam Marcum, qui prope relegatus est. C. 17. Attamen hic quoque senatui interfuit. Ibid. Etenim Augustus *liberis senatorum, quo celerius rei publicae adsuescerent protinus virilem togam induere, et curiae interesse permisit.* Suet. Oct. 38.) «Ex nostra, inquit ille, loci restitutione apparet, quis ille sit, e quo exquirit illa Tiberius; apparet, quo referatur pronomen *illo*, quique Pisonis litteras principi attulerit. Quod iuvenis Piso pleraque sapienter, quaedam inconsultius *dicta* interroganti Tiberio respondisse dicitur, priora pertinent ad ea, quae filius a patre honorifica de Tiberio oratione prolata, altera ad illa, quae ab eodem cum aliqua principis insectatione et invidia pronuntiata refert.» Et fieri utique potuit, ut Cn. aut M. Piso, quibus sane aditus in senatum iam tunc patebat, ob metum, ne nimis patrem

meis consulatis, ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, M. Piso repetere Suriam dehortatus est. atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset. eo inpensius precor, ne meae pravitatis poenas innoxius luat. per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus, et tibi amicus, nec quicquam post haec rogaturus, salutem infelicis filii rogo.» de Plancina nihil addidit. (17) post quae Tiberius adulescentem crimine civilis belli purgavit (patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare), simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens, in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant. id ergo fas aviae, interfectricem nepotis adspicere, adloqui, eripere senatui. quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse. Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem, ab imperatore et Augusta defensam Plancinam. perinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrimae domus exsatiaret. biduum super haec imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis matrem uti tuerentur. et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. primus sententiam roga-

1. *Cn.*] *C. N.* M: *Gnaeus* B. — *qualicumque* M: *qualicunque* B. — 2. *M.* M: *Marcus* B. — *Syriam* M. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — 6. *divo*] *duo* M. — 6. *amicos* M. — 13. *aspicere* M. — 16. *perinde* M: *proinde* Rhenano auctore B. — 18. Habet *haec* M, littera *e* recentiore manu puncto notata, uti *hac* malebat Ryckius.

lugere videretur ac propterea principis iram provocaret, statim post eius mortem in senatum venerit. — *consulatis*] «clementer eos tractetis.» Propter filios ne moriens quidem scelus Tiberii detexisse videtur. Muret. — *per collegium*] Consul suff. fuit eodem anno 731., quo Augustus, qui tamen abdicavit; altero autem consule ordinario A. Terentio Varrone Murena in magistratu mortuo, Piso ei suffectus est. Vide Fast. Capitol. Consul ordinarius iterum fuit cum Tiberio a. 747., ut per se intelligitur, ex Augusti voluntate atque ideo ei *probatus*. Nam hunc alterum consulatum hic significari manifestum est. — *nihil addidit*] Insignem haec habent acerbitatem: «*nihil* neque quo eam sublevaret, quam iam oderat ut perfidam, quae in communi causa defensionem divisisset; neque ut premeret, cum sciret frustra fore, quidquid adversus eam diceretur, in tanta gratia Augustae.» Muret.

17. *adulescentem*] Marcum Pisonem. — *nec potuisse*] ne potuisse quidem, ut 2, 82. — *pudore*] quem ipse vocis flexu prodebat, *cum flagitio* apud senatores, qui hanc Plancinae defensionem, ut principe indignam, detestabantur. Hist. 4, 62: *cum rubore et infamia.* — *obtineant*] ut interfectores supremo supplicio afficiantur. — *perinde*] eodem prorsus modo. *Proinde* minus aptum videtur. Cfr. Bonelli Lexicon Quintil. in v. *Proinde*, ubi exemplis vv. *proinde* - - *atque*, *ac*, *ut* opponi potest lex regia de Vespasiani imperio Inscr. m. L. I. p. 567: *IVS. PERINDE. HABEATVR. SERVETVR. AC. SI* cet. — *super haec*] nec legendum cum Ernestio *per haec*, neque est *post haec* neque *praeter haec* neque *praeter hunc diem*, sed *in his*, ut recte Oberlinus, addita significatione, frustra hoc tempus tritum esse, cum Tiberius, quid decretum vellet, iam statuisset. Stat. Theb. 1, 676: *Non super hos divum*

tus Aurelius Cotta consul (nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis radendum fastis censuit, partem bonorum publicandam, pars ut Cn. Pisoni filio concederetur, isque praenomen mutaret; M. Piso exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio in decem annos relegaretur, concessa Plancinae incolumitate ob preces Augustae. (18) multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. et M. Pisonem ignominiae exemit, concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam, et tum pudore absolutae Plancinae placabilior. atque idem, cum Valerius Messalinus signum aureum in aede Martis Ultoris, Caecina Severus aram ultioni statuendam censuissent, prohibuit, ob externas ea victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. addiderat Messalinus Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, omiseratque Claudii mentionem. et Messalinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est an prudens praeterisset; ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. quippe

1. *cos.* cum lin. M. — *refente* M. — 3. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeo* B. — 4. *M.* M ter: omnibus litteris B. — *exsuta* M. — 5. *religatur* (sic) M. Solita incuria librarius mediam verbi syllabam omisit. Correxit Lipsius. Paene incredibile est *relegatur* edidisse Iac. Gronovium et Waltherum. — 8. *iulii* M. Correxit Lipsius. — 9. Voc. *paterna* bis posuit M, sed alterum septem punctis notatum. — 10. *dum* M. — *blancinae* M. — 13. *victoria* M. Correxit Rhenanus et Victorius (ad Cic. Epp. 1, 19.). — 16. *L.* M: *Lucius* B. — *aspernas* M. — 18. *quanto quanto* M.

tibi sum quaerendus honores, id est, inter sacra. — *miseratio*] magis, potius, ut C. 32: *honori quam ignominiae.* — *munere*] sententiam dicendi, quo non fungebantur, cum ipsi referebant. Sic ut alibi interdum significat veteris rei publicae immutationem: nam antea referebant consules, primi sententiam rogabantur consules designati (Sal. Catil. 50.), si tales erant, tum magistratus, post hos princeps senatus. — *praenomen mutaret*] quia idem cum patre gerebat. Quod et factum, nisi Dio mihi imponit, qui 59, 20. Lucium (non Cnaeum) Pisonem, Cn. Pisonis et Plancinae filium, obtinuisse Africam provinciam sub Caligula tradit. Lips. Putant eundem esse, qui L. Piso dicitur infra 4, 62., consulem a. 780. — *exuta dignitate*] senatoria. 11, 25: *ius exuendi ordinis.* coll. Hist. 2, 86. Suet. Claud. 24: *senatoriam dignitatem recusantibus equestrem quoque ademit.* Doed. — *quinquagies*] plus igitur decies, quam ad equestrem ordinem requirebatur. Seneca Cons. ad Helv. 12: *Eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium principum fuit.* — *concessa - - Augustae*] Haec potissimum verba demonstrant necessario legendum esse *relegaretur*; manifesto enim ad Aurelii Cottae pertinent sententiam; nequaquam vero constituunt Taciti narrationem; optime enim is sciebat veram causam, ob quam Plancina absoluta sit, arcanam fuisse Tiberii conscientiam, Augustae vero preces a Cotta obtentui sumptas. Mirum est hoc non perspectum esse a Walthero et Bachio.

18. *Iuli Antonii*] triumviri hic filius, consul a. 744. — *violasset*] adulter Iuliae. — *ignominiae*] relegationis in insulam. — *Valerius Messalinus*] alter consul. — *signum*] Martis Ultoris ipsius. — *tristitia*] tristi, lugente silentio. Duebn. — *operienda*] Plin. Epp. 3, 16: *operire luctum*:

fama spe veneratione potius omnes destinabantur imperio quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat. (19) paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi. Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit ne facundiam violentia praecipitaret. is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro conpertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate. at Drusus urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit. paucosque post dies Vipsania mater eius excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu. nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame exstinctos.

(20) Eodem anno Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis, dein vicos exscindere, trahere graves praedas; po-

1. *oms* cum lin. M. — 6. *aput* M. — 8. *audire* pr. M, *audita* mg. M. — *conp.* M: *comp.* B. — 8. *contrariu* cum lin. super *u* M: *contraria* Editiones, etiam B. — Pro Cod. lectione facit *in utrumque.* — 9. *gliscii* M. — 10. *uipstania* M. — 11. *mitti* M. — 12. *ext.* M. — 14. *afria* M. — 15. *exscincedere* M.

scilicet, ne cum signum araque statueretur, novis vulgi sermonibus de Pisone etiam Tiberius differretur. — *futurum principem*] post Caligulam interfectum stolidissimum hominem Claudium.

19. *senatui*] in tribuendis sacerdotiis itidem, ut in magistratibus ad speciem creandis iam substituto populi comitiis. Hinc in Fastis sacerdotalibus apud Borghesium (*Memorie dell' Istituto. Fasc.* III. p. 255.) sacerdotes dicuntur *EX. S. C. COOPTATI.* Dio 53, 17. de Imperatoribus: *ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι κτλ.* Formulam servavit Act. Fr. Arv. Tab. XII.: *Ti. Clavdivs Caesar Avgvstvs Germanicvs P. P. Fratribvs Arvalibvs salvtem . . . In locvm L. Camilli M. F. Fvrii Fratrem Arvalem collegam vobis nomino . . .* Vide omnino Borghesium de his sacerdotum nominationibus l. l. doctissime disputantem. — *suffragium - - pollicitus*] cfr. 1, 81. — *ulciscenda morte*] Magis solitum foret *ulciscendae morti*, ut est apud Livium 2, 30: *is finis populationibus fuit*, ac saepius apud eundem. — *etiam*] omisso *sed*; ut Liv. 28, 39: *non modo nobis, ne posteris quidem* cet. et sic saepe apud Tacitum. 4, 35: *non modo libertas, etiam libido impunita.* 16, 29. Hist. 1, 29. et 83. 2, 27. et 76. 3, 3. Agric. 37. *Ἀντιθέσεως* scilicet vim sic etiam augeri interdum hac ellipsi ei videbatur. — *audita pro conpertis*] Cic. ad Fam. 5, 5: *Ex multis audivi; nam comperisse me non audeo dicere*; quo v. *comperisse se* uti alias valde amat. — *at Drusus*] Quaeras, quo haec egressio et reditio? Ad morem priscum, quo obtinuit, ut, qui e provinciis cum imperio redirent, illud ipsum amitterent, simul intrassent Urbem. Ideo Livius 26, 9: *Q. Fulvio ne minueretur imperium, si in Urbem venisset, decernit senatus.* Et magis ad lucem Taciti, quod Dio 53, 52. tradit, Augusto decretum perpetuum proconsulare imperium, ita ut, nec si intra Urbem venisset, minueretur neve necessarium esset *ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν*, id est, renovare sive repetere auspicia. Nam auspiciorum nomine etiam imperium hic cape. Sed cui rei Druso opus fuit repetito imperio? Ad ovationem. Nam qui triumphans ovansve Urbem ingreditur, cum imperio id facit in illum diem: Drusus autem imperium amiserat ingressus Urbem ob fratris sui mortem. Debuit ergo repetere, ut ovaret. Caelius ad Cic. Ep. 6:

stremo, haud procul Pagyda flumine, cohortem Romanam circumsedit. praeerat castello Decrius impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus. is cohortatus milites ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit. primoque impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret; simul excepta vulnera et, quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit, neque proelium omisit, donec desertus suis caderet. (21) quae postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate et e vetere memoria facinore, decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat. tantumque severitate profectum ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias praesidium cui Thala nomen adgressas fuderint. quo proelio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus rettulit, donatusque est ab Apronio torquibus

1. Habet *Pagyda* M: *Pagida* Edd. pleraeque. — 5. *incodicis* M. — 6. *romanis* M. — 8. *proelium* M: *praelium* B. — *L.* M: *Lucio* M. — 11. Habet *decumum* M. — *eusti* (sic) M. — 13. *ampl. quam genti* (*quam* est in fine versus) M. — 14. *proelio*] *pro* (per notam) *filio* M. (*praelio* B.) — 14. *gragarius* M.

neque enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in Urbem triumphique postulationem abiecerat. Ulpianus Dig. 1, 16, 16: *Proconsul portam Romae ingressus deponit imperium.* Lips. Quid libera re publica fuerit *repetere auspicia*, vide docentem H. Valesium ad Liv. 3, 30., apud quem pluribus locis *repetita auspicia* a magistratibus commemorantur. Ern. — *Agrippae*] ex prima coniuge, Pomponia, Attici filia, altera Marcella, Octaviae filia, tertia Iulia Augusti. — *miti obitu*] citra vim et ex fato. Nam C. et L. Caesares veneno crediti periisse 1, 3.; Agrippina fame vel inedia 6, 25.; Postumus ferro 1, 6.; Iulia misero exilio XX. annorum tolerato in insula Trimero 4, 71.

20. *Tacfarinas*] 2, 52. — *Pagyda*] fortasse hodie *Abeadh* in Constantina provincia. Dubbn. — *flagitii ratus*] Nota hanc constructionem pro vulgari «flagitiosam, probrosam Romanis.» — *inconditis*] non iusta acie, impetu magis quam consilio pugnantibus. — *desertoribus*] qualis ipse erat Tacfarinas. l. l. — *excepta vulnera*] Minus recte Rhenanus et Walther haec pro nominativis habent; pendent enim a v. *intendit*, obvertit. Est autem insignis βραχυλογία, qualis convenit Decrii impetui atque celeritati; omnia vulnera a se excepta, in quibus praecipuum erat quodque maxime eum in dimicando impedire debebat, transfossum oculum nihil curans, adversum os cet.

21. *L. Apronio*] In Tiberii nummo in Zeugitana cuso apud Eckhel D. N. IV. p. 139: *PERMISSV L. APRONI. PROCOS. III. C. SEX. POM. CELSO.* — *cohortis*] sexaginta igitur necati. — *sorte*] In Salust. Fr. inc. 96. Gerl. eadem vv. *sorte ductos fusti necat*, quod ad Crassum referunt in unius cohortis decimatione. Polyb. 6, 37: *Τὸ δὲ τῆς ξυλοκοπίας ἐστὶ τοιοῦτον· λαβὼν ξύλον ὁ χιλίαρχος, τούτῳ τοῦ κατακριθέντος οἷον ἥψατο μόνον. Οὗ γενομένου, πάντες οἱ τοῦ στρατοπέδου τύπτοντες τοῖς ξύλοις καὶ τοῖς λίθοις, τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ στρατοπεδείᾳ καταβάλλουσι κ. τ. λ.* App. Claudius apud Liv. 5, 6: *Fustuarium meretur, qui signa relinquit aut praesidio decedit.* — *Thala*] Situs urbis incertus. Oppidum magnum et opulentum vocat Sal. Iug. 75. Non tamen ullum aliud eius vestigium apud posteriores scriptores repperit Morcellius in *Africae sacrae* cura erudi-

et hasta. Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans. et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur: postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda stativis castris adhaerebat, missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.

(22) At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla et Cn. Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirino divite atque orbo. adiciebantur adulteria, venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinus post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac no-

2. *quaestus* M. — 5. *inr.* M: *irr.* B. — 6. *inl.* M: *ill.* B. — *adherebat* M. (Minus recte alii, etiam Walther, distinguunt *adhaerebat missu* cet.) — 7. *acpronius* M. — 10. *emiliorum* M. — *L.* M: *Lucius* B. — Habet *et* M. Ante Bekkerum edebant *ac.* — 11. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B. — *P.* M: *Publio* B. — *Quirino* et mox *Quirinus* Ryckius: *Quirinio* - - *Quirinius* MB. — 12. *adiecebantur* M. — 13. Habet *Manio* omnibus litteris M.

tissima. — *Apronius iure proconsulis*] Suet. Oct. 25. Tib. 32: *Corripuit consulares exercitibus praepositos, quod de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent, quasi non omnium tribuendorum ipsi ius haberent.* — *spargit bellum*] diversis locis vel diviso exercitu vel vagando gerit; modo huc, modo illuc transfert. Est fere poëticum. Burm. ad Lucan. 3, 64: *Bellaque Sardoas etiam sparguntur in urbes.* et ad Val. Fl. 5, 488. — *inritum fessumque*] Non est ἓν διὰ δυοῖν, ut vult Rothius, nimius sane huius figurae amator; sed quia Romanorum aggressiones semper *inritae* reddebantur, ideo fatigabantur ac talis belli lassi fiebant. — *inligatus*] impeditus, onere detentus. Duebn. — *adhaerebat*] hoc imperfectum aeque pendet a part. *postquam* atque perfectum *deflexit*, nam tunc ipsum, cum *adhaerebat*, et diutius quidem, pulsus est ab Apronio filio. Male nonnulli haec distraxerunt; neque vero necesse est, ut cum Walthero ac Boettichero legamus *inligatusque*.

22. *L. Sulla - - proavi*] Hoc late demonstrat et probabiliter Norisius ad Cenotaph. Pis. p. 257. Ern. Ita scilicet: «P. Cornelius Faustus Sulla L. Sullae dictatoris filius Pompeiam Cn. Pompeii Magni filiam in matrimonio habuit ex Script. de bello Afr. C. 95: *Fausto a P. Sitio* (Caesariano) *in proelio interfecto, Pompeiae cum Fausti liberis Caesar incolumitatem suaque omnia concessit.* Ex Fausto et Pompeia nata Cornelia Q. Aemilio Lepido nupsit, ex quibus orta Aemilia Lepida, L. Sullae et Pompeii proneptis.» — *quaesitumque*] Quod astrologos iussisset inquirere in fata Caesaris et propinquorum. Duebn. — *per Chaldaeos*] quod semper capitale. *Cui autem opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur et sustinetur? Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis.* Tertull. Apol. 35. Lips. Minitatur crucem Paullus L. 5. Sent. Tit. 21. *servis, qui de domini salute consuluerint mathematicos.* — *M'. Lepido*] consule a. 763. Cfr. Tab. Narbon. Grut. p. 229. — *dictum*] frequentius usurpant *mittere repudium.* Indignitas autem accusationis in eo maxime vertebatur, quod Quirinus nimis exacerbatus illam *dimissam e matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat.* Suet. Tib. 49., quo etiam ex loco ut ex Ann. 3, 48. contra Mediceum emendandum erat *Quirino*, quia *Sulpicius Quirinius* illa aetate non fuisset nomen Romanum. Ceterum ex Suetonio colligitur Lepidam in Quirini gratiam condemnatam esse, quia Tiberius

centi miserationem addiderat. haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa. deprecatus primo senatum ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda quae velut reticere voluerat. idemque servos Lepidae, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules, neque per tormenta interrogari passus est de iis quae ad domum suam pertinerent. exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae; quod alii civile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim cessurum nisi damnandi officio. (23) Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor

2. *depcatus* cum lin., id est, *depraecatus* M. — 3. *M.* M: *Marcum* B. — 4. *inl.* M: *ill.* B. — 4. *profenda* M. — *reicere* M. Emendavit Beroaldus. — 5. *lapidae* M. — 6. *de iis*] *Diis* (sic) M. — 8. *sentiae* M. — 9. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *sciens* M. — 13. *misericordia* M. Correxit Lipsius. — 14. *Quirino* Ryckius: *Quirinio* MB.

hominis praedivitis et orbi hereditatem appetebat. — *vertit - - signa*] modo iram, modo clementiam monstrabat; *miscuit* refertur praecipue ad ambiguitatem, qua hac in re usus est. — *M. Servilium*] consulem a. 756. — *velut reticere*] quae ad speciem antea simulaverat se potius reticere velle, tum, cum deprecaretur senatum. — *militari custodia*] in carcere castrorum praetoriorum. Frequentissima haec custodia et Romae et in provinciis, eiusque modus, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dextrae alligatam haberet, quae eadem militis sinistram vinciret custodiae eius praefecti. Seneca Ep. 5: *eadem catena et custodiam et militem copulat.* Tranq. an. 1, 10. Athen. 5, 11. Lips. in Excursu B. Adde 6, 14. et de Paulo Act. Apost. 28, 16. — *ad consules*] ut in solito Urbis carcere custodirentur; durior igitur custodia militaris, quamquam in Cod. Theod. 11, 7, 3. mentio fit etiam *apertae et liberae custodiae militaris.* De libera in consulum domibus custodia equidem interpretari nolim; talis enim vetere re publica destinata erat tantum viris illustribus, ut videmus factum esse in Catilinae coniuratione; remanentque eius usus vestigia etiam sub imperatoribus; sic Ann. 6, 3: *Gallius custoditur domibus magistratuum.* Hist. 3, 12: *Bassus praefectus classis honorata custodia Atriam pervectus postea illic vincitur.* Suet. Vit. 2: *P. Vitellius in custodiam fratri datus.* — *consulem designatum*] Appian. B. C. 2, 5: *Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο ὑπατεύειν. ὧδε γὰρ Ῥωμαίων ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτον ἐσφέρει γνώμην κτλ.* Sal. Cat. 50. Cfr. Cap. 17. — *cessurum*] non enim daturum fuisse alii priorem sententiae dicendae locum, nisi ad invidiosam causam damnandi. Gron. Altera haec aliorum senatorum erat interpretatio, damnari velle Lepidam Tiberium, cuius tamen sententiae primum auctorem nollet esse filium. Ern.

23. *ludorum*] Intelligendi fortasse ludi magni Romani (Kalend. Amitern. Inscr. m. Lat. II. p. 398.), qui incipiebant pridie Non. Septembr., finiebantur pridie Idus; alii D. Augusto et Fortunae Reduci, Genio publico, Faustae Felicitati cet. celebrabantur a. d. III. Non. Octobr. usque ad a. d. v. Idus Octobr. (Ibid. p. 400) utique et in circo et in theatro. — *ea monimenta*] ipsum theatrum, quod Pompeius dedicarat a. u. c. 699.; idque ab eo *theatrum Pompeii* denominatum erat. Cfr. 14., 20. Dio 39, 38. *Monumenta* saepe dicuntur aedificia publica alicuius cura sumptuve (maxime ex manubiis) exstructa. — *obscurissimae domui*] Vide infra C. 48. — *divo*

L. Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubelli Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent. mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarentur. tum demum aperuit Tiberius conpertum sibi etiam ex P. Quirini servis veneno eum a Lepida petitum.

(24) Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus Iuniae familiae redditus. casum eius paucis repetam. ut valida divo Augusto in rem publicam fortuna, ita domi inprospera fuit ob inpudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit adulterosque earum morte aut fuga punivit. nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. sed aliorum exitus, simul cetera

1. *L.* M: *Lucio* B. — 2. *flagitiatumque in* M. — 2. *Rubelli* M: *Rubellii* B. — 3. *adque* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 5. *conp.* M: *comp.* B. — *P.* M: *Publii* B. — *Quirini* Ryckius: *Quirinii* MB. — 7. *Inl.* M: *Ill.* B. — *adenim* M. — 8. *adf.* M: *aff.* M. — *D.* M: *Decimus* B. — 10. *inp.* bis M: *imp.* B. —

Augusto nurus] Insigne huius rei monumentum exstat in basi statuae haud nimis pulchrae Pudentis grammatici, quam ipse Bergomi saepe vidi: *PVDENS. M'. LEPIDI. L. GRAMMATICVS. PROCVRATOR. ERAM. LEPIDAE. MORESQVE. REGEBAM. DVM. VIXI. MANSIT. CAESARIS. ILLA. NVRVS. PHILOLOGVS. DISCIPVLVS.* Grut. 653, 2. Inscr. m. Lat. N. 639. Serassi *Dissert. sopra l'epitafio di Pudente* in Calogerà *Raccolta* XLI. p. 372. Fuit igitur Pudens libertus Manii Lepidi fratris Lepidae; *nurus* Caesaris Augusti, scilicet uxor destinata L. Caesari ab Augusto adoptato, ante nuptias, ut videtur, mortuo. Ineptissime autem apud Gruterum ante nomen h. l. proprium *PHILOLOGVS* inculcatum est v. *ATTEIVS* ex Sueton. *Gramm.* 10., propter quod facinus Ryckio ad h. l. totus titulus immerito visus est subditicius. — *Rubelli Blandi*] Cfr. 3, 51., ubi consularis dicitur; consul suffectus anni incerti, in fastis saltem Baiteri haud memoratus; anno u. c. 771. nescio qua auctoritate assignat Havercampius Thesaur. Mor. p. 366. Eius pater, ut videtur, est ibidem in nummo *C. RVBELLIVS. BLANDVS. S. C. IIIVIR. A. A. A. F. F.*; filius autem progener Tiberii, infra 6, 27. — *Scauro*] Mamerco. 1, 13. 6, 29. Huic igitur post repudium a Quirino missum Lepida nupserat. — *arcebatur*] pro solita formula *aqua atque igni interdicere* 3, 68. Imperfecto utitur, quia v. refertur ad id temporis punctum, quo Rubellius sententiam dixit. — *ne bona*] quae exulibus adimi, certe imminui solebant.

24. *repetam*] narrabo memorans priores eius vicissitudines. — *valida - - in rem publicam*] efficacius dictum pro valida in re publica regenda atque omnibus inceptis, quae ad eam pertinebant, exsequendis et perpetrandis. Ipsa autem constructione significatur acri industria ac potentia ad id opus fuisse. — *neptis*] Iuliae minoris, filiae Agrippae et Iuliae maioris. Suet. Oct. 65: *Iulias, filiam ac neptem, omnibus probris contaminatas relegavit.* — *vulgatam*] id est, tunc praesertim frequentissimam, crebro admitti solitam. — *leges*] imprimis legem Iuliam de adulteriis sive de pudicitia (Suet. Oct. 34.) latam a. 737. Paulli Sentent. 2, 26, 14. — *illius aetatis*] Respicit Tacitus haud dubie ad res gestas ab Augusto, quas scripturus erat Annalium opere absoluto. Niebuhr *Rhein. Mus.* II. 2. p. 291. *(Kleine Schriften* II. p. 237.) Bach. Clare autem dicit *illius aetatis*, Augusti videlicet, adeo, ut prorsus arbitraria sit Walchii opinio a Rittero his verbis comprobata: «Ingeniosa et haud scio an vera etiam Walchii est sententia (proposita ad Agric. p. 132.), Tacitum haec pollicendo nonnisi historiae Traiani a se componen-

illius aetatis, memorabo, si effectis in quae tetendi, plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit, nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. sed Tiberius gratis agenti Silano, patribus coram, respondit se quoque laetari quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset; idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret. sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta quae Augustus voluisset. fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est.

(25) Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus, post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. nec ideo coniugia et educationes liberum frequentaban-

1. *tendi* M. Correxit Ernestius. (*in quae intendi* Heinsius, *quae intendi* Kiessling.) 2. *D.* M: *Decimus* B. — 3. *exilium* M. — 4. *depcari* cum lin. M. — 5. *M.* M: *Marci* B. — 6. Habet *gratis* M.

dae exspectationem, quam multis annis ante excitaverat in Historiarum prooemio (1, 1.) reprimere voluisse: nam Tacitus res ab Augusto gestas non solum non scripsit, sed idem dum iis dicendis haud defuisse decora ingenia in Annalium principio (1, 1.) profitetur, eiusmodi inceptum ne aptum quidem esse satis liquido declaravit.» At vero, si consilium h. l. significatum exsecutus esset, facillima quadam excusatione professionem illam de rebus Traiani scribendis, ad quam provocant, infirmare potuisset. Quid, quod probe sibi conscius erat maiore arte atque ingenio, quam a Cremutio Cordo aliisque factum erat, a se exponi posse Augusti eiusque aequalium actiones moresque? — *tetendi*] usque in Neronis res, qui pro suo consilio (1, 1.) finis horum erat Annalium, quos Historiae ante compositae excipiebant. — *curas*] scripta historica, ut 4, 11: *cura nostra.* — *in nepti*] Sic Horat. Sat. 1, 2, 64: *Villius in Fausta Sullae gener*, quacum adulterium commiserat. — *prohiberetur*] Cfr. 2, 70. — *M. Silani*] 2, 59. Socer fuit Caligulae, a quo interfectus est. 6, 20. Hist. 4, 48. Agr. 4. — *non lege*] Triplex ratio exsulandi. Primum senatus decreto, quasi rei publicae interesset; quae ratio validissima nec facile veniam aut indulgentiam inveniebat. Ideo Augustus multa de moribus Agrippae Postumi questus, *ut exsilium eius senatus consulto sanciretur, effecerat.* 1, 6. Altera ratio per iudices et sententiam ex lege. At tertia novissima, cum princeps in exsilium mittebat, quae verius *relegatio* erat et velut a parente publico (nam et parentibus domi ac privatim hoc ius) facta. Ovidius omnes tangit Trist. 2, 131: *Nec mea decreto damnasti facta senatus, Nec mea selecto iudice iussa fuga est. Tristibus invectus verbis, ita principe dignum, Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas. Adde quod edictum, quamvis immite minaxque, Attamen in poenae nomine lene fuit: Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo.* Lips.

25. *Papia Poppaea*] de maritandis ordinibus, a M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo, consulibus suffectis a. 762., quinquennio ante Augusti obitum lata. — *Iulias rogationes*] item de maritandis ordinibus, latas a. 757., sed severior etiam Papia Poppaea, unde dicit *incitandis*, intendendis, augendis *caelibum poenis.* Dio 54, 16: *ὁ δ' Αὔγουστος τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε.* Cfr. Lipsii Excurs. C. Zumpt *Roms Bevölkerung* p. 67. — *augendo aerario*] Aliquot enim capita habebat de caducis, vacantibus, erepticiis. Cfr. Heineccii Antiqq. 4, 18, 51. Bachii Hist. iur. Rom. p. 309. — Plurali

tur, praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur; utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. ea res admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram. (26) vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coërcitionibus agebant. neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. at postquam exui aequalitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere. quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. hae primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et

2. *interpraet.* M. — *utquae* M. — 6. *coercitationibus*, syllaba *ta* punctis notata, M. — 7. *premiis* M. — 8. *mortem* M. Emendavit Beroaldus. — 9. *exsui* M. — 10. *incidebat* M. Correxit Lipsius. — 10. *provenire* M. Correxit Lipsius. — *aput* M. — 12. *ae* (sic) M. — 13. *minus* M. — 14. Habet *Solo* M.

autem *rogationes* utitur, quia lex complura capita complectebatur. Similiter C. 33: *Oppiis legibus*, et 15, 20. — *praevalida orbitate*] quia id genus heredipetae captabant, colebant. Seneca Cons. ad Marc. 19: *In civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit; adeoque senectutem solitudo ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent et liberos eiurent, et orbitatem manu faciant.* — *interpretationibus*] callidis atque insidiosis accusationibus, quas testibus raro comprobare poterant. (Non delationibus simpliciter, ut in culpa non manifesta, sed *interpretationibus*, quia ex statu, condicione, consuetudinibus hominum eliciendа erat culpa interpretando. Cfr. C. 28. Duebn.)

26. *honesta suopte ingenio*] ex sua natura, propter se ipsa; opponitur *praemiis*. — *incedebat*] animos invadebat; grassabatur ac gliscebat. 15, 33: *postquam tenebrae incedebant.* Liv. 29, 4. *timorque in exercitu incederet.* Codicis lectioni *incidebat*, quod v. merum casum significat, propter v. *vis* locus sane non est. — *aeternum*] ut 12, 28: *aeternum discordant.* — *Cretensium*] De Cretensium re publica et legibus lege Polybium 6, 45., ubi negat primo Spartanae similem, deinde laudandam fuisse, quod Xenophontem, Platonem, Epherum, Callisthenem fecisse dicit; quibus adde Aristotelem de Rep. 2, 9. Ern. — *Minos*] Odyss. τ', 178: *ἔνθα τε Μίνως Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.* — «Ceterum nota anacoluthiam ex grata quadam negligentia profectam» (vel potius variandae orationis causa praelatam). «Lex grammatica banc poscebat constructionem: *fama maxime celebravit leges Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, atque Atheniensium quaesitiores iam et plures, quas Solo perscripsit.*» Bach. — *Romulus*] Pomponius de Orig. iuris Dig. 1, 2, 1: *Initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu a regibus gubernabantur. Postea - - Romulus leges quasdam et ipse curiatas ad populum tulit, tulerunt et sequentes reges.* — *et divino iure*] quod ipsum oritur ex *religionibus*. — *sanctor*] Nunc est *ἅπαξ λεγόμενον*.

27. *finis aequi iuris*] Plerique interpretantur absolutionem et perfectionem iuris. Liv. 3, 34. duodecim tabulas *fontem omnis publici privatique iuris* vocat. Cic. de Orat. 1, 44: *Leges XII. tabb. bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis ponderе et utilitatis ubertate superare* dicit. Et *finem honorum populi consulatum* vocat

divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco. sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. (27) pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri, et accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae sunt. hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. iamque non modo in commune sed in singulos homines latae quaestiones; et corruptissima re publica plurimae leges. (28) tum Cn. Pompeius tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis

1. *ango* M. — 2. *precipuus* M. — 5. *tabule* M. — 7. et 10. *inl.* M : *ill.* B. — 11. *L.* M : *Lucius* B. — 13. *eius* M : *ei* Rhenano auctore B. — 16. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B.

Cic. Planc. 25. — Hic tamen significat Tacitus post XII. tabulas aequum, id est, civile, publicum et privatum ius continentes plerasque leges posteriores iniquas fuisse ac per vim latas aut certe solum ad delicta atrocia coërcenda. *Finis* igitur idem fere atque «ultimum corpus.» — *aliquando in maleficos*] ut lex Calpurnia de pecuniis repetundis a. u. 605., Fabia de plagiariis, Hostilia de furtis, Peducaea de incestu a. u. 641. — *ex delicto*] postquam delictum aliquod atrox legis ferendae necessitatem attulerat. — *dissensione ordinum*] ut lex Valeria Horatiana a. u. 305 : *ut quod tributim plebs iussisset, populum teneret*, repetita a. 425. lege Publilia; lex Canuleia de connubio plebis a. 309. — *inlicitos honores*] ut lex Sextia Licinia de consule plebeio creando a. 387. — *claros viros*] ut Camillum, Metellum Numidicum, P. Rutilium Rufum. — *Saturnini*] L. Appuleii Saturnini a. 654. — *largitor*] intellige de M. Livio Druso, tribuno pl., qui cum a. 663. renovasset Sempronias leges, frumentariam, agrariam, eodem anno occisus est. — *nomine senatus*] *senatus propugnatorem atque paene patronum* (initio certe tribunatus) eum vocat Cic. pro Mil. 7. — *inlusi - - socii*] v. c. lege Livia a Druso eodem illo anno lata de civitate sociis danda, quam tamen demum post bellum sociale obtinuerunt. Flor. 3, 17: *Drusus plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad spem civitatis erexit* (itaque semina exitiosi belli socialis sive Italici iecit). — *civili*] inter Marium et Sullam. — *eius rei*] novarum legum ferendarum. Cfr. Livii Epit. 70. 71. Velle. 2, 13. 14. — *Lepidi*] statim post Sullae mortem a. 676. Turbida eius oratio est inter Salustii Histor. I. Fragm. Flor. 3, 23. Pater fuit triumviri. — *licentia*] per legem tribuniciam, quam Cicero vocat, sive Pompeiam, latam a Pompeio in primo consulatu a. 684., qua tribunis pl. pristinum ius restituit. — *in singulos*] per privilegia, ut Ciceroni accidit. Cic. de Legg. 3, 19: *Maiores - - in privos homines leges ferri noluerunt; id enim est privilegium; quo quid est iniustius? cum legis haec vis sit, ut sit scitum et iussum in omnes.* Pseudocic. pro Domo 17: *Vetant leges sacratae, vetant XII. tabulae leges privis hominibus irrogari.* Gell. 10, 20.

28. *tertium consul*] a. 702. per septem menses sine collega. — *gravior remediis*] Tulit legem de ambitu, alteram de vi; formam iudiciorum breviorem, poenam constituit graviorem. Dio 40, 52. (Cuius remedia graviora erant', civitatem magis

quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius; deterrima quaeque inpune, ac multa honesta exitio fuere. sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit, deditque iura quis pace et principe uteremur. acriora ex eo vincla, inditi custodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. sed altius penetrabant, urbemque et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant; multorumque excisi status. et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quin-

1. *delecta* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 7. *ut, si*] *uisi* M. Correxit Lipsius.

premebant, quam ipsa delicta.) — *subversor*] Nam leges de ambitu et iudiciis tulit, et in suis amicis non servavit. Suet. Caes. 28: *Acciderat, ut Pompeius - - cum legem de iure magistratuum ferret, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege iam in aes incisa et in aerario condita corrigeret errorem.* Cfr. Cic. ad Att. 8, 3. Dio 40, 56. — *continua - - discordia*] Nominativi sunt, non ablativi, ut alii opinantur. — *viginti*] a tertio Pompeii consulatu a. 702. usque ad victoriam Actiacam a. 723. et Antonii interitum a. 724. — *sexto consulatu*] a. 726. — *abolevit*] Dio 53, 2: *ἐπειδὴ δὲ πολλὰ πάνυ κατά τε τὰς στάσεις κἀν τοῖς πολέμοις ἄλλως τε καὶ ἐν τῇ τοῦ Ἀντωνίου τοῦ τε Λεπίδου συναρχίᾳ καὶ ἀνόμως καὶ ἀδίκως ἐτετάχει, πάντα αὐτὰ δι' ἑνὸς προγράμματος κατέλυσεν, ὅρον τὴν ἕκτην αὐτοῦ ὑπατείαν προσθείς.* — *quis*] non est abl. instrumentalis, sed solita v. *uti* constructio: «ex quibus viveremus per pacem quidem, sed sub principe.» Ut solet, hic quoque Tacitus non sine dolore liberae rei publicae memor est. — *acriora*] multo melius quam Pichenae *artiora* significat molestam et gravem eam fuisse dominationem viris priori libertati assuetis eiusque cupidis. — *ex eo*] «posthac», inde ex sexto illo consulatu, quo princeps (senatus) renuntiatus est;» non: «propter hoc», ut alii volunt. — *vincla*] iussorum potius atque edictorum, quam legum. Etiam hoc voc. non addito v. *legum* (Quintil. 5, 10, 101.) non sine aculeo significat arbitrariae potestatis onus atque continuam liberioris vitae coërcitionem. — *inditi*] quasi appositi omnibus, qui Augusti iussa negligerent ac migrarent. Mira in loco tam claro hariolati sunt critici, quorum opiniones, si tanti est, vide apud Ernestium. — *custodes*] Noli cum aliis intelligere de solis magistratibus, sed potius de familiaribus, quibus Augustus semper utebatur ad exploranda facta dictaque singulorum principum virorum. (*Custodes* dici a scriptore respiciente magis condicionem illorum hominum sequente tempore, quam quae esset sub Augusto, opinatur Walchius Emendatt. Liv. p. 67.) — *inducti*] custodes illi, delatores scilicet accusatoresque. Suet. Ner. 10: *praemia delatorum Papiae ad quartas redegit*, ut appareat praemia magna fuisse, et fortasse tertiam aut semissem multae. Lips. — *a privilegiis*] ut si qui lege ac privilegiis, sive emolumentis, quae ab ea statuebantur, neglectis, caelibem vitam praeferrent, ceteri cives legi obtemperantes fruerentur iis commodis, quae ex aerario per caelibum multas aucto obtingerent universo populo. Nisi magnopere fallor, tota haec formula desumpta est ex ipsa lege Papia Poppaea; alioquin illa praesertim *velut parens omnium* rhetoricam scholam aliquatenus redolerent. Scilicet hoc obtentui sumptum fuisse apparet; omne enim commodum partim ad delatores, partim ad aerarium ex legis poena redundabat, ad ceteros cives nihil sane, nisi quatenus largitiones in plebem interdum augeri poterant. (Aliter Duebner: «Hoc modo ex universo populo excitabantur accusatores, ut, si homines cunctarentur ineundis matrimoniis capessere emolumenta destinata iis, qui liberos suscepissent, populus tamquam parens omnium in bonorum vacuorum possessionem perveniret.») — *vacantia*] dominum non ha-

que consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

(29) Per idem tempus Neronem e liberis Germanici, iam ingressum iuventam, commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulavit. praetendebat sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto. sed neque tum fuisse dubitaverim qui eiusmodi preces occulti inluderent: ac tamen initia fastigii Caesaribus erant, magisque in oculis vetus mos, et privignis cum vitrico levior

2. *aput* M. — 6. *quaesituram* M. Correxit Ernestius. — 7. *inr.* M: *irr.* B. — 9. *inl.* M: *ill.* B. — *fastidii* M. Correxit Beroaldus.

bentia. Cod. Theod. 11, 30, 26: *bona vacantia et caduca et ea, quae indignis - - auferuntur.* — *altius penetrabant*] In domuum secreta, quam lex ipsa concedebat ac volebat. — *civium*] Ergo qui cives non erant, lege Papia Poppaea non tenebantur. — *corripuerant*] Criminum genera infinita commenti erant, ut propemodum nemo insons esset, et pari vehementia per omnes imperii Romani partes, quidquid ubique civium esset, nihil saepe minus exspectantes in ius raptabant atque opprimebant. Gron. — *excisi*] Hoc est, quod antea dixit: *omnisque domus delatorum interpretationibus subvertebantur.* Et calumniae multae in hac lege circa ingenuitatis iura ac similia; ut periclitaretur non dubie multorum status. Plinius Pan. 34: *Vidimus delatorum agmen inductum* (in amphitheatrum) *quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullius status certus; non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia.* Lips. *Statum* autem hic significare eam condicionem vitae ac patrimonii, qua ante damnationem rei gaudebant, manifestum est. (*Status* civiles; eorum secura et legibus tuta condicio. Dubbn.) — *exsoluti*] mitiore interpretatione. — *nexus*] simili imagine, qua dicebant vincula legum, iuris nodos (Iuven. 8, 50.); pleraque legis capita, quibus delatores astute abutebantur ad opprimendos etiam insontes. (Ex quorum arbitrio cum permulta vincula severae illius legis sive laxarentur sive plane solverentur, *modicum* cet. Dubbn.)

29. *Neronem*] natum circiter a. 760., quem postea in insula Pontia necavit a. 784. Suet. Tib. 54. — *vigintiviratus*] Dio 54, 26: *οἵ τε δὴ εἴκοσιν οὗτοι ἄνδρες ἐκ τῶν ἓξ καὶ εἴκοσίν εἰσιν· οἵ τε τρεῖς οἱ τὰς τοῦ θανάτου δίκας προστεταγμένοι· καὶ οἱ ἕτεροι τρεῖς οἳ τὸ τοῦ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι· οἵ τε τέσσαρες οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι, καὶ οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι* (triumviri igitur capitales, triumviri monetales, quattuor viarum curatores, decemviri stlitibus iudicandis). *οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι, οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι κατελέλυντο.* Per hunc vigintiviratum aditus demum ad maiores honores. Dio 60, 5: *τοὺς γαμβροὺς τότε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι καὶ μετὰ τοῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀνοχαῖς ἐκέλευσε, καὶ ὀψέ ποτε πέντε ἔτεσι θᾶσσον τὰς ἄλλας ἀρχὰς αἰτῆσαι σφίσιν ἐπέτρεψε* (Claudius). — *occulti inluderent*] Heinsius malebat *occulte.* Sed cfr. 4, 12: *occulti laetabantur.* 40: *occulti ferunt.* Sal. Iug. 61: *uti ad se occultus veniat.* Est: «ita illudebant, ut tamen occulti manerent:» efficacius aliquanto dictum quam per adverbium. — *initia*] Si Augustus princeps dissimulata potentia, tam levem rem a senatu petebat, quae negari non poterat, irridendi causa non tam iusta erat, quam cum Tiberius idem coeptabat; nam primum Augusti aetate principis potentia nondum adulta erat; deinde recens etiamtum veteris moris memoria; denique Drusi Tiberiique cum Augusto vitrico minus arta necessitudo quam Neronis cum avo Tiberio, ideoque minor (ut certe videri poterat) senatui necessitas obtemperandi et gratifi-

necessitudo quam avo adversum nepotem. additur pontificatus et, quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem adspiciebat. auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. polluisse nobilitatem familiae videbatur, suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

(30) Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, quis domus illa inmensum viguit, primus adcumulator. Crispum equestri ortum loco G. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior. suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. igitur incolumi

2. *conglarium* M. — *laete* M. — 3. *asp*. M. — 4. *utquae* M. — *secundorum more* M. — 6. *videbantur* M. Correxit Io. Fr. Gronovius. — 8. *L.* M: *Lucius* M. — Habet *Sallustius* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — *adc.* M: *acc.* B. — 12. *equestrior. tum* M. — *G.* (sic h. l.) M: *Gaius* B. — *romanōrum* M. Correxit Rhenanus. — 16. *afluentia* M. (*affluentia* B.)

candi. Ritter. — *pontificatus*] Supersunt huius Neronis tituli aliquot. (Inscrr. m. Lat. 662—664. et Murat. p. 138, 3.), ex quibus constat eum fuisse flaminem Augustalem, sodalem Augustalem, sodalem Titium, fratrem arvalem, quaestorem. — *quo primum die*] tirocinii die sive togae virilis, quo auspicii causa tirones a patre proximisque sollemni officio in Forum deduci et inde in Capitolium solebant. Suet. Oct. 26. Tib. 15. et 54: *Maximos natu de Germanici filiis, Neronem et Drusum, P. C. commendavit, diemque utriusque tirocinii congiario plebi dato celebravit.* Ner. 7: *deductus in Forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit.* — *Iuliae*] Quod igitur supra est 2, 43: *Silani filiam Neroni, vetustissimo liberorum Germanici pactam*, pactam desponsamque fuisse credimus, nuptam deductamque non fuisse. Aut, si fuit, fatum abstulit, et locum huic fecit. Lips. — Haec Iulia nupta primum Neroni, deinde Rubellio Blando, sed dolo Messalinae interfecta. 6, 27. 13, 32. et 43. Suet. Claud. 29. Dio 60, 18. — *secundo rumore*] cfr. Heins. ad Virg. Aen. 8, 90. et quae collegi ad Horat. Epp. 1, 10, 9: *Quae vos ad caelum effertis rumore secundo.* Opponitur *adverso rumore.* 14, 11. Hist. 2, 26. — *filio Claudii*] Suet. Claud. 27: *Drusum Pompeiis impuberem amisit, piro per lusum in sublime iacto et hiatu oris excepto strangulatum, cui et ante paucos dies Seiani filiam despondisset.* Cfr. Dio 60, 32. — *videbatur*] Sic necessario legi ac de uno Tiberio intelligi debet, propter vv. seqq. *Seianum ultra extulisse.* Pluralem Codicis male interpretabantur de Tiberio, Claudio huiusque filio. — *ultra*] quam satis esset, quam oporteret.

30. *consulatum*] L. Volusius Saturninus consul suffectus fuit a. 742., eius filius a. 756. Propter v. *intulit* de priore intelligendum est. Ante illum enim nullus Volusius in Fastis comparet. — *censoria*] Quae potestas olim censorum fuerat, eam Augustus transtulit *in triumviratum recognoscendi turmas equitum*, ut ait Suet. Oct. 37, 38. Cfr. Suet. Tib. 41: *regressus in insulam rei publicae quidem curam usque adeo abiecit, ut postea non decurias equitum unquam supplerit.* *Turmas* ad

Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

(31) Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. eius anni principio Tiberius, quasi firmandae valitudini, in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo praetura functus de L. Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. certabantque orationibus; et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus

6. *tiberi* M. — 8. *conexus* M. (*connexis* malebat I. Fr. Gronovius; sine causa.) — 13. *L.* M: *Lucio* B. — 14. *aput* M. — 16. *L.* M: *Lucius* B. — 17. Habet *certabantque* M. Inde a Lipsio usque ad Bekkerum (excepto Iac. Gronovio) edebant *certabant*. — 18. *inr.* M: *irr.* B. — *notavisset* M.

transvectionem equitum Ro. Idib. Iul., *decuriae* ad eorum iudicatum referuntur. Ann. 14, 20: *decurias equitum egregium iudicandi munus expleturas.* («Non satis liquet tamen, Volusio mandatum munus fuerit ordinem equestrem supplendi, an iudicum decurias legendi; nam equites iudicabant.» Duebn.) Cfr. etiam Zumpt *Römische Ritter* p. 102. — *inmensum viguit*] 14, 56: *quantum Volusio longa parcimonia quaesivit.* — *prompto - aditu*] propter Augusti favorem; iam scilicet eius pater adoptivus, Sallustius, scriptor historiarum, Iulii Caesaris familiaris fuerat. — *veterum*] intelligendos puto aequales fere Scipionis Africani minoris; neque explicarim *priscorum* (Curiorum cet.) neque *seniorum*, ut fecere alii. — *cultum et munditias*] *cultus* ad vestes, gemmas, anulos; *munditiae* magis ad supellectilem ac tabulas pictas signaque pertinent. — *luxu*] antiquior forma pro *luxui*. — *speciem*] *imaginem inanem* (Vell. 2, 30.) amicitiae principis retinuit. — *Maecenati*] Suet. Oct. 66: *desideravit nonnunquam Maecenatis taciturnitatem.* Dio 54, 19: *τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα* (Terentiam, quam amabat Augustus) *οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρε.* — *illos*] potentes fautores, *hos*, eorum amicos.

31. *neque natura tam connexus*] quia Germanicus filius tantum adoptivus. Minus recte Walther: «Quanam natura? Utriusque consulis. Nam Germanici natura recedebat multum a Tiberii; Drusus vero et Tiberius invicem similiores.» — *continuam absentiam*] Quinquennio post Urbem in perpetuum reliquit. 4, 57. — *meditans*] in antecessum experiens, praetentans. Gron. — *inter spectacula*] In theatro olim discreta loca; nondum, ut vides, in circo aut amphitheatro. Alioqui causa non fuisset huic querelae. Discrevit primum Claudius, et *in circo* (Suetonii verba sunt Cl. 21.) *propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* Tamen Augusti temporibus decretum patrum fuit, *ut quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus*, ait idem Suet. Oct. 44. Sed id extra Urbem dumtaxat fuit firmum. Lips. — *exempla maiorum*] Plutarch. C. Gracch. 3: *οἱ πρόγονοι Γαΐου Βετουρίου*

apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et inpervia clamitando, exsecutionem eius negotii libens suscepit; quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

(32) Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicioque patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus Marcum Lepidum odii nactus, ut socordem inopem et maioribus suis dedecorum, eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat. igitur missus in Asiam. et de Africa decretum ut Caesar legeret cui mandanda foret. (33) inter quae

2. *ea* om. M; inseruit Ferretus. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — 11. *Sex.* M: *Sextus* B. — 11. Habet *Marcum* omnibus litteris M. *Manium* probabiliter Ryckius, quem secutus est Walther. — 12. *nanctus* M. — 13. *lepidum. Item* (sic) M. —

θάνατον κατέγνωσαν, ὅτι δημάρχῳ πορευομένῳ δι' ἀγορᾶς οὐχ ὑπεξέστη μόνος. — *patruus simul ac vitricus*] Consequitur igitur Scaurum in matrimonio habuisse post Lepidae damnationem fratris sui uterini viduam et has nuptias tunc temporis non fuisse incestas, ut postea a Christianis imperatoribus factae. C. 5. l. penult. et ult. de incest. et inutil. nupt. — Infra 6, 29. Scauri uxor Sextia dicitur. Ryck. — *ea aetate*] Cfr. 6, 29. — *idem Corbulo*] Dio 59, 15: *Γναῖος Δομίτιος Κορβούλων βουλευτὴς κακῶς ἐπὶ τοῦ Τιβερίου τὰς ὁδοὺς ἐχούσας ὁρῶν, τοῖς τε ἐπιμεληταῖς αὐτῶν ἀεί ποτε ἐνέκειτο καὶ προσέτι καὶ τῇ γερουσίᾳ ὀχληρὸς ὑπὲρ αὐτῶν ἐγίγνετο κτλ.* — *mancipum*] *Mancipes (entrepreneurs, impresarj,)* hic, qui vias publicas reficiendas quaestus sui causa redimebant. Hyginus: *Viae publicae et curatores accipiunt et per redemptores muniuntur.* Grut. p. 622, 2: *CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MVSAEO. MANCIPI. VIAE. APPIAE.* Lips. — *magistratuum*] sunt curatores viarum, *ἐπιμεληταὶ τῶν ὁδῶν* Dioni 59, 15. saepe in Inscriptionibus memorati; instituti fuerant ab Augusto. Suet. Oct. 37. Quam honorificum id munus fuerit, disce ex Plin. Epp. 5, 15. — *exsecutionem eius negotii*] Non tunc tantum, sed et postea sub Caio; et vir, cetera magnus, haesit in his calumniae sordibus, bonis omnibus invitis. Dio 59, 15. Lips. — *quorum*] possessorum videlicet, qui agros haberent viis vicinos. Quasdam enim vias collaticia pecunia tueri finitimi debebant. Hyginus: *Quarundam tutelae a possessoribus, per tempora, certa summa exigitur.* Lips. Verum intellige etiam de mancipibus et curatoribus viarum. — *hasta*] auctionibus fundorum.

32. *Sex. Pompeius*] consul a. 767. Ann. 1, 7. 3, 11. — *M. Lepidum*] Si est idem, qui memoratur C. 22., ut reapse videtur, sane cum Ryckio et Walthero scribendum *Manium*; etsi in Fastis quoque consul a. 764. falso nominatur *M. Aemilius Q. F. M. N. Lepidus.* Cfr. tabulam Narbonensem Grut. p. 229., ubi clare est *M'.* — *Asiae sorte*] Est ex antiquiore formula, qua utebantur iis temporibus, quibus provincias sortiebantur. «Tacito nihil aliud est quam provincia sive sorte seu sine sorte haberetur, ideo quia (antiquitus) non nisi per sortem habebatur, ut Liv. 42, 31: *Illud quoque praecipuum datum sorti Macedoniae ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul.* *Depellere* autem non aliter dicitur quam *deiicere honore* Livio 4, 44. 39, 41. et *detrudere* Suetonio in Caes. 24: *Domitii detrudendi causa;* non sane, quem iam habebant,

Severus Caecina censuit ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque quae in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. haud enim frustra placitum olim ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. non inbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum; incedere inter milites, habere ad manum centuriones; praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari; his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium, ab his negotia suscipi, transigi; duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et inpotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque

1. *neq; magistratum* M. — 2. *comiteretur* M. — 4. *quadraginti* M. — 5. *haut* M. — 6. *que* M. — 8. *inb.* M: *imb.* B. — 9. *licencia* M. — *adsit* M: *assit* B. — 11. *quotiens* M: *quoties* B. — 13. *adher.* M. — 15. *inp.* M: *imp.* B. — *muliebrum* Bekkeri operae.

sed quem petebant, spe tantum et votis sibi despondebant. Gron. Cfr. 3, 58: *Maluginensis, flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet postulavit.* Binis consularibus natu maximis Asia et Africa provinciae destinatae fuisse videntur, qui temporibus quietis de iis etiamtunc fortasse sortiebantur. — *paternas*] a patre ortas, non ipsius culpa contractas. Duebn. — *sine probro*] nec illiciti quaestus, quo opes parare posset, neque ullius flagitii.

33. *uxor comitaretur*] Id quod vetuisse videtur etiam Augustus. Suet. Oct. 24: *Disciplinam severissime rexit. Ne legatorum quidem cuiquam nisi gravate hibernisque demum mensibus permisit uxorem intervisere.* Sed irrepsit: et Germanico Agrippina in provinciis comes et Augusto Livia, Agricolae Decidiana. Lips. — Caecinae autem sententia obrogabat senatus consulto superiore anno facto, de quo Ulpianus Dig. 1, 16, 4, 2: *Proficisci proconsulem melius quidem est sine uxore; sed et cum uxore potest, dummodo sciat senatum Cotta et Messala consulibus* (a. 773.) *censuisse futurum, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur,* quo in loco propter Ann. 4, 20. Cuiacius Obss. 6, 30. legendum proposuit *Cotta Messalino consulente censuisse;* sed videtur potius error ipsius Ulpiani. — *multum ante repetito*] longo prooemio usus, antequam sententiam ipsam diceret. — *quadraginta*] memorantur item 1, 64. — *barbari*] Germani, Galli, Persae uxores secum ducebant in expeditionibus. Duebn. — *incessus*] eorum, qui omnibus commodis instructi pro lubitu suo iter faciunt, opponitur *agmini* militari (*Aufzug* opp. *Heereszug*). — *feminam*] Plancinam, quam 2, 55. narrat *exercitio equitum, decursibus legionum interfuisse.* H. l. invidiose rem augens id vocat *praesidere.* Magis mira est h. l. variatio *exercitio cohortium,* nisi forte singulae solebant plerumque exerceri a *campidoctore* Inscr. m. Lat. N. 5472., sive *exercitatore* Inscr. m. Lat. N. 5462., aut intelligendum de cohortibus auxiliaribus cum Walthero. — *coli*] prosequendo, deducendo, ut in Urbe magistratus virosque principes eorum amici et clientes in Forum solebant deducere. — *duo praetoria*] ῥητορικῶς pro his: «in praetorio a provincialibus non minus praesidum uxores quam ipsos ambiri, si quid obtinere vellent.» Ceterum v. *praetoria* intellige de domibus, ubi praesides in provinciis habitabant, vel in capite provinciae cuiusque, vel in aliis eius urbibus, ubi interdum conventus agebant et ius dicebant. — *Oppiis*] una erat de cultu

legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis domos, fora, iam et exercitus regerent. (34) paucorum haec adsensu audita: plures obturbabant, neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit multa duritiae veterum in melius et laetius mutata; neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis aut provincias hostilis esse. et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promisca cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? at quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnis caelibes integros? placuisse quondam Oppias leges sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. porro ob unius aut alterius inbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid

2. *ads.* M: *ass.* B. — 4. *patenae* M. — 5. *duritiae* M: *duritie* cum Beroaldo B. (*multa a duritie* Muretus et Acidalius, prob. Doederleinio.) — *in* om. M. Inseri iussere Muretus atque Acidalius. — 6. *absidere* (sic) M. — *esset* M. — 7. *pinates* M. — 8. *promisca* M: *promiscua* B. — 9. *accinctus* superscr. *i* M. — 10. *at*] *ad* M. — 14. *omnis* M: *omnes* B. — 15. *aliquit* M. — 18. *inb.* M: *imb.* B. — 20. *inl.* M: *ill.* B.

mulierum lata a. 539. a C. Oppio trib. pl., abrogata XX. annis post, frustra dissuadente Catone. Liv. 34, 1. Prorsus similiter unam Augusti de ambitu legem vocat *Iulias leges* 15, 20. — *vinclis exsolutis*] ut C. 28: *exsoluti plerique legis nexus.* C. 39: *ad exsolvendum obsidium;* supervacanea igitur est Acidalii coni. *exsolutae.*

34. *neque relatum*] a Druso consule. Caecina enim illud censuerat per egressionem sive excessum e sententia, cfr. 2, 38. — *tantae rei*] pendet a v. *censor*; etsi alii genitivum a v. *dignum* pendere existimant, ut sane est 15, 14: *dignum Arsacidarum;* verum hic significandum erat, qualis rei censor, id est, castigator et corrector exstitisset Caecina. — *Valerius Messalinus*] praenomine Marcus, cos. suffectus a. 751., filius Messalae Corvini celeberrimi illius oratoris ac fautoris Tibulli, cos. a. 722., diversus a M. Valerio Messala s. Messalino cos. a. 773. supra C. 2., ubi certe non magis quam in Fastis exstat secundi consulatus mentio. Ad eum, qui hic memoratur interpretes referunt Tibull. 2, 5. Ovid. ex Ponto 3, 5, 7. — *duritiae*] ut 6, 34. genitivus singularis: «multa quae veteres nimis dure ac severe statuissent.» Genitivos autem sic cumulatos horrere Tacitum quod dicit Doederlein, non usquequaque verum est. Reperiuntur certe aliquoties, ut 4, 8: *omnes valetudinis eius* (Drusi) *dies.* 12, 26: *Britannici fortunae maeror.* Hist. 3, 10: *proditionis ira militum.* Mero errori deberi videtur Beroaldi *duritie*, quam ipsam antiquiorem formam pro *duritiei* esse multi opinati sunt. Adeo autem facilis post litteras *um* Mureti est *in melius*, ut neque ego recipere dubitarim. Etenim *si melius mutata* minus reprehenderis (nam et Liv. 1, 47: *nunc peius mutata est res)*, vix tolerabile videtur *laetius mutata.* Atque

fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. addidit pauca Drusus de matrimonio suo. nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia. se quoque in Illyricum profectum: et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur. sic Caecinae sententia elusa. (35) et proximi senatus die Tiberius per litteras, castigatis oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent, M. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit ex quis pro consule Africae legeretur. tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum valitudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intellegereturque etiam quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud iutus est.

(36) Exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur. incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metueban-

1. Habet *discidii*, non *dissidii*, M. — *obliterentur* M. — 3. *princibus* M. — 8. *sentia* M. — 9. *M.* M: *Marcum* B. — 10. Habet *pro consule* M, non *proconsul*, ut inde a Rhenano plerique ediderunt. — 13. *Seiani*] *se iam* M. — 15. *ads.* M: *ass.* B. — *haut iustus* M, *haud excusatus* Seyffert; parum probabiliter. Retinui cum Bekkero Iac. Gronovii emendationem: «tacito adulatorum consensu nemo eum, cum se frigidius excusaret, iuvit, quoniam intelligebant, eum libenter, etsi negare videbatur, in Africam provinciam iturum.» — 16. *Eximpromptum* M. — *quaestibus* M.

infra C. 54: *in melius mutet.* — *remissum*] a. 559. Vide supra. — *bella plane*] sane, utique, sine dubio; mire Ruperti iungit cum v. *accinctis*, ut *plane eruditus* Cic. Brut. 81. — *accinctis*] cingulo cum gladio, id quod ad idem redit atque si dixisset: «instructis rebus tantum necessariis, relictis supervacaneis impedimentis.» — *adeo non*] Hand Turs. I. p. 154: «Peculiarem usum deprehendimus in Velleii, Taciti et Curtii libris, qui, ut videtur, e sui temporis more, praecedentibus vv. *ne - quidem* et, quod fere eodem sensu dicitur, *quoque*, *adeo* posuerunt ita, ut sensum habeat vv. *tanto magis*, vel *tanto minus* et *nedum*.» Cfr. Hist. 3, 39. 4, 80. et alia complura horum trium scriptorum exempla ab Handio allata. — *oblitterentur*] quasi in oblivionem abirent. — *tot*] non plus trium. Cfr. C. 56. Lips.

35. *proximi senatus*] ut Suet. Iul. 79: *proximo senatu.* — *M. Lepidum*] de quo 1, 13. et Vellei. 2, 114: *M. Lepidus, vir nominis ac fortunae Caesarum proximus*; ubi vide Kritzium. — *Blaesum*] 1, 16. — *nubilem filiam*] cuius nuptiis providere deberet, id quod in provincia fieri nequiret. — *haud iutus est*] Nam si adulantium vocibus adiutus esset, vere eum et ex animi sententia recusasse patuisset. Duebn.

36. *promptum*] prolatum est. Duebn. — *intimis*] partim tacitis, partim arcanis inter fidissimos tantummodo amicos tecte agitatum. — *incedebat - deterrimo cuique*] Cum v. *incedere* aeque frequenter dativum regat (Liv. 4, 57: *cura patribus incessit.*) atque accusativum, nullam video causam, cur aliis auctoribus construamus *licentia deterrimo cuique*, quod sine ulla causa durissime dictum foret pro *licentia data, concessa cuique.* Est: «invadebat deterrimum quemque temeritas.» — *arrepta imagine Caesaris*] Graeci moris fuit (quem tunc imitabantur Romae), ad vim

tur. igitur C. Cestius senator disseruit principes quidem instar deorum esse: sed neque a dis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam. haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque attineri publica custodia iussit. (37) et Considius Aequus et Caelius Cursor equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. neque luxus in iuvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret. (38) non enim Tiberius,

1. *C.* M: *Gaius* B. — *Gestius* Bekkeri operae. — 2. *diis* h. l. M. — 7. *haudissimilia* M. — 9. *Caelius* M: *Coelius* cum Lipsio B. — 12. *trabatur* M. — 14. *aedificationibus* M: *editionibus* Lipsio auctore B, *ludicris factionibus* Seyffert, ambigua et mala Latinitate pro *theatralibus f.* — 15. *trahere* M. Correxit Lipsius.

iniuriamque arcendam confugere ad templa, deum simulacra, aras. Lips. — *C. Cestius senator*] id est, nullo magistratu functus, quos alibi solet addere. C. 31. *Corbulo, praetura functus. Senatoris* nomen addit 1, 75. 2, 27. 6, 38. 12, 42. item Suetonius Oct. 53. C. Cestii pyramidem, quae Romae exstat, ad hunc non pertinere docet Ryckius ad 6, 31. — *in Capitolium*] ubi Iovis O. M., Iunonis, Minervae simulacra; hi homines perditi Caesaris imaginem amplectebantur. — *damnavisset*] quae ab ipso fraudis accusata a iudicibus damnata esset. Cic. Divin. 10: *ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est.* Suet. Tib. 8. (Tiberius adolescens) *Fannium - - reum maiestatis apud iudices fecit et condemnavit*, perfecit, ut condemnaretur. — *ius experiri*] iniuriarum nunc Anniam accusare, ut antea fraudis. Sic enim explico propter vv. *probra et minae*; iuris executionem minus recte interpretatur Walther. — *publica custodia*] carcere; opponitur custodiae militari.

37. *secreta*] saevitiam, quam pater secreto tegeret. Dübner. Intelligit praesertim edicta e Campania tunc mitti solita. — *aedificationibus*] privatis, profusa cum luxuria ad finem perductis. Ingeniosa est Lipsii ac Mureti coni. *editionibus*, ab illo firmata ex Ann. 1, 76. Dione 57, 14: τοῖς ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοὺς ἐσενηνόχει, καθίστασθαι. Nunquam tamen recipi debebat: nam Cod. lectio significat Drusum acerrimo aedificandi studio abreptum nimium tempus insumpsisse in nova, quae exstruenda curabat, aedificia quotidie inspectanda; in hoc multo diversus a patre, qui improbante populo *modicus privatis aedificationibus ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri* 6, 45. — *conviviis*] Dio 57, 14: τῇ τε μέθῃ κατακορὴς ἐγίγνετο. — *malas*] civibus perniciem afferentibus.

38. *non - fatiscebant*] sed in persequendis reis ardenter perseverabant. — *Cretae*] senatui populoque ab Augusto concessae. 1, 74. — *postulaverat repetundis*] pro solito *repetundarum* vel *de rebus repetundis*: eadem constructione Papinianus Dig. 48, 3, 2: *si servus capitali crimine postuletur.* — *maiestatis crimine*] Plin. Paneg. 42: (sub Domitiano) *maiestatis singulare et unicum*

non accusatores fatiscebant. et Ancharius Priscus Caesium Cordum pro consule Cretae postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii, increpitis iudicibus ad dicendam maiestatis causam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye fratre interfecto bellum adversus nos volverat. igitur aqua et igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraeciae opportuna. nam Thraecia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans, popularium iniurias inultas sinere. Coelaletae Odrusaeque et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit ne in bellum atrox coalescerent. pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime

1. *cordium* M. Correxit Rhenanus. — 3. *veterime* (non *veterrime*) *prim.* M. — 6. *fratre* Ernestio auctore seclusit B; cum Oberlino delevit Ritter. (Heinsius ad Vellei. 2, 129. *fraude*, quod supervacaneum. — 7. *adp.* M: *app.* B. — 8. *Threciae* M, sed mox *Thraecia*. Ante Bekkerum *Thraciae* cet. — 9. *divisio* pr. M. — 9. *cothyis* M. — 12. Habet *Coelaletae* M, non *Coeletae* Ryckii et Ernestii, quod rectius videtur. — *Dii*] *alii* M. Correxit Lipsius. — 15. *maximae* M.

crimen eorum, qui crimine vacarent. — *e primoribus Macedoniae*] Vv., in quibus haesitant interpretes, facilem tamen habent explicatum; erat is Romanus locuples, qui propter latifundia iamdudum stabile domicilium habebat in Macedonia atque inter illos provinciales magna auctoritate fruebatur, adeo ut saltem non improbabile esset eum cum Rhescuporide conspirasse. Quo minus statuam fuisse Macedonem, qui vel ipse vel cuius iam pater per Antistium aliquem Veterem, veluti consulem a. 724. aut alterum a. 748., civitatem Romanam adeptus sit ac patroni nomen asciverit, facit cognomen *Vetus*; nam liberae certe rei publicae tempore civitate donati assumebant quidem gentile eius, cuius beneficio illam obtinuerant, *sed* pristinum nomen Graecum vel barbarum pro cognomine retinebant, unde in Inscrr. tot Cornelii, Iulii, Pompeii cum cognominibus peregrinis. — *retraxit*] coëgit, ut denuo de maiestatis causa in Antistium cognoscerent. — *Cotye fratre*] ex ipsius Taciti 2, 64. et Velleii 2, 129. testimonio erat *fratris filius;* unde hic subest vel ipsius Taciti error vel corruptela vel tandem interpolatio. In Codicis autem lectione, cum res prorsus incerta sit, nihil mutare licet. Ceterum Walthero non credo, *fratrem* dici posse etiam fratris filium, ut sane *frater* non raro significat fratrem patruelem. — *neque - opportuna*] in quam ex neutra terra navibus perveniri facile posset. Duebn. — *Rhoemetalcen*] alterum huius nominis, Rhescuporidis filium. — *liberos Cotyis*] quorum natu maximo, item Coty, postea a. 791. Caligula *τήν τε Ἀρμενίαν τὴν σμικροτέραν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τῆς Ἀραβίας τινά, τῷ τε Ῥυμητάλκῃ τὰ τοῦ Κότυος ἐχαρίσατο.* Dio 59, 12. Visconti *Iconographie grecque* III. p. 302. — *insolentia nostri*] id est, quia imperio Romano nondum assueverant. — *Coelaletae Odrusaeque et Dii*] populi inter Haemum et Rhodopen montes. Memorat Ptolem. 3, 11: *Κοιλητικὴν στρατηγίαν.* Secundi Graecis sunt *Ὀδρύσαι. Dii* ex egregia est Lipsii coniectura; nihil certe magis inconcinnum, quam quod Cod. exhibet defenditque Walther: *et alii, validae nationes.* Dii fuerunt Thraces montani. Thucyd. 2, 96: *Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλούς, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες.* — *praesentia*] ubi ipsi habita-

necessitudo quam avo adversum nepotem. additur pontificatus et, quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem adspiciebat. auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. polluisse nobilitatem familiae videbatur, suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

(30) Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, quis domus illa inmensum viguit, primus adcumulator. Crispum equestri ortum loco G. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior. suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. igitur incolumi

2. *conglarium* M. — *laete* M. — 3. *asp.* M. — 4. *utquae* M. — *secundorum more* M. — 6. *videbantur* M. Correxit Io. Fr. Gronovius. — 8. *L.* M: *Lucius* M. — Habet *Sallustius* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — *adc.* M: *acc.* B. — 12. *equestrior. tum* M. — *G.* (sic h. l.) M: *Gaius* B. — *romanōrum* M. Correxit Rhenanus. — 16. *afluentia* M. (*affluentia* B.)

candi. Ritter. — *pontificatus*] Supersunt huius Neronis tituli aliquot. (Inscrr. m. Lat. 662—664. et Murat. p. 138, 3.), ex quibus constat eum fuisse flaminem Augustalem, sodalem Augustalem, sodalem Titium, fratrem arvalem, quaestorem. — *quo primum die*] tirocinii die sive togae virilis, quo auspicii causa tirones a patre proximisque sollemni officio in Forum deduci et inde in Capitolium solebant. Suet. Oct. 26. Tib. 15. et 54: *Maximos natu de Germanici filiis, Neronem et Drusum, P. C. commendavit, diemque utriusque tirocinii congiario plebi dato celebravit.* Ner. 7: *deductus in Forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit.* — *Iuliae*] Quod igitur supra est 2, 43: *Silani filiam Neroni, vetustissimo liberorum Germanici pactam*, pactam desponsamque fuisse credimus, nuptam deductamque non fuisse. Aut, si fuit, fatum abstulit, et locum huic fecit. Lips. — Haec Iulia nupta primum Neroni, deinde Rubellio Blando, sed dolo Messalinae interfecta. 6, 27. 13, 32. et 43. Suet. Claud. 29. Dio 60, 18. — *secundo rumore*] cfr. Heins. ad Virg. Aen. 8, 90. et quae collegi ad Horat. Epp. 1, 10, 9: *Quae vos ad caelum effertis rumore secundo.* Opponitur *adverso rumore*. 14, 11. Hist. 2, 26. — *filio Claudii*] Suet. Claud. 27: *Drusum Pompeiis impuberem amisit, piro per lusum in sublime iacto et hiatu oris excepto strangulatum, cui et ante paucos dies Seiani filiam despondisset.* Cfr. Dio 60, 32. — *videbatur*] Sic necessario legi ac de uno Tiberio intelligi debet, propter vv. seqq. *Seianum ultra extulisse.* Pluralem Codicis male interpretabantur de Tiberio, Claudio huiusque filio. — *ultra*] quam satis esset, quam oporteret.

30. *consulatum*] L. Volusius Saturninus consul suffectus fuit a. 742., eius filius a. 756. Propter v. *intulit* de priore intelligendum est. Ante illum enim nullus Volusius in Fastis comparet. — *censoria*] Quae potestas olim censorum fuerat, eam Augustus transtulit *in triumviratum recognoscendi turmas equitum*, ut ait Suet. Oct. 37, 38. Cfr. Suet. Tib. 41: *regressus in insulam rei publicae quidem curam usque adeo abiecit, ut postea non decurias equitum unquam supplerit.* *Turmas* ad

Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

(31) Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. eius anni principio Tiberius, quasi firmandae valitudini, in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo praetura functus de L. Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. certabantque orationibus; et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus

6. *tiberi* M. — 8. *conexus* M. (*connexis* malebat I. Fr. Gronovius; sine causa.) — 13. *L.* M: *Lucio* B. — 14. *aput* M. — 16. *L.* M: *Lucius* B. — 17. Habet *certabantque* M. Inde a Lipsio usque ad Bekkerum (excepto Iac. Gronovio) edebant *certabant*. — 18. *inr.* M: *irr.* B. — *notavisset* M.

transvectionem equitum Ro. Idib. Iul., *decuriae* ad eorum iudicatum referuntur. Ann. 14, 20: *decurias equitum egregium iudicandi munus expleturas.* («Non satis liquet tamen, Volusio mandatum munus fuerit ordinem equestrem supplendi, an *iudicum* decurias legendi; nam equites iudicabant.» Dübn.) Cfr. etiam Zumpt *Römische Ritter* p. 102. — *inmensum viguit*] 14, 56: *quantum Volusio longa parcimonia quaesivit.* — *prompto - aditu*] propter Augusti favorem; iam scilicet eius pater adoptivus, Sallustius, scriptor historiarum, Iulii Caesaris familiaris fuerat. — *veterum*] intelligendos puto aequales fere Scipionis Africani minoris; neque explicarim *priscorum* (Curiorum cet.) neque *seniorum*, ut fecere alii. — *cultum et munditias*] *cultus* ad vestes, gemmas, anulos; *munditiae* magis ad supellectilem ac tabulas pictas signaque pertinent. — *luxu*] antiquior forma pro *luxui*. — *speciem*] *imaginem inanem* (Vell. 2, 30.) amicitiae principis retinuit. — *Maecenati*] Suet. Oct. 66: *desideravit nonnunquam Maecenatis taciturnitatem.* Dio 54, 19: *τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα* (Terentiam, quam amabat Augustus) *οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρε.* — *illos*] potentes fautores, *hos*, eorum amicos.

31. *neque natura tam connexus*] quia Germanicus filius tantum adoptivus. Minus recte Walther: «Quanam natura? Utriusque consulis. Nam Germanici natura recedebat multum a Tiberii; Drusus vero et Tiberius invicem similiores.» — *continuam absentiam*] Quinquennio post Urbem in perpetuum reliquit. 4, 57. — *meditans*] in antecessum experiens, praetentans. Gron. — *inter spectacula*] In theatro olim discreta loca; nondum, ut vides, in circo aut amphitheatro. Alioqui causa non fuisset huic querelae. Discrevit primum Claudius, et *in circo* (Suetonii verba sunt Cl. 21.) *propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* Tamen Augusti temporibus decretum patrum fuit, *ut quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus*, ait idem Suet. Oct. 44. Sed id extra Urbem dumtaxat fuit firmum. Lips. — *exempla maiorum*] Plutarch. C. Gracch. 3: *οἱ πρόγονοι Γαΐου Βετουρίου*

apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et inpervia clamitando, exsecutionem eius negotii libens suscepit; quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

(32) Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicioque patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus Marcum Lepidum odii nactus, ut socordem inopem et maioribus suis dedecorum, eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat. igitur missus in Asiam. et de Africa decretum ut Caesar legeret cui mandanda foret. (33) inter quae

2. *ea* om. M; inseruit Ferretus. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — 11. *Sex.* M: *Sextus* B. — 11. Habet *Marcum* omnibus litteris M. *Manium* probabiliter Ryckius, quem secutus est Walther. — 12. *nanctus* M. — 13. *lepidum. Item* (sic) M. —

θάνατον κατέγνωσαν, ὅτι δημάρχῳ πορευομένῳ δι' ἀγορᾶς οὐχ ὑπεξέστη μόνος. — *patruus simul ac vitricus*] Consequitur igitur Scaurum in matrimonio habuisse post Lepidae damnationem fratris sui uterini viduam et has nuptias tunc temporis non fuisse incestas, ut postea a Christianis imperatoribus factae. C. 5. l. penult. et ult. de incest. et inutil. nupt. — Infra 6, 29. Scauri uxor Sextia dicitur. Ryck. — *ea aetate*] Cfr. 6, 29. — *idem Corbulo*] Dio 59, 15: *Γναῖος Δομίτιος Κορβούλων βουλευτὴς κακῶς ἐπὶ τοῦ Τιβερίου τὰς ὁδοὺς ἐχούσας ὁρῶν, τοῖς τε ἐπιμεληταῖς αὐτῶν ἀεί ποτε ἐνέκειτο καὶ προσέτι καὶ τῇ γερουσίᾳ ὀχληρὸς ὑπὲρ αὐτῶν ἐγίγνετο κτλ.* — *mancipum*] *Mancipes (entrepreneurs, impresarj,)* hic, qui vias publicas reficiendas quaestus sui causa redimebant. Hyginus: *Viae publicae et curatores accipiunt et per redemptores muniuntur.* Grut. p. 622, 2: *CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MVSAEO. MANCIPI. VIAE. APPIAE.* Lips. — *magistratuum*] sunt curatores viarum, *ἐπιμεληταὶ τῶν ὁδῶν* Dioni 59, 15. saepe in Inscriptionibus memorati; instituti fuerant ab Augusto. Suet. Oct. 37. Quam honorificum id munus fuerit, disce ex Plin. Epp. 5, 15. — *exsecutionem eius negotii*] Non tunc tantum, sed et postea sub Caio; et vir, cetera magnus, haesit in his calumniae sordibus, bonis omnibus invitis. Dio 59, 15. Lips. — *quorum*] possessorum videlicet, qui agros haberent viis vicinos. Quasdam enim vias collaticia pecunia tueri finitimi debebant. Hyginus: *Quarundam tutelae a possessoribus, per tempora, certa summa exigitur.* Lips. Verum intellige etiam de mancipibus et curatoribus viarum. — *hasta*] auctionibus fundorum.

32. *Sex. Pompeius*] consul a. 767. Ann. 1, 7. 3, 11. — *M. Lepidum*] Si est idem, qui memoratur C. 22., ut reapse videtur, sane cum Ryckio et Walthero scribendum *Manium*; etsi in Fastis quoque consul a. 764. falso nominatur *M. Aemilius Q. F. M. N. Lepidus.* Cfr. tabulam Narbonensem Grut. p. 229., ubi clare est *M'.* — *Asiae sorte*] Est ex antiquiore formula, qua utebantur iis temporibus, quibus provincias sortiebantur. «Tacito nihil aliud est quam provincia sive sorte seu sine sorte haberetur, ideo quia (antiquitus) non nisi per sortem habebatur, ut Liv. 42, 31: *Illud quoque praecipuum datum sorti Macedoniae ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul.* *Depellere* autem non aliter dicitur quam *deiicere honore* Livio 4, 44. 39, 41. et *detrudere* Suetonio in Caes. 24: *Domitii detrudendi causa;* non sane, quem iam habebant,

Severus Caecina censuit ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque quae in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. haud enim frustra placitum olim ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. non inbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum; incedere inter milites, habere ad manum centuriones; praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari; his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium, ab his negotia suscipi, transigi; duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et inpotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque

1. *neq; magistratum* M. — 2. *comiteretur* M. — 4. *quadraginti* M. — 5. *haut* M. — 6. *que* M. — 8. *inb.* M: *imb.* B. — 9. *licencia* M. — *adsit* M: *assit* B. — 11. *quotiens* M: *quoties* B. — 13. *adher.* M. — 15. *inp.* M: *imp.* B. — *muliebrum* Bekkeri operae.

sed quem petebant, spe tantum et votis sibi despondebant. Gron. Cfr. 3, 58: *Maluginensis, flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet postulavit.* Binis consularibus natu maximis Asia et Africa provinciae destinatae fuisse videntur, qui temporibus quietis de iis etiamtunc fortasse sortiebantur. — *paternas*] a patre ortas, non ipsius culpa contractas. Dubn. — *sine probro*] nec illiciti quaestus, quo opes parare posset, neque ullius flagitii.

33. *uxor comitaretur*] Id quod vetuisse videtur etiam Augustus. Suet. Oct. 24: *Disciplinam severissime rexit. Ne legatorum quidem cuiquam nisi gravate hibernisque demum mensibus permisit uxorem intervisere.* Sed irrepsit: et Germanico Agrippina in provinciis comes et Augusto Livia, Agricolae Decidiana. Lips. — Caecinae autem sententia obrogabat senatus consulto superiore anno facto, de quo Ulpianus Dig. 1, 16, 4, 2: *Proficisci proconsulem melius quidem est sine uxore; sed et cum uxore potest, dummodo sciat senatum Cotta et Messala consulibus* (a. 773.) *censuisse futurum, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur*, quo in loco propter Ann. 4, 20. Cuiacius Obss. 6, 30. legendum proposuit *Cotta Messalino consulente censuisse;* sed videtur potius error ipsius Ulpiani. — *multum ante repetito*] longo prooemio usus, antequam sententiam ipsam diceret. — *quadraginta*] memorantur item 1, 64. — *barbari*] Germani, Galli, Persae uxores secum ducebant in expeditionibus. Dubn. — *incessus*] eorum, qui omnibus commodis instructi pro lubitu suo iter faciunt, opponitur *agmini* militari (*Aufzug* opp. *Heereszug*). — *feminam*] Plancinam, quam 2, 55. narrat *exercitio equitum, decursibus legionum interfuisse.* H. l. invidiose rem augens id vocat *praesidere.* Magis mira est h. l. variatio *exercitio cohortium*, nisi forte singulae solebant plerumque exerceri a *campidoctore* Inscr. m. Lat. N. 5472., sive *exercitatore* Inscr. m. Lat. N. 5462., aut intelligendum de cohortibus auxiliaribus cum Walthero. — *coli*] prosequendo, deducendo, ut in Urbe magistratus virosque principes eorum amici et clientes in Forum solebant deducere. — *duo praetoria*] ῥητορικῶς pro his: «in praetorio a provincialibus non minus praesidum uxores quam ipsos ambiri, si quid obtinere vellent.» Ceterum v. *praetoria* intellige de domibus, ubi praesides in provinciis habitabant, vel in capite provinciae cuiusque, vel in aliis eius urbibus, ubi interdum conventus agebant et ius dicebant. — *Oppiis*] una erat de cultu

legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis domos, fora, iam et exercitus regerent. (34) paucorum haec adsensu audita: plures obturbabant, neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit multa duritiae veterum in melius et laetius mutata; neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis aut provincias hostilis esse. et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promisca cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? at quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnis caelibes integros? placuisse quondam Oppias leges sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. porro ob unius aut alterius inbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid

2. *ads.* M: *ass.* B. — 4. *patenae* M. — 5. *duritiae* M: *duritie* cum Beroaldo B. (*multa a duritie* Muretus et Acidalius, prob. Doederleinio.) — *in* om. M. Inseri iussere Muretus atque Acidalius. — 6. *absidere* (sic) M. — *esset* M. — 7. *pinates* M. — 8. *promisca* M: *promiscua* B. — 9. *accinctus* superscr. *i* M. — 10. *at*] *ad* M. — 14. *omnis* M: *omnes* B. — 15. *aliquit* M. — 18. *inb.* M: *imb.* B. — 20. *inl.* M: *ill.* B.

mulierum lata a. 539. a C. Oppio trib. pl., abrogata XX. annis post, frustra dissuadente Catone. Liv. 34, 1. Prorsus similiter unam Augusti de ambitu legem vocat *Iulias leges* 15, 20. — *vinclis exsolutis*] ut C. 28: *exsoluti plerique legis nexus.* C. 39: *ad exsolvendum obsidium;* supervacanea igitur est Acidalii coni. *exsolutae.*

34. *neque relatum*] a Druso consule. Caecina enim illud censuerat per egressionem sive excessum e sententia, cfr. 2, 38. — *tantae rei*] pendet a v. *censor*; etsi alii genitivum a v. *dignum* pendere existimant, ut sane est 15, 14: *dignum Arsacidarum;* verum hic significandum erat, qualis rei censor, id est, castigator et corrector exstitisset Caecina. — *Valerius Messalinus*] praenomine Marcus, cos. suffectus a. 751., filius Messalae Corvini celeberrimi illius oratoris ac fautoris Tibulli, cos. a. 722., diversus a M. Valerio Messala s. Messalino cos. a. 773. supra C. 2., ubi certe non magis quam in Fastis exstat secundi consulatus mentio. Ad eum, qui hic memoratur interpretes referunt Tibull. 2, 5. Ovid. ex Ponto 3, 5, 7. — *duritiae*] ut 6, 34. genitivus singularis: «multa quae veteres nimis dure ac severe statuissent.» Genitivos autem sic cumulatos horrere Tacitum quod dicit Doederlein, non usquequaque verum est. Reperiuntur certe aliquoties, ut 4, 8: *omnes valetudinis eius* (Drusi) *dies.* 12, 26: *Britannici fortunae maeror.* Hist. 3, 10: *proditionis ira militum.* Mero errori deberi videtur Beroaldi *duritie*, quam ipsam antiquiorem formam pro *duritiei* esse multi opinati sunt. Adeo autem facilis post litteras *um* Mureti est *in melius*, ut neque ego recipere dubitarim. Etenim si *melius mutata* minus reprehenderis (nam et Liv. 1, 47: *nunc peius mutata est res)*, vix tolerabile videtur *laetius mutata.* Atque

fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. addidit pauca Drusus de matrimonio suo. nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia. se quoque in Illyricum profectum: et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur. sic Caecinae sententia elusa. (35) et proximi senatus die Tiberius per litteras, castigatis oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent, M. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit ex quis pro consule Africae legeretur. tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum valitudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intellegereturque etiam quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud iutus est.

(36) Exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur. incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metueban-

1. Habet *discidii*, non *dissidii*, M. — *obliterentur* M. — 3. *princibus* M. — 8. *sentia* M. — 9. *M.* M: *Marcum* B. — 10. Habet *pro consule* M, non *proconsul*, ut inde a Rhenano plerique ediderunt. — 13. *Seiani*] *se iam* M. — 15. *ads.* M: *ass.* B. — *haut iustus* M, *haud excusatus* Seyffert; parum probabiliter. Retinui cum Bekkero Iac. Gronovii emendationem: «tacito adulatorum consensu nemo eum, cum se frigidius excusaret, iuvit, quoniam intelligebant, eum libenter, etsi negare videbatur, in Africam provinciam iturum.» — 16. *Eximpromptum* M. — *quaestibus* M.

infra C. 54: *in melius mutet.* — *remissum*] a. 559. Vide supra. — *bella plane*] sane, utique, sine dubio; mire Ruperti iungit cum v. *accinctis*, ut *plane eruditus* Cic. Brut. 81. — *accinctis*] cingulo cum gladio, id quod ad idem redit atque si dixisset: «instructis rebus tantum necessariis, relictis supervacaneis impedimentis.» — *adeo non*] Hand Turs. I. p. 154: «Peculiarem usum deprehendimus in Velleii, Taciti et Curtii libris, qui, ut videtur, e sui temporis more, praecedentibus vv. *ne - quidem* et, quod fere eodem sensu dicitur, *quoque*, *adeo* posuerunt ita, ut sensum habeat vv. *tanto magis*, vel *tanto minus* et *nedum*.» Cfr. Hist. 3, 39. 4, 80. et alia complura horum trium scriptorum exempla ab Handio allata. — *oblitterentur*] quasi in oblivionem abirent. — *tot*] non plus trium. Cfr. C. 56. Lips.

35. *proximi senatus*] ut Suet. Iul. 79: *proximo senatu.* — *M. Lepidum*] de quo 1, 13. et Vellei. 2, 114: *M. Lepidus, vir nominis ac fortunae Caesarum proximus*; ubi vide Kritzium. — *Blaesum*] 1, 16. — *nubilem filiam*] cuius nuptiis providere deberet, id quod in provincia fieri nequiret. — *haud iutus est*] Nam si adulantium vocibus adiutus esset, vere eum et ex animi sententia recusasse patuisset. Duebn.

36. *promptum*] prolatum est. Duebn. — *intimis*] partim tacitis, partim arcanis inter fidissimos tantummodo amicos tecte agitatum. — *incedebat - deterrimo cuique*] Cum v. *incedere* aeque frequenter dativum regat (Liv. 4, 57: *cura patribus incessit.*) atque accusativum, nullam video causam, cur aliis auctoribus construamus *licentia deterrimo cuique*, quod sine ulla causa durissime dictum foret pro *licentia data, concessa cuique.* Est: «invadebat deterrimum quemque temeritas.» — *arrepta imagine Caesaris*] Graeci moris fuit (quem tunc imitabantur Romae), ad vim

tur. igitur C. Cestius senator disseruit principes quidem instar deorum esse: sed neque a dis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam. haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque attineri publica custodia iussit. (37) et Considius Aequus et Caelius Cursor equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. neque luxus in iuvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret. (38) non enim Tiberius,

1. *C.* M: *Gaius* B. — *Gestius* Bekkeri operae. — 2. *diis* h. l. M. — 7. *haudissimilia* M. — 9. *Caelius* M: *Coelius* cum Lipsio B. — 12. *trabatur* M. — 14. *aedificationibus* M: *editionibus* Lipsio auctore B, *ludicris factionibus* Seyffert, ambigua et mala Latinitate pro *theatralibus f.* — 15. *trahere* M. Correxit Lipsius.

iniuriamque arcendam confugere ad templa, deum simulacra, aras. Lips. — *C. Cestius senator*] id est, nullo magistratu functus, quos alibi solet addere. C. 31. *Corbulo, praetura functus. Senatoris* nomen addit 1, 75. 2, 27. 6, 38. 12, 42. item Suetonius Oct. 53. C. Cestii pyramidem, quae Romae exstat, ad hunc non pertinere docet Ryckius ad 6, 31. — *in Capitolium*] ubi Iovis O. M., Iunonis, Minervae simulacra; hi homines perditi Caesaris imaginem amplectebantur. — *damnavisset*] quae ab ipso fraudis accusata a iudicibus damnata esset. Cic. Divin. 10: *ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est.* Suet. Tib. 8. (Tiberius adolescens) *Fannium - - reum maiestatis apud iudices fecit et condemnavit*, perfecit, ut condemnaretur. — *ius experiri*] iniuriarum nunc Anniam accusare, ut antea fraudis. Sic enim explico propter vv. *probra et minae;* iuris executionem minus recte interpretatur Walther. — *publica custodia*] carcere; opponitur custodiae militari.

37. *secreta*] saevitiam, quam pater secreto tegeret. Duebn. Intelligit praesertim edicta e Campania tunc mitti solita. — *aedificationibus*] privatis, profusa cum luxuria ad finem perductis. Ingeniosa est Lipsii ac Mureti coni. *editionibus*, ab illo firmata ex Ann. 1, 76. Dione 57, 14: *τοῖς ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοὺς ἐσενηνόχει, καθίστασθαι.* Nunquam tamen recipi debebat: nam Cod. lectio significat Drusum acerrimo aedificandi studio abreptum nimium tempus insumpsisse in nova, quae exstruenda curabat, aedificia quotidie inspectanda; in hoc multo diversus a patre, qui improbante populo *modicus privatis aedificationibus ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri* 6, 45. — *conviviis*] Dio 57, 14: *τῇ τε μέθῃ κατακορὴς ἐγίγνετο.* — *malas*] civibus perniciem afferentibus.

38. *non - fatiscebant*] sed in persequendis reis ardenter perseverabant. — *Cretae*] senatui populoque ab Augusto concessae. 1, 74. — *postulaverat repetundis*] pro solito *repetundarum* vel *de rebus repetundis:* eadem constructione Papinianus Dig. 48, 3, 2: *si servus capitali crimine postuletur.* — *maiestatis crimine*] Plin. Paneg. 42: (sub Domitiano) *maiestatis singulare et unicum*

non accusatores fatiscebant. et Ancharius Priscus Caesium Cordum pro consule Cretae postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii, increpitis iudicibus ad dicendam maiestatis causam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye fratre interfecto bellum adversus nos volverat. igitur aqua et igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraeciae opportuna. nam Thraecia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans, popularium iniurias inultas sinere. Coelaletae Odrusaeque et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit ne in bellum atrox coalescerent. pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime

1. *cordium* M. Correxit Rhenanus. — 3. *ueterime* (non *veterrime*) *prim.* M. — 6. *fratre* Ernestio auctore seclusit B; cum Oberlino delevit Ritter. (Heinsius ad Vellei. 2, 129. *fraude*, quod supervacaneum. — 7. *adp.* M: *app.* B. — 8. *Threciae* M, sed mox *Thraecia.* Ante Bekkerum *Thraciae* cet. — 9. *divisio* pr. M. — 9. *cothyis* M. — 12. Habet *Coelaletae* M, non *Coeletae* Ryckii et Ernestii, quod rectius videtur. — *Dii*] *alii* M. Correxit Lipsius. — 15. *maximae* M.

crimen eorum, qui crimine vacarent. — *e primoribus Macedoniae*] Vv., in quibus haesitant interpretes, facilem tamen habent explicatum; erat is Romanus locuples, qui propter latifundia iamdudum stabile domicilium habebat in Macedonia atque inter illos provinciales magna auctoritate fruebatur, adeo ut saltem non improbabile esset eum cum Rhescuporide conspirasse. Quo minus statuam fuisse Macedonem, qui vel ipse vel cuius iam pater per Antistium aliquem Veterem, veluti consulem a. 724. aut alterum a. 748., civitatem Romanam adeptus sit ac patroni nomen asciverit, facit cognomen *Vetus*; nam liberae certe rei publicae tempore civitate donati assumebant quidem gentile eius, cuius beneficio illam obtinuerant, sed pristinum nomen Graecum vel barbarum pro cognomine retinebant, unde in Inscrr. tot Cornelii, Iulii, Pompeii cum cognominibus peregrinis. — *retraxit*] coëgit, ut denuo de maiestatis causa in Antistium cognoscerent. — *Cotye fratre*] ex ipsius Taciti 2, 64. et Velleii 2, 129. testimonio erat *fratris filius*; unde hic subest vel ipsius Taciti error vel corruptela vel tandem interpolatio. In Codicis autem lectione, cum res prorsus incerta sit, nihil mutare licet. Ceterum Walthero non credo, *fratrem* dici posse etiam fratris filium, ut sane *frater* non raro significat fratrem patruelem. — *neque - opportuna*] in quam ex neutra terra navibus perveniri facile posset. Duebn. — *Rhoemetalcen*] alterum huius nominis, Rhescuporidis filium. — *liberos Cotyis*] quorum natu maximo, item Cotyi, postea a. 791. Caligula *τήν τε Ἀρμενίαν τὴν σμικροτέραν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τῆς Ἀραβίας τινά, τῷ τε Ῥυμητάλκῃ τὰ τοῦ Κότυος ἐχαρίσατο.* Dio 59, 12. Visconti *Iconographie grecque* III. p. 302. — *insolentia nostri*] id est, quia imperio Romano nondum assueverant. — *Coelaletae Odrusaeque et Dii*] populi inter Haemum et Rhodopen montes. Memorat Ptolem. 3, 11: *Κοιλητικὴν στρατηγίαν.* Secundi Graecis sunt Ὀδρύσαι. *Dii* ex egregia est Lipsii coniectura; nihil certe magis inconcinnum, quam quod Cod. exhibet defenditque Walther: *et alii, validae nationes.* Dii fuerunt Thraces montani. Thucyd. 2, 96: *Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν πολλούς, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες.* — *praesentia*] ubi ipsi habita-

compositi regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circumsidunt. (39) quae ubi cognita P. Vellaeo (is proximum exercitum praesidebat), alarios equites ac levis cohortium mittit in eos qui praedabundi aut adsumendis auxiliis vagabantur, ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus, et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis. neque aciem aut praelium dici decuerit, in quo semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

(40) Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius exstimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. nobilitas ambobus et maiorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. ii secretis conloquiis, ferocissimo quoque adsumpto, aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. igitur

1. *urbem qui* M. — 2. *P.* M: *Publio* B. — Habet *Vellaeo* M, non *Velleio*, ut inde a Rhenano edebant ante Bekkerum. *Vellaei* autem et *Velleii* probe distinguuntur etiam in Inscriptionibus. — 3. *levis* M: *leves* B. — 4. *pred.* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 5. *prosperae* M. — 6. *opportunae ruptione* M. — 7. *aut*] *aput* M. — 8. *semerme* M, *semermes* Beroaldo auctore vulgo, item Walther, Ritter, Doederlein. At cfr. Lib. 1, 68. 3, 45. — 11. *aput* M. — 13. *conl.* M. *coll.* B. — *ads.* M: *ass.* B.

bant; opponuntur *remoti populi.* — *regem*] Rhoemetalcen. — *Philippopolim*] Strabo 7. p. 320: *Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος.* Hinc per contumeliam vocabatur etiam *Πονηρόπολις*, *Δούλων πόλις*, et a situ in tribus montis cacuminibus apud Latinos etiam Trimontium, hodie etiamnunc *Philippopoli* vel corrupte *Felibe.*

39. *Vellaeo*] Sic Codex; Beroaldus vel errore vel suo arbitratu dedit *Velleio*, quod retinuit Oberlinus. At gentes *Vellaea* et *Velleia* distinguuntur etiam in Inscrr. Vide Gruteri Indicem. Male nonnulli de Velleio scriptore historico cogitarunt, cui certe Priscian. L. 6. p. 706. P. praenomen *Marci* tribuit, non *Publii.* — *exercitum praesidebat*] Saepe hac constructione utitur, ut 4, 5. et 72. 12, 29.; plene foret *ad* vel *apud exercitum pr.* — *alarios*] Hi opponuntur Romanis sive legionariis equitibus a Livio 40, 40: *alarii equites, postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus videre.* Cfr. 35, 5. Erant itaque auxiliares e sociis. *Flankenreiterei* Böttichor, *bundsgenössische Reiter* Gutmann.

40. *aeris alieni*] quod maxime ad tributa annua solvenda contraxerant apud feneratores Romanos, qui magnas usuras severe exigebant. Similis olim causa Allobrogum *publice privatimque aere alieno oppressorum* Sal. Cat. 40. Cfr. Dio 62, 2. de Britannis: *ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας* (quadringenties H. S.) *ἄκουσιν ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας, ἔπειτ᾽ ἀθρόας τε ἅμα καὶ βιαίως εἰσέπρασσεν·* quae item fuit in seditionis eorum causis. — *bona facta*] inter auxiliares Romanorum. — *civitas*] ab Augusto, unde *Iulius* uterque, item Iulius Indus C. 42. — *cum id rarum*] non ut nunc, inquit, crebrum ac prope promiscuum. — *componunt*] ut *συντίθεσθαι*, inter se constituunt, paciscuntur. Infrequens constructio verbi cum infinitivo. — *conciliabula*] concilia clandestina et illicita, per domos privatas. Alibi, ubi *conciliabula* iunguntur cum oppidis, vicis, castellis, significatur genus vici, ut in Tabul. Heracl. lin. 9. Aer. Anxan. Inscr. m. Lat. N. 4346. Paulus Sent. 4, 6, 2. Sed hic manifesto accipiendum, ut est in Cod. Theod. 16, 8, 1: *si quis*

per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium. et discordare militem audito Germanici exitio. egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes quam inops Italia, quam inbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent. (41) haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus fuit: sed erupere primi Andecavi ac Turoni. quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quae Lugduni praesidium agitabat, coërcuit. Turoni legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent. spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis: sed captivi, ne incesseretur telis, adgnoscendum se praebuisse arguebant. consultus super eo Tiberius aspernatus est indicium, aluitque dubitatione bellum. (42) interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta e Treveris militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum

2. *faenoris* M. — 4. *inb.* M: *imb.* B. — *blebis* (sic) M. — 5. *haut firme* M. — 7. Habet *Turoni* M. Ante Bekkerum vulgo *Turonii.* — *andicavos* h. l. M. — 12. *sacro uiri tecto* M. — *romani sciens* M. — 13. *adgn.* M: *agn.* B. — 15. *aliutque* M. — 16. *conscriptae treveris* M, *conscripta Treveris* vulgo ante Bekkerum, qui correxit, scribens tamen *Treviris* h. l., sed C. 44. *Treveros.*

ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit et conciliabulis eorum se applicaverit. Ceterum aliquoties etiam Cicero iungit *concilia coetusque:* Somn. Scip. 3. de Sen. 23. de Finn.. 2, 24. *conventicula et quasi concilia* Orator pro domo 28. — *exitio. egregium*] Separanda haec. Primum ait *discordare militem*, quod ipsum iam Gallis sit commodum. Tum mutata constructione ceteras quoque causas exponit, cur egregium sit tempus ad deficiendum. Doederlein contra coniungit: *discordare militem* pro subiecto esse existimans, *egregium tempus* pro praedicato: quocirca punctum delevit post v. *exitio.*

41. *seminibus*] incitationibus seditiosis Flori et Sacroviri. Sic *semina rebellionis* 11, 19. — *Andecavi*] in Gallia Lugdunensi, hodie *Anjou*, cuius caput *Angers*, *Turonii Touraine* cum capite olim Caesaroduno, hodie *Tours.* — *Acilius Aviola*] Hic ille ipse, quem Plinius 7, 53. insigni exemplo elatum in rogo revixisse tradit, et quia subveniri non potuerit, vivum exustum. Lips. — *Visellius Varro*] Nominatur in lapide (Grut. 197, 3.) *L. VISELLIVS. C. F. VARRO. CVRATOR. RIPARVM. ET. ALVEI. TIBERIS.* Hicne, an alius? Lips. Alius potius; qui hic memoratur videtur consul suffectus a. 765. in Fastis Capitol.: C. VISELLIVS. C. F. C. N. VARRO; ut statuit Ryckius. — *efferrent*] opportuniore tempore aperte profiterentur palamque facerent. Cfr. 6, 9: *efferre, quae omnes animo agitabant.* — *dubitatione*] «parum credendo de Sacroviri perfidia» explicat Doederlein. Sed veram Taciti mentem melius quam Ernestii interpretatio *cunctatione* declarant interpretes Germanici et Gallici: *Unschlüssigkeit*, *Unentschlossenheit*, *irrésolution*; incertus haerebat princeps, utrum accuratius in Sacrovirum inquireret, necne; metuebat enim, ne virum apud populares suos tum summa gratia pollentem laederet; quae ipsa fluctuatio aluit et duxit bellum, (quod palam convicto et oppresso Sacroviro finiri poterat. Doebn.)

42. *militia - - nostra*] His vv. plerosque auxiliares popularium suorum antiqua retinuisse instituta militaria aliquanto minus adstricta ac severa, quam erant Romana, significat. *Nostra* videlicet est ablativus, non nominativus, ut alii opinantur, qui *habebatur* (tractabatur atque exercebatur) putant significare *videbatur.* — *negotiatoribus*] Nam

inciperet; paucique equitum corrupti, plures in officio mansere. aliud vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit; petebantque saltus quibus nomen Arduenna, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt. praemissusque cum delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus postremo, visis militibus qui effugia insederant, sua manu cecidit. isque Treverici tumultus finis. (43) apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium. Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat et nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret. simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis et cultris, quaeque alia venantibus tela sunt. adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis inpenetrabiles. augebantur eae copiae vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, et certamine ducum Romanorum; quos inter ambigebatur utro-

1. *aliut* M. — 4. *C.* M: *Gaius* B. — 8. *cecid.* (sic) M. — *aput* M. — 11. *occulpaverat* M. — *nobilissimarum* (omisso *et*) M. Correxit Lipsius; atque *et* facillime excidere poterat post litteras *at.* (*nobilissimamque* Pichena auctore Ritter et Doederlein.) — Habet *subolem* M, non *sobolem* Beroaldi. — *studii sibi* M. (*studii* est in fine versus.) — 14. *religionariis* M. Correxit Beroaldus. — 16. Habet *cruppellarios* M. (Simplici *p* Lipsius.) — 17. *inp.* M: *imp.* B. — *hae* Beroaldus, Oberl. Walth. Duebn. contra M.

hi potissimum erant, qui gravi fenore provinciales premebant. — *aliud*] ceterum vulgus, quod *pellicere* necesse non habebat, quia ultro ei obtemperabat. — *vulgus obaeratorum*] quales et inter ipsos frequentes erant. Caesar B. G. 1, 4: *Orgetorix clientes obaeratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit.* — *clientium*] Flori; quorum apud Gallos summa fides in patronos. Caesar B. G. 7, 40: *clientibus, quibus more Gallorum nefas est etiam in extrema fortuna deserere patronos.* Ern. — *visis militibus*] conspiciens omnes exitus a militibus occupatos esse. Freinsh. in Paraphrasi. Sic Hist. 3, 62: *visa caede.* Adeo insolitum hoc visum est Heinsio, ut conieceret *obvius m.*

43. *Augustodunum*] antea *Bibracte*, hodie *Autun (Bourgogne).* Non autem haec unica Gallorum schola, sed Massilia etiam studiorum nomine petebatur 4, 44. Agr. 4. Verum haec potius Graecanica erat; illa Latina. — *subolem*] ex v. *occupaverat* elice: «quasi obsides in potestatem suam redegerat.» Medicei *nobilissimarum* ortum ex stolida accommodatione ad v. *Galliarum* a Walthero defensum esse prope incredibile est. — *liberalibus studiis*] Vides eo iam culturam Romanam post LXX. circiter annos penetrasse. — *quadraginta milia*] Aeduorum, non ut Ryckius et Chateaubriand (*Martyrs* L. VII.) mire accepere, adolescentium, qui Augustoduni liberalibus studiis operam dabant. — *legionariis armis*] gladiis, pilis, scutis. — *gladiaturae*] Gallorum mirmillones. — *gentico*] Hac forma posterioris Latinitatis usus est etiam 6, 33.; eadem utuntur Ammianus, Avienus, Tertullianus. Cfr. Gronov. ad Liv. 2, 58. — *cruppellarios*] Hoc v. nusquam alibi reperiri videtur. Nazarius Pan. Constantini 22. Lampridius in Severo 56. Ammian. 16, 10. tales *clibanarios* (a κλιβάνῳ, quo v. Leo imperator utitur pro thorace) et *cataphractos*

que bellum sibi poscente. mox Varro invalidus senecta vigenti Silio concessit. (44) at Romae non Treveros modo et Aeduos sed quattuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse, adsumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos famae, in maius credita. optumus quisque rei publicae cura maerebat: multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur, increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. an et Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? exstitisse tandem viros, qui cruentas epistulas armis cohiberent. miseram pacem vel bello bene mutari. tanto inpensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum, per illos dies egit, altitudine animi, an conpererat modica esse et vulgatis leviora. (45) interim Silius cum legionibus duabus incedens, praemissa auxiliari manu vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant. mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et adspicerentur; id satis ad victoriam. duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere. in fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos.

1. *viginti* M. — 2. *quattuor* M: *quatuor* B. — 3. *ads.* M: *ass.* B. — 4. *hisparias* M. — Habet *optumus* M. — 5. *cupidinē*, i. e. *cupidinem*, M. — 7. *an. Isacrouirum* M, superscripto a recenti manu *et. Iulium* mg. M. item recenti manu; unde vulgo ante Bekkerum: *an Iulium Sacrovirum.* — 8. *extisset* (sic) M. — 10. *inp.* M: *imp.* B. — 12. *conp.* M: *comp.* B. — 14. *eduis* M. — 17. *aspic.* M. — 19. *frontē*, i. e. *frontem*, M.

equites vocant. «Fortasse *cruppellarii* pedites fuerunt, non equites. Sane ex Taciti narratione non colliges pugnasse eos ex equis.» Lips. Immo pedites fuisse merito colligas ex C. 45: *in fronte statuerat ferratos.* — Manifesto autem est voc. Gallicum, nequaquam a κρυφάλῳ s. κεκρυφάλῳ ducendum. — *viritim*] omnes, etsi nondum arma ceperant, eorum civitates tamen iam ad defectionem inclinabant. Sic v. *viritim* opponitur *publice* apud Scr. de bello Alexandr. 65: *Praemia bene meritis et viritim et publice tribuit.*

44. *Galliarum civitates*] «πᾶς ξδ', omnes.» Sic necessario interpretari debemus cum Freinshemio, vel propterea, quia si rumor ille significare voluisset, quasdam tamen fideles Romanis mansisse, haud facile intelligeretur, cur simul LXIV. nec plures nec pauciores defecisse nuntiasset. Strabo 4. p. 192. Lugduni aram Augusto sitam ait a communi Galliae cum inscriptione LX. gentium. Appian. Celt. 4, 2: ἔθνη τετρακόσια in Gallis ponit, πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας. Lips. — *dubias Hispanias*] scilicet creditum est; quod cum sententia generali iunctum additur. Duebn. — *in maius*] exaggerata et credita. — *an et Sacrovirum*] an etiam Sacrovirum, ut Romae tot reos, et quidem innocentes cet., amarissima εἰρωνείᾳ. — *altitudine animi*] ut Hist. 4, 86. Sic de Sulla consilia sua ita celante et abditos tenente intimos sensus Sal. Iug. 95: *ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis.* «Profunditate, quae penetrari non possit, ut de mari; impenetrabili dissimulatione.» Duebn. Sic βάθος Polyb. 27, 10. et βαθύτης Cicero ad Att. 4, 6. 5, 10. 6, 1., qui vocabulo Latino hac significatione propter ambiguitatem abstinet; vix enim huc traxeris cum Drakenb. ad Liv. 4, 6. de Off. 1, 25: *facilitas et altitudo animi, quae dicitur.*

45. *finium*] Sequanorum. — *semermos*] eos, qui dumtaxat venabulis et cultris ar-

ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. (46) non diu haec, nec apud laetos: etenim propinquabat legionum acies, inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis conpetebant. contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen pudendum ipsis quod Germaniarum victores adversum Gallos tamquam in hostem ducerentur. «una nuper cohors rebellem Turonum, una ala Treverum, paucae huius ipsius exercitus turmae profligavere Sequanos. quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis inbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite.» ingens ad ea clamor, et circumfudit eques, frontemque pedites invasere; nec cunctatum apud latera. paulum morae attulere ferrati restantibus laminis adversum pila et gladios; sed miles correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, caedere tegmina et corpora; quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere; iacentesque, nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. incensa super villa omnes cremavit. (47) tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit; neque dempsit aut addidit

4. *letos* M. — 5. *conp.* M: *comp.* B. — 8. Habet *Turonum*, non *Turonium*, M. — 10. *inb.* M: *imb.* B. — 11. *cosulite* (sic) M, non *consilite* Beroaldi, Rhenani, aliorum ante Gronovios. — 13. *lamminis* M. — *set* M. — 19. *incensa*] *ingressa* M; emendavit Rhenanus. — 20. *senatus* M. — *tempsit* M, pronuntiatione Germanica.

mati erant. C. 43. — *inter primores*] in prima acie, imprimis inter ferratos illos. — *adire*] appellare atque exhortari singulos, ut fecit Arminius 2, 45. — *glorias*] gloriosa facinora. Cic. Planc. 24. *gloriae dispares.* Sal. Iug. 41 : *penes eosdem gloriae triumphique erant.* Similiter *infamiae* Ann. 4, 33. — *intolerantior*] pro minus toleranda, ut Laevius (al. Livius) apud Gell. 19, 7: *curis intolerantibus.* Flor. 4, 12, 36: *nihil insultatione barbarorum intolerantius fuit;* ubi vide Dukerum.

46. *conpetebant*] ut Hist. 3, 73: *dux segnis non lingua non auribus conpetere, oculorum* haud compotes erant ad adspectum Romanorum ingruentium, *aurium*, ad trucem eorum clamorem constanter tolerandum. Sic iam Salustius apud Non. 4, 110: *Quasi formidine attonitus neque animo neque auribus satis competere*, valere, satis constare, ut Liv. 5, 42. Idem 22, 5: *ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae animus competeret.* — *Turonum*] C. 41. — *evincite*] «Semel atque in perpetuum (facili victoria) omnibus demonstrate Aeduos quanto opulentiores, tanto magis imbelles esse.» Hanc cum Walthero unice veram h. l. explicationem censeo, ut *evincere* sit convincere, *überführen*, *beweisen.* Ceteri exponunt: «prorsus eos devincite, debellate,» parum animadvertentes perexiguam hanc imbelles vincendi futuram fuisse laudem ac gloriam. — *consulite*] «parcite, nolite inutiliter sanguinem eorum effundere;» ut Hist. 3, 82: *ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui - - consuleret.* (Falsam lectionem *consilite* explicatione desperata olim interpretabantur: «cursu sequimini.» Quid, quod Bötticher Lex. Tac. p. 127. *fugientibus consulere* explicare sustinuit *fugientes persequi?*) «Ratio autem huius praecepti neminem fugiet. Namque inter Sacroviri copias invita aderat iuventus nobilissimarum familiarum, quam trucidari Silius nolebat.» WALTH. Verum illos adolescentulos Augustoduni sub custodia detentos esse multo probabilius. Me-

vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. simul causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen. nunc quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. decrevere patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora. solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit ut ovans e Campania urbem introiret. igitur secutae Caesaris litterae, quibus se non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

(48) Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirini publicis exsequiis frequentaretur, petivit a senatu. nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector G. Caesari Armeniam optinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat. sed ceteris haud laeta memoria Quirini erat

12. *Quirini* M: *Quirinii* B. — 14. *Quirinius* MB. — *aput* M. — 16. *onomadensium* M. — 17. *G.* M: *Gaio* B. — *opt.* M: *obt.* B. — 19. *M.* M: *Marco* B. — *folio* M. Correxit Lipsius. — *G.* M: *Gaio* B. — 20. *haut* M. — *Quirini* M: *Quirinii* B.

moranda, vix probanda est interpretatio Francogallorum Dureau de Lamalle et Burnouf, qui *κατ' εἰρωνείαν* explicant: «obtruncate omnes.» Contrarium hoc ducis Romani dignitati; atque equidem hoc iussum potius eius humanitati tribuerim. — *restantibus*] resistentibus. Duebn. — *trudibus*] Virg. Aen. 5, 208: *ferratasque trudes*, ubi ante Heinsium legebant *sudes*, ut est in Mediceo. Sunt conti acuta cuspide, vel potius, ut ait Isid. Origg. 18, 7: *hastae cum lunato ferro* (quibus alias ad demoliendа aedificia utimur).

47. *superfuisse*] superasse, vicisse. Cicero apud Gell. 1, 22: *Tubero doctrinâ superfuit*. Virg. G. 3, 127: *ne blando nequeat superesse labori*. — *magnitudinem*] maiestatem imperii Romani ac principis hoc moderantis. — *regimen*] Parum attento lectori aliquod verbum deesse videbitur huic sententiae, quae tamen plenissima est, si superiora respicias. Intelligitur enim *ad bellum proficisci;* id principibus minime decorum levibus de causis. Pichena. — *decora*] adiectivum est; distinguuntur enim *decorae* ceterorum adulationes ab *indecora* unius Dolabellae. Doed.

48. *consulatum*] a. 742. cum M. Valerio Messala. — *Homonadensium*] Strabo 12. p. 569: *Τοὺς δὲ Ὁμοναδέας Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις· τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ.* Habitabant in Tauro monte, in Cilicia aspera. — *rector*] Diu etiam post in Syriam missus ad census describendos, de qua re multa Iosephus 18, 1. 2. Lucas Evang. 2, 1. Act. App. 5, 37. — *M. Lollio*] qui ante Sulpicium Quirinum rector C. Caesaris fuerat, in Armenia veneno mortuus. Duebn. Suet. Tib. 12: *privignum Caium Orienti praepositum, cum visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii, comitis et rectoris eius.* Vellei. 2, 102. Plin. 9, 58. Ad hunc Lollium est Horatii C. 4, 9. (Vide etiam Ann. 1, 16.) — *pravitatis*] Sic Liv. 4, 26: *pra-*

ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

(49) Fine anni C. Lutorium Priscum equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse quod, si exstinctus foret, maiore praemio vulgaretur. id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru eius Vitellia coram multisque inlustribus feminis, per vaniloquentiam legerat. ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit. sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit, sententiaque Haterii Agrippae consulis designati indictum reo ultimum supplicium. (50) contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est: «si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce C. Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt, est locus sententiae per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiae simul ac severitatis non paeniteat. saepe audivi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset. vita C. Lutorii in

1. *lepedae* M. — 3. *C. Lutorium*] *clutorium* M. Emendavit Lipsius. (*Gaium Lutorium* B.) — 5. *ext.* M. — 6. et 13. *clutorius* M. (*Gaius Lutorius* B.) — 6. *P.* M: *Publii* B. — 7. *inl.* M: *ill.* B. — 8. *ext.* M. — 9. *adseuarit* M. Correxit Beroaldus. (*asseveravit* B.) — 10. *permitiem* (sic) M. — *designanti* M. — 11. *M.* M: *Marcus* B. — 13. *P. C.* M. — *hominus* M. — 19. *pen.* M. — 20. *C. Lutorii*] *clutorii* M, *Lutorii* B.

vitas consulum et discordia. Utrobique significatur hanc pravitatem maxime in discordiis apparuisse. — *ut memoravi*] Cap. 22.

49. *C. Lutorium Priscum*] Eandem rem prorsus similiter narrat Dio 57, 20. — *maiore praemio*] quia Drusus Tiberii filius naturalis. — *exterritis*] Ita territis metu periculi, ut dicerent testimonium contra C. Lutorium. Livius 7, 42: *multitudinem ad arma consternatam.* Ern.

50. *neque carcer neque laqueus*] Est ἓν διὰ δυοῖν· in carcere enim laqueo frangebantur condemnatorum cervices. — *serviles cruciatus*] patibula crucesque. Lips. — *suppliciis*] Cogitatione supple: «tamen», «contra.» Sic omnia clara, quae turbabantur ab Oberlino aliisque plena distinctione post v. *differunt* posita. Scilicet apodosis haec est: *est locus* cet. Recte etiam Duebner: «*Sin* repetendum ad vv. *temperant et differunt.*» — *conquerentem*] ut 2, 31. — *in integro est*] Lipsius malebat *esto*, probante Doederleinio. Efficaciorem puto codicis lectionem. Hoc enim dicit, ut vidit Ernestius: «Atqui Lutorius adhuc mortem sibi non conscivit; ergo sinamus locum fieri principis misericordiae; praesertim cum nec servatus periculum rei publicae allaturus sit cet.» — *ut plena*] partim *vaniloquentiae*, ut supra dicit, partim talia carmina (ἐπιτάφια vocat Dio l. l.) sine ullo effectu manent. — *adrepit*] earum inanem applausum captavit.

51. *Rubellius*] Cfr. 3, 23. 6, 27. et 45. — *ante diem decimum*] Numerum, qui e Cod. excidit, inseruit Lipsius ex Suet. Tib. 75: *cum S. C. cautum esset, ut poena damnatorum in decimum semper diem differretur.* Dio 57, 20: ὁ Τιβέριος ἀγανακτήσας, οὐχ ὅτι Λουτώριος ἐκολάσθη, ἀλλ᾽ ὅτι τις ὑπὸ τῶν βουλευτῶν ἄνευ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐθανατώθη, ἐπετίμησέ τε αὐτοῖς, καὶ δόγματι πα-

integro est; qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. studia illi, ut plena vecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed muliercularum adrepit. cedat tamen urbe, et bonis amissis aqua et igni arceatur. quod perinde censeo ac si lege maiestatis teneretur.» (51) solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit: ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas principis iniurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam praecipitis verborum poenas; laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. igitur factum senatus consultum ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur. sed non senatui libertas ad paenitendum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

(52) G. Sulpicius D. Haterius consules sequuntur; inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui inmensum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur. sed alia sumptuum, quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis occultabantur; ventris et ganeae paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam ne princeps antiquae parsimoniae durius adverteret. nam incipiente C. Bibulo ceteri

1. *esto* malebat Lipsius probante Doederleinio. Verum recte Walther: «*in integro est:* vivit etia nunc incolumis, estque locus misericordiae principis.» — 2. *vaec.* M. — 5. *caedat* M. — 6. *rebellius* M. — 7. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *diem ad* M; *decimum* inseruit Lipsius. — 15. *G.* M: *Gaius* B. — *D.* M: *Decimus* B. — *harius* M. — 16. *inm.* M: *imm.* B. — 18. *dissimilatis* M. — *praetiis* M. — 19. *ads.* M: *ass.* B. — 20. *parsimoniae* M: *parcimoniae* B. — *C.* M: *Gaio* B.

ραδοθῆναι ἐκέλευσε μήτ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι. Idem repetit L. 58. extr. Cfr. Senecam de Tranq. 1, 14. et totam Lipsii doctissimam adnotationem. Sub Theodosio tandem damnato concessi sunt dies XXX. Cod. Iust. 9, 47, 20: *Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causae intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire poenam aut excipere sententiam, sed per dies XXX. super statu eorum sors et fortuna suspensa sit.* — *ad aerarium*] In aerario tabulae publicae et acta senatus. Liv. 39, 4. Nec ante rata, donec delata. Vide similem Taciti locum 13, 28. de multis aedilium. Lips. (Quae idem de *senatus auctoritate* h. l. tradit pluresque ex eo repetierunt, non usquequaque vera esse, monstrabit tibi Dio 55, 3; quem appellat. Cfr. Forcellinum in v. *Senatusconsultum.*) — *ad paenitendum*] Nam et Lutorius iam necatus erat, neque postea Tiberius ulli condemnatorum ante fatalem illum diem decimum vitam condonavit.

52. *G. Sulpicius*] Galba, imperatoris frater. 6, 40. Suet. Galb. 3. — *inturbidus*] Voc. hoc nunc apud solum Tacitum reperitur, hic et Ann. 14, 22. Hist. 3, 39, — *inmensum*] Noli tentare *in inmensum.* Supra 30: *opum, quis domus illa immensum viguit.* — *ventris et ganeae*] despicientiae significandae ergo consulto vilissima vocabula delegit pro «epularum atque heluationum» (quo v. usus est Pseudocic. post red. in sen. 6, 13.). — *princeps antiquae parsimoniae*] His *ποιότητος* genitivis interdum additur ablativus. Cic. de Legg. 3, 19: *vir magni ingenii summaque prudentia* (uti legendum e Codd.). Brut. 67: *P. Murena mediocri ingenio* - -

quoque aediles disseruerant sperni sumptuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse. et consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant. sed Tiberius saepe apud se pensitato an coërceri tam profusae cupidines possent; num coërcitio plus damni in rem publicam ferret; quam indecorum adtrectare quod non obtineret, vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret, postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit: (53) «ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, magis expediat me coram interrogari et dicere quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem. quodsi mecum ante viri strenui, aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta vitia, quam hoc adsequi ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. sed illi quidem officio

2. *praetia* M. — *remedii isti* M. Correxit Pichena. — 3. *distulaerant* M. — 5. *plicam* M. — 6. *adt.* M: *att.* B. — 7. *inl.* M; *ill.* B. — 9. *p. c.* M. — *quid re* M; *de* inserit mg. M, melius Beroaldus et seqq. *e*. — 12. Habet *deprenderem* M, non *deprehenderem*, ut Edd. usque ad Iac. Gronovium. — 14. *ads.* M: *ass.* B.

multae industriae fuit. — *C. Bibulo*] Eundem esse arbitratur Pighius cum *G. POBLICIO L. F. BIBVLO AED. PL.*, cuius honorificus titulus exstat apud Grut. 455, 1. At vero Panvinius rectius eum refert ad a. u. c. 545. — *sumptuariam legem*] Suet. Oct. 34: *leges retractavit et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam* cet. (Videlicet iam Iulius Caesar sumptuarias priores severius ac diligentius sanxerat. Cic. ad Att. 13, 1. ad Fam. 7, 26. 9, 15. Suet. Caes. 43. Dio 54, 2.) Gell. 2, 24: *Postremo lex Iulia ad populum pervenit, Caesare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis, Idibus, Nonis et aliis quibusdam festis trecenti; nuptiis autem et repotiis HS. mille.* Macrob. 2, 13. Ceterum hanc Tiberii curam intellexit Plinius 33, 8., hoc diversus, quod C. Sulpicium Galbam aedilem nominat, non C. Bibulum, relicitque in annum sequentem, quo consules Vetus et Pollio. Fieri tamen potest, ut iterata tunc sit ea inquisitio. Lips. — *utensilium*] Suet. Tib. 34: *annonam macelli senatus arbitrio quotannis temperandam censuit.* — *sisti*] Frequenter Livius hoc v. utitur. 2, 29. 4, 12. 10, 40. et alibi. — *ad principem*] donec Tiberius in Urbem redisset. Liv. 41, 8: *legati, qui ad novos magistratus dilati erant.* — *plus damni*] cum maior foret periclitantium numerus, quam ipsi, etsi saevo homini, commodum videretur; praesertim cum civium praeter luxum cetera innoxiorum nihilque novarum rerum molientium odia inutiliter in se concitaret. Cfr. C. 54. — *non obtineret*] nullo pacto perficeret; luxum enim tantis in Urbis divitiis funditus exstirpari nunquam posse. — *retentum*] si constanter ac severe poenas legis exsequeretur. Consulto variavit praecedens v. *obtineret;* v. enim *retentum* significat *aegre ac vix obtentum.*

53. *denotantibus*] h. l. manifesto significat: animadvertentibus atque *accurate* observantibus, ut Agr. 45: *denotandis tot hominum palloribus.* — *flagitiis*] scil. coërcendis. Doed. — *unius invidia*] Usitatius quidem foret *cum unius invidia;* nec tamen praepositionem excidisse arbitror, sed dictum esse ut Hist. 4, 30: *multa superstantium pernicie.* — *recidere*] ita resecare et tollere, ut ad priscum morem reduci possit. Bach. — *villarum*] Non latifundia perstringit, ut volebat Muretus; sed *aedificia privata laxitatem urbium vincentia* (per totam Italiam). Seneca de Benef. 7, 10. Iuven. 14, 86: *Aedificator Cetronius - - alta parabat Culmina villarum Graecis longeque petita Marmoribus,*

functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere neque proloqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut consulis partis sustineo. maius aliquid et excelsius a principe postulatur; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis gentes transferuntur? (54) nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista et modum posci: sed si quis legem sanciat, poenas indicat, idem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos nisi per dura et aspera coërceas: corruptus simul et

3. *partis* M: *partes* B. — *excelsus* superscr. *i*. M. — 5. *cum unius invidia* exspectabat Doederlein. Sic Ciceronem scripturum fuisse libenter concedo; at nos in Tacito versamur. — 8. Habet *promiscas* M. Volgo ante Bekkerum *promiscuas*. — 9. *pecunie* M. — 11. *poscis. et* M. — 12. *idem*] *Idem* M, *iidem* B. — *spelnd.* M. — 13. *expartem* M. — *clamitabant* M. Correxit Beroaldus.

vincens Fortunae atque Herculis aedem. — *numerum*] Tacitus 14, 43. Pedanio Secundo tribuit quadringentos; Plinius 33, 47. Caecilio cuidam Isidoro quinquies mille. Et hi nihil dicunt prae Athenaeo 6, 104: *Πρὸς ταῦτ' ἀπαντήσας ὁ Λαρήνσιος ἔφη, Ἀλλὰ Ῥωμαίων ἕκαστος - - πλείστους ὅσους κεκτημένος οἰκέτας, καὶ γὰρ μυρίους καὶ δισμυρίους καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται, οὐκ ἐπὶ προσόδοις δέ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας, ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους.* Seneca de Tranq. an. 8: *Felicioremne tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie servorum, velut imperatori exercitus, referebatur; cui iamdudum divitiae esse debuerant duo vicarii et cella laxior* (tunc, cum ipse servitutem serviret). Neque iniuria queritur et culpat Plinius 33, 6: *mancipiorum legiones et in domo turbam externam ac servorum quoque causa nomenclatorem adhibendum.* Lips. — *nationes*] 14, 44: *nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt.* Utique est ὑπερβολή ad verum sic fere redigenda: «complures Graecos, Syros, Phryges, Cappadoces, Thraces, Aethiopes cet.» — *argenti*] facti, seu vasorum argenteorum et aureorum. Sed olim *Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu movit, quod is decem pondo argenti facti haberet.* Liv. Epit. 14. — *aeris*] de vasis Corinthiis intelligendum, quorum in hac causa mentio apud Suet. Tib. 34., sed praeterea de aliis ornamentis supellectilis ex aere. Ern. Cfr. Plin. 34, 2, 3. Bach cogitat de statuis aeneis; at non minus pretiosae erant marmoreae a praeclaris artificibus sculptae. — *promiscas*] Sericas intelligit Coasque, quibus abstinebant nec viri. Seneca Ep. 122: *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem?* Ep. 114: *qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam.* Plinius 11, 27: *Nec puduit has vestes* (de Cois loquitur) *usurpare etiam viros, levitatem propter aestivam.* Lips. Potest tamen simul cogitari de tunicis *chiridotis* in modum muliebrem factis. Gell. 7, 12. Walth. — *lapidum*] gemmarum atque margaritarum. Plin. 12, 19: *Arabiae etiamnum felicius mare est; ex illo namque margaritas mittit; minimaque computatione milies centena milia sestertium annis omnibus India et Seres peninsulaque illa imperio nostro adimunt.*

54. *conviviis et circulis*] est quasi formula. Vide exempla complura in Lexicis.

corruptor, aeger et flagrans animus haud levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit. tot a maioribus repertae leges, tot quas divus Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fecere. nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est. cur ergo olim parsimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus; ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus. externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. quantulum istud est de quo aediles admonent! quam, si cetera respicias, in levi habendum! at Hercule nemo refert quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur. ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur. hanc, patres conscripti, curam sustinet princeps; haec omissa funditus rem publicam trahet. reliquis intra animum medendum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet. aut si quis ex magistratibus tantam in-

1. *haut* M. — 3. *flagitiosus* M. — 4. *facere* M. Correxit Beroaldus. — 6. *parsimonia* M: *parcimonia* B. — *sibi quisque*] *sibique* M. — 7. *qua* M. Utrumque correxit Beroaldus. — *urbes* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 10. *edeles* M. — *adhercule* M. — 11. *populi R.* M. — 14. *p. c.* M. — 17. *sacias* M. — *tantum* M.

— *corruptor - - animus*] Vide, quae collegi ad Horat. C. 4, 9, 39. — *flagrans*] cupiditatibus, quae eundem *aegrum* reddunt, vigore atque constantia carentem. — *restinguendus*] ut febris restinguitur ac temperatur. — *unius urbis cives*] at nunc ex omni orbe mixtio sumus. Seneca ad Helv. 6: *Aspice agedum hanc frequentiam, cui vix Urbis immensa tecta sufficiunt. Maxima pars illius turbae patria caret; ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt.* — *in levi habendum*] Hist. 2, 21: *in levi habitum.* Theocr. 22, 213: *Τυνδαρίδαις πολεμιζέμεν οὐκ ἐν ἐλαφρῷ.* Doed. — *refert*] ad senatum. Duebn. — *per incerta maris*] Quia e Sicilia, ex Africa, ex Aegypto frumentum Italiae, imprimis Urbi necessarium advehebatur. Columella 1, 1, 20: *Itaque in hoc Latio et Saturnia terra, ubi dii cultus agrorum progeniem suam docuerunt, ibi nunc ad hastam locamus, ut nobis ex transmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus.* Cfr. Ann. 12, 43. — *simultates faciunt*] iras suscitant eorum, qui coërcendi sunt. Duebn. Sic Ovid. Am. 1, 8, 82: *saepe simultates ira morata facit.* Frustra igitur Lipsius malebat *faciunt*; neque vero probanda Merceri coniectura, quam magnopere admiratur Ryckius: *simultates faciundas mihi* cet. — *inanes*] sine causa susceptas; *irritas* omni exitu desiderabili destitutas. — *neque - - aut*] Sic Horat. C. 3, 23, 5: *nec - - nec - - aut.* Sat. 1, 6, 68: *neque - - neque - - aut.* Nec raro apud Tacitum; sic 13, 39: *hostem vagum neque paci aut proelio paratum.* 15, 13: *neque eandem vim Samnitibus aut Poenis.* Germ. 7: *nec illas numerare aut exigere plagas pavent.*

55. *remissa*] reliquerunt aedilibus, ut ipsi suum munus curarent, quandoquidem neque princeps nec senatus quicquam super ea re statuere volebant. Pichena. Nempe recusat senatus, ne novam legem sanciat; veteres leges, quoquo modo videretur aedilibus, exerceantur. Doed. Etenim sufficiebat Iulia sumptuaria, ex qua aediles multas eam migrantibus dicere, quatenus volebant, poterant, omissis tamen accusationibus coram senatu, quibus sane nimius locupletium luxus efficacius coërcitus esset, quam aedilium multis,

dustriam ac severitatem pollicetur ut ire obviam queat, hunc ego et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor. sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum; quas cum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.» (55) auditis Caesaris litteris remissa aedilibus talis cura; luxusque mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma quis Servius Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere. causas eius mutationis quaerere libet. dites olim familiae nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiae prolabebantur. nam etiam tum plebem socios regna colere et coli licitum; ut quisque opibus domo paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur. postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parsimoniam intule-

1. Habet M *hunc ego et; hunc et* miro casu inde a Beroaldo usque ad Oberlinum, excepto uno Iac. Gronovio, qui *ego* tacite inseruit, neglectus etiam a Walthero, Rittero, Duebnero. — 2. *exonorari* M. (*exonerare* mavolt Doederlein; sed Tiberii indolem multo scitius exprimit Taciti manus.) — 3. *gloria* M. — 4. *p. c.* M. — 5. *pro re*] *prope* M. — 6. *inr.* M: *irr.* B. — *iurae depcor* cum lin. M. — 11. *magnificentie* M. — 13. *inl.* M: *ill.* B. — 14. *sevitum* M. — 16. *ads.* M: *ass.* B. — *parsimoniam* M: *parcimoniam* B.

quas praedivites illi parvi pendebant. Male Walther *erlassen*, Burnouf *on dispensa les édiles du soin, qu'ils prenaient:* non enim ita senatus consulto abrogari poterat lex Iulia; dicis saltem causa servanda atque exercenda erat. Noli autem huc referre Tiberii edicta *de annona macelli, de popinis ganeisque* cet. Suet. Tib. 34. — *a fine Actiaci belli*] a. u. c. 723. usque ad a. 822., quo Galba occisus est. — *rerum adeptus*] Eadem constructione 6, 45: *dum dominationis apisceretur.* — *studio magnificentiae prolabebantur*] Plerique interpretantur: «paullatim pauperes factae sunt;» verum est potius: «ad studium, in studium prolabebantur, stulte ac profuse ei indulserunt seseque dederunt.» Comparat Doederlein C. 48: *somno aut vino procumbere.* 6, 25: *foedissimis criminationibus exarsit.* — *regna*] regulos Asiae, Thraciae, Mauretaniae cet. demereri, sibi conciliare per officia vel beneficia. Duebn. — *et coli*] vicissim a plebe, sociis, regibus. — *ut quisque*] atque inter eos, qui opibus, domibus magnificis, paratu, (id est cultu, supellectile, tabulis pictis, signis, vasibus cet.) civium suorum oculos in se convertebant, ii tamen illustriores habebantur, quibus praeter divitias antiqua etiam nobilitas magnusque clientium numerus suppetebat. Plerique olim interpretes v. *speciosus* comparativi vim habere minus recte opinati sunt. Rectius Doederlein: «Errant, qui his verbis protasin et apodosin contineri crediderunt.» Scilicet multi tunc erant locupletes sine nomine, sine clientelis. — *saevitum*] Intellige de Tiberio, Caligula, Nerone, non cum Doederleinio de Domitiano, cui interpretationi adversatur proxima Vespasiani mentio. — *ceteri*] «quibus magnitudo famae nondum exitio fuerat, hi aliorum periculis» (immo interitu) «monebantur, ne magnitudinem famae sectarentur.» Walth. Modestiorem igitur vitam minusque luxuriosam praetulerunt, ne nimis in oculos hominum incurrerent principumque avaritiam provocarent. *Ceteri* contra veteres nobilium familias novis oppositas interpretatur Doederlein: maxime quia Waltheri interpretatio requireret v. *reliqui* pro *ceteri*. Solitam expositionem equidem antefero. — *provinciis*] praesertim ex quo Claudius civitatem Romanam Gallis dederat 11, 23.;

runt; et quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus. nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. verum haec nobis *** maiores certamina ex honesto maneant.

(56) Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores represserat, mittit litteras ad senatum quis potestatem tribunitiam Druso petebat. id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis; quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset.

6. *aput* M. — 8. Locum mutilum aliquatenus redintegrare conatus est Lipsius proponens *in maiores*. — *nobis maior res: certamina* Huetius. In M lacuna non est. — 9. *accussatores* M. — 10. *tribunitiam* M: *tribuniciam* B. — 11. *vocabulu* M. — 12. *ads.* M: *ass.* B. — 13. *Marcum* h. l. omnibus litteris M.

etiam Hispani cet. — *adstricti*] parci ac modesti; opponuntur *mores dissoluti*. — *Vespasianus*] Hist. 2, 5. Suet. Vesp. 10. 16. 17. 18. 21. Cfr. Zumpt *Röm's Bevölkerung* p. 7. — *temporum vices*] anni tempestates. — *multa laudis*] et bellicae virtutis (Agricolae memor fuit) et constantiae in toleranda ac despicienda principum saevitia. Recordare Thraseae. — *artium*] eloquentiam praesertim, tum et poësin (Lucani, Persii, Statii, aliorum) intelligit. — *nobis *** maiores*] Plura sane exciderunt verba quam Lipsii unum illud *in* ante *maiores*, (ut ἀγὼν πρός τινα·) facillime sane absorptum a littera *m*, ut 6, 34. *modum obsidit.* Huetii suspicio a Rupertio recepta animi tantum causa memoranda erat, tacenda vero aliorum somnia. — *ex honesto*] dictum est ut *ex aequo* Hist. 4, 74. *ex bono et aequo* Gaius 3, 137. «In rebus honestis certemus cum maioribus ita, ut, si fieri potest, eos superemus; nequaquam vero illorum modestiam ac temperantiam (ab iis degenerantes) ex prava aemulatione luxu atque ganea anteire conemur.» (Addo Duebneri explicationem lectionis: *verum haec nobis maior res, certamina ex honesto maneant*: «haec res maioris momenti et exoptabilior esse debet quam laudanda illa nostrorum hominum, ut certamina, quorum materies ex honesto et virtute petitur, perpetua sint: haec vires acuunt, haec ducunt ad altiora.»

56. *potestatem tribunitiam*] signatam in Drusi nummis Eckhel VI. p. 203. seqq. v. c. *DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. PONTIF. TRIBVN. POTEST. ITER. S. C.* — *Augustus repperit*] Aliter Dio 42, 20., ubi diserte scriptum, *Caesarem admisisse, ut dictator in integrum annum diceretur; τήν τε ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου, ὡς εἰπεῖν, προσέθετο.* Non ergo vocis auctor Augustus. Sed hoc tamen verum, Caesarem eo titulo publice non usum; usus est primus Augustus, et dedit ei splendorem; ideoque origo eius non immerito relata ad ipsum. Lips. Cfr. 1, 2. — *praemineret*] Nam tribuni plebis sacrosancti erant et per invictam *intercessionem* suam in civitate olim potentissimi. Duebn. *Praemuniret* coniecit Gutherius de Off. domus Aug. 1, 39. Verum Augustus in eo honore perpetuo eminentiam potius quandam prae ceteris quaesisse videtur. V. *praeminere* vel *praeeminere* post Augustum usurpari coeptum

sed principio litterarum veneratus deos ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit. esse illi coniugem et tres liberos, eamque aetatem qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem, noti laboris participem sumi. (57) praeceperant animis orationem patres; quo quaesitior adulatio fuit. nec tamen repertum nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent; nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit, dixitque pro sententia ut publicis privatisve monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur sed eorum qui tribunitiam potestatem gererent. at Q. Haterius cum eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curia censuisset, deridiculo fuit senex foedissimae adulationis tantum infamia usurus. (58) inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata, Servius Maluginensis flamen Dialis ut Asiam sorte haberet postulavit, frustra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum

2. *retulit* M. — 7. *quoque sitior* M. — 9. *cesserent* M. — *M.* M: *Marcus* B. — 10. *sentia* M. — 12. *tribunitiam* M: *tribuniciam* B. — 13. *Atque haterius* M. Emendavit Lipsius. — 14. *foedissime* M. — 15. *interq; prov.* M. — 16. *maliginensis* M. — 17. *aliut ius sum* (*ius* est in fine versus) M. Correxit Rhenanus.

est. Cfr. 12, 12. Seneca Controv. 1, 4: *Albutium, qui Graecis praeeminet.* — *M. Agrippam*] Dio 54, 12. a. u. c. 736. In nummis apud Eckhel VI. p. 162. haec eius tribunitia potestas non signatur. — *eamque aetatem*] Egit ergo Drusus tunc trigesimum sextum annum. Nam Tiberius natus est L. Munatio Planco, M. Lepido iterum coss. a. u. c. 712. A quo die anni medii XXXVI. ad tribunitiam eius potestatem, quae delata a. u. c. 748. Lips. — *bis consulem*] a. 768. et 774.

57. *praeceperant animis*] «Praeceperant (ante conceperant) orationem suam, praeparati praemeditatique, quid ipsi dicturi essent et censituri, cum facile intelligerent Tiberio nunc plura esse in votis.» Freinsh. Qui interpretantur: «praeceperant animis Tiberii orationem; iamiam sciebant, certe divinabant, de potestate tribunitia Druso petenda actum iri:» non satis cogitarunt v. *orationem* usurpari non potuisse de principis absentis litteris. — *privatisve*] formularum sermonem magis refert quam Mureti ac Pichenae *privatisque.* — *monimentis*] tam scriptis (actis, foederibus) quam structis. Dœbn. — *at Q. Haterius*] Recte sic Lipsius pro Cod. *atque haterius;* scriptor videlicet ipse eum distinguere debebat ab eius aequali D. Haterio Agrippa 1, 17. 2, 51. 3, 49. et 52. — *infamia usurus*] «Adulationis nullo alio fructu usurus» (ut ipse sane praevidere debebat) «nisi infamia, tanto turpius, quod senex erat; neque quidquam sequi videbatur adulando praeter ipsam adulationem eiusque studium et consuetudinem.» Dœrd.

58. *sorte haberet postulavit*] Non difficilis hic nodus, si memineris, quae ad C. 32. monuimus. Asia et Africa in sortem mittebantur, et de illis sortiebantur duo consularium vetustissimi. Sed Africa tunc temporis sine sorte prorogabatur Iunio Blaeso. Ergo et citra sortem vetustissimo consularium cedebat Asia. Is erat Ser. Cornelius Lentulus Maluginensis (consul suffectus fuerat a. 763.) eoque illud postulabat. (Mansit de senatus provinciis antiqua formula, re ipsa mutata. Opponitur *missu principis obtinere imperium.* 2, 43.) — *Dialibus egredi Italia*] Adeo non egredi, ut antiquitus nec Urbe abesse iis liceret, una nocte; quod lego in Camilli oratione apud Liv. 5, 52: *Flamini Diali, inquit, noctem unam manere extra Urbem nefas est.* Mutatum id postea ab Augusto.

quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. saepe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valitudine aut munere publico impediretur. duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones. quodsi per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius afuturum ad unius anni proconsulare imperium? privatis olim simultatibus effectum ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio aut privatis adfectionibus obnoxium. (59) adversus quae cum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Tiberius dilata notione de iure flaminis, decretas ob tribunitiam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque litteras contra patrium morem. recitatae et Drusi epistulae quamquam ad modestiam flexae, pro superbissimis accipiuntur. huc decidisse cuncta ut ne iuvenis quidem tanto honore accepto adiret

1. *si hi*] *sibi* M. — 2. *curdiabus* M. — 3. *repperiri. sepe pontificis* M. — 7. *afuturum* M: *abfuturum* B. — 10. *aemulatione* M. Correxit Muretus. (Ablativum rursus praetulere Walther et Bach, etsi v. *obnoxius* eo cum casu nusquam iungitur.) — *adf.* M: *aff.* B. — 13. *delatą notitione* M. Correxit Beroaldus. — *tribunitiam* M: *tribuniciam* B. — 14. *cerimonias* M. — 16. *epistulae* M: *epistolae* B. — 17. *decidisse se cuncta* M. Correxit Beroaldus.

C. 71. Lips. — *Martialium Quirinaliumque*] Atqui ne his quidem antiquitus egredi Italia concessum. Val. Max. 1, 1: *Metellus vero pontifex maximus Postumium consulem eundemque flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet* (haec enim solita ea in re formula erat), *multa indicta Urbem egredi passus non est, religionique summum imperium cessit.* Cfr. Liv. Epit. 19. Et de Quirinali Livius 37, 51: *Priusquam in provincias praetores irent, certamen inter P. Licinium pont. max. fuit et Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem. quale patrum memoria inter L. Metellum et Postumium Albinum fuerat. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici.* Eadem caerimonia pontificem maximum tenuisse videtur ex Liviana Epit. 59: *Adversus Aristonicum P. Licinius Crassus consul, cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, proelio victus et interemptus est.* Sed scire licet, quaedam ex his cum aevo mutasse. Lips. Adde Cic. Phil. 11, 8. — *duxissent*] scil. sorte. — *duobus et septuaginta*] Merula a. u. 667. ad aram Iovis, cuius flamen erat, ob Cinnae facinora mortem sibi conscivit. Suffectus flamen novus ab Augusto a. 743. Dio 54, 36: *Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ ὅ τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερούλαν ἀπεδείχθη.* Facit huc Suetonii illud Oct. 31: *Nonnulla ex antiquissimis caerimoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium.* Lips. Vossius ad Vellei. 2, 43. conicit *sex et septuaginta*, qui numerus primo aspectu sane videtur unice verus. Sed inspectis accuratius Velleii et Suetonii Caes. 1. locis apparet a Ser. Maluginensi LXXII. annos ita numeratos esse, ut omitteret quattuor illos annos 667—671., quibus Iulius Caesar adolescens flamen destinatus, nunquam vero inauguratus erat; quod quasi intervallum accurate ac recte Maluginensis significat, cum sane per LXXII. annos intermissum esset illud flaminium; non igitur intelliguntur tot anni continui. Cfr. Wesseling *Observv.* 2, 18. et Waltherum ad h. l.

59. *pontificis maximi*] principis absentis. Pontificatum maximum Tiberius non statim ab adito imperio suscepit, sed anno sequente VI. Idus Martias. Docet istud in-

urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet. bellum scilicet, aut diverso terrarum distineri, litora et lacus Campaniae cum maxime peragrantem. sic imbui rectorem generis humani; id primum e paternis consiliis discere. sane gravaretur aspectum civium senex imperator, fessamque aetatem et actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex adrogantia impedimentum?

(60) Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; conplebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis. igitur placitum ut mitterent civitates iura atque legatos. et quaedam, quod falso usurpaverant, sponte omisere; multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant. magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipsorumque numinum religiones intro-

2. *bellum*] *bello* Lipsius, *bello eum* Pichena. — *litora* M: *littora* B. — 3. Habet *cum* M, non Beroaldi et Rhenani *tum*. — 10. *conpl.* M: *compl.* B. — 13. *protegentes* M. — 14. *civitatis* M.

signe marmor Gruterianum 228, 8., cuius postrema verba sunt: *VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST.* Fasti Verrii ipsos etiam consules Drusum et Norbanum, qui fuerunt a. 768., addunt. Foggini p. 28. Eckhel D. N. VI. p. 187. — *notione*] pro cognitione, ut 6, 12. 12, 60. Cic. ad Att. 11, 20: *notionem differre.* Pseudocic. pro Domo 13: *quae omnis notio pontificum esse debuit.* Qui huius notionis fuerit exitus, vide C. 71. — *insolentiam sententiae*] M. Silani, qui in Fastis ceterisque monumentis consulibus eorum, qui tribuniciam potestatem gererent, nomina substituenda censuerat. — *huc decidisse*] Sic Suet. Claud. 9: *ad eas rei familiaris angustias decidit.* Est «in peius mutari.» — *auspicia*] Liv. 22, 1. de C. Flaminio, qui ante initum consulatum profectus ab Urbe: *Quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id a domo, publicis privatisque Penatibus, Latinis feriis actis sacrificiis in monte* (Albano) *perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre; nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Cfr. 4, 36. — *gentile apud solum*] in patrio solo, Romae. — *bellum scilicet*] cum maxime geri. — *diverso terrarum*] regione aliqua remota.

60. *imaginem*] simulacrum aliquod antiqui moris; quod quidem arcana imperii minime attingebat ac sine ullo periculo senatui praeberi poterat. — *asyla*] Ad totum h. l. de asylis eorumque iure in Graecis civitatibus non poenitebit contulisse Spanhemium de usu et praest. num. Diss. 9, 5. Ern. Adde Eckhel D. N. IV. p. 306. — *conplebantur templa*] Tribus ergo generibus hominum perfugium in asylis, servis, obaeratis, maleficis. Plutarch. *περὶ δεισιδ.* p. 166: *ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμός, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν. καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ, θαῤῥοῦσι.* Id. de vit. aer. al. p. 828: *ἡ μὲν γὰρ Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐφέσῳ τοῖς χρεώσταις, ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ἀσυλίαν παρέχει καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων.* Lips. — *iura*] tabulas, litteras, monumenta, quibus iura niterentur, inspicienda senatui, ut iudicaret, utrum

spexit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve. (61) primi omnium Ephesii adiere, memorantes non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina; deorumque monitu sacratum nemus. atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse. mox Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse. auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia poteretur, caerimoniam templo; neque Persarum dicione deminutum ius. (62) post

3. *aput* M. — 3. *cenchreum* M. Correxit Beroaldus. — *locum* M. Correxit Lipsius. — *ortigiam* M. — 8. *hinc con* (syllaba haec, quae in folii fine scripta est, punctis notatur) *concessu* M. — Habet *poteretur* M. Ante Bekkerum edebant *potiretur*. — 9. *cerimoniam* M. — Habet *dicione deminutum* M.

ius asyli esset necne. Ern. — *libero*] ablat. absol., cum liberum ei esset. Duebn.

61. *Ephesii*] Strabo 14. p. 641: *Ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ νῦν καὶ πρότερον· τῆς δὲ ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις κτλ.* Vide etiam Oberlinum ad h. l. — *Dianam atque Apollinem*] Mirifice haec illustrant nummi Ephesini, in quibus Apollo et Diana, item Cenchrius fl., Amazones duae Ephesia et Smyrnaea iungentes dexteras, porro templa quattuor, Dianae, Apollinis, Liberi, Herculis. Eckhel D. N. II. p. 512. seq. Oberl. — *Ortygiam*] «Prope Ephesum. Sed vulgatae fabulae ferebant in parva insula prope Delum, quae item Ortygia, natam esse Dianam.» Duebn. Strabo 14. p. 639: *Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης. διαῤῥεῖ δὲ ὁ Κέγχριος ποταμός, οὗ φασι νίψασθαι τὴν Λητὼ μετὰ τὰς ὠδῖνας· ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν καὶ τὴν τροφὸν τὴν Ὀρτυγίαν καὶ τὸ ἄδυτον, ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων.* — *oleae*] Callim. H. in Del. 209. palmam pro olea memorat; ceterum parturientem ei *adnisam*, acclinatam tradit. Verba eius haec sunt: *Λύσατο δὲ ζώνην, ἀπὸ δ' ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις Φοίνικος ποτὶ πρέμνον, ἀμηχανίης ὕπο λυγρῆς Τειρομένη· νότιος δὲ διὰ χροὸς ἔῤῥεεν ἱδρώς.* Cfr. Heinsius ad Virg. Aen. 4, 690. Utramque arborem indicat Ovid. Met. 6, 335: *Illic incumbens cum Palladis arbore palmae Edidit invita geminos Latona noverca.* — *Cyclopas*] Val. Flacc. 1, 445: — *Admete; tuis nam pendit* (poenas) *in arvis Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.* Servius ad Aen. 6, 398: *Amphrysus fluvius est Thessaliae, circa quem Apollo spoliatus divinitate a Iove irato Admeti regis pavit armenta ideo, quia occiderat Cyclopas, fabricatores fulminum, quibus Aesculapius exstinctus est, Apollinis filius, quia Hippolytum ab inferis herbarum potentia revocaverat.* — *Amazonum*] Pausan. 4, 31, 8. 7, 2, 4: *Αἱ δὲ ἀπὸ Θερμώδοντος γυναῖκες ἔθυσαν μὲν καὶ τότε (στρατευόμεναι ἐπὶ Ἀθήνας τε καὶ Θησέα) τῇ Ἐφεσίᾳ θεῷ, ἅτε ἐπιστάμεναί τε ἐκ παλαιοῦ τὸ ἱερόν, καὶ ἡνίκα Ἡρακλέα ἔφυγον, αἵδε καὶ Διόνυσον τὰ ἔτι ἀρχαιότερα ἱκέτιδες ἐνταῦθα ἐλθοῦσαι.* — Post tot res atroces narratas veluti acquiescit aliquantisper in his fabulis Tacitus. — *ignovisse*] Hinc igitur ius asyli apud se derivant. Duebn. — *poteretur*] eadem forma 6, 30. 11, 12. et 36. 12, 48. et 51. 13, 19. Sic *oreretur* 2, 47. 15, 51. et 52.

62. *proximi*] Cod. *proximo*. In loco sane dubio Cic. ad Att. 4, 17, 3. in Cod. Med. est *proximo a. d. VI. Kal. Octobr.* At apud Charisium 2, 185., ubi Putschius in locis Cic. de Sen. 7. et 15. a Grammatico allatis edidit *proximo*, Lindemannus e Cod. et Edd. pr. praetulit *proxime*. — *Magnetes*] ad Maeandrum. — *L. Scipionis*] Asiatici. — *Antiocho*] ad Magnesiam a. u. 564. Liv. 37, 39. — *Mithridate*] quocum Sulla pacem fecit a. u. 670. — *Dianae Leucophrynae*] Eius templum describit Strabo 14. p. 647: *ἐν δὲ τῇ νῦν πόλει τὸ τῆς Λευκοφρυήνης* (sic Edd.)

Macedonas, dein nos servavisse. proximi Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris, ob vetusta in partis merita, et recens divi Augusti decretum adtulere, laudati quod Parthorum inruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. altius Hierocaesarienses exposuere, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro

1. *proximo* M. Correxit Freinshemius. — *snagnetes* M. Correxit Beroaldus. — *L.* bis M: *Lucii* bis B. — 3. *leucophine* (sine *r*) M. Correxit Lipsius; antea edebant *Leucophryenae* ex Strabonis loco in Annotatt. exscripto. — 4. *invol.* M. — 5. *partis* M: *parteis* B. — 6 *adulere* M, *attulere* B. — *inr.* M: *irr.* B. — 7. *Romanum*] *R.* M. — 9. *aput* M.

ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος, ὃ τῷ μὲν μεγέθει τοῦ ναοῦ καὶ τῷ πλήθει τῶν ἀναθημάτων λείπεται τοῦ ἐν Ἐφέσῳ· τῇ δ' εὐρυθμίᾳ καὶ τῇ τέχνῃ τῇ περὶ τὴν κατασκευὴν τοῦ σηκοῦ πολὺ διαφέρει κτλ. Cfr. Clemens Alex. Protrept. 3. Arnob. 1, 6. Xenophon H. Gr. 3, 14. Appian. B. C. 5, 9. Lips. Nummus *αὐτόνομος* exstat *ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΥΚΟΦΡ.*, et Hadriani *ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ* exhibet Dianam *πολύμαστον*, ut Ephesiam, stantem, adminiculis fultam, Victoriis hinc et inde circa caput volitantibus. Eckhel D. N. II. p. 525, 19. Oberl. — *Stratonicenses*] Stratonicea, Cariae urbs. Strabo 14. p. 660: *Ἔστι δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων δύο ἱερά, ἐν μὲν Λαγίνοις τὸ τῆς Ἑκάτης* (Triviae) *ἐπιφανέστατον· - - ἐγγὺς δὲ τῆς πόλεως τὸ τοῦ Χρυσαορέως Διὸς κοινὸν πάντων Καρῶν.* Pausan. 5, 21, 10: *τὰ δὲ παλαιότερα ἥ τε χώρα καὶ ἡ πόλις ἐκαλεῖτο Χρυσάορις*, unde templi nomen. Iovis Chrysaoris cultum nummus Pellerini *Mél.* I. p. 9. prae se fert. Triviae honorem in aliis ara ignita inter duas taedas ardentes indicat. Eckhel D. N. II. p. 590. Ab Hecates cultu Stratoniceam Hecatesiam quoque vocatam Stephanus testatur. Oberl. — *decretum*] Caesaris decretum non exstat; sed Sec. XVIII. ex Oriente allatum est decretum senatus Romani, quo confirmantur concessa Aphrodisiensibus a Caesare dictatore et a triumviris, quod hoc ipsum esse videtur Chishullo, de quo hic agitur. Id edidit ille in Antiqq .Asiat. I. p. 152. cum epistola Antonii triumviri, eodem spectante. Idem p. 155. edidit antiquissimum Stratonicensium decretum pertinens ad cultum Iovis et Hecates, in quo mentio iuris asyli e decreto Romanorum: *δόγματι Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ τῆς τῶν κυρίων Ῥωμαίων αἰωνίου ἀρχῆς.* Ern. — *laudati*] erant in eo decreto; sine causa Acidalius malebat *D. Augusti - - laudantis.* — *inruptionem*] a. u. 714. Dio 48, 26: *ὁ δὲ δὴ Λαβιῆνος ἐν τούτῳ τὴν Κιλικίαν κατέσχε καὶ τῆς Ἀσίας τὰς ἠπειρώτιδας πόλεις - - παρεστήσατο πλὴν Στρατονικείας· τὰ μὲν πλεῖστα ἄνευ πολέμου, Μύλασσα καὶ Ἀλάβανδα διὰ κινδύνων ἑλών.* Tunc autem *Q. LABIENVS. PARTHICVS. IMPerator*, uti appellatur in nummo Morell. I. p. 37., fusus fugatusque deinde a Ventidio. — *altius*] sc. repetita. — *Hierocaesarienses*] Oppidum est Lydiae. — *Persicam - - Dianam*] Pausan. 3, 16, 8: *Λυδοῖς ἐστιν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος·* et 5, 27, 5: *Ἔστι Λυδίοις ἐπίκλησιν Περσικοῖς ἱερὰ ἔν τε Ἱεροκαισαρείᾳ καλουμένῃ πόλει καὶ ἐν Ὑπαίποις, ἐν ἑκατέρῳ δὲ τῶν ἱερῶν οἴκημά τε καὶ ἐν τῷ οἰκήματί ἐστιν ἐπὶ βωμοῦ τέφρα· χρόα δὲ οὐ κατὰ τέφραν ἐστὶν αὐτῇ τὴν ἄλλην· ἐσελθὼν δὲ ἐς τὸ οἴκημα ἀνὴρ μάγος καὶ ξύλα ἐπιφορήσας αὖα ἐπὶ τὸν βωμὸν πρῶτα μὲν τιάραν ἐπέθετο ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, δεύτερα δ' ἐπίκλησιν ὅτου δὴ θεῶν ἐπᾴδει βάρβαρα* (Persica?) *καὶ οὐδαμῶς συνετὰ Ἕλλησιν· ἐπᾴδει δὲ ἐπιλεγόμενος ἐκ βιβλίου. ἄνευ τε δὴ πυρὸς ἀνάγκη πᾶσα ἀφθῆναι τὰ ξύλα καὶ περιφανῆ φλόγα ἐξ αὐτῶν ἐκλάμψαι.* — Succurrit et hic nummus, in quo hinc caput Dianae, adscripto *ΠΕΡΣΙΚΗ*, illinc ara ignita, miraculi index. Eckhel D. N. III. p. 103. Spanh. ad Callim. in Dianam 37. Oberl. — *rege Cyro*]

dicatum; et memorabantur Perpernae Isaurici multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo sed duobus milibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aërias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae, et Iovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent. (63) auditae aliarum quoque civitatium legationes. quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. consules super eas civitates quas memoravi, apud Pergamum Aesculapii conpertum asylum rettulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint, Tenios eiusdem

1. *perpennae* M. — 2. *passu* cum lin. M. — 3. *exim* M. — *cypri* M. — 4. *amatus* M. — 5. *amatusiae* M. — 6. Habet *civitatium* M, non Rhenani *civitatum*. — 10. *aput* M. — *conp.* M: *comp.* B. — *retulerunt* M. — 11. *iniciis* M. — *zmyrnetis* M, *Smyrnaeos* Edd. ante Bekkerum. — 12. *strato nicidiuae ueneri* M, priore vocabulo *Stratonicidi* male discerpto, et geminata prima seq. v. syllaba *uae*. Certa correctio debetur Rhenano. (Mire Doederlein: *Stratonicidi divae Veneri.)*

Melius sane propter ritus Persarum, qui templa nulla habebant, explicabis *Cyro regnante* quam cum aliis *a Cyro*. Sic certe videtur primo conspectu; sed noli oblivisci multas huiusmodi fabulas confictas esse a singulorum templorum *νεωκόροις*, aedituis. — *Perpernae*] Rectiorem hanc scripturam esse quam *Perpennae* discimus e Fastis Capitolinis. Est consul a. u. c. 624., qui Aristonicum victum Stratoniceae ad deditionem adegit; non alter M. Perperna consul a. 662. — *Isaurici*] Est P. Servilius C. F. M. N. Vatia, qui piratas Cilices vicit, Lyciam et Isauriam (e regione Rhodi) subegit; consul fuit a. u. 675., triumphavit a. u. 681. — *Paphiae Veneri*] Templum eius in nummo Drusi minoris. Eckhel D. N. VI. p. 207. Cfr. omnino Hist. 2, 3. — *Veneri Amathusiae*] de qua vide Holstenium ad Steph. de Urb. p. 29. Ern. — *Iovi Salaminio*] Cur in nummis Cypriorum Salaminium Iovem agnoscere dubitet Eckhel D. N. III. p. 88., non video. Locus hic rei favet. Oberl. — *Teucer*] Cfr. nos ad Horat. C. 1, 7, 21.

63. *quorum*] Nonnulli, ut Ruperti, malunt *quarum*; verum recte se habet genus neutr., scilicet negotiorum argumentorumque a Graeculis allatorum. (Bach supplet *legatorum.)* — *studiis*] patrum inter se, quorum alii alias civitates iuvarent, alias postponerent. — *involveretur*] propter fraudem aliquam lateret. — *Aesculapii*] De templo Aesculapii Pergameno v. Eckhel D. N. II. p. 468. — *Zmyrnaeos*] Cfr. 4, 56. — *Stratonicidi Veneri*] In decreto Smyrnaeorum in Marmor. Oxon. p. 6. Seleucus Callinicus (mortuus a. ante Chr. 227.) dicitur declarasse *τὸ ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι*, quem locum huic Taciti illustrando prodesse bene monet Spanhem. Diss. 9. 5. V. etiam Wesseling Probabb. p. 233. Ern. Eandem cum Urania Venere putat esse Stratonicidem Patinus in Comm. in Mon. Ulpiae Marcellinae apud Polen. Thes. II. p. 1124. Ita dictam in honorem Stratonices, filiae Demetrii Poliorcetae, aviae Seleuci II. Callinici, qui id asylum sanxerit, Broterius coniectat, ut in dynastiis illis reginae deabus adsimilabantur. Sed obstare videntur verba *ob vetustatem*. Duebn. Templum ipsum Vitruvio 5, 9. est *Stratoniceum*. — *Tenios*] Strabo 10. p. 487: *Τῆνος* (insula inter Cyclades) *πόλιν μὲν οὐ μεγάλην ἔχει· τὸ δ' ἱερὸν τοῦ Ποσειδῶνος μέγα ἐν ἄλσει τῆς πόλεως ἔξω θέας ἄξιον· ἐν ᾧ καὶ ἑστιατόρια πεποίηται μεγάλα, σημεῖον τοῦ συνέρχεσθαι πλῆθος ἱκανὸν τῶν συνθυόντων αὐτοῖς ἀστυγειτόνων τὰ Ποσειδώνια.* In nummis quoque Teniorum Neptunus vel eius attributa. — *carmen*] oraculum, responsum, ut maxime apud poëtas. — *propiora*] a nostra me-

carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint. propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum. neque minus Milesios Dareo rege niti. sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. petere et Cretenses simulacro divi Augusti. factaque senatus consulta quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

(64) Sub idem tempus Iuliae Augustae valitudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sive occultis odiis. neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur, ut inferius maiestate principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse. sed tum supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri

1. *carnem* M. — 3. Habet *Dareo* M. Ante Bekkerum *Dario*. — *regi utiset* M. Correxit Lipsius; *rege inniti* suspicatur Doederlein. — 4. *petiere* in Lipsianis contra M. — 6. *fiere aera* M. Correxit Pichena. Antea edebant *facere aras*. — 11. *tiberi* M. — 13. *sed tum*] *sectum* M. — 14. *quidecemviri* (sic sine *n*) M.

moria quam oraculum illud. — *rege niti*] Bachius Beroaldum secutus *rege uti*, quod sane explicare possis, «regis auctoritate uti;» et paullo ante iam usus erat v. *niti*. — *Dianam aut Apollinem*] Sardiani habebant *ἱερὸν τῆς Κολοηνῆς Ἀρτέμιδος, μεγάλην ἁγιστείαν ἔχον*, a vicino lacu Coloë, Strabo 13. p. 626.; Milesii magnificum templum Apollinis Didymaei, *μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις*. Strabo 14. p. 634. — *simulacro*] petebant, ut in honorem simulacri D. Augusti ab ipsis statuti novum ipsis asylum concederetur. — *modus*] finiebatur asyli spatium. Suet. Tib. 37: *Abolevit et vim* (alii, ut videtur, minus recte: *ius*) *moremque asylorum, quae usquam erant*; quem locum non pugnare cum hoc Taciti docent Ernestius et Wolfius in Excursu ad illum. — *aera*] senatus consulta, aeri incisa, *unde de plano recte legi possent*; quae erat formula. — *sacrandam ad memoriam*] quo sacra atque inviolata maneret. — *in ambitionem*] Non de adulatione erga D. Augustum hic agitur, ut nonnemo arbitratus est; unum erat Cretense asylum ei dicatum. Sed hoc dicit: «moniti sunt, ne mutuo inter ipsos certamine nimis extenderent asylorum suorum fines semel constitutos.» Ceterum haec ipsa senatus consulta, quae perpetuae eis admonitioni forent, aeri incidere iussi sunt.

64. *theatro Marcelli*] ab Augusto exstructo in regione IX. Suet. Oct. 29. Canina *Indicazione* p. 197. — *postscripserat*] Nam Livia *οὐχ ὅσον ἐξ ἴσου οἱ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ πρεσβεύειν αὐτοῦ ἤθελεν*. Dio 57, 12. — *abdidisse*] Lipsius suspicatus est *accepisse*; sed illud multo efficacius; significat non tam *occultasse*, quam *alta mente reposuisse*. Cfr. 1, 7: *Tiberius verba, vultus in crimen detorquens recondebat*. — *supplicia*] supplicationes, ut Sal. Cat. 9. Liv. 22, 57. 27, 1. et 50. — *ludi magni*] votivi circenses, magnifico cum apparatu celebrati; iidem et *maximi*. Pseudocic. de Har. resp. 6. (Hi *magnis* dis, Iovi, Iunoni, Minervae, mense Septembri celebrabantur, tunc in honorem Augusti decreti. Duebn.) — *quindecimviri*] sacris faciundis (cfr. 11, 11.), *septemviri* epulones; Pseudocic. de Harusp. resp. 10: *Vos, pontifices, ad quos epulones Iovis optimi maximi, si quid (in ludis epulisque ludorum publicorum) est praetermissum aut commissum, afferunt*. Festus p. 78. Müll.: *Datum est his nomen, quod epulas indicendi Iovi ceterisque diis potestatem haberent*. Frequenter memorantur in Inscriptionibus; antiquitus quidem fuerant triumviri epulones. Cic. de Orat. 3, 19. Liv. 33, 42. Quattuor priora sacerdotia *τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας* quasi *κατ' ἐξοχὴν* vocat Dio 53, 1. 58, 12. et sa-

septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. censuerat L. Apronius ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim umquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset pro qua vota persolverentur. (65) exsequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore; quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum «o homines ad servitutem paratos!» scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.

(66) Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt, obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maie-

1. *L.* M: *Lucius* B. — 2. *fetialis* M. (Etiam mox *fetial.* non *fecial.* M.) — 3. *umq.* M: *unq.* B. — 5. *exequi* M. — 6. *onestum* M. — 7. *precip.* M. — 11. *pedariis* pr. M. — 13. *quociens* M. — *gracis* M. — 15. *prolectae* M. — 17. *C.* M: *Gaium* B. — 18. Habet *Silanum* M, non *Sillanum* Beroaldi. — *procos.* cum lin. M. — 19. *bruttedius* ac mox *bruttedium* M. Correxit Rhenanus.

cerdotes summorum collegiorum Suet. Oct. 100. — *sodalibus Augustalibus*] Cfr. 1, 54. — *fetiales*] ita, non *feciales*, constanter scribitur hoc voc. in Inscriptt. Vide meas N. 2272. seqq. Viginti erant sacerdotes, qui ex antiquissimis temporibus iuri et quasi caerimoniis bellorum praeerant. Dübn. — *repetitis*] ex antiquitate. — *ideo Augustales*] His verbis cavet Tiberius, ne fetiales in deminutionem sui accipiant, quod ipsi arceantur, Augustales admittantur. Walther.

65. *pedarii*] Sunt senatores, qui nullo praeterea honore functi raro aut nunquam propriam dicerent sententiam, sed aliorum sententiam aut verbo sequerentur aut, si discessio fiebat, in alienam sententiam *pedibus* irent, *untergeordnete* Bötticher, *niedere* Gutmann, *obscurs* Burnouf. Cfr. Cic. ad Att. 1, 19. Gell. 3, 18. Fest. p. 210. Müll.

66. *C. Silanum*] Ryckius non dubitat esse eum, qui consul a. 763. cum P. Dolabella fuit; quod secus videbatur Ruperto, qui consulem fuisse dubitabat ex eo, quod infra C. 69. tantum senatorii ordinis mentio. Id argumentum si valet, nec praetorium fuisse dicemus. Ern. — *Scaurus*] consul suffectus anni incerti; nam in Fastis haud memoratur. — *Brutidius Niger*] Idem videtur, de quo Iuvenalis in Seiani interitu 10, 82: *pallidulus mi Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.* Diversus vero ab hoc videtur ille Brutidius Niger, cuius duos locos de Ciceronis interitu servavit Seneca Suasor. 7. p. 45. Gron. ex declamatione potius quam ex historia, ut alii volunt, desumptos. — *L. Cottam*] L. Aurelium Cottam, cos. a. 610. Cic. pro Mur. 28. Divin. in Caecil. 21. cum Pseudasconio; item pro Fonteio 13. Brut. 21. Val. Max. 8, 1, 11. — *a Scipione Africano*] minore a. 622. — *Ser.* (Sulpicium) *Galbam*] Cos. a. 610. *Contra hunc M. Cato ad populum summa contentione dixit* (Lusitanis perfide trucidatis) a.

statem, Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum obprobrium maiorum Mamercus infami opera dehonestabat. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis † propolluebat. Brutidium artibus honestis copiosum et, si rectum iter perageret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipsé spes anteire parat; quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum sécuritate, praematura vel cum exitio properant. (67) auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et M. Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus. nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa ad-

1. *L.* M: *Lucium* B. — *coitam* M. — 2. *P.* M: *Publium* B. — *M. Scauro* M: *Marco*, errore operarum omisso v. *Scauro*, B. — 4. *obpr.* M: *oppr.* B. — *maiorum* M. — 5. *litterarium* M et Edd. ante Oberlinum, qui *litterarum* mero operarum errore; eum repetiverunt Bekkerus, Ritter, Doederlein. Verum tamen restituerat Walther. — 6. *propolluebat* corrupte M: *propellebat* Groslotio auctore B, *pr.* (id est, *praetor) polluebat* Pichena, *porro polluebat* Lipsius olim et Freinshemius, probante Doederleinio, *protollebat*, *propolabat*, *propagabat* Anonymorum coniecturae, *praepollebat* Heinsius, *perpolluebat* N. Faber (caret h. v. alio exemplo), *provolvebat* Iac. Gronovius, *prope polluebat* Seyffert (sententia admodum languida). Quid multa? verum nondum repertum est.• Syllaba *pro* cum etiam in M singulari nota *p* cum cauda sinistrorsum porrecta scribatur, h. l. fortasse nihil aliud est quam falsa geminatio litt. *po* in *polluebat*. Sic C. 73. M habet *popopuli* cet. — 7. *perageret* M: *pergeret* Rhenano auctore B. — 8. *quaemque* (*m* puncto notatum) M. — 9. *ante reparat* M. (*antire* scripsit Bach, ut C. 68. *antissent*. 4, 40. et 71. 5, 6. et 10.) — 11. *accussat.* M. — 12. Habet *Publicola* M. Inde a Lipsio usque ad Bekkerum edebant *Poplicola*. — *M.* M: *Marcus* B.

604. Cic. Brut. 20. et quidem nonagesimo aetatis anno. Liv. 39, 40. Vide Onomasticum meum Tullianum. — *P. Rutilium*] Rufum, de ambitu accusatum a M. Scauro a. 638. Cic. de Or. 2, 69. Brut. 30. Liv. Epit. 70., qui repetundarum posthac condemnatum dicit a. 662. — *M.* (Aemilio) *Scauro*] cos. a. 639., censore a. 645. *Ille Scaurus* cum scripsit, certe oblitus erat eum a Iugurtha corruptum esse et *vitia sua callide occultasse*. Sal. Iug. 15. et 29. — *Iunio Othoni*] Declamator fuit eo aevo notus. Seneca et ipsum et genus eius dicendi describit non sine nota Controv. 9. Ait illum usum tecto genere dicendi et suspicioso, ubi minime opus et cum aperte liceret agere. *Bene*, inquit, *de hoc vitio illius Scaurus dicebat*, *illum acta* (senatus vel diurna) *in aurem legere*. Lips. Seneca ibid. p. 164. Ed. Amst. 1672.: *Edidit quattuor libros Colorum*, *quos belle Gallio noster Antiphontis* (oniro-critae) *libros vocabat*; *tantum in illis somniorum est.* — *Litterarium* autem *ludum* eum *exercuisse* non sine contemptu dicit Tacitus. — *propolluebat*] Vide var. Lect. Groslotii illud *propollebat*, quod multi receperunt, explicant «*provehebat.*» *Propolluebat* alii volunt significare: «cum obscura eius fuissent initia, ea vita flagitiosa magis etiam semper contaminabat.» Cfr. 6, 25: *provixisse*, id est, porro vixisse. Ego corruptum puto. — *iter perageret*] ut Ovid. Fast. 1, 188: *Et peragat coeptum dulcis ut annus iter*. Virg. Aen. 4, 653: *vixi et quem dederat cursum fortuna peregi*. Unde patet parum necessariam esse Rhenani mutationem *pergeret*, etsi per se hoc quoque rectum. Ann. 15, 27. Hist. 3, 69. Cfr. Burm. ad Val. Flacc. 4, 690: *omnes* - - *pergere iter*. — *superiores*] quorum eloquentiam aemulabatur.

67. *Gellius Publicola*] nusquam praeterea memoratus. — *M. Paconius*] Quem postea reum maiestatis Tiberius interfecit, admonitu nani cuiusdam, quo pro scurra

gerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat. (68) Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala eiusdem Asiae proconsule factumque in eum senatus consultum recitari iubet. tum L. Pisonem sententiam rogat. ille multum de clementia principis praefatus, aqua atque igni Silano interdicendum censuit, ipsumque in insulam Gyarum relegandum. eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit, adnuente Tiberio. (69) at Cornelius Dolabella dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus addidit ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque princeps diiudicaret. nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur? adversum quae disseruit Caesar:

2. *accussandum* M. — 3. *eloquende belitat* M. — 7. *interrogentur* M. Correxit Paschalius. — 14. *L.* M: *Lucium* B. — 16. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B. — 18. *Ad* M. — 19. *C.* M: *Gai* B.

utebatur. Suet. Tib. 61. — *neque refellere*] Impedimento erat partim conscientia culpae, partim timor, ne principis eum acriter urgentis iram augeret. — *actor publicus*] ut 2, 30., ubi vide. — *ausis*] Sane agnoscenda significatio passiva, quam respuentes Faërnus *missis* - *codicillis*, Ryckius *ausus* - *codicillos* malebant. — *invidiam et preces*] ipsae preces, quibus utebatur, invidiosi aliquid in Tiberium habebant.

68. *Voleso Messala*] In Fastis *L. Valerius Potiti F. Messala Volesus* est cos. ordinarius a. 758. Seneca de Ira 2, 5: *Volesus nuper sub D. Augusto proconsul Asiae, cum trecentos uno die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Graece proclamavit: O rem regiam! Quis haec rex fecisset? Non fuit haec ira, sed maius malum et insanabile.* De ipso SC. nihil notum. — *L. Pisonem*] 6, 10. — *Gyarum*] inter Andrum et Ceam insulas, nunc *Ioura.* Iuven. 1, 73: *Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum!* Cfr. infra 4, 30. Plutarch. de exilio p. 603. C. — *alia*] Frustra hunc locum Critici coniecturis fatigarunt (v. c. *Iulia* Freinshem.). Recte Walther: «moribus dissimili ac diversa, meliore et innoxia,» ut Hist. 1, 89. 3, 55. Liv. 45, 18: *alius vir erat.* Mater igitur Silani non meruerat, sua ut publicarentur ac non ad filium filii transirent; per v. *filio* enim non *matris* filius sed *Silani* intelligendus. (Duebner haec adnotavit: «*geniti*] Ut *materna* de noverca sit intelligendum. Alii explicant *alia parente* meliore quam ipse erat: ut senator honestae matris bona non polluenda esse censeret possessione filii improbi, Silanus per matrem Iuliae familiae erat copulatus.»)

69. *Cornelius Dolabella*] praeter ceteros adulator, qui supra (C. 47.) censuit, ut

non quidem sibi ignara quae de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum. multos in provinciis contraquam spes aut metus de illis fuerit egisse. excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire ut ambitione aliena trahatur. ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. sic a maioribus institutum ut, si antissent delicta, poenae sequerentur. ne verterent sapienter reperta et semper placita. satis onerum principibus, satis etiam potentiae. minui iura, quotiens gliscat potestas, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iuniae familiae et viro quondam ordinis eiusdem ut Cythnum potius concederet. id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere. in hanc sententiam facta discessio. (70) post auditi Cyrenenses, et accusante Anchario Prisco Caesius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium equitem Romanum, maiestatis postulatum quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem. non enim debere eripi patribus vim statuendi, neque tantum maleficium impune habendum. sane lentus in suo dolore esset: rei publicae iniurias ne largiretur. in-

3. *habescere* M. — 4. *cunta* M. — 8. *minutura* M. Correxit Lipsius. — 10. *aput* M. — 11. *impellerentur* M. — 13. *Cythnum* Lipsius in Annotatt.: *cythenum* M, *Cytheram* Beroaldo auctore B. — 14. *prisce* M. — 16. *prischo* M. — *Lennium* M, *Lucium Ennium* B. — 17. Habet *promiscum* M. Ante Bekkerum edebant *promiscuum*. — 18. *Caesari* pr. M.

Tiberius ovans urbem iniret; cuius mentio in lapide coniunctim cum hoc C. Silano, (cuius collega fuerat a. 763.); apud Grut. 176, 2: *P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA. C. IVNIVS. C. F. SILANVS., FLAMEN. MARTIAL. COS. EX. S. C. FACIVNDVM. CVRAVERVNT. IDEMQVE. PROBAVERVNT.* — *longius sequitur*] longius adulatione progreditur. — *in ipsos*] scilicet praesides provinciarum. Duebn. — *prudens moderandi*] in mitigandis patrum decretis, ubi adulandi causa nimis atrocia censuerant. — *sine cultu hominum*] Ex Gyaro incolas olim a muribus fugatos esse Plin. 8, 29, 43. et ibid. 57, 82. ex Varrone et Theophrasto tradit. — *Cythnum*] insulam sub Euboea et Cea. Beroaldi *Cythera* nimis mite fuisset exilium. — *Torquatam*] cuius memoriam servat marmor Romae Grut. 310, 3: *IVNIAE. C. SILANI. F. TORQVATAE. VIR. VEST. MAXIMAE. IVVENIO.* Lips. itemque alterum Ibid. 25, 10: *IVNONI* (Genio) *IVNIAE. C. SILANI. F. TORQVATAE. SACERDOTI. VESTALI. ANNIS. LXIIII. CAELESTI. PATRONAE. ACTIVS. (ACCIVS* Ryckius) *L.* Adde Spon Miscell. p. 150. De Torquata disputantes v. Rupertum et Reinesium Epp. 48. et 50. — *discessio*] dicis causa facta inter sententias L. Pisonis et Tiberii. Cfr. 6, 12. 14, 49: *postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere.*

70. *Cyrenenses*] Supra C. 38. Cordus proconsul Cretae dicitur. Sed teste Strabone 17. p. 837: *ἡ Κυρηναία νῦν ἐστιν ἐπαρχία τῇ Κρήτῃ ·συνεζευγμένη.* Et Suet. Vesp. 2: *Quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit.* — *promiscum ad usum argenti*] videtur ex ea effigie vasa vel pocula conficienda curasse. Aliter Duebner: «Fortasse creditoribus dederat.» — *lentus*] patiens, ulciscendi non cupidus. Tibull. 4, 11, 5: *si tu Nostra potes lento pectore ferre mala.* Hor. Sat. 1, 9, 64. —

tellexit haec Tiberius ut erant magis quam ut dicebantur, perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

(71) Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum quod pro valitudine Augustae equites Romani voverant equestri Fortunae: nam etsi delubra eius deae multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. repertum est aedem esse apud Antium quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis, templaque et numinum effigies, iuris atque imperii Romani esse. ita donum apud Antium statuitur. et quoniam de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem flaminem Dialem prompsit Caesar, recitavitque decretum pontificum, quotiens valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset,

5. *valetudine* h. l. M. — Habet *equestri* M. — 7. *aput* M. — *nuncuperetur* M. — 8. *cerim.* M. — 9. *aput* M. — 10. *quoniam*] *quo* cum lin., quae est part. *quoniam* nota, M, *quando* inde a Beroaldo Edd. — *releg.* M. — 11. *Malluginensem* M contra Fastos Capitol. et supra atque infra simplici *l* scribit M. — *promisit* M, et sic Beroaldus; errat scilicet Walther, huic *prompsit* tribuens. — 13. *ut*] *aut* proposuit Walther, probante Doederleinio.

egregium publicum] priora merita de re publica, gloriam inde partam; dictum, ut vulgo *bonum publicum* et Liv. 2, 1: *pessimum publicum.* — *bonas domi artes*] iuris prudentiam atque eloquentiam. («quae publice fecerat egregie et virtutes privatas.» Dübn.)

71. *nullum t. tali cognomento*] Atqui Liv. 40, 40: *Q. Fulvius aedem Fortunae Equestri, quam proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberis voverat, annos sex, postquam voverat, dedicavit, enixo factam studio, ne ullum Romae amplius aut magnificentius templum esset.* coll. Valer. Max. 1, 1, 20. Iul. Obseq. 113. Lactant. 2, 8. Quo igitur modo Livius cum Tacito conciliandus est? Lipsius Fulvii aedem ante Tiberium igne absumptam ac post Tiberium demum restauratam esse suspicatus, adstipulante Hirtio de Pantheo p. 223., quoniam extructa fuerit teste Vitruvio 3, 2: *ad lapideum* sive Pompeii *theatrum*, quod deflagrasse constat. Ritterus ait Fulvii illam Fortunam fuisse tantummodo *equo pugnantium* fautricem, non quae quaerebatur *ordinis equestris.* («Ergo tum perierat templum *Equestris Fortunae*, quod a. u. 579. Q. Fulvius Flaccus dedicaverat. Nisi tamen Tiberii tempore mutatum erat nomen eius, cum quinto post Chr. seculo exstitisse illud templum perhibeatur.» Dübn.) Denique Gruterus *Sequestri Fortunae* substitui voluit. Doed. Res manet dubia atque incerta. Ceterum Inscriptiones *Fortunae Equestris* Grut. 75, 4. Fabrett. 752, 591. (Murat. 81, 4.) subditiciae sunt et a scelerato illo Ligorio ex hoc ipso Taciti loco confictae. — *esse apud Antium*] diversam, ut videtur, ab aede Fortunarum Antiatinarum. Inscr. m. Lat. NN. 1738—1740., quarum imagines sunt in nummo Q. Rustii in Morell. Thes. I. p. 368. Cfr. Ann. 15, 23. Ceterum incertissima est coniectura Vulpii Vet. Lat. III. p. 101. alteram fuisse Equestrem, alteram Muliebrem (aliis Prosperam). *Fortunae* autem *Equestri* praeter celeberrimas illas Fortunas aliud Antii dicatum fuisse sacellum quis contra Tacitum negaverit? Cfr. a Turre Mon. Antii p. 16. — *imperii Romani esse*] ergo rite Antii quoque id donum statui posse, neque esse necesse, ut id Romae fieret. — *nuper*] C. 58., ubi loci ad L. Metellum spectantes. — *valitudo adversa*] Hoc sic intelligo: «Si prospera valetudine uteretur, posse eum binoctium abesse; sin adversâ extra Urbem in villa diutius retineretur, requiri *arbitrium*, id est, permissionem pontificis maximi, quam hic negare sane haud poterat; attamen diebus publici sacrificii etiam aegrotus Romam redire de-

dum ne diebus publici sacrificii, neu saepius quam bis eundem in annum; quae principe Augusto constituta satis ostendebant annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi. memorabaturque L. Metelli pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium flaminem attinuisset. ita sors Asiae in eum qui consularium Maluginensi proximus erat conlata.

(72) Isdem diebus Lepidus ab senatu petivit ut basilicam Pauli, Aemilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque. erat etiam tum in more publica munificentia; nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantis opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre. quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniae modicus, avitum decus recoluit. at Pompeii theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii. simul laudibus Seianum extulit, tamquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra

1. *publicii* M. — 4. *L.* M: *Lucii* B. — *Aulum* h. l. omnibus litteris M. — 6. *conl.* M: *coll.* B. — 9. *arguerat* M. Correxit Lipsius. — *filippum* M. — 10. *exsuvias* M. — 11. *pecunia* Bekkeri operae. — 12. *ad* M. — *pompei* ter M. — 13. *extr.* M. —

bebat, uti ibi saltem flaminis adesset persona, etsi propter adversam eius valitudinem pontifex Dialis sacra facere poterat, ut est C. 58. Praeterea cavendum erat flamini, ne circa Dialium sacrorum tempus Urbe abscederet. — *ut* cet.] pendet a v. *decretum;* si cum Walthero *ut* explices *sicuti*, *sowie*, vel cum eodem legas *aut*, id quod probarunt Bach et Doederlein, claudicat constructio; non enim, ut requiritur, praecipuum decreti caput memorabitur; duplex autem dumtaxat exceptio continetur in vv. *dum ne - - in annum.* — *attinuisset*] retinuisset in Siciliam profecturum, cum Postumius consul esset bello Punico primo a. u. 512. — *proximus*] aetate, puta.

72. *Aemilia monimenta*] Aemilius Paulus, qui postea cum C. Marcello consul a. 704., duas basilicas veterem refecit, novam locavit. Cic. ad Att. 4, 17. Novam interventu bellorum civilium non perfecit ipse; perfecit sub Augusto Paulus Aemilius, qui consul a 720. et postea censor. Dio 49, 42. Eam incendio consumptam refecit viginti annis post alius Aemilius. Dio 54, 25. Et tunc post annos XXXV. iterum collapsam firmavit ornavitque Manius Lepidus. Lips. Ceterum num. plur. de nova potissimum accipiendus ut 3, 23. et 4, 7: *in monimentis Cn. Pompeii* de uno Pompeii theatro. — *neque Augustus arcuerat*] Immo, ut est apud Velleium 2, 89: *Principes viri triumphisque et amplissimis honoribus functi hortatu principis ad ornandam urbem illecti sunt.* — *Taurum*] Suet. Oct. 29: *multaque a multis exstructa sunt; sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum; - - a Cornelio Balbo theatrum; a Statilio Tauro amphitheatrum.* Dio 51, 23. et 54, 25. — *tanta vis*] ignis, incendii, quale quid addi frustra volebat Muretus. Et solet *vis* absolute poni pro ea re, cuius vis exseritur, ut 4, 62. pro ruina, *quos illa vis perculisset.* Heins. ad Val. Flacc. 7, 333. Ern. — *Pompeii*] qui primus a. u. 699. perpetuum exstruxit theatrum prope Circum Flaminium Campum Martium versus, et quidem ex lapide quadrato ac tam grande, ut XL. milia sedium in eo essent. Quod ne notaretur a censoribus, ab eo aedes Veneris Victricis theatro apposita. Cfr. 14, 20., Ernestius ad Suet. Claud. 21. Iussu deinde Neronis tectum et omnis theatri apparatus facta aurea. Dio 39, 38. 63, 6. Plin. 33, 16. 36, 15. Restitutio eius non perfecta est a Tiberio, sed a Claudio. Dio 60, 6. Suet. Tib. 47. Claud. 21. Supersunt aliquot eius reliquiae. Cfr. Canina *Indicazione di Roma antica* p. 204. — *nomine Pompeii*] Complures Pompeii me-

damnum stetisset. et censuere patres effigiem Seiano, quae apud theatrum Pompeii locaretur. neque multo post Caesar, cum Iunium Blaesum proconsulem Africae triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat. ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere. (73) nam Tacfarinas, quamquam saepius depulsus, reparatis per intima Africae auxiliis huc adrogantiae venerat ut legatos ad Tiberium mitteret, sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet, aut bellum inexplicabile minitaretur. non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur. et recepti ea venia plerique. mox adversum artes Tacfarinatis haud dissimili modo belligeratum. (74) nam quia ille robore exercitus inpar, furandi melior, pluris per globos incursaret eluderetque et insidias simul tentaret, tres incessus, totidem agmina parantur. ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit qua praedatio in Leptitanos et

3. *procos.* cum lin. M. — 5. *reparatus* M. — 6. *attiberium* M. — 8. *inexplicabilem initaretur* M. — 13. *po* (haec syllaba est in fine versus) *populi* M. — 14. *caet.* M. — 15. *aut* cum lin. M. — 16. Habet *poteretur* M. — 17. *haudissimili* M. — 18. *inpar* M : *impar* B. — *pluris* M : *plures* B. — 19. *temptaret* M. — 20. *Leptitanos* Freinshemius, Brotierius, Walther, Doederlein: *lepcinos* M, *Leptinos* B.

morantur etiam a Tacito. Vide Indices. — *apud theatrum*] Dio 57, 21: *Ἄλλους μὲν δὴ οὖν καὶ πολλούς γε τῶν τελευτώντων καὶ ἀνδριάσι καὶ δημοσίαις ταφαῖς ἐτίμα· τὸν δὲ δὴ Σηϊανὸν ζῶντα ἐν τῷ θεάτρῳ χαλκοῦν ἔστησε.* Seneca Cons. ad Marc. 22: *Decernebatur Seiano statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat: exclamavit Cordus, tunc vere theatrum perire.*

73. *inexplicabile*] Quasi insolubile; metaphora a vinculis vel laqueis desumpta; idem fere ac perpetuum, exitum finemque non habiturum. Sic Livius 37, 52: *cum non magis mutua quam inexplicabili facilitate certatum esset.* — *hostium more*] bellum vocans, quod latrocinium erat; postulata edens, qualia hostis in iusto bello solet. Ern.

74. *furandi*] dolis atque insidiis utendi. Virg. Aen. 11, 513: *Furta paro belli*; quae mox v. 523.: *armorum dolos* vocat. — *incessus*] Burnouf: *dans trois directions et sur trois colonnes.* — *Leptitanos*] probabiliter Freinshemius, ut Hist. 4, 50. Sal. Iug. 77. 79. Caesar B. G. 2, 39. Hirt. B. Afr. 97. Ego quoque recepi, quia Cod. *lepcinos* manifesto corruptum, *Leptinos* sine exemplo. — Cogitandum de Lepti minore iuxta Adrumetum et Syrtim minorem, quae saepius absolute dicitur Leptis; nam Leptis, quae audit magna, in regione Syrtica longius ab hoc bello aberat. Walth. Hodie *Lemta; Leptis* magna h. *Lebeda.* — *Cirtensium*] Cirta, nunc *Constantine.* — *traherentur*] diriperentur, vastarentur, ut Hist. 2, 61: *proximos Aeduorum vicos trahebat.* — *veteris provinciae*] Karthaginiensium cet. sunt fines, ante Iugurthinum bellum in provinciae formam redacti. — *limine*] huius expeditionis principio, ut Seneca Herc. fur. 1132.: *quas in primo limine vitae scelus oppressit.* — *mutantem mapalia*] castra, quae mapalia pro tentoriis habebant. 4, 25.: *Numidas positis mapalibus consedisse. Mapalia* illa qualia

suffugia Garamantum; alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit. medio cum delectis, castella et munitiones idoneis locis inponens, dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere et saepe a tergo erat; multique eo modo caesi aut circumventi. tunc tripertitum exercitum plures in manus dispergit, praeponitque centuriones virtutis expertae. nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed ut in limine belli, dispositis castellis, per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blaeso tribuit ut imperator a legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum aequalitatem. concessit quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum.

(75) Obiere eo anno viri inlustres Asinius Saloninus, Marco Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Caesarique progener desti-

1. *necertensium* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 6. Habet *tripertitum* M. Vulgo ante Bekkerum *tripartitum.* — 10. Habet *proturbabat* M. Inde a Lipsio usque ad Bekkerum edebant *proturbat.* — *captor* M. — 12. *interprtatus* cum lin. M, id est, *interpraetatus.* — 13. *blaestribuit* M. — 18. *inl.* M: *ill.* B. — *Saloninus* M, Lipsius et sequentes Edd. ante Bekkerum, Ritterum, Doederleinium, qui miro errore cum Beroaldo, Rhenano, Aldo *Salonius.* — *Marco* h. l. omnibus litteris M. — 19. *asineo* M.

fuerint, discas e Livio 30, 3: *arundine texta storeaque tecta,* qui eadem C. 5. *casas* vocat. Cort. ad Sal. Iug. 18. Ern. Hodie *beetel schar, domus pellium.* Shaw *Travels in Barb.* I. p. 210. Oberl. — *conclamabantur*] ab universo exercitu appellabantur. Cic. Phil. 6, 1: *cum vos universi - - a me conservatam esse rem publicam conclamastis.* — *aequalitatem*] Respicit ad novam significationem vocis *imperator* de principe. Dubkn. — *Blaeso postremum*] Postea principibus solis honorifica haec appellatio reservata. (Cfr. Vell. 2, 125.) Observamus autem in nummis et inscriptionibus imperatoris titulum, cum principis est, praeponi, cum victoris, subiungi: *Imp. Caesar Augustus, Ti. Iunius Blaesus Imp.*, quod etiam e Suetonii Iulio 76. colligas, cuius id inventum. Lips. De Ti. Blaeso v. Epp. Sperlingii et Cuperi apud Polen. IV. p. 146. et 153. Oberl.

75. *Asinius Saloninus*] Asinio Pollioni oratori, historico, poëtae tragico filius natus Asinius Gallus, quem captis Salonis Delmatica urbe agnomento dixit Saloninum. Servius auctor in Virg. Ecl. 4, 1. Etsi id cognomen Tacitus et Dio illi nusquam tribuunt, contenti dixisse Asinium Gallum. Is Saloninus duxit Vipsaniam, Agrippae filiam, dimissam paullo ante a Tiberio, qui ex ea sustulerat Drusum. Cfr. Ann. 1, 12. Habuit ex ea liberos complures; virilis sexus istos: C. Asinium Saloninum, de quo hic; Asinium Gallum, de quo Suet. Claud. 13. et Dio 55, 5; Asinium Pollionem, qui consul a. 776., de quo Plinius 33, 8. Tacitus Ann. 1, 12.; Asinium Agrippam, cos. a. 778., de quo 4, 34.; Asinium Celerem, quem consularem Plinius nominat 9, 31. et ponit sub principe Caio. (In Fastis haud memoratur.) Nec vanum est, quod tribuo tam multos. Iubet hoc Tacitus 6, 23., ubi de morte Asinii Galli patris: *Scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicii consulari seni, tot consularium parenti.* Lips. — *progener*]

natus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed avo centurione, Sullano patre praetorio. consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium isdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret. namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria, huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur. (76) et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit. quod civiliter acceptum, neque prohibuit quo minus laudatione pro Rostris ceterisque sollemnibus funus cohonestaretur. viginti clarissimarum familiarum

2. *ads.* M: *ass.* B. — *praetoria* superscr. o M. — 3. *adc.* M: *acc.* B. — *istem* M. — 4. *magistratibus* M. Correxit Beroaldus. — 7. *preturam* M. — 9. *philipensem* M. — 10. *C.* M: *Gai* B. — *M.* M: *Marci* B. — 11. *operibus* M, «quid si *opibus?*» mg. M. Videtur ipsius Beroaldi correctio, quamvis in eius Ed. nondum recepta. Primus *opibus* edidit Rhenanus. — 14. *sollemnibus* M: *sollennibus* B.

ut aliquam duceret ex liberis Germanici. Lips. — *memoravi*] 1, 76. et 79., item 3, 70. — *studiis civilibus*] iuris civilis; opponuntur experientiae militari. — *centurione*] viro igitur tenuiore loco orto. — *consulatum*] Consul suffectus fuit a. 758. — *Labeonem Antistium*] celebratissimum item iureconsultum. — *incorrupta libertate*] Patrem aemulatus, virum praeclarum et prudentem, qui bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit. Appianus B. C. 4, 135. Exemplum libertatis vide apud Suet. Oct. 54: *Antistius Labeo senatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius* (Octaviani) *et tunc exsulantem, legit; interrogatusque ab eo, an essent alii digniores, suum quemque iudicium habere respondit.* Cfr. imprimis Dio 54, 15. atque locus ex ipsius Ateii Capitonis epistola de Labeone apud Gell. 13, 12: *Agitabat hominem libertas quaedam nimia atque vecors, usque eo ut D. Augusto iam principe et rem publicam obtinente ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque in Romanis antiquitatibus legisset* cet. Ad eundem adolescentem referri videtur Horatii locus de domino in servos nimis saevo Sat. 1, 3, 82: *Labeone insanior inter sanos dicatur;* et Pomponius de Orig. iuris in Dig. 1, 2, 47: *Antistius consul fuit Labeo; noluit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, honorem* (utique vanum) *suscipere, sed plurimum studiis operam dedit. - - Reliquit quadringenta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur.* Plin. 35, 4: *Parvis gloriabatur tabellis exstinctus nuper in longa senecta Antistius Labeo praetorius, etiam proconsulatu provinciae Narbonensis functus; sed ea res in risu et contumelia erat.*

76. *sexagesimo quarto*] Hunc annum ideo potissimum memorat, quia Cassius et Brutus in Philippensi pugna ceciderant; memorabile sane ei videbatur Iuniam tot annos utrique superstitem mansisse. — *Catone*] D. Iunius Silanus, qui consul cum L. Licinio Murena a. 692., uxorem habuit Serviliam sororem M. Catonis (famosam continuis Iulii Caesaris amoribus). Ex iis nata haec Iunia, soror M. Bruti per matrem (nam Bruti pater fuit M. *Iunius* Brutus), Tertia vel Tertulla cognomento, de qua notus Ciceronis locus apud Suet. Caes. 50: *Tertia deducta est.* Diversa igitur ab hac Iunia, de qua Velleius 2, 88: *M. Lepidus - -, Lepidi eius, qui IIIvir fuerat R. C., filius, Iunia, Bruti sorore, natus.* Nam haec uxor Lepidi fuit, nisi si ante Cassii, quod non opinor. Lips.

imagines antelatae sunt, Manlii, Quinctii aliaque eiusdem nobilitatis nomina. sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur.

1. *Quinctii* (ut est in Fastis Capitolinis et aliquoties, non tamen satis constanter, in Livio Alschefskiano v. c. Lib. 3, 1.) M: *Quintii* B. — 2. *ipso*] *piso* M. — 3. *P. CORNELI LIBER .III. FINIT* ‖ *INCIPIT LIBER .IIII. M.*

Iunia Lepidi memoratur a Cic. ad Att. 14, 8, 1. — *Manlii, Quinctii*] Quare Manlii? Quia Iunii Silani innexi Manliae genti; T. Manlius Torquatus filium in adoptionem dedit D. Silano, de quo Cic. de Finn. 1, 7. Val. Max. 5, 8, 3. De Quinctiis nihildum repperi. Lips. — *non visebantur*] Habebantur domi, sed ut maiestatis damnatorum in funeribus non praeferebantur; sicut *Cotta Messalinus*, *ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit.* 2, 32. Doederlein. *Negatus* autem *honor gloriam intendit*, ut verissime ait 4, 26.

ANNALIUM

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Tiberius saevit. Causa penes Aelium Seianum, cuius ingenium et mores. 2. Is dominationem aspirat, quo ut perveniat, Romae in castra praetoria militem conducit. 3. Druso Tiberii filio insidiatur per uxorem eius, stupro pollutam. 4. Drusus Germanici togam virilem sumit. Status publicus, numerus legionum, 5. earum et cohortium et classium loca exponuntur. 6. Civilis administratio qualis hactenus. 7. Seianus potentiam auget, 8. sublato per venenum Druso. Tiberius animum obfirmat, senatum erigit, eique filios Germanici duo commendat ut imperii heredes. 9. Funus Druso illustre. 10. 11. Falsa de Drusi ab ipso patre necati fama. 12. Populi favor filiis Germanici noxius. Iis et Agrippinae Seianus insidias struit.

13. Tiberius legationes et accusationes civitatum et provinciarum audit. 14. De asylis actum; histriones Italia pulsi. 15. Alter ex Drusi liberis obit. item Lucilius Longus, principis amicus. Capito damnatus. 16. Lex lata de flamine Diali. Vestalibus habitus honos.

17. Sollemnia vota pro principe. Iis inserti Nero et Drusus. Hinc odium Tiberii, quem Seianus stimulat. 18. Hic Germanici amicos aggreditur. 19. Silius damnatur. 20. Uxor eius Sosia in exsilium pellitur. M. Lepidi moderatio. 21. Piso accusatus obit. Cassius Severus in saxum Seriphium relegatur. 22. Plautius Silvanus perit.

23. Tacfarinatem bella rursus moventem, 24. Dolabella opprimit, 25. et caedit. 26. Triumphalia non impetrat. Ptolemaeus munera accipit. 27. Servilis motus semina per Italiam oppressa.

28. Q. Vibius Serenus a filio accusatus, 29. 30. Amorgum deportatur; praemia delatoribus statuta. 31. P. Suilius deportatur, Firmius senatu movetur. 32. 33. Iudicium de his annalibus.

34. Cremutius Cordus, historiae scriptor, ob Bruti et Cassii laudes accusatus libere se defendit et 35. vitam abstinentia finit; libri eius cremati. 36. Cyzicenis adempta libertas. 37. 38. Templi honorem ab Hispanis oblatum Tiberius spernit. 39. Seianus, nimia fortuna socors, Liviam sibi uxorem a principe petit, qui 40. modeste negat et Seiani rationes refellit. 41. Hic, augendae petentiae, Tiberio secessum ab urbe suadet, 42. auditis in causa Votieni Montani contumeliis persuadet.

43. Romae legationes Graecorum auditae de iure asylorum. 44. Mors Lentuli, Domitii, Antonii. 45. L. Piso praetor a quodam agresti interficitur. 46. Thraces montani rebellantes 47 — 51. a Sabino pelluntur, caeduntur, obsidentur, frustra eruptione facta se dedunt.

52. Claudia Pulchra Romae adulterii accusata damnatur. 53. Agrippina maritum petit nec impetrat. 54. Ei Seianus insidias struit. 55. Undecim urbes Asiae de templo Tiberio struendo certant. 56. Praelati Smyrnaei. 57. 58. Tiberius dubia de causa in Campaniam abscedit, arto comitatu. 59. In spelunca repentino lapidum lapsu periclitatus a Seiano servatur; hinc maior eius fides. Neronem Germanici aggreditur et 60. calumniis subvertit. 61. Mors Asinii Agrippae et Q. Haterii.

62. 63. Amphitheatri casu Fidenis multa hominum milia debilitata vel obruta. 64. 65. Romae incendium deurit Caelium montem. 66. Varus accusatur. 67. Princeps in insulam Capreas se abdit. 68 — 70. Titius Sabinus turpi fraude circumventus damnatur ipsis anni Kalendis. 71. Tiberius mentem suam recludi indignatur. Iulia neptis Augusti obit. 72. Frisios, quod avare habiti, rebellantes, 73. L. Apronius repressum it, parum feliciter. 74. Turpis adulatio senatus. Seiani arrogantia. 75. Cn. Domitius Agrippinam, Germanici filiam, uxorem accipit.

Haec sexennio fere gesta, coss. C. Asinio, C. Antistio; Cornelio Cethego, Visellio Varrone; Cosso Lentulo, Asinio Agrippa; Cn. Lentulo Gaetulico, C. Calvisio; M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone; App. Iunio Silano, P. Silio Nerva.

C. Asinio C. Antistio consulibus nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat), cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. initium et causa penes Aelium Seianum cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. genitus Vulsiniis, patre Seio Strabone equite Romano, et prima iuventa C. Caesarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diviti et prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit adeo ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe isdem artibus victus est) quam deum ira in rem Ro-

1. Huic quoque libro in M praemittuntur verba *AB EXCESSV DIVI AVGVSTI.* — *C.*] *G.* M, *Gaio* B. — *Asino* M. — *C.* M: *Gaio* B. — *cos.* cum lin. M. — 4. *pene saelium* M. — 5. Habet *praetoriis*, non Beroaldi *praetorii*, M. — 6. *ierit*] *perit* M. Emendavit Pichena, ante quem edebant *captaverit.* — 7. *vulgussinis* M. Correxit iam Beroaldus. — *C.* M: *Gaium* B. — 11. Habet *sollertia*, non Beroaldi *solertia*, M. —

1. *C. Asinio*] Plin. 33, 1, 8: *Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo anulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere coss. anno urbis conditae DCCLXXV.* (ex Fastis Capitol.) De Antistiis v. Vellei. 2, 43. — *nonus*] quartus noni anni mensis inde a morte Augusti XIV. Kal. Sept. a. 767. Freinsh. — *Aelium Seianum*] Patrem habuit Seium Strabonem (1, 7. et 24.), sed in adoptionem datus alicui ex Aeliis dictus mutato inflexoque, ut solet, patris nomine, L. Aelius Seianus. Id enim praenomen illi Dio dat 57, 19. et in antica parte nummi est: *TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS;* in aversa: *AVGVSTA. BILBILIS. TI. CAESARE. V.* (quintum cos. a. u. c. 784.) *L. AELIO SEIANO.* — *supra*] 1, 24. 3, 29. et 72. — *facinore*] nece Drusi, quem veneno sustulit. Lips. — *raptum ierit*] Sic recte Pichena, ante quem edebant *captaverit.* Cfr. Hist. 2, 6: *Othonem res Romanas raptum ire vulgatum est.* — *Vulsiniis*] oppido Etruriae, hodie *Bolsena;* hinc *Tuscus* dicitur a Iuven. 10, 74. Seianus. Cfr. Vellei. 2, 127: *Ti. Caesar Seianum Aelium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere* (Iunio 3, 72.) *clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias - - singularem principalium operum adiutorem in omnia habuit atque habet.* — *Apicio*] Dio 57, 19: *Σηϊανός, παιδικά ποτε Μάρκου Γαβίου Ἀπικίου γενόμενος, Ἀπικίου ἐκείνου, ὃς πάντας ἀνθρώπους ἀσωτίᾳ ὑπερεβάλετο κ. τ. λ.* — Sed Apicios eiusdem notae et luxus tres reperio. Primum, qui Athenaeo nominatus 4, 66., qui veteri re publica vixit, quemque a Posidonio memoratum ait et auctorem fuisse, ut Rutilius in exsilium mitteretur a. 662. Alterum, qui Augusti et Tiberii aevo, de quo Tacitus hic, Iuven. 4, 23. ubi Schol.: *Apicius auctor praecipiendarum coenarum, qui scripsit de iuscellis; fuit enim exemplum gulae;* et Seneca Cons. ad Helviam 10: *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi ut corruptores iuventutis abire iussi sunt, scientiam popinae professus disciplina sua seculum infecit.* Idem Plinio 10, 68. dictus *nepotum omnium altissimus gurges;* et de cuius deliciis volumen ab Apione grammatico scriptum lego in Athenaei 7, 12. At tertium qui in imperio Traiani, cuius mentio apud Athenaeum 1, 13: *Τραϊανῷ δὲ τῷ αὐτοκράτορι ἐν Παρθίᾳ ὄντι καὶ τῆς θαλάσσης ἀπέχοντι ἡμερῶν παμπόλλων ὁδὸν Ἀπίκιος ὄστρεα νεαρὰ διεπέμψατο, ὑπὸ σοφίας αὐτοῦ τεθησαυρισμένα.* Lips. Quaedam contra monet Contarenus Var. Lectt. C. 27. Ern. (De Coelii Apicii, quem dicunt, *de re culinaria Lib. X.* nota quaestio, an fortasse inscribendi *Caelii Apicius sive de re culinaria.*) — *isdem artibus victus*] Pari astutia, qua Tiberium sibi uni incautum intectumque effecerat, eum postea decepit oppressitque Tiberius a. 784. Cfr. Dio 58, 5. seqq.

manam, cuius pari exitio viguit ceciditque. corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur. (2) vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus adderetur. praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis inlecebris. ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos adeundo, appellando; simul centuriones ac tribunos ipse deligere. neque senatorio ambitu abstinebat

3. *summam* suspicatur Doederlein. — 5. *praefecture* M. — 8. *adderetur* Anquetil ut Hist. 2, 31: *Addiderat* Othoni *terrorem atque odium caedes Galbae.* Error rursus ortus est ex litt. *a* semiaperta ac facile confundenda cum *c*. At *credetur* M, *oriretur* Faërnus, *crearetur* Savilius, *crederetur* cum Beroaldo Walther, *acueretur* Baden, *accenderetur* Doederlein, *cresceret* Muretus et Grotius; item Bekkerus et Ritter, parum probabiliter. — *deductum* B. — 10. *inl.* M: *ill.* B. — 11. *inr.* M: *irr.* M.

Suet. Tib. 65. *Sollertia* autem, id est, acre ingenium, et vera sapientia, opponitur dolosis illis artibus, quibus utebatur ad decipiendum Tiberium. Ac differt ab eius *industria*, quae mox memoratur. Hac autem sapientia cum careret, eo devenit, ut ipso demum interitus die sese a Tiberio circumventum intelligeret. — *pari exitio viguit ceciditque*] ut ipse permultis exitium attulerat, ita statim post interitum eius propinqui et amici condemnati ac supplicio affecti sunt. Dio 58, 14. — *compositus pudor*] artificiosa ac ficta modestia.

2. *dispersas per urbem*] Non per urbem modo, sed per oppida vicina dispersae antea fuerant praetoriae cohortes ex Suetonii Oct. 49: *Neque unquam plures quam tres cohortes in urbe esse passus est, easque sine castris; reliquas in hiberna et aestiva circa finitima oppida dimittere assuerat.* — *metus adderetur*] Dio 57, 19: (Seianus praetorianorum) *τοὺς λόχους ἰδίᾳ καὶ χωρὶς ἀλλήλων ὥσπερ τοὺς τῶν νυκτοφυλάκων ὄντας εἰς ἓν τεῖχος συνήγαγεν, ὥστε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν, ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας, εἶναι.* Ibid. 24: *ἐν δ' οὖν τῷ τότε* (a. 775.) *ὁ Τιβέριος τὴν τοῦ δορυφορικοῦ γυμνασίαν τοῖς βουλευταῖς, ὥσπερ ἀγνοοῦσι τὴν δύναμιν αὐτῶν, ἐπέδειξεν· ὅπως καὶ πολλοὺς σφᾶς καὶ ἐῤῥωμένους ἰδόντες, μᾶλλον αὐτὸν φοβῶνται.* — *procul urbis inlecebris*] inter portas Viminalem et Tiburtinam. Schol. Iuven. 10, 95: *Iuxta aggerem* (Tarquinii) *primus posuit castra Seianus, id est, super* (thermas) *Diocletianas; quae dicta sunt Castra Praetoria.* Tota eorum dispositio similis erat ceterorum castrorum Romanorum, uti apparet etiamnunc ex eorum reliquiis. V. Canina *Indicazione* p. 90., qui refert ad regionem V. sive Esquilinam. *Procul* autem, ut saepe, omne, etsi interdum exiguum, intervallum inter duos locos designat; vide, quae collegi ad Horat. Sat. 2, 6, 105. Sic h. l., etsi prope Urbem erant castra illa, tamen ab ea separata ac milites, noctu praesertim, amoti a consuetudine vulgi, quippe vallo clausi ac licentia cohibita. — *ornandi*] ut Hist. 1, 19: *ambitu remanendi aut eundi.* Ambiebat senatores comiter eos alliciendo, ut sibi in omnibus rebus obsequerentur, eosque ita remunerabatur, ut clientes, id est, assentatores suos, honoribus aut provinciis ornaret. Dio 58, 4: *ὁ δὲ δὴ Σηϊανὸς καὶ μείζων καὶ φοβερώτερος ἀεὶ ἐγίγνετο· ὥστε καὶ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι· τῶν βουλευτῶν τὸ μὲν εὐερ-*

clientes suos honoribus aut provinciis ornandi, facili Tiberio atque ita prono ut socium laborum non modo in sermonibus sed apud patres et populum celebraret, colique per theatra et fora effigies eius interque principia legionum sineret. (3) ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant; et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat, placuit tamen occultior via, et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. nam Drusus inpatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus, et contra tendentis os verberaverat. igitur cuncta tentanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere; quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit; et postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et

1. Habet *ornandi* M. Ante Oberlinum edebant *ornando*. — 5. *nepotis* M. — *adf.* M: *aff.* B. — *corpipere* M. — 8. *inpaciens* M, *impatiens* B. — 9. *seseiano* (prius *se* punctis notatum) M. — *temptanti* M.

γεσίαις, τὸ δὲ ἐλπίσι, τὸ δὲ καὶ φόβῳ προσεπεποίητο. — *socium laborum*] Vide Velleium l. l. Dio l. l. *κοινωνὸν τῶν φροντίδων ὠνόμαζε. - - Σηϊανός τε ὁ ἐμός, πολλάκις ἐπαναλαμβάνων ἔλεγε.* — *colique*] Dio 58, 2: *ὁ δὲ δὴ Σηϊανὸς ἔτι καὶ μᾶλλον ᾔρετο· καὶ ἐψηφίσθη, ὅπως τὰ γενέθλια αὐτοῦ δημοσίᾳ ἑορτάζηται· τὸ γάρ τοι πλῆθος τῶν ἀνδριάντων, ὧν ἥ τε βουλὴ καὶ ἡ ἱππὰς αἵ τε φυλαὶ καὶ οἱ ἄνδρες οἱ πρῶτοι ἔστησαν αὐτοῦ οὐδὲ ἐξηριθμησεν ἄν τις.* — *populum*] in edictis; nam populi contiones nullae iam habebantur. — *principia*] castrorum, area circa praetorium et tabernacula legatorum, ubi exercitus contiones habebantur. Ibi aquilae, cetera signa, principis solius effigies, tunc etiam Seiani. Cfr. 1, 61. Suet. Tib. 48: *largitus est quaedam munera Syriacis legionibus, quod solae nullam Seiani imaginem inter signa coluissent.*

3. *Caesarum*] significat Drusum et huius atque Germanici filios. — *corripere*] aggredi et de medio tollere, ut 11, 8. — *intervalla*] ad devitandam suspicionem, cum tot Caesares ei necandi essent. Ceterum vv. *dolus - - poscebat* Bekkerus aliique plene distinguentes ante v. *placuit* pro apodosi habent, cum manifesto sit alterum protasis membrum. Coniunctio autem *tamen* ita explicanda: «in ipso tamen scelere patrando Seiano tutior via visa est, ut Druso venenum non ipse suum per medicum aut libertum aliquem pararet, sed adulterio prius sibi devinctam Liviam ad id facinus instigaret, utpote in quam suspicio haud facile casura esset. — *contra tendentis*] item manus Druso intentantis. Hoc ita narrat Dio 57, 22: *ὁ Σηϊανὸς τά τε ἄλλα ὑπέρογκος ἦν καὶ τέλος καὶ ἐπὶ τὸν Δροῦσον ἐτράπετο καί ποτε πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινε.* — *Liviam*] Livillam semper vocat Suetonius, ut Inscr. Grut. 312, 4: *SECVNDA LIVILLAES MEDICA*, et ex adverso: *TI. CLAVDIVS CAESARIS L. CELER. AEDITVVS A VESTA.* (Aspernatur formam *ὑποκοριστικὴν* Tacitus, ut *Caligulae* cognomentum praeter 1, 41. 69., utraque tamquam historia minus digna.) — *adulterio pellexit*] ablativus, ut C. 10: *stupro vinxit*; et 13, 45: *Otho Poppaeam pellexit iuventa ac luxu.* H. l. equidem explico per certam quandam *βραχυλογίαν*· «ad adulterium pellexit, qua adulterii conscientia Liviam sibi devinxit atque obnoxiam reddidit.» Neque vero cum Wopkensio *adulterio* habuerim pro casu tertio. — *consortium regni*] Livillae persuasit Seianus liberius ac prorsus arbitratu proprio eam dominaturam, si ipsius, non iam Drusi uxor foret. — *avunculus*] id est, maior avuncu-

posteros municipali adultero foedabat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret. sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis. pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

(4) Interim anni principio Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit; quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. addidit orationem Caesar, multa cum laude filii sui, quod patria benivolentia in fratris liberos foret. nam Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adulescentibus aut certe non adversus habebatur. exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. multitudinem veteranorum praetexebat imperator, et delectibus supplendos exercitus: nam voluntarium militem deesse, ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant. percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur. quod mihi quoque exsequendum

1. *foedebat* M. — 3. *domos* (*s* puncto notatum) M. — 4. *paelici* M. — 6. *adf.* M: *aff.* B. — 8. *senatu* M. — 9. *beniv.* M: *benev.* B. — 14. *dilect.* M. — 17. *exeq.* M.

lus; nam Antoniae filia Livilla, Antoniae mater Octavia. Ern. — *municipali adultero*] quippe Vulsiniis nato. Quasi dicat, ne Romano quidem. Ita Iuven. 8, 238. per contemptum *municipalis eques.* Florus 3, 18, 6: *municipalia illa prodigia, Popedius, Afranius* cet. Cic. Phil. 3, 6: *Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis.* — *praesentibus*] certis ac mox eventuris; certum enim erat ex naturali rerum humanarum cursu Drusum patris fore successorem in principatu. Tiberius autem tunc senex. — *Eudemus*] quem in criminatione medicorum non omisit Plinius 29, 1, 8: *Iam vero et adulteria etiam in principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Caesaris.* — *frequens secretis*] Accipe de tempore et loco, quo Livia erat sola, quo secretum agebat, ea specie usa, se velle medicum liberius consulere. — *Apicatam*] quae a. 784. liberum suorum nece audita, mortem ipsa sibi conscivit. Dio 58, 11.

4. *decreverat*] biennio ante. 3, 29. — *filii sui*] Addidit *sui*, quia antea liberi Germanici memorantur. Ern. — *nam Drusus*] Ad concordiam Drusi et Germanici, adoptione fratrum, refertur nummus Illicitanus apud Vaillant in NN. Col. I. p. 78., in quo ad aram adoptionis stantes dextras iungunt; itemque Sardianus descriptus ab Eckhelio D. N. VI. p. 211: *ΔΡΟΥΣΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ.* Uterque Caesar togatus sedens, quorum unus lituum, alter simpulum tenet. *ΓΑΙΟΥ. ΑΣΙΝΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ.* Corona querna, intra quam *ΚΟΙΝΟΥ. ΑΣΙΑΣ.* — *vetus*] 1, 47. 3, 31. et 47. — *refertur*] repetitur, renovatur, ut Horat. Epp. 1, 17, 55: *Nota refert meretricis acumina.* — *veteranorum*] quibus missionem honestam ipse dare vellet, ne fortasse turbae ab iis orirentur. — *Romana copia*] ut 2, 52: *Maxippa levi cum copia.* 4, 27. — *angustius*] Dictum hoc in Traiani laudem, qui fines imperii promovit. Lips.

5. *utroque mari*] infero sive Tyrrheno, in quo Misenum promontorium Campaniae, et supero s. Adriatico, ad quod Ravenna. Suet. Oct. 49: *Classem Miseni et alteram Ravennae ad tutelam superi et inferi maris collocavit.* Lucanus de Apennino Italiam dividente 2, 399: *Mons inter geminas medius se porrigit undas inferni superique maris.* Pichena. — *Foroiuliense*] hodie *Fréjus.* — *valido*] Videtur praeter numerum etiam vigor aetatis et robur corporis intelligi, ut

reor, quae tunc Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum. (5) Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat, valido cum remige. sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani. cetera Africae per duas legiones, parique numero Aegyptus. dehinc initio ab Suria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus coërcita, accolis Ibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. et Thraeciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripamque Danubii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Delmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes,

1. Habet *tunc* M; ante Bekkerum edebant *tum*. — 3. *aput* M. — *litus* M: *littus* B. — 5. *remitae* (superscripta littera *g*) M. Correxit Beroaldus. — *precip.* M. — 9. Habet *Suria* h. l. M. — *eufraten* M. — 10. Habet *coërcita*, non Rhenani *coërcitum*, M. — *hibero* M. (Graeci *Ἰβηρία*.) — 13. *danuuii* M. — 14. *aput* M. — Habet *Delmatiam*, ut est in Inscrr., non *Dalmatiam*, M. — *locatisq*; *positu* M.

Vell. 2, 48: *hinc remiges firmissimi; illic inopia affectissimi.* Freinsh. — *recens*] XLVI. ante annos, Livius 28, 12. de Hispania: *Ita ergo prima Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum aetate ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est:* propter Cantabros scilicet et Astures, quos ipse devicit a. 730. Suet. Aug. 21. et 81. Flor. 2, 17. — *Mauros*] Mauretaniam utramque, Caesariensem et Tingitanam, partem occidentalem hodiernae *Barbariae*. — *Iuba*] filius Iubae eius, qui a Caesare victus est, paterque Ptolemaei a Caligula interfecti. Suet. Cal. 26. et 35. Dio 51, 15. 53, 26. Erat vir doctissimus, qui complura scripta composuit; regnavit XLVIII. annos, mortuus iam a. 772., IV. igitur annis ante C. Asinium, C. Antistium coss., sed Tacitus h. l. agit de imperii Romani statu sub Augusto praesertim, Iubaeque successerat Ptolemaeus filius. — *per duas*] plerumque per unam dumtaxat; cfr. 2, 52. Hist. 2, 97. 4, 23. At enim per bellum Tacfarinatis altera legio e Pannonia in Africam ducta erat, ibique mansit ultra biennium. 3, 9. 4, 23. — *initio*] scil. facto; sine causa Muretus suspicatus est *initio ab Syriae*, Crollius *interior Syria*, Ernestius deletum voluit v. *initio*. — *coërcita*] Respicit etiam ad *cetera Africae* et *Aegyptum*, quocirca male Rhenanus edidit *coërcitum*. — *Ibero Albanoque*] Horum regum historia prorsus ignoratur; vide Visconti *Iconographie gr.* II. p. 270., qui unum tantum repperit seculi III. post Chr., ut videtur, in onyche inscripto *ΟΥΣΑΣ ΠΙΤΙΑΞΗΣ ΙΒΗΡΩΝ ΚΑΡΧΗΔΩΝ*. (Ceterum Iberia nunc *Georgien*; Albania, *Schirwan*.) — *externa imperia*] Parthos atque Armenos. — *Rhoemetalces*] huius nominis alter, quem circiter annum 772. Tiberius regem nominarat; cfr. 2, 67., ubi etiam liberi Cotyis memorantur. Cfr. Visconti III. p. 302. — *Delmatiam*] Delmatia Augusto tradita perpetuumque praesidium in ea decretum a. u. 743. Antea inermis fuit. Adi Dionem 54, 34. Lips. — *illis*] legionibus Pannonicis ac Moesicis. — *tres urbanae*, *novem praetoriae cohortes*] Vigilum autem cur omittit? quae numero et robore supra urbanas. Septem enim cohortes erant, institutae iam inde ab Augusto. (a. u. 759. Dio 55, 26.) Causa haec, quia id aevi inter legitimos iustosque milites vigiles non censebantur. Itaque in omnibus bellis civilibus Galbae, Othonis, Vitellii, rara eorum

Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. at apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium: sed persequi incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, et aliquando minuerentur. (6) congruens crediderim recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur, dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. at frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur. res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur

1. *colonis* M. Emendavit Lipsius. — 2. *alaequae* M. — 3. *cohortim* (superscripta littera *v*) M. — *fuit* M: *fuerit* auctore Lipsio B. — 4. *cum sexusu* M. — *huic* M. — 6. *quoniam* (*quo* cum lin., notissimo compendio) M: *quando* ceteris cum Edd. B. — 8. *aput* M. — 10. *inl.* M: *ill.* B. — 13. *at*] *Ad* M. — 16. *ads.* M: *ass.* B.

mentio, nullus usus. E libertinis lecti erant, vile genus, et Vulcani potius ministri quam Martis. Itaque nec praefecti vigilum inter illustres dignitates mentio Tacito usquam; cuius auctoritas tamen adolevit, uti ex Pandectis aliisque scriptoribus clarum. Lips. — Mercerus volebat *decem praetoriae*, quia sic tradit Dio 55, 24. et Inscriptio apud Grut. 258, 8. (Inscr. m. L. N. 941.). Vulgatum numerum defendit Lipsius de Magnit. R. 1, 4. erroris arguens Dionem. Fabrettus Inscr. p. 127. autem mavult utrumque pro suo aevo intelligere, quod res variavit cum in praetoriis, tum in urbanis cohortibus (quas quattuor fuisse tradit Dio). Ern. (Sic Inscr. m. L. NN. 3406. 3444. est *Cohors XIIII. urbana vindex.*) — *vetere Latio*] eam regionem designat, ubi prisci Latini quondam habitaverant. Ritter. — *sociae triremes*] quas socii aedificare ac remigibus classiariisque instruere debebant; ut classis in Rheno, in Danubio, in Ponto. Lips. In Inscriptt. postea memorantur etiam *classis Britannica* (Inscr. m. Lat. 3601.), *Germanica pia fidelis* (N. 3600.), *Syriaca* (N. 3604.). — *antiquitus Romanis*] Quae opponuntur militaribus coloniis Caesaris et Augusti. — *neque multo secus*] Dicit clare, non minus virium roborisque in auxiliis fuisse quam in legionibus. Lips. Legiones autem sub Tiberio XXV. Cfr. Hoeck *Röm. Gesch.* II. p. 178. — Hae igitur certas stationes habebant, etsi non plane immutabiles, ut exempla apud Tacitum docent; auxiliis vero nullus certus locus attributus erat. Ern. — *incertum fuit*] Codicis lectio apta mihi visa est, ut Bachio et Duebnero; nam per βραχυλογίαν significat: «quia statim intellexi, rem incertam esse, hoc persequi consulto omisi.» Lipsii coni. *fuerit* continet velut consilium aliis datum, ut ne hoc unquam persequi velint; rem enim mutabilem semper fuisse. Utrumque autem cum dici rectissime potuerit, Codicis auctoritatem sequi debui.

6. *publica negotia*] praecipue etiam legum latio; duae autem solae ad Tiberii principatum referuntur, lex Iunia, a quo *Latini Iuniani* dicti, Gaius 3, 56. et lex Visellia, Ulpianus Fr. Tit. 5, 3. Cfr. Ann. 13, 49. — *inlustres domi artes*] eloquentia, iuris scientia. 3, 75: *studia civilia.* Cic. pro Mur. 14: *pacis artes.* — *species*] dignitas, splendor, ornamenta eadem, quae vetere re publica. Cic. in Pison. 11: *Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis.* —

prorsus sine modo, cum plerique isdem negotiis insenescerent. plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. (7) rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus; ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.

Quae cuncta, non quidem comi via sed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat, et ultor metuebatur non occultus odii, et crebro querens incolumi filio adiutorem imperii alium vocari. et quantum superesse ut collega dicatur? primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. exstructa iam sponte praefecti castra, datos in manum milites; cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii; communes illi cum familia Drusorum fore nepotes. precandam post haec mo-

1. *plebis agri* M. — 12. *odiis* M. Correxit Lipsius. (*odii*, *sed* suspicatur Doederlein.) — 16. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaei* B.

frumenta] decumae ex agris publicis et vectigalibus, ut in Sicilia. Per *pecunias vectigales* non modo scriptura et portorium, sed cetera etiam, quae ab Augusto instituta sunt (*centesima rerum venalium* 1, 78., *vicesima hereditatum et legatorum* Suet. Oct. 49. Dio 55, 25.) vectigalia intelligenda. *Cetera publicorum fructuum* sunt tributa provincialibus imposita. Ern. — *agitabantur*] Seneca Epp. 119: *circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem.* Suet. Vesp. 1: *publicum quadragesimae in Asia egit.* Gron. — *res suas*] fiscum primum eiusque curam, deinde etiam, ut opinor, provincias suas. De posterioribus colligo e Suet. Tib. 41., quamquam ille socordiae tribuit. Ern. — Cfr. Tiberii laudes apud Philonem Leg. ad Gaium 2.

7. *rari*] non latifundia, ut postea, ex bonorum publicatione et reorum damnationibus parta. Lips. — *modesta servitia*] significat modestiam Tiberii in servis habendis. Nec tamen de numero tantum, sed etiam de cultu et pretio modesto servitiorum cogites. Etenim Iulii Caesaris luxum in hac re perstringit Sueton. 47: *Servitia rectiora politioraque immenso pretio et cuius ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.* Walth. Aliter Ernestius: «Non attingebant rem publicam; non potentes nimis, non insolentes erant, ut postea.» Verum hoc potius de libertis valebat. — *comi via*] morum. 1, 54: *Tiberio alia morum via.* Plin. Pan. 35, 10: *Ti. Caesar minime comis imperator.* — *horridus*] tristis ac severus. — *ultor*] Drusus. — *effigiem*] statuam aeneam in theatro Pompeii. Dio 57, 21. Ad v. *monimentis* cfr. 3, 72. — *communes*] Respice 3, 29. coll. Suet. 27. Dion. 59, 32. Oblerat quidem Drusus, Claudii filius, filiae Seiani destinatus, cum ei ante paucos dies pater illam despondisset; sed aperte a Tacito referuntur hae Drusi querelae ad incipientem etiamtunc Seiani potentiam, ubi Claudii filius in vivis erat; et potuit Drusus haec queri ante sponsalia illa et cum primum audivisset (vel potius praesagivisset) ea esse futura. Walth. Mihi totus hic querelarum locus nescio quid rhetorici coloris traxisse videtur, ita ut haud nimis curiose, ut alii, nominatim Lipsius, fecerunt, de *communibus* illis *nepotibus*, quod ad tempus attinet, investigarim, etsi sane de Druso Claudii F. hic agitur. — *precandam*] «imprecandam ei,» bono sensu. Sensus est: «Rogandos

destiam, ut contentus esset. neque raro neque apud paucos talia iaciebat; et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur. (8) igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum quo paulatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur. Id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. ceterum Tiberius per omnes valitudinis eius dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est. consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit; et effusum in lacrimas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem adspici a plerisque lugentium. neque illos inbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse. miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum levamenta, inducerentur petivit. egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. quibus adprensis «patres conscripti, hos» inquit «orbatos parente tradidi patruo ipsorum, precatusque sum, quamquam esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret sibique et posteris conformaret. erepto Druso preces ad vos converto,

1. *iacebat* M. — 3. *maturam dum* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 4. *ads.* M: *ass.* B. — 5. *oms* cum lin. M. — *valitudines* M. — 9. *victu* M. — 11. *aspici* M. — 12. *inbecillitatis* M: *imbecillitatis* B. — 17. *adprensis* M: *apprensis* B. Ante Bekkerum erat *apprehensis*. — 18. *parenti* M. — *pcatusque* cum lin., id est, *praecatusque* M. — 19. *foveret attolleret* M. Correxit Beroaldus.

deos, ut modestiam Seiano darent.» Seneca Controv. 25: *ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem.* Eadem precandi structura C. 39, 12. 65. 15, 17: *sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectis itinerum spatiis equitem adsequeretur.* — Supple igitur cogitatione: *precandam* Seiano cet. Falso alii interpretati sunt *precandam* deam *Modestiam* cet., quae Romae nunquam culta est et, si pro dea habita esset, tamen hac in querela nonnisi a Floro ac similibus scriptoribus, nequaquam a Tacito ita commemorari potuisset. Nec magis explicarim: *precandam* Seiani *modestiam* κατ' εἰρωνείαν. — *uxore*] Livilla Drusi.

8. *adsimularetur*] ut tabes e veneno orta similitudinem fortuiti morbi haberet. — *octo post annos*] eo ipso videlicet anno, quo interfectus Seianus, cum Apicata, eius uxor, haec scelera prodidit. Dio 58, 11. Lips. — *sede vulgari*] in subsellis senatorum communibus. Humiles enim senatorum omnium sedes, altae in sellis curulibus consulum et excelsae. Lucan. 5, 15: *Ut primum maestum tenuere silentia coetum, Lentulus* (consul) *e celsa sublimis sede profatur.* Ovid. ex Ponto 4, 5, 18: *Conspicuum signis cum premet altus ebur,* consul sellam curulem. Idem ib. 4, 9, 28: *Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totum Numidae sculptile dentis opus.* Simile quid locum habuit in senatu post nuntiatam Augusti mortem teste Dione 56, 31: Ἐκαθέζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοί, ὥς που ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῶν δημάρχων. — *adloquia*] consolationes. Vide me ad Horat. Epod. 13, 18: *vino cantuque, Deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.* — *vix diem adspici*] Plinius Epp. 9, 13: *Mitto ad Arriam; rogo ut veniat, quoniam me recens adhuc luctus limine con-*

disque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos, suscipite, regite, vestram meamque vicem explete. hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. ita nati estis ut bona malaque vestra ad rem publicam pertineant.» (9) magno ea fletu, et mox precationibus faustis audita; ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus, de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas, omnesque Albanorum reges, et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus, ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

(10) In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, rettuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo ut nondum exolescat. corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is [Lygdus] aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat; deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque conposita sint, eo audaciae provectum ut verteret et, occulto indicio Drusum veneni in pa-

4. *pcat.* cum lin. M. — 6. *inr.* M: *irr.* B. — 7. *susciperint* M. — 9. *decernantur* M. — 10. *maximae* M. — *inl.* M: *ill.* B. — 11. *omsque* cum lin. M. — 12. *caeteraeque* M. — 14. *fideis* M. — 15. *retuli* M. — 17. *lycdi* M. — *is lygdus* (h. l. sic) *aetate* M. Gloss. expungendum vidit Ernestius. Delevit Bekkerus; ego seclusi; defendunt Walther et Doederlein. — 19. *locos* M. — Habet *conp.* M: *comp.* B. — *sint* M, non Beroaldi *sunt; fuerint* vel *fuerant* malebat Ernestius. — 20. *audacie* M.

tineret. — *e complexu rei publicae*] imago rhetorica: se maluisse in complexum rei publicae ruere, velut matris, atque ibi levamentum doloris quaerere; sine imagine, se petere maluisse solatia operam negotiis publicis strenue dando. — *rudem adhuc nepotum*] scil. aetatem, teneram pueritiam rerum imperitam. — *ac tolleret*] cum cura educaret. Cod. lectio *attolleret* (ad quam Doederlein confert Plin. 11, 39: *partus suos attollere.)* vix locum habet propter sequens membrum *sibique* cet., quod illa in lect. elegantius sine coni. *que* subiungeretur. — *conformaret*] bene educando redderet dignos se, patruo, et honestos posteris atque utiles. Vitiose Edd. Lipsianae *confirmaret.* — *Nero et Druse*] duos dumtaxat natu maiores senatui commendavit teste etiam Suetonio Tib. 54., minimum natu non; neque enim tunc probabile erat Caium unquam perventurum esse ad principatum.

9. *Germanicum*] 2, 83. — *plerisque*] permultis. — *origo*] Ex Virg. Aen. 12, 168: *Hinc pater Aeneas Romanae stirpis origo.* — *Sabina nobilitas*] artissime iunge cum vv. *Attus Clausus;* opponitur ea *Iuliae genti.* Cfr. Liv. 2, 16. a. u. c. 250. Attus Clausus, apud Romanos Appius Claudius, Sabinus cum magno numero clientium Romam confugit, ipse in patres allectus, ceteris cum agro trans Anienem civitas data et tribus Claudia. Cfr. Ann. 12, 29. Suet. Tib. 1.

10. *vinxisse*] pro *devinxisse* (12, 64.), ut 6, 45: *pacto matrimonio vincire.* Tacitus simplicia compositis haud raro praefert. — *is Lygdus*] qui dubium vocabulum defendunt, contendunt *Lygdi* nomen cum contemptus aliqua significatione iteratum esse; eadem dubitatio 12, 49. *Iulius Pelignus - - - -; is Pelignus* cet., ubi Freinshemio auctore altero loco deletum est. — *verteret*] totum consilium inverteret, *er eine andere Wendung nahm; il eut l'audace de donner le change.* Burnouf. — *occulto*]

trem arguens, moneret Tiberium vitandam potionem quae prima ei apud filium epulanti offerretur. ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tamquam metu et pudore sibimet inrogaret mortem quam patri struxerat. (11) haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad paenitendum regressu? quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii conpertum uteretur. sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. neque quisquam scriptor tam infensus exstitit ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

(12) Ceterum laudante filium pro Rostris Tiberio, senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, do-

1. *ei*] *et* M. Correxit Rhenanus. — *aput* M. — 2. *offeretur* M. — *cum* M, sed *tum* mg. M. — 4. *inr.* M: *irr.* B. — 8. *penit.* M. — 11. *conp.* M: *comp.* B. — 13. Habet *immania* M, non ut de «aliis libris» (?) tradit Muretus, *inania*. — 16. *extitit* M. — *oma* cum lin. M. — 19. *ne* om. M. Supplevit Rhenanus; ante *veris* mavult poni Ritter. — *incredibili* M.

ambiguo, rem non aperte significante. Duebn. — *iuveniliter*] avide celeriterque ut ille apud Virgilium, qui *impiger hausit*, Aen. 1, 742. Ern.

11. *iactata*] et credita Orosio, qui 7, 3. tradit Drusum a Tiberio veneno exstinctum. Lips. — *exitium offerret*] Sic Cic. pro Roscio Am. 13: *mortem obtulerit.* — *ad paenitendum*] ad mutandum, si paeniteret. Liv. 24, 26: *quod adeo festinatum ad supplicium neque locus paenitendi aut regressus ab ira relictus esset.* 42, 13: *unde receptum ad paenitentiam non haberet.* — *repertor*] Sumptum putant ex Virg. Aen. 2, 164: *scelerumque inventor Ulixes*, ubi Cod. Graev. *repertor.* — Ceterum v. *omnium* explica «omnis generis.» — *alioqui*] praeterea, ut 11, 6. Hist. 2, 27.; praeterquam quod rumor ille per se incredibilis erat, insuper cet. — *Apicatam Seiani*] ut Virgilius *Hectoris Andromache.* Post Seiani necem teste Dione 58, 11. condemnata quidem non est, sed *ἐς βιβλίον γράψασα περὶ τοῦ θανάτου τοῦ Δρούσου, κατά τε τῆς Λιουίλλης τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, δι' ἥνπερ που καὶ αὐτὴ τῷ ἀνδρὶ προσεκεκρούκει, ὥστε μηκέτι συνοικεῖν, τὸ μὲν τῷ Τιβερίῳ ἔπεμψεν, αὐτὴ δὲ ἑαυτὴν διεχρήσατο.* — *falsas auditiones*] de rumoribus dixit etiam Cic. Planc. 23: *fictas auditiones.* — *depellerem*] repudiandas, reiiciendas docerem. Ern. — *cura*] de libro, ut 3, 24. Sic iam Ovidius ex Ponto 2, 4, 16: *Hoc pretium curae dulce recentis erat.*

12. *laudante filium*] Seneca Cons. ad Marc. 15: *Tiberius Caesar, et quem genuerat et quem adoptaverat, amisit. Ipse tamen pro Rostris laudavit filium stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret.* Recenset eundem ritum Dio 54,

mumque Germanici revirescere occulti laetabantur. quod principium favoris, et mater Agrippina spem male tegens, perniciem adceleravere. nam Seianus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae inpenetrabili. igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent. atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum, per adulterium Mutiliae Priscae inter intimos aviae, et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida, anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

(13) At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat; factaque auctore eo senatus consulta ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. et Vibius Serenus proconsul ulterioris Hispaniae, de vi publica

2. *adc.* M: *acc.* B. — 3. *multam* M. — 6. *egregi* M. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 9. *superbiam* M. Correxit Muretus. — 10. *atque* M: *adque* Acidalio auctore B. — 11. *postunum* M. — 14. *agrippine* M. — *inlicebantur* (sic) M, *illiciebantur* B. — 15. *sps* cum lin. M. — 16. *solaciis* M. — 18. *ciutati* M. — *aput* M. — Habet *Aegiensi* M, superscr. a recenti manu *n*, unde *Aeginensi* Beroaldus, *Aegirensi* Rhenanus ceterique ante Ernestium, qui auctore Iac. Gronovio edidit *Aegiensi*. — 20. *procons.* cum lin. M. (*proconsule* Beroaldus.) — *ulteriores* M.

28. in funere Agrippae, sed causam eius ignorare se fatetur et, quam Seneca dedit, refellit. Sed ego existimo de pontifice Senecam vera dicere; sacer enim: ideoque non ipsum solum arceri aspectu funesto, sed et statuas deorum voluerunt. Cfr. Dio 60, 13. Lips. — *ferox scelerum*] in sceleribus committendis: differt Sal. Iug. 14: *sceleribus suis ferox et praeclarus*, id est, firmatus ac fretus. — *spargi venenum*] Sic Cic. Catil. 2, 10: *qui spargere venena didicerunt.* — *tres*] Neronem, Drusum, Caium. Suet. Cal. 7. — *exagitare*] irritare, instigare, ut *plebem exagitare* dixit Sal. Cat. 38. — *superbam*] Corruptela *superbiam*, quae rectam constructionem non admittit, defensores tamen nacta est Wopkensium, Rothium, Bachium; hic quidem ita explicat: «Agrippinae superbiam, subnixam fecunditate, popularibus studiis petere dominationem; *ihr auf Fruchtbarkeit beruhender Stolz hasche durch Volksgunst nach der Herrschaft.*» — *subnixam*] Liv. 25, 41: *Hannibalem subnixum victoria Cannensi.* 26, 13: *victoria insolenti subnixos.* — *atque haec*] «et haec quidem perfecit Seianus.» Ita Codex. Acidalianum illud *adque haec* explicant: «praeterea Seianus - - efficiebat.» — *potentiae anxiam*] retinendae omni cura sollicitam, ut 4, 59. Hist. 3, 38: *anxius sui.* — *nurui*] nepotis uxori, non, ut plerumque, filii.

13. *Cibyraticae*] in Phrygia magna. — *Aegiensi*] ab *Aegio*, Achaiae urbe, nobilitata quondam concilio Achaeorum. Liv. 38, 30. — *Vibius Serenus*] Ad eum respicit Dio 58, 8.; non tamen nominat, sed inimicum Seiani vocat. — *ulterioris*] Baeticae, quae populo relicta, et ideo in ea proconsul. Hist. 1, 13. — *de vi publica*] lege Iulia lata a. 746., ex qua damnato

damnatus ob atrocitatem †temporum, in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos, reus tamquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis C. Gracchus. hunc comitem exsilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur; neque tamen effugit magnae fortunae pericula. ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

(14) Is quoque annus legationes Graecarum civitatium habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium ea tempestate, qua Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco: nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes

1. *ob*] *ab* M. — *temporum* M: *morum* auctore Lipsio B, parum probabiliter. Suspicor fuisse *tentamentorum*, scriptum in ἀρχετύπῳ *temptamentorum*. (Hist 2, 38.) Or. — 2. *carsius* M. Correxit Reinesius. Cfr. Ann. 6, 48. — 3. *C.* M: *Gaius* B. — *exilii* M. — 6. Habet *neque*, non Rhenani *nec*, M. Restituit Iac. Gronovius. — 7. *lamina* M. — *L.* M: *Lucius* B. — 8. *claritudini* M. — 11. *cois* cum lin. M. — *vetustus tum* M. Correxit Beroaldus. — 13. *ea tempestate*, *qua* dedi auctoribus Rhenano et Doederleinio, ut Ann. 6, 8.: *ea qua tempestate* M, *qua tempestate* cum ceteris B. — *conditus* M.

aqua et igni interdicendum erat. Cfr. L. 10. §. 2. D. ad leg. Iul. de vi publ. Postea gravior poena constituta est. Cfr. Paulli Sent. 5, 16: *Lege Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate praeditus civem Romanum, antea ad populum, nunc ad imperatorem appellantem, necarit necarive iusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit, inve publica vincula duci iusserit. Cuius rei poena in humiliores capitis, in honestiores insulae deportatione coërcetur.* Quo ex loco desumes, quid designaverit Vibii atrocitas. — Ipse consulatu nunquam functus erat. — *Amorgum*] prope Naxum. Cfr. 6, 30. Hodie *Morgo*. — *Sempronius*] qui adulter in Iulia. 1, 53. — *sordidas merces*] Hae opponuntur negotiationi imprimis frumentariae, ab equitibus Romanis plerumque exercitae. Cic. de Off. 1, 42: *Mercatura si tenuis est, sordida putanda est: sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda.* Eum Gracchi institorium quaestum criminatores ita interpretati sunt, tamquam hostem iuvisset; quali perduellionis crimine proceres soli ac divites plerumque peti solebant. Doed. — *abstractus*] plene Curtius 3, 2, 17: *Darius hospitem - - abstrahi iussit ad capitale supplicium.* Ad idem redit aliorum explicatio: «in perniciem foret tractus.»

14. *Is quoque annus*] ut proxime superior. 3, 62. — *Mithridatis*] a. u. 666. Vellei. 2, 18. Appian. Mithr. 22. — *in publicum seditiose*] Significat partim dicta ridicula ex tempore mimis ceterisque fabulis inserta, quae in Tiberium converti poterant, maxime autem factiones illas theatrales, quae aliis histrionibus favebant, alios deprimebant. — *foeda per domos*] quia histriones adolescentes formosos, mulieres etiam nobiles corrumpebant, vel ab his ad stupra pretio pelliceбantur. — *Oscum - ludicrum*] contemptus causa sic loquitur Tiberius, quasi de solis Atellanis; de quibus Strabo 5. p. 233: *Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσονίων ἔθνει συμβέβηκε. τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, ὥστε καὶ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον καὶ*

trucidarentur. variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus, postremo Caesar de inmodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari; Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse ut auctoritate patrum coërcendum sit. pulsi tum histriones Italia.

(15) Idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo, neque minus morte amici. is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. ita, quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere, apud quos etiamtum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum adseveratione principis non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quodsi vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. ita reus cognito negotio damnatur. ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. et

1. *inr.* M: *irr.* B. — *quaest.* M. — 2. *inm.* M: *imm.* B. — 3. *tempt.* M. — *os cum* M. — 4. *levissime* M. — 5. *ut* om. M. Supplevit Victorius. — *dum* M. — 6. *adf.* M: *aff.* B. — 7. *ext.* M. — 11. *aput* M. — 12. *dixèrat* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 13. *pecunia* M. — 14. *pret.* M. — 16. *C.* M: *Gaium* B. — Habet *Silanum*, non Beroaldi *Syllanum*, M.

μιμολογεῖσθαι. (Cfr. Liv. 7, 2. Müller *Etrusker* I. p. 25. Munk de fabulis Atellanis. Lipsiae 1840.) Simul vero complectitur mimos veteresque fabulas comicas. — *pulsi*] Cfr. Suet. Tib. 37. Dio 57, 21: *τοὺς δὲ ὀρχηστὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν, ὅτι τάς τε γυναῖκας ᾔσχυνον καὶ στάσεις ἤγειρον.*

15. *alterum*] quadrimum, cuius nomen ignotum. Vellei. 2, 130. Dio 57, 14. Eckhel D. N. VI. p. 207. — *censorium funus*] Cogita funus eadem pompa iisdemque caerimoniis ornatum, quibus efferri solebant censores in magistratu mortui; censoris enim mors pro re magna et luctus plena habebatur. Liv. 5, 31. 6, 27. Idem honos habitus Claudio 13, 2. et Flavio Sabino Hist. 4, 47. De ritu Polyb. 6, 53: *οὗτοι δὲ προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους· ἐὰν δὲ τιμητής, πορφυρᾶς· ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους.* Quo loco satis distinguitur *censorium funus* a ceteris *publicis funeribus*, (Ann. 3, 48. 6, 11. et sexies in Inscr. m. Lat. N. 2744. cet.) id quod genus est, *censorium* species. — Ceterum cum censores non iam essent, honorificentior etiam videri debebat ritus ille ex vetere re publica repetitus. — *forum Augusti*] Suet. Oct. 31: *statuas omnium* (ducum, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent) *triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* — *Lucilius Capito*] Cfr. Dio 57, 23: *τὸν Καπίτωνα, τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα, ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο καὶ ἄλλα τινὰ ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι.* Cfr. eundem 53, 15. Walch. ad Agric. 4. — *adseveratione*] Vide ad C. 19. — *damnatur*] exsilio teste Dione. — *C. Silanum*] 3, 66—69. — *templum*] Huc facit nummus Smyrnensis, in quo hinc Tiberius, illinc Livia et sena-

permissum statuere; egitque Nero grates ea causa patribus atque avo, laetas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici illum adspici, illum audiri rebantur. aderantque iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

(16) Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar. nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta. pluresque eius rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur, et quoniam exiret e iure patrio qui id flaminium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret. ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset. igitur tractatis religionibus placitum instituto flaminum nihil demutari: sed lata lex qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri,

2. *adf.* M: *aff.* B. — *asp.* M. — 5. *servi* M. — 9. *ads.* M: *ass.* B. — 10. *adf.* M: *aff.* B. — *accederet* M, *accedere et* volebat Iac. Gronovius. Recepit Walther. — 11. *quoniam (quo* cum lin.) M: *quando* B. (quam part. semper omnibus litteris exhibet M, ut infra C. 31. bis, C. 32. C. 38. cet.), *quod* Ritter. — 12. *flamonium* M.

tus. V. Spanh. de usu et pr. n. I. p. 139. — *permissum statuere*] «et permissum iis est, ut statuerent templum ab ipsis decretum.» Multi prave interpretati sunt: «statuerunt templum permissum.» — Non licebat autem tales honores, ut templa, dies festos, in honorem Caesarum instituere et celebrare, nisi ipsis consentientibus. Atque interdum etiam res negata est; v. C. 37. Ern. — *grates*] urbium nomine. — *ea causa*] Intellige de ultione Capitonis. Erat enim Nero, ut videtur, patronus illarum urbium, quae accusaverant reum, ut triginta post annos Nero Caesar. 12, 58.

16. *patricios*] Cum XV. flamines essent, ex iis tres primi, instituti a Numa, Dialis, Martialis, Quirinalis (Liv. 1, 20.), nonnisi e patriciis legebantur, iique maiores dicti; alii etiam e plebeiis, appellatique flamines minores. — *confarreatis parentibus*] Dion. Halic. 2, 25: *ἦν δὲ ὁ νόμος γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν· ἐκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους Ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες Φαῤῥάκια* (quod tamen nuptiarum nomen apud Latinos non reperitur, sed semper *confarreatio*:) *ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥός, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν.* Gaius 1, 112: *Farreo in manum conveniunt per quoddam genus sacrificii* (desunt nonnulla) *farreo fit, in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dicitur. Sed complura praeterea huius iuris ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis, praesentibus decem testibus, aguntur et fiunt, quod ius etiam nostris temporibus in usu est: nam flamines maiores, id est, Diales, Martiales, Quirinales, sicut reges sacrorum, nisi sint confarreatis nuptiis* (reliqua desunt). Opponitur *diffarreatio* Inscr. m. L. 2684., in qua memoratur *sacerdos confarreationum et diffarreationum*; hae quoque sollemnium nuptiarum dissolutio fiebat libo adhibito. Fest. p. 74. Müll. Alios locos de confarreatione indicat Lipsius: Serv. ad Georg. 1, 31. ad Aen. 4, 104. et 374. Plin. 18, 3: *in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat.* Adde Ulpian. Tit. 9. Caerimoniae huic praeerant pontifex maximus et flamen Dialis. — *omissa conf. adsuetudine*] pro qua tunc plerique in manum conveniebant aut *usu* aut *coëmptione*. Gaius 1, 110: *usu in manum conveniebat, quae anno continuo nupta perseverabat; nam velut annua possessione usucapiebatur; - - coëmptione in manum*

cetera promisco feminarum iure ageret. et filius Maluginensis patri suffectus. utque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, HS. XX., et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

(17) Cornelio Cethego, Visellio Varrone consulibus pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum isdem dis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione; quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est. nam Tiberius haud umquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae inpatienter indoluit; accitosque pontifices percunctatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. et illi quidem, quamquam abnuerent, modice perstricti (etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant): ceterum in senatu oratione monuit in posterum ne quis mobiles adulescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret.

1. *promisco* M: *promiscuo* B. — 2. *utquae* M. — 4. *scantie* M. — *cupiebatur* M. — *HS. XX.* M: *sestertium vicies* B. — 6. *cos.* cum lin. M. — 9. *proinde* per compendium M. — 10. *umquam* M: *unquam* B. — 11. *inp.* M: *imp.* B. — 12. *pontificis* M. — *percontatus* M. — *praecibus* M.

conveniunt per mancipationem, quae fit per quandam imaginariam venditionem, adhibitis non minus quam V. testibus civibus Romanis puberibus, item libripende una cum muliere eoque, cuius in manum convenit. — *penes incuriam*] Singularis usus praepositionis, quae alibi ad animantia tantum spectat, in quorum potestate aliquid est. Explica: «potissimam causam esse in incuria» cet. Bach. — *et quoniam*] Manifesto haec est ex pluribus tertia causa praecipua, ob quam vitabantur confarreationes; nec cum Doederleinio divelli debet ab antecedente; maior scilicet pars mulierum, ut apparet, in patria potestate manere malebant, quam illo ritu in viri potestatem transire. — *flaminica Dialis*] uxor flaminis Dialis. Complures *flaminicas* vide in Inscr. m. L. 2208. 2225. cet. — *sacrorum causa*] quod ad res sacras pertineret; in sacrificiis enim viro adesse debebat. (*Manus* vocatur potestas mariti, plena in flamine, qui e patria potestate exierat: ceterae uxores, quarum socer vivebat, erant in *manu* mariti, in *potestate* soceri vel patris eius. Duebn.) — *feminarum*] Quae sunt vel *in potestate patris* vel avo et patre mortuis *sui iuris*. Id. — *Maluginensis*] 3, 58. et 71. — *capiebatur*] ex sollemni pontificis maximi formula: *Te, Amata, capio. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducitur.* Gell. 1, 12. Quo ritu patria potestas in eam dissolvitur. — *Vestalium*] Suet. Oct. 44: *Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatum et contra praetoris tribunal dedit.*

17. *Cornelio Cethego*] Notat Dio 57, 24. hoc anno prima decennalia Tiberii Caesaris celebrata: *πανήγυρις ἡ δεκαετηρὶς ἐποιήθη*. Quorum originem pete ab eodem 53, 16. Lips. — *vota*] Gaius in Dig. 50, 16, 233: *Post Kalendas Ianuarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* Plutarch. Cic. 2: *τεχθῆναι Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος.* Capitol. Pertin. 6: *Tertio Nonarum die, votis ipsis.* Walch. ad Agric. p. 126. (Ea vota tabulis et nummis memoriae consecrabantur. Duebn.) — *anceps*] periculosa ipsis adulatoribus. — *mobiles*] Horat. A. P. 157: *Mobilibusque decor naturis dandus et annis.* Suet. Tib. 54: *Egit cum senatu, non debere talia praemia tribui nisi ex-*

instabat quippe Seianus, incusabatque diductam civitatem ut civili bello; esse qui se partium Agrippinae vocent, ac ni resistatur, fore pluris; neque aliud gliscentis discordiae remedium quam si unus alterve maxime prompti subverterentur. (18) qua causa G. Silium et Titium Sabinum adgreditur. amicitia Germanici perniciosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. destrui per haec fortunam suam Caesar, inparemque tanto merito rebatur. nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. (19) erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae invisa principi. hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum; inmissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar: solitum quippe magistratibus diem privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur ne quod res publica detrimentum caperet.

1. *deductam* M. — 3. *aliut* M. — 4. *G.* h. l. M: *Gaium* B. — 7. *procederet* M. Correxit Rhenanus. — 12. *inparemque* M: *imparemque* B. — *ueneficia* M. — 16. *inmissusque* M: *immissusque* B. — *cons.* cum lin. M. — 17. *suum*] *sum* M. — *praec.* M.

pertis et aetate provectis. — *diductam*] iam divisam in contrarias partes ut ad civile bellum incipiendum. — *prompti*] ad aliquid audendum, ad res novas.

18. *G. Silium*] 1, 32. 2, 6. 3, 43. — *Titium Sabinum*] *Titurium Sabinum* Muretus legendum putat, quo nomine fuit quidam Iulii Caesaris legatus (B. G. 5, 24.). Etiam in nummis apud Morell. I. p. 419. sunt Titurii Sabini cum capite Tatii regis et raptu Sabinarum. Verum quidni fuerint etiam Titii Sabini, cum hoc cognomen sit variarum gentium perquam frequens? Vide modo Indices epigraphicos. Titii exitum v. C. 70. — *quanto maiore*] quanto maioris dignitatis et gloriae esset quantoque altiore adeo e fastigio rueret. Ern. — *prolaberentur*] Cfr. 1, 31. et 72. — *destrui*] utique multo efficacius verbum quam *minui*, *extenuari*. Sic Curt. 8, 14: *destruere magnitudinem alicuius*. Ruhnk. ad Vellei. 2, 30. — *fortunam*] nimis minui principatus splendorem. — *inparem tanto merito*] et Silio et ceteris Romanis persuasum esse Tiberium tantum meritum digne remunerari non posse. Non significat, quod vult Walther: «rebatur per haec effici, ut non fortuna sua, sed Silii merito ad imperii fastigium evectus esse videretur.» — *pro gratia*] Seneca Ep. 19: *Quidam quo plus debent, magis oderunt. Leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum.*

19. *priscis verbis*] veteris rei publicae; refertur autem et ad *vigiliam consularem* (Cic. Phil. 1, 1.) et ad formulam his verbis conceptam: *darent operam consules, ne quid res publica detrimenti capiat.* Sal. Cat. 29. Caesar B. C. 1, 5. — *multa adseveratione*] ut 2, 31. 4, 42. 6, 2. Est gravitate illa simulata, sed exaggerata, qua quemvis tunc facile instruebant declamatorum scholae. Minus recte Walther et Bach interpretantur *Zuverlässigkeit*, ut facile colliges ex Cap. 15. — *aut Varro consul*] iure ac libertate consulis veteris rei publicae praeditus, amara *εἰρωνείᾳ*. Notavi, quia hoc quoque a nonnullis parum intellectum est. — *aut illud*] aut quasi

proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur patres, silente reo, vel si defensionem coeptaret, non occultante cuius ira premeretur. conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata, et uxor Sosia arguebantur. nec dubie repetundarum criminibus haerebant: sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit. (20) saevitum tamen in bona, non ut stipendiariis pecuniae redderentur, quorum nemo repetebat: sed liberalitas Augusti avulsa, conputatis singillatim quae fisco petebantur. ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, censuerat. contra M. Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior: nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit. neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita prin-

1. *quo prium* M. (non *quo primum*, ut est apud Doederlein.) Emendavit Beroaldus. — 2. *ads.* M: *ass.* B. — 3. *illut* M. — 6. *socia* M, h. l., supra et infra *sosia*. — 10. *conp.* M: *comp.* B. — 11. *exilium* M. — 12. *qui et partem* suspicatur Doederlein. — 13. *M.* M: *Marcus* B. — 15. *comperior* M: *comperio* B cum ceteris praeter Beroaldum, Alciatum, Rhenanum. Auctorem habuit Tacitus Salustium Iug. 45. et 108. — 16. *sevis* M. — 17. *aput* M.

ille rerum status libera esset res publica; hoc quoque cum contemptu. — *coguntur*] a Varrone, iussu sane Tiberii. Plerique haud recte «a Tiberio;» consulis illud erat. — *uxor Sosia*] scilicet parum coërcita et prohibita ab illis deliciis, quae arguit Caecina 3, 33.

20. *stipendiariis*] Gallis provincialibus, quos exhauserat. (*Stipendiarios* vocat incolas provinciarum, quae certam quotannis pecuniarum summam solvebant, non decumas aut vectigalia maiora minorave secundum frugum et commerciorum proventum. Duebn.) — *liberalitate Augusti avulsa*] fisco petita sunt dona, quae Augustus in Silium, hominem, ut iam praetendebatur, ingratum contulerat, singillatim accurata ratione inita, quae diversis temporibus accepisset, ut constaret de summa, quae fisco vindicaretur. Ceterum utitur v. *liberalitas* ex suae aetatis consuetudine. Suet. Tib. 46: *una modo liberalitate* (donatione) *comiter prosecutus.* — *ea prima*] opponitur 3, 18. — *diligentia*] cupido alienae pecuniae, quae in ipsa illa diligenti computatione cernebatur. — *M. Lepidus*] 1, 13. 3, 35. — *legis*] Iuliae de maiestate. Suet. Tib. 61. et Dio 57, 19. magna accusatorum praemia memorant; Iosephus 19, 2. tradit Caligulam servis, qui dominos accusassent, praeter libertatem praemia proposuisse *τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν* condemnatorum. Ut octava servo, ita hic libero quarta, unde tales iam liberae rei publicae tempore *quadruplatores* dicti. — *hunc ego*] Ratio huius digressionis haec est, quod Lepidus dum praemia accusatoribus vindicat, turpiter censuisse videri poterat. Ei suspicioni occurrit Tacitus laudatione viri, qui non adulatione, sed per incorruptam legum observantiam rem per se abominandam flagitaverat, in libertate animi temperans. — *auctoritate*] scilicet in civitate vel apud senatum. Male nonnulli hoc quoque vocabulum pendere a vv. *apud Tiberium* opinati sunt. — *unde dubitare*] Cfr. omnino Agric. 42. — *ita*]

cipum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. at Messalinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus, censuit cavendum senatus consulto ut quamquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

(21) Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustae trahere in ius Urgulaniam domoque principis excire ausus erat. quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti, adiecitque in domo eius venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus; neque peractus ob mortem opportunam. relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat; atque illic

1. *illo* M. — 2. *contumatiam* M. — 3. *at*] *Ad* M. — 6. *proinde* (rursus per notam) M. — 8. *retuli* M. — *accussatorum* M. — 12. *pisonemque grauius* (sic) M. Correxit Lipsius. (*Pisonem Quintus Granius* B.) — *secretis* M. — 14. *accingtum* M. — 15. *ceterorumque multa* M. — 16. *oport.* M. — *exule* M. — 18. *efficerat* M.

scil. oriatur maneatque. — *Messalinus Cotta*] 5, 3. 6, 5. — *cavendum*] et cautum non dubie hoc anno. Si enim ante, quorsum haec sententia? Tamen Ulpianus de Off. procons. 4, 2. decretum id refert ad Cottam et Messalam coss., id est, ad quartum ante annum. Lips. Vide de hoc ICti errore ad 3, 33.

21. *feroci*] in bonam partem, forti et recti pervicaci, qui non timeat offensiones potentium, sed libere loquatur. — *ut rettuli*] 2, 34. — *Q. Granius*] egregia haec Lipsii correctio petita est ex 1, 74., ubi *Granius Marcellus*, et 6, 38., ubi *Granius Marcianus* memoratur. — *venenum*] principi paratum. Hanc certe suspicionem movere volebat accusator. — *gladio*] atqui in Urbe cum telo esse non licebat. — *atrocius vero*] tam atrox, ut incredibile esset. — *neque peractus*] sed accusatio, reo mortuo, non potuit ad exitum perduci, ut is condemnaretur. Ita Liv. 4, 42: *Vos autem, si reum perago, quid acturi estis?* Ern. in Glossario: si agente me condemnabitur. Plin. Ep. 3, 9, 30: *Est lege cautum, ut reus ante peragatur, tunc de praevaricatore quaeratur.* Alibi est reum facere, accusare. Ovid. Trist. 1, 1, 24: *Et peragar populi publicus ore reus. Tu cave defendas.* Iulianus in Dig. 48, 5, 5: *lege Iulia de adulteriis cavetur, si quidem vidua sit, de cuius adulterio agetur, ut accusator liberum arbitrium habeat, adulterum an adulteram prius accusare malit; si vero nupta sit, ut prius adulterum peragat, tunc mulierem.* — *Cassio Severo*] Cfr. 1, 72. Tac. Dial. 19: *quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via.* Ibid. 26: *in magna parte librorum suorum plus vis habet quam sanguinis.* Quintil. 10, 1, 116. Seneca Exc. Controv. L. 3. initio. Suet. Vit. 2. Nemo accuratius de eo egit quam Weichert de L. Varii et Cassii Parmensis vita. Grimae 1836. p. 190. seqq. — *immodicas*] sine ullo modo exercitas, *quoniam viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat* (1, 72.). Amotus erat Cretam iam ab Augusto, scriptis quoque eius senatus consulto abolitis. Suet. Cal. 16. — *iurati senatus*] Id erat, cum in rebus gravioribus senatores deos testes invocabant se censi-

eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seripho consenuit. (22) per idem tempus Plautius Silvanus praetor, incertis causis, Aproniam coniugem in praeceps iecit; tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. refert ad senatum, datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. quod perinde creditum quasi principis monitu, ob amicitiam Augustae cum Urgulania. reus frustra tentato ferro venas praebuit exsolvendas. mox Numantina, prior uxor eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.

(23) Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. nam priores duces ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant; iamque tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui, Ptolemaeo Iubae filio iuventa incurioso,

1. *exsutus* M. — 2. Habet *Seripho* M. Ante Bekkerum edebant *Seriphio*. — 3. *aproniem* M. — 4. *L.* M: *Lucio* B. — 8. *pugione* M. — 9. Habet *perinde* h. l. M. — *principes* M. — 10. *temptato* M. — 12. *insons siiudicatur* (duplicatis alterius vocis littera finali, alterius initiali) M. — 14. *ubi*] *sub* M. Correxit Lipsius, ante quem edebant *sibi*. — 16. Habet *raptabat* M, item Beroaldus. Inde ab Alciato usque ad Lipsium, qui denuo correxit, edebant *reptabat*. — 17. *ptolemeo* M.

turos, quod e fide sua eque re publica videretur. Liv. 30, 40: *Patres iurati (ita convenerat) ita censuerunt, uti consules provincias inter se compararent.* coll. 42, 21. Alios locos congessit Lipsius. Plin. Epp. 5, 14: *Flavius Aper Dextrum, qui primus diversum censuerat, prolata lege de senatu habendo, iurare coëgit, e re publica esse, quod censuisset*; quam legem Augusti ipsius fortasse fuisse arbitratur Casaubonus ad Suet. Oct. 35., non Traiani, ut h. l. vult Lipsius. — *saxo Seripho*] «insula, quae nihil aliud est nisi saxum;» h. *Serfino*. Strabo 10. p. 487: *Οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος, ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες.* — *consenuit*] Nam Hieronym. in Chron. ad a. u. 786. pag. 423. Ed. Roncall.: *Cassius Severus, orator egregius, qui Quintianum (Quinctilianum* Cod. Rav.) *illud proverbium luserat, XXV. exsilii sui anno in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Fortasse octoginta et amplius vixit annos. v. Weichert p. 203.

22. *in praeceps*] per fenestram cubiculi. Simile inauditi facinoris exemplum memoratur a Quintiliano 7, 2, 24: *id est in causa Naevii Arpiniani solum quaesitum, praecipitata esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset.* — *impulsae*] vi protrusae. — *Urgulania*] 2, 34. 4, 21. — *pugionem - misit*] signum necessitatis; «ne dedecori esset nepos publico supplicio affectus.» DUEBN. — *venas praebuit*] fido alicui servo.

23. *longo*] per septem annos gesto inde ab a. 770. 2, 52. — *tres*] Furii Camilli 2, 52., L. Apronii, ut videtur, 3, 21., Iunii Blaesi 3, 72. De statuis triumphalibus v. Plinium 33, 46. Tac. Agr. 40: *triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem* cet. — *Ptolemaeo*] Quem post regnum XX. annorum Caius interfecit a. 793. Suet. Cal. 26: *Ptolemaeum, regis Iubae filium, consobrinum suum, erat enim et is M. Antonii ex* (Cleopatra) *Selene filia nepos, interfecit.* Dio 59, 25. Seneca de Tranq. 11: *Ptolemaeum, regem Africae, Mithridatem Armeniae, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est: alter ut meliore fide mitteretur, optabat.* Ex verbis Senecae apparet, dimissum Ptolemaeum; sed per viam iussu Caii inter-

libertos regios et servilia imperia bello mutaverant. erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quae ex longinquo in maius audiebantur; ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res a Blaeso gestas, quasi nullis iam in Africa hostibus, reportari nonam legionem iusserat, nec pro consule eius anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa principis magis quam incerta belli metuens. (24) igitur Tacfarinas disperso rumore rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti quibus libertas servitio potior incubuissent, auget vires, positisque castris Thubuscum oppidum circumsidet. at Dolabella contracto quod erat militum, terrore nominis Romani, et quia Numidae peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium, locorumque opportuna permunivit; simul principes Musulamiorum defectionem coeptantes securi percutit. dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemaeo quattuor agmina parat, quae legatis aut tribunis data; et praedatorias manus delecti Maurorum duxere: ipse consultor aderat omnibus. (25) nec multo post adfertur Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse, fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur. simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in bar-

4. *fortune* M. — 7. *P.* M: *Publius* B. — 12. *ad* M. — 15. *ceptates* (sic) M. — 17. *popularibus recepto leameo* M. — 18. Habet *aut* M, non *ac*, uti edebant ante Iac. Gronovium. — 20. *adf.* M: *aff.* B. — *aput* M. — 23. *ignare* M.

fectum. Lips. — *mutaverant*] maluerant belli pericula subire, quam servili libertorum imperio subesse. Nam *servilia imperia* sunt libertorum, quibus nimium potestatis permiserat Ptolemaeus, et per contemptum servi vocantur, ut alibi. Ern. — *e provincia*] Africa Romana. — *nonam*] 3, 9. — *P. Dolabella*] Grut. 396, 1: *P. CORNELIO. DOLABELLAE. COS. VII. VIRO. EPVLON. SODALI. TITIENSI. LEG. PROPR. DIVI. AVGVSTI. ET. TIB. CAESARIS. AVGVSTI. CIVITATES. SVPERIORIS. PROVINCIAE. ILLYRICI.* Adde nummum Tiberii in Africa signatum, in cuius aversa Livia sedens velata cum epigraphe *PERMISSV. P. DOLABELLAE. PROCOS.* apud Vaillant NN. Col. I. p. 91.

24. *incubuissent*] irruissent in Romanos. Duebn. — *Thubuscum*] Mauritaniae Caesariensis, idem fortasse, quod alibi Tubusuptus et Succabar dictum. Plin. 5, 2. Lips. — H. vel *Tubur* vel *Tubernock*. *sui*] pro *suo*, ut 2, 13: *sui fama*. 6, 7: *ad subsidium sui*. Suet. Caes. 30: *adventu suo*, ubi Cod. Salmas. optimus *sui*. Walth. Ἔμφασις quaedam in est huic modo ipsam personam agentem significantius indicans quam pronomine possessivo actionem dumtaxat. — *delecti*] talis belli periti ex Ptolemaei copiis auxiliaribus.

25. *Auzea*] in regione Syrtica inter Leptim magnam et Cinyphum. — *mapalibus*] 3, 74. — *praepeditis*] Compediti, ligati erant pedicis, ne in pascendo equi noctu longius evagarentur, ut de Persis Xenoph. Ἀναβ. 3, 21: *οἵτε γὰρ ἵπποι αὐτοῖς δέδενται καὶ ὡς ἐπιτοπολὺ πεποδισμένοι εἰσί, τοῦ μὲν φεύγειν ἕνεκα,*

baros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. infensus miles memoria laborum et adversum eludentis optatae totiens pugnae, se quisque ultione et sanguine explebant. differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consectentur; nonnisi duce interfecto requiem belli fore. at ille deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis, ruendo in tela, captivitatem haud inulta morte effugit. (26) isque finis armis inpositus. Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blaesi avunculi eius laus obsolesceret. sed neque Blaesus ideo inlustrior, et huic negatus honor gloriam intendit: quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat. cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret.

2. *turamae* M. — *proelia* (sic) M, *praelio* B. — 4. *capi, trahi, occidi* mavult Doederlein. Tacitus consulto huius proelii tumultum expressit: «omnes *trahebantur*, ex his alii *occidebantur*, nimirum seniores atque infirmiores, vel etiam pervicacius resistentes, alii iuniores et formosiores *servituti destinabantur.*» — 5. Habet *eludentis* et *totiens* M. — *si quis* M. (*se quisque* correxit iam Beroaldus.) — 6. *oms* cum lin. M. — 7. *ducei* M. — *delectis* M. Correxit I. Fr. Gronovius. — 9. *multa* M. — 10. *inp.* M: *imp.* B. — *potenti* M. — *trumphalia* M. — 12. *inl.* M: *ill.* B. — 13. *exercitum* M. — Habet *insignis* M. — 15. *culpae conscia* volebat Lipsius, *nec culpae nescia* Ryckius, *culpae non nescia* Iac. Gronovius. — *P. R.* M. — 16. *ptolomei* M. — 17. *more omissusque* M. Emendavit Lipsius. (*more honos missusque* mavult Doederlein.)

εἰ λυθείησαν. — *differtur*] sive imperium ducum sive militum mutua cohortatio. — *deiectis*] prostratis, ut Martial. 1, 61: *deiecta pascitur ille fera.* Phaedr. 2, 1: *Super iuvencum stabat deiectum leo.* Tac. Ann. 11, 29., tanto aptiore verbo, quod de equis haud dubie deiecti sunt stipatores, ut Liv. 4, 19. Doed.

26. *tribuens*] Dolabellae petenti ea negavit Seiani causa. — *culpae nescia*] Dictum hoc est ex Romana superbia de barbaris idiotis. Garamantum rex eiusque populares nesciebant, quantam culpam contraxissent Tacfarinatem iuvando contra Romanos, orbis terrarum dominos. Aliter Doederlein: «Rex tantum Garamantum (C. 23.), non ipsa gens Tacfarinati opem tulerat; neque enim ille cum exercitu incesserat, sed leves copias, mercenarias fortasse miserat. Ergo nolebat gens se plecti, quidquid deliravisset rex suus.» At legati procul dubio non a gente, sed a rege Romam missi sunt. Verum, quomodocunque acceperis, reicies et Lipsii *culpae conscia* et Ryckii *nec culpae nescia.* — *pictam*] acu, aureis et versicoloribus filis intertextam, qua triumphantes ornabantur. Duebn. — *antiqua patrum munera*] Quae iam Porsennae regi missa a senatu (fabulose, ut videtur,) narrat Dionys. Hal. 5, 35. Certius testimonium Livii 30, 15: *Ibi Masinissam primum regem appellatum eximiisque ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea et scipione eburneo, toga picta et palmari tunica donat; addit verbis honorem.*

(27) Eadem aestate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. auctor tumultus T. Curtisius, quondam praetoriae cohortis miles, primo coetibus clandestinis apud Brundisium et circumiecta oppida, mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. et erat isdem regionibus Cutius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more calles evenerat. is disposita classiariorum copia coeptantem cum maxime coniurationem disiecit. missusque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audacia in urbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebat inmensum, minore in dies plebe ingenua.

(28) Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in senatum inducti sunt, ab exsilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena

1. *oppresit* M. — 2. *T.* M: *Titus* B. — *quodam* cum lin. M. — 3. *aput* M. — 5. *froricia* M. Correxit Beroaldus. (*ferociora* parum probabiliter mavult Doederlein.) — *adp.* M: *app.* B. — 6. *Cutius* M: *Curtius* cum Edd. inde a Beroaldo B. At sunt et *Cutii* et *Cutiae* complures vel apud unum Gruterum. V. Indicem. Cur ergo mutemus? — 7. *calles* M: *Cales* Lipsio auctore Bekkerus et Ritter. Ut nos, Iac. Gronovius, Ruperti, Doederlein. — 8. Habet *cum*, non *tum* Beroaldi, M. — *coniuratione* M. — 9. *cesare* M. — 10. *audatia* M. (Ante Bekkerum edebant *audaciae*.) — *trepida op* (sic) M. — *familiarumque gl.* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — 12. *cos.* cum lin. M. — *sevitiae* M. — 13. *accussator* M. — *nomen uirique uibius* M, non ut narratur apud Bekkerum: *nomenque viri q. vibius.* Correxit Lipsius. (Mero Furiae vel Bekkeri errori originem debet infelix Seyfferti coniectura: *nomenque viri Q. Vibius.* Praenomen idem utrique praemitti nihil attinebat.) — 14. *exilio* M. — *inl.* M: *ill.* B.

27. *longinquos*] late extentos, ubi procul ab oppidis facilius occultiusque conspirare poterant. — *commeantium*] maxime in Graeciam Asiamque a Brundisio traiicientium. — *calles*] Suet. Caes. 19: *Opera optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est, silvae callesque decernerentur. Calles Italiae* vocabantur regiones silvestres a tergo Campaniae mare superum sive Adriaticum versus, illae ipsae, in quis tumultus ortus. His ob reditus ex pascuis et pecoribus *quaestor* praeerat, quae *callium provincia* dicta. Nam *calles* proprie sunt semitae pecorum vestigiis perduratae. Dübn. Sic certe Servius ad Virg. Aen. 4, 405. Isidorus Orig. 15, 16, 20: *Callis est iter pecudum inter montes angustum et tritum, a callo pecudum perduratum.* Huius quaestoris praecipuum munus fuisse videtur, ut invigilaret atque exigeret scripturam, id est, vectigal pascuorum in agro publico, quae per illas praesertim regiones late extendebantur; sine dubio etiam latrocinia arcere debebat ibi, ut hodie, frequentia. Lipsius dedit *Cales* (hodie *Calvi*), quasi vero quaestor ibi sedem habuisset, nisus maxime Livii loco 25, 3: *Nero praetor Suessulam sortitur.* Verum aliud est a. u. 542. tempore belli Punici secundi praetoria provincia Suessula, item Etruria et Apulia (quae ibidem memorantur), aliud huiuscemodi quaestoria a. u. 777. Firmari potius aliquatenus poterat ex Dione 55, 4. ad a. u. 745.: (Augustus) *ταμίας ἔν τε τῇ παραλίᾳ τῇ πρὸς τῇ πόλει καὶ ἐν ἑτέροις τισὶ τῆς Ἰταλίας χωρίοις ἄρχειν ἐποίησε· καὶ τοῦτο καὶ ἐπὶ πλείω ἔτη ἐποίησε.* 60, 24. ad a. u. 797. (Claudius) *τοῖς μὲν οὖν ταμιείαις τὴν διοίκησιν ἀντὶ τῶν ἀρχῶν τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἔξω τῆς πόλεως ἀντέδωκε· πάσας γὰρ αὐτὰς ἔπαυσε.* coll. Suet. Claud. 24. Quod autem Pighius Ann. I. p. 469. narrat de Calena provincia ex Dione, ut ait, sed loco non indicato. per errorem partim ex priore loco 55, 4., partim ex Lipsii adnotatione duxisse videtur: nam certus locus de provincia Calena nusquam exstat, ut fatetur ipse Lipsius; pro callium pro-

vinctus perorante filio: praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam; qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. at contra reus nihil infracto animo, obversus in filium quatere vincla, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exsilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. adseverabatque innocentem Cornutum et falsa exterritum; idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse. (29) tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tuberonem nominat, magno pudore Caesaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis et turbandae rei publicae accerserentur, sed hi quidem statim exempti: in patrem ex servis quaesitum, et quaestio

1. *peroranti* M. Correxit *perorante* Memmius. (*pater orante* Freherus: quam coni. receperunt ipse religiosissimus ille Walther, deinde Ritter et Doederlein. Sed vim orationis iterato voc. *pater* tam misere debilitasse Tacitum quis, quaeso, credat? Contra vim egregie auget atque extollit v. *filio*. (*imperante* prorsus ἀκύρως Seyffert.) *Perorante* h. l. est «oratione diligenter ad artis praecepta elaborata patrem alacriter accusante.» — *praeparatur* M. Correxit Venturius. — 2. Habet *missos* M, non *missosque* Lipsii. — 4. *tedio* M. — 7. *exilium* M. — *tale* M. — 8. *ads.* M: *ass.* B. — 9. *si*] *nisi* Seyffert; falso. Hoc dicit Tacitus: «ubi filius meus alios prodiderit conscios, statim hi se firmis argumentis crimine dissolvent, adeoque eum impudenter stulteque mentitum esse facile erit intellectu.» — 10. *accussator* M. — *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeum* B. — 13. *publice* M. — *accerserentur* M: *arcesserentur* B.

vincla clarum habemus Suetonii testimonium et Codicis lectionem. Mirifice etiam congruunt vv. *servitia agrestia per longinquos saltus*, quorum cura qualiscunque maxime propter fugitivos huic quaesturae videtur fuisse iniuncta. Accedit, quod vix intelligitur, quomodo Cutius tam celeriter a Calibus Brundisium ad opprimendum Curtisium pervenerit. Et quod dicit Ernestius: «Rem maritimam mandatam fuisse Cutio patet e sequentibus; nam qua ope opprimit servos? nempe per classiarios, quos sub manu habebat: ergo maritimam rem curavit et maritimam provinciam habuit; quae nulla alia esse potuit quam Calena:» profecto non vidit classiarios fuisse trium illarum biremium supra memoratarum, qui sane quaestori operam navare debebant. Adde denique Cales oppidum, inter Capuam et Teanum situm, minime maritimum esse nulloque pacto ad rem navalem accommodatum. — *Staius*] Apud Grut. 1087, 1. a. u. c. 784. memoratur *M. STAIVS FLACCVS*, duumvir Nolae. — *ob multitudinem familiarum*] Hoeck *Röm. Geschichte* II. p. 131. putat in Urbe fuisse circiter 1,000,000. mancipia. — *inmensum*] ut 3, 30., *aeternum* 3, 26. 12, 28.

28. *ab exsilio*] Amorgo C. 13. — *perorante*] causam, accusante. — *praeparatus*] ornatus, antequam in curiam introiret. Male nonnulli distinguunt: *praeparatus adolescens* (ad accusandum patrem), *multis munditiis*. — *ministravisse*] rursus simplex pro composito hac in re usitato *sumministravisse*. — *falsa exterritum*] constructionem eandem esse atque horum: *contremiscere iniurias*, *horrere arma* notat Crollius; ἐκπλήττεσθαι. Magis solitum sane esset *ad falsa*, *per falsa*. — *cogitasse*] pro cogitaturum fuisse. Duebn.

29. *Cn. Lentulum*] Dio 57, 24: *Λεντούλου δέ τινος βουλευτοῦ φύσει τε ἐπιεικοῦς καὶ τότε ἐν γήρᾳ πολλῷ ὄντος κατηγόρησέ τις ὡς ἐπιβεβουλευκότος τῷ αὐτοκράτορι· καὶ ὁ μὲν Λεντοῦλος (παρῆν γάρ) ἀνεκάγχασεν. ὁ δὲ Τιβέριος ἐπιθορυβησάσης τι πρὸς τοῦτο τῆς γερουσίας, Οὐδὲ ζῆν ἔτι, ἔφη, ἄξιός εἰμι,*

adversa accusatori fuit. qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit urbe. ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversum exsulem Serenum. nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem litteris exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores. ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent. (30) dictis dein sententiis ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum cum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens, dandosque vitae usus cui vita concederetur. ita Serenus Amorgum reportatur. et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset. ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum, palam pro accusatoribus, Caesar inritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura quam custodes eorum amoverent. sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et ne poenis quidem umquam satis coërcitum, per praemia eliciebantur.

(31) His tam adsiduis tamque maestis modica laetitia intericitur, quod C. Cominium equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum,

1. *scaelere* M. — 3. *non cultante* M. — 4. *adversum* M: *adversus* B. — *exulem* M. — 6. *contumatius* M. — *aput* M. — 8. *variae* M. — *pervicatia* M. — 11. *cum* om. M; supplevit Muretus. — Habet *censeret* M, non Lipsii *censere*. — 12. *referrens* M. — 13. *amor cum* (sic divise) M. — 14. *premiis* M. — 16. *ni durius*] *medurius* M. — *accussat.* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 19. *et ne poenis quidem umquam* dedi de Bekkeri suspicione: *et poenis quidem umquam* M, *et poenis quidem nunquam* Edd., qua in lect. *quidem* *παρέλκει*. — 20. *premia elicebantur* M. — 21. *ads.* M: *ass.* B. *intericitur* M: *interiicitur* B. — 22. *C.* M: *Gaium* B.

εἴγε καὶ Λεντοῦλός με μισεῖ. — *robur*] Tullianum in carcere publico. Sal. Cat. 55. Festus p. 264. Müll.: *Robus* (sic) *quoque in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur*, id est, roboreis parietibus olim cinctum erat. Adhuc hodie exstat sub ecclesia dicta *San Pietro in carcere.* — *saxum*] Tarpeium, unde praecipitabantur facinorosi, ut 2, 32. — *parricidarum poenas*] Modestinus in Dig. 48, 9, 9: *Poena parricidii more maiorum haec instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo et vipera et simia, deinde in mare profundum culleus iactetur.* Cic. pro Roscio Amer. 25. — *Libonem*] cuius inter accusatores fuerat. 2, 30. — *tantum*] tantummodo, non *τοσόνδε*.

30. *more maiorum*] 2, 32. Suet. Ner. 49. — *intercessit*] iure tribunitiae potestatis. — *Gyaro*] hodie aut *Chiero* aut *Ioura*, *Donusa* h. *Stenosa*, inter Cyclades. De Donusa v. Heynium ad Virg. Aen. 3, 125. — *de praemiis*] Quartam partem bonorum publicatorum accipiebant. Cfr. C. 20. — *in praecipiti*] summo in discrimine. — *et ne poenis quidem umquam*] Multo verior mihi videtur haec sententia quam vulgatae *et poenis quidem numquam*, etsi acriter a Bachio defensae, non vidente, sic particula *quidem* minus recte usurum fuis-

Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. quo magis mirum habebatur gnarum meliorum, et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle. neque enim socordia peccabat; nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur. quin ipse, conpositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. at P. Suillium quaestorem quondam Germanici, cum Italia arceretur convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit, tanta contentione animi ut et iurando obstringeret e re publica id esse. quod aspere acceptum ad praesens, mox in laudem vertit regresso Suillio; quem vidit sequens aetas praepotentem, venalem, et Claudii principis amicitia diu prospere, numquam bene usum. eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat. eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, exsilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

(32) Pleraque eorum quae rettuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit qui veteres populi Romani res conposuere. ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina

1. *praecibus* M. — 4. *cael.* M. — 5. *conp.* M: *comp.* B. — *solucius* M. — 6. *P.* M: *Publium* B. — Habet *Suillium* M, ut est apud Ovidium ex Ponto 4, 8, 1., in Fastis Capitol., Gruteri 104, 6. (*Suilium* Lipsius, Walther.) — 8. Habet *cepisse*, non Beroaldi *coepisse*, M. — Habet *amovendum*, non Beroaldi *ammovendum*, M. — 9. *uteiurando* (sic) M. Correxit Beroaldus. (*ut se iurando* Doederlein. Sed ad quid tandem *se* obstrinxit?) — *e r. p.* M. — 12. *numquam* M: *nunquam* B. — 14. *libonem* M. — *inl.* M: *ill.* B. — *iudicio* M. Correxit Vertranius. — 15. *exilium* M. — *depc.* cum lin. M. — 19. *copossiuere* (cum lin. super priore litt. *o*) M, *composuere* B.

se Tacitum. Hoc videlicet significat: «posse quidem etiam leniore modo coërceri delatores, si princeps iis aures non praebeat, sed ne poenis quidem falsi indicii deterritos esse.» Fortasse hic cogitavit de initiis Domitiani, qui teste Suet. 9: *fiscales calumnias magna calumniatorum poena repressit; ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non castigat, irritat;* unde part. *umquam*, significans, id ad suum usque tempus interdum factum esse, sed frustra semper; paullo post enim sub Domitiano gliscebant delatorum scelera.

31. *adumbrata*] simulata; sic Cic. Agr. 2, 9: *comitia adumbrata* opponit *veris*. — *conpositus*] cum arte et simulatione loquens. — *eluctantium*] vix ac difficulter exeuntium ex ore. Statius Achill. 1, 525: *Tandem fessa tremens longis mugitibus ora Solvit et oppositum vox eluctata furorem est.* — *P. Suillium*] Cfr. 13, 42. Per duplex *l* est etiam Grut. 104, 6. Plerique edebant *Suilium*. — *arceretur*] senatus consulto. — *ob rem iudicandam*] est formula, qua utitur etiam Cic. in Verr. Act. 2, 2, 32. et 48. — *ut rettuli*] 2, 27.

32. *praeverterent*] sepositis externis ad interna sese converterent. Sic Horat. Sat. 1, 3, 38: *Illuc praevertamur.* Plin. Epp. 5, 15: *Praevertor ad ea* cet., potius me verto. Frequentior autem deponentis forma. — *agrarias frumentariasque*] Sem-

libero egressu memorabant. nobis in arto et inglorius labor: immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res, et princeps proferendi imperii incuriosus erat. non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur. (33) nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic converso statu, neque alia re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates proelio-

1. Habet *arto*, non Beroaldi *arcto*, M. — *immo ita quippe* M. — 3. *imperi* M. — 4. *sepe* M. — 6. Habet *iis*, non *his* Beroaldi, M. — *consciata* M. Correxit Ernestius, ante quem edebant *constituta*. — 8. *noscendi* M. Correxit Beroaldus. — 11. *re Romana*] *rerum* M. Correxit Lipsius. — 14. *oblectationes* M. — *adf.* M: *aff.* B. — *praeliorum* M: *praeliorum* B.

pronias Gracchorum significat. — *egressu*] quantum vellent, in rebus internis enarrandis versantes atque immorantes. *Egressu* autem dicit, non *ingressu*, quia ab externis egrediebantur. Ipse autem libens hic egreditur, ne continuo saeva et atrocia narrare necesse habeat. — *in arto*] Iam inde a Mureto comparant Virg. Georg. 4, 6: *In tenui labor; at tenuis non gloria.* — *motus*] causae atque initia. Plin. Epp. 3, 4: *Audisti consilii mei motus.* Cfr. Liv. 27, 9: *Ex parvis rebus saepe magnarum momenta pendent.*

33. *consociata rei publicae forma*] Qualem Polybius dicit Romanam 6, 9. et praesertim 11: *Ὅτε μὲν εἰς τὴν τῶν ὑπάτων ἀτενίσαιμεν ἐξουσίαν, τελείως μοναρχικὸν πολίτευμα ἐφαίνετ' εἶναι καὶ βασιλικόν· ὅτε δὲ εἰς τὴν τῆς συγκλήτου, πάλιν ἀριστοκρατικόν· καὶ μὴν εἰ τὴν τῶν πολλῶν ἐξουσίαν θεωροίη τις, ἐδόκει σαφῶς εἶναι δημοκρατικόν.* Ac fortasse Tacitus Ciceronis de re publica libros respexit, qui 1, 29: *Itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse censeo, quod ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus.* Cfr. ibid. C. 35. et 45. — *si evenit*] si uspiam est (vel exstitit). — *et quibus*] Hinc variatur structura, ac si scriptum esset, *qui cognoverant vulgi naturam et quibus* cet. Doebn. — *temperanter*] cum ita regitur, ut neque iniuriis exacerbetur, neque adulationibus aut nimia libertate lasciviat. Freinsh. — *re Romana*] «etsi nec in regno vivimus nec regem habemus, sed civitatem et in plerisque veteris rei publicae formam, tamen sub principe status, in quo nunc sumus, reapse nihil differt a regno nisi nomine. — *haec*] ea, quae hactenus exposui de actis ac saevitia Tiberii, ad pernoscendum principatus ingenium satis utilia. — *retinent*] Comparant Thucyd. 1, 22: *Καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται.* Cicero Fam. 5, 12. ad Lucceium historicum: *Varietas in scribendo plena cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit.* — *redintegrant*] Varietas ipsa lectoris animum rursus attentiorem reddit, si forte narratione continua rerum nimis similium aliquantum delassatus est. — *easdem*] pares exitus a paribus causis. Intelligit accusationes et iudicia eundem semper exitum (condemnationis nimirum) nacta. Admodum enim paucis, ut vidimus, pepercit Tiberius. Ceterum male nonnulli v. *exitu* interpretantur *exitio*, *Untergang*. — *obvia*] «frequente, semper redeunte ac prope inevitabili» malim explicare quam cum Doederleinio «obstante». — *tum quod*] «Altera causa est, cur mei annales multos minus delectent, quod haud paucorum,

rum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam, Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent. utque familiae ipsae iam exstinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. sed ad incepta redeo.

(34) Cornelio Cosso, Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes. id perniciabile reo,

2. *permitiem* (sic) M. — 4. *sac*. M. — 5. *at*] *ad* M. — 6. *infamias* (in fine versus) M («ut *glorias* Lib. 3, 45.» Roth ad Agr. p. 113.): *infamiam* cum Lipsio B. — *utquae* M. — 7. *ext*. M. — 9. *utanimis* M. Correxit Lipsius. — *sed ancepto* (sic, non, ut narrant Walther, Ritter, Doederlein, *ancepta)* M. Correxit Beroaldus. — 10. *cos*. cum lin. M. — 12. *M*. M: *Marco* B. — *C*. M: *Gaium* B. — 14. *permitiabile* (sic) M.

de quibus trado, posteri manent. Reliqua *διὰ μέσου* posita sunt. Doed. — *infamias*] varii generis infamiam. Pluralis hic est saltem apud Plautum Pers. 3, 1, 19. et commendat hanc lectionem notum Taciti studium variandi in talibus et abstracta in plurali ponendi. 1, 74: *audacias hominum*. 4, 67: *occulti luxus*. 14, 4: *parentium iracundias* cet.; etsi haud diffiteor *s* oriri potuisse ex geminatione sequentis litterae, qua versus incipit. — *infensos habet*] offendit, quasi virtutibus nimis propinquis et eiusdem aetatis notentur vitia quae obtinent contraria. Dübn.

34. *Cornelio Cosso*] filio *Cn. Cornelii Cossi Lentuli* cos. a. 753. Alterius nomen integrum est *M. Asinius M. F. Agrippa*. — *laudatoque*] «in quibus annalibus Brutum laudaverat;» nam ablativi participiorum perf. pass. a Livio et Tacito non semper vulgari sensu, sed nonnunquam ita ponuntur, ut res eodem, non praeterito, tempore gestae designentur. Walch ad Agr. 14. p. 217. 2, 59: *levavit apertis horreis pretia frugum*. 16, 21: *virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea*, interficiendo Thraseam cet. — *C. Cassium*] Hoc quidem Bruti ipsius elogium fuit de Cassio iam mortuo, publiceque dixit: *ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κάσσιον*. Plut. in Bruto p. 1005. Inde ergo magnificam eam vocem Cremutius sumpsit. Neque aliter Romanus quispiam, Philopoemenem laudans, ultimum Graecorum dixit; quod in eodem Plutarcho legas p. 356. At in similem sententiam de Bruto et ad Brutum Lucanus canit 7, 588: *O decus imperii, spes o suprema senatus, Extremum tanti generis per secula nomen*. Lips. Suet. Tib. 61. Brutum et Cassium ab eo *ultimos Romanorum* vocatos dicit. Dio 57, 24: *Κρεμούτιος Κόρδος αὐτόχειρ ἑαυτοῦ γενέσθαι, ὅτι τῷ Σηϊανῷ προσέκρουσεν, ἠναγκάσθη. οὕτω γὰρ οὐδὲν ἔγκλημα ἐπαίτιον λαβεῖν ἠδυνήθη (καὶ γὰρ ἐν πύλαις ἤδη γήρως ἦν καὶ ἐπιεικέστατα ἐβεβιώκει), ὥστε ἐπὶ τῇ ἱστορίᾳ, ἣν πάλαι ποτὲ περὶ τῶν τῷ Αὐγούστῳ πραχθέντων συντεθείκει, καὶ ἣν αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνεγνώκει, κριθῆναι, ὅτι τόν τε Κάσσιον καὶ τὸν Βροῦτον ἐπῄνεσε καὶ τοῦ δήμου τῆς τε βουλῆς καθήψατο· τόν τε Καίσαρα καὶ τὸν Αὔγουστον εἶπε μὲν κακὸν οὐδέν, οὐ μέντοι καὶ ὑπερεσέμνυνε; ταῦτά τε γὰρ ᾐτιάθη, καὶ διὰ ταῦτα αὐτός τε ἀπέθανε καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκάστοτε ἀρχόντων ἐκαύθη, ὕστερον δὲ ἐξεδόθη αὖθις (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά·) καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπὸ τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο.* — *Satrius Secundus*]

et Caesar truci vultu defensionem accipiens; quam Cremutius, relinquendae vitae certus, in hunc modum exorsus est: «verba mea, patres conscripti, arguuntur; adeo factorum innocens sum. sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt; Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistulae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum

2. *P. C.* M. — 5. *cum posuerint* M. — 6. *Titus* omnibus litteris M. — 7. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeum* B. — 9. *prutum* M. — 10. *vocabulum ponuntur* M. Correxit Beroaldus. — *insigni* M. — 11. *Messalla* M: *Messala* B. — 12. *opibus aeque atque honoribus*, ut Hist. 4, 5., mavult Doederlein. — 13. *Marci* omnibus litteris M. — 14. *iudices* M. — 15. Habet *epistulae* M. — *contiones* M: *conciones* B.

Seneca Cons. ad Marciam, huius Cremutii filiam, C. 22: *Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Seianum in cervices nostras non imponi quidem, sed escendere*, id est, pedetentim et per gradus imperatorem fieri. Lips. Argutum quidem illud *dictum*, in quo offendit Seianus, inter amicos a Cordo prolatum esse consentaneum est, neque vero in eius Historia locum habere poterat, quippe quam, si Dioni fides tribuenda, iam Augustus legisset. — *Scipionem*] Est Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, socer Cn. Pompeii, a. 707. ad Hipponem Regium oppressus a P. Sitio. V. Onomasticum meum Tullianum p. 105. — *Afranium*] cos. a. 694., postea legatum Pompeii, interfectum ab eodem P. Sitio a. 707. — *Asinii Pollionis*] Qui XVII. libros Historiarum scripsit, auctore Suida. Citat Suet. Caes. 30. et de cl. Gramm. 10. Cfr. Horat. C. 2, 1, 1. Vide Thorbeckii Commentationem de eius vita et scriptis. Lugd. Bat. 1820. — *Messalla*] fautor Tibulli, scripsit item de bellis civilibus. Heeren de font. Plutarchi p. 175. Verbum *praedicabat* Pabst Ecl. Tacit. p. 128. non ad Messallae librum, sed ad dictum aliquod eius refert; recte, puto; nam in historia vix pluries, quod significat imperf., Cassium ita praedicare poterat. — *imperatorem suum*] Fuerat Messalla in acie Philippensi. — *perviguere*] «valde viguere;» nunc est ἅπαξ λεγόμενον. — *Catonem*] Inscriptus erat simpliciter *Cato*. Plut. Caes. p. 753. Gell. 13, 19. Cicero ipse ad Fam. 7, 25. ad Att. 12, 40. 13, 46. — *quid aliud*] βραχυλογία pro «quid aliud fecit, quam ut responderet?» — *oratione*] Plutarch. Caes. p. 733. Quintil. 3, 7, 28. Iuven. 6, 337. Gell. 4, 16. et Cicero ipse Topic. 25: *Caesar omnium στάσεων generibus usus est nimis impudenter contra Catonem meum* (in Anticatonibus duobus de vitiis Catonis. Cfr. Suet. Caes. 56.). — *Bibaculi*] Est Furius Bibaculus turgidus poëta, historicus et grammaticus, de quo vide me ad Horat. Sat. 1, 10, 36. et 2, 5, 41. Quintil. 8, 6, 17. — *Catulli*] veluti Carm. 29. 54. 57. 93. — *divus Iulius*] Suet. Iul. 73. Plutarch. in Cic. p. 886.

35. *non modo - - etiam*] Hist. 2, 27: *nec solum apud Caecinam - - Fabii quoque*. — *an*] Pichena aliique malebant *at*; Gronovius *num* pro *utrum* positum putabat, cui hoc *an* opponatur; Broterius *an* explicat *annon*, *nonne*. Rectius Walther: «Qui interrogat: *utrum* . . . ? *an* . . . ?

probra, sed multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. (35) non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis quos mors odio aut gratiae exemisset. num cum armatis Cassio et Bruto, ac Philippenses campos optinentibus, belli civilis causa, populum per contiones incendo? an illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent? suum cuique decus posteritas rependunt; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminerint.» egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. libros

1. *set* M. — 3. *relinquere* M. — 4. *spraeta* M. — *exsol.* M. — *adgn.* M: *agn.* B. — 7. Habet *gratiae*, non Beroaldi *gratia*, M. — 8. *cum*] *eum* M. — *philipensens* (sic) M. — 9. *opt.* M: *obt.* B. — *contiones* M: *conciones* B. — 10. *peremti* M. — 11. *nec* M: *ne* I. Fr. Gronovio auctore B. — *adolevit* M. — 12. *rependunt* M: *rependit* Beroaldo auctore B. — 13. *derunt* M. — *sed et etiam* M.

exspectat, ut interrogatus affirmet unum aut alterum, neque ipse iudicat, utrum sit verum. At qui interrogat: *num . . .? an . . .?* is interrogando negat prius, affirmat alterum.» Eadem huius loci ratio est. «*Num . . . incendo?* Non ego. *An . . . retinent?* Retinent.» Sic Cic. de Leg. 2, 2: *numquid vos duas habetis patrias? an est una illa patria communis?* Id. Lael. 8: *Illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, an esset antiquior et pulchrior magis a natura ipsa profecta alia causa.* — *quidem*] Doederlein: «*quidem* non video, quo referam. Suspicor: *an illi pridem.*» In Graeco *ἐκεῖνοι μὲν δὴ* nemo profecto haesisset; nam part. *quidem* Cassius et Brutus iam pridem perempti opponuntur quodammodo aliis, quorum memoria multo recentior sit. — *septuagesimum*] Rotundum numerum posuit, non verum, qui erat LXVI. Nam bellum Philippense a. u. 712., at nunc 778. Lips. — *imaginibus*] Cfr. bellam narratiunculam Plutarchi (Compar. Dionis cum Bruto 5.) de Bruti statua Mediolani posita et ab Augusto generose conservata. Dio 53, 32: Augustus a. 731. *Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα -- καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον.* Cfr. Appian. B. C. 4, 51. Praeter effigiem marmoream (Visconti *Iconografia Romana* I. p. 199.) superest etiamnunc nummus descriptus a Dione 47, 25: *Βροῦτος ἐς τὰ νομίσματα, ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πιλίον ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου· δηλῶν ἔκ τε τούτων καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ Κασσίου ἠλευθερωκὼς εἴη.* Inscriptio eius haec est: *BRVTVS. IMP. L. PLAETorius CESTianus;* in parte aversa: *EID. MART.*, quibus Caesarem interfecerat. — *nec victor quidem*] Toties *nec - quidem* est in Codd. Mediceis, ut vix pro corruptela haberi queat (14, 35. Hist. 1, 66. 2, 76. 3, 38. Adde Germ. 7.). — *posteritas rependunt*] Exempla collectivorum cum plurali haec collegit Bachius 1, 4: *pars - differebant.* 3, 21: *ut vexillum veteranorum Tacfarinatis copias fuderint.* 3, 38: *pars turbant praesentia.* 5, 13: *volgus interpretati.* 12, 33: *populus - tulere.* Hist. 2, 92. Agr. 27. — *abstinentia*] Seneca Cons. ad Marc. 22: *Quid faceret? si vivere vellet, Seianus rogandus erat: si mori, filia, uterque inexorabilis. Constituit filiam fallere. Usus itaque balineo et, quo plus virium poneret, in cubiculum se quasi*

per aediles cremandos censuere patres: sed manserunt, occultati et editi. quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

(36) Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium. quod a Caesare palam increpitum causa exsilii Salviano fuit. obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi, nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. at Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absol-

1. *sed*] *et* M. — 2. *socordia* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 3. *ext.* M. — *sequentes* M. — 4. *aliut* M. — 5. *saeviti ausi* M. — 6. *reistam* M. — 8. *Sextum* omnibus litteris M. — 9. *exilii* M. — *publicae* M. — 11. *quem* M.

gustaturus contulit et, dimissis pueris, quaedam per fenestram, ut videretur edisse, proiecit; a coena deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit; altero quoque die et tertio idem fecit. Quartus ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. Complexus itaque te, Carissima, inquit, filia, et hoc unum tota celata vita, iter mortis ingressus sum et iam medium fere teneo. Revocare me nec debes nec potes. Atque ita iussit lumen omne praecludi et se in tenebris condidit. Cognito consilio eius, publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia; queruntur mori Cordum, ut interpellarent, quod coëgerant; adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaestione, an morte rei perderentur (an mortem rei perderent. Gron.). *Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. — per aediles*] Alias id per triumviros capitales factum. Agric. 2., alias per praetorem. Val. Max. 1, 1, 12: *Graecos Numae libros L. Petillius, praetor urbanus, ex auctoritate senatus per victimarios* (per hos scilicet, quia libri illi ad caerimonias pertinebant) *igne facto in conspectu populi cremavit.* Seneca Praef. Controv. Lib. 5: *In Labienum primum excogitata est nova poena; effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi. Bono hercule publico ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est. Quid enim futurum fuit, si ingenium Ciceronis triumviris libuisset proscribere? — occultati*] interim a filia et posthac ab eadem rursus editi. Seneca ad Marc. 1: *Ut aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in visum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis; magna illorum pars arserat; optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata.* Suet. Cal. 16: *T. Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit; quando maxime sua interesset, ut facta quaeque posteris tradantur.* Supersunt apud Senecam Suasor. 7. Cremutii loci de Ciceronis morte.

36. *Drusum*] Germanici filium. Moris enim, ut per quattuor Latinarum dies absentibus consulibus in monte Albano, dicis causa praeficeretur Urbi adolescens aliquis ex prima nobilitate. Gellius 14, 8: *Praefectum Urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius* (Gracchanus) *negat, quoniam ne senator quidem sit neque ius habeat sententiae dicendae, cum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria.* Dio tamen indicare videtur ab Augusto id institutum 49, 42: Ἐν δὲ ταῖς

vitur, conperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis adficiebantur.

(37) Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret. qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus, et respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit: «scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus. ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque

1. *conperto* M: *comperto* B. — 3. *destrictior* M. Correxit Beroaldus. — 4. *adf.* M: *aff.* B. — 9. *P. C.* M. — 13. *oma* cum lin. M. — *facta*] *ficta* M. Correxit Beroaldus.

ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι παῖδες ἄνηβοι ἐξ ἱππέων, ἀλλ' οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες, ἦρξαν. Lips. Qua in re cernitur Augusti diffidentia adversus senatores horumque filios. Ceterum huiusmodi praefecti in Inscriptt. m. L. NN. 3153. et 3154. memorantur non solum sub Hadriano, sed etiam sub Gallieno. — *auspicandi gratia*] Sic Nero teste Suetonio 7: *Auspicatus est et iurisdictionem praefectus Urbi sacro Latinarum* cet. Dictum autem *auspicandi* est non de eo, quod boni ominis causa initio cuiusque magistratus faciebant (ut volebat Lipsius), sed de initio iurisdictionis et primo gradu honorum gerendorum et rei publicae capessendae. Ern. — *increpitum*] Tralaticiae enim aut fictae causae tantum tali praefecto proponi solebant, non capitales, diri ominis. Muret. Mox causa *exsilii* non ipsum Calpurnii factum erat, sed Caesaris increpatio. Patres enim audaciam Calpurnii Caesari displicere cernentes, ea occasione ad fugandum hominem foedum usi sunt. Freinsh. Qui hominis *foeditatem* ex hac accusatione sola collegit; nam nusquam praeterea memoratur. Sex. Marius hic memoratus fortasse idem, cuius exitus narratur 6, 19. De maiestate postulatum arbitratur Freinshemius; de incesto minus probabiliter Ryckius; nam id evenit demum octo post annis. l. l. — *publice Cyzicenis*] *publice* referendum ad v. *Cyzicenis*, non ad v. *obiecta*; exquisite pro *Cyzicenae civitati.* Ern. — *caerimoniarum divi Augusti*] Dio 57, 24: *Κυζικηνοῖς ἡ ἐλευθερία αὖθις, ὅτι τε Ῥωμαίους τινὰς ἔδησαν καὶ ὅτι καὶ τὸ ἡρῷον, ὃ τῷ Αὐγούστῳ ποιεῖν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν, ἀφῃρέθη.* Suet. Tib. 37: *Cyzicenis in cives Romanos violentius quaedam ausis publice libertatem ademit, quam bello Mithridatico meruerant.* Propter similem causam a. 734. libertatem iis ademerat Augustus (Dio 54, 7.), sed restituerat a. 739. (Ibid. 23.) — *bello Mithridatis*] Appian. B. Mithr. 72. seqq. — *circumsessi*] quamquam erant circumsessi, non minus tamen *sua* constantia quam praesidio Luculli pepulerunt regem. Bach. — *Fonteius Capito*] C. Fonteius C. F. C. N. Capito consul cum Germanico a. 765. (Fast. Capit.) — *Vibium Serenum*] filium; supra C. 28. — *districtior*] acrior, atrocior, inexorabilior, ut *districtam feneratricem* vocat Otacilliam quandam Val. Max. 8, 2, 2. Freinshemius. Simile nostrum v. *straff.*

37. *sibi atque urbi Romae*] In monumentis publicis inversus est ordo. Inscr. m. Lat. N. 606: *ROMAE. ET. AVGVSTO. CAESARI. DIVI. F. PATRI. PATRIAE.* Polae. In nummo apud Eckhel D. N. II. p. 466: *COMmune ASIAE. ROM. ET. AVG.* Cfr. Suet. Oct. 52. Dio 51, 20. — *Pergamum*] Cfr. C. 15. — *omnia facta dictaque*] Quod de se hic Tiberius, tribuit illi etiam Strabo 6. extr. *Tiberius*, inquit, *successit Augusto, κανόνα τῆς διοικήσεως*

eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum; et vanescet Augusti honor, si promiscis adulationibus vulgatur. (38) ego me, patres conscripti, mortalem esse et hominum officia fungi. satisque habere si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo; qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. proinde socios cives et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque vitae quietam et intellegentem humani divinique iuris mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.» perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. optumos quippe mortalium altissima cupere: sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos. melius Augustum, qui speraverit. cetera principibus statim adesse: unum

3. *per oms* (cum lin.) *per* (comp.) *prouincias* M. — *sacra* (in fine versus) M. Correxit Lipsius. (*effigies*, *numina sacra* (scil. *esse* vel *habere*) *ambitiosum* suspicatur Doederlein.) — 4. Habet *promiscis* M. — 5. *P. C.* M. — *esse et* (versus finis) *et hominum* M. — 12. *sepulchris* M: *sepulcris* B. — *et deos et deos ipsos* M. Mera est geminatio, neque legi potest cum Beroaldo ac Lipsio: *et deos et deas ipsas*, quasi vero dearum maius ac venerabilius esset numen quam deorum; et formula est *di deaeque*, non *di et deae*, ipso critico significante ex Lib. 6, 6. Propert. 3, 11, 41. Correxit Pichena. — 13. *intelleg.* M: *intellig.* B. — 14. Habet *quandoque*, non Beroaldi *quandocunque*, M. — 18. *interpraet.* M. — 19. *grecos* M. — 20. *statim*] *affatim* volebat Muretus. Verum recte Walther: «Simul cum principatu, ut non debeant parari et exspectari.»

καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον. Lipsius.

38. *officia fungi*] ut 3, 2: *ut munera fungerentur.* — *tribuent, ut - - credant*] cum maiore asseveratione, tamquam certus id sibi tributum iri loquitur, quam si dixisset: *si - - credent.* (Walther pro *βραχυλογίᾳ* habet: *satis tribuent, si id tribuent, ut* cet. Duebner sic explanat: *tribuent* hoc tribuendo, *ut* cet.) — *pro sepulchris*] non secus ac sepulchra. Propert. 1, 10, 24: *Neu tibi pro vano verba benigna cadant.* Ovid. Her. 3, 98: *At mea pro nullo pondere verba cadunt.* Suet. Oct. 70: *pro Apolline ornatus.* Spernunt autem, id est, non colunt neque honorant sepulchra ii praesertim, ad quos sepulti nihil attinent; deorum vero templa ab omnibus mortalibus coluntur. — *duint*] pro *dent*, in precum formulis, ut in imprecationibus *perduint.* — *concessero*] vita, ut est 1, 3. 12, 39. H. l. ex euphemismo pro *decessero.* — *Herculem*] Horat. C. 3, 3, 9. — *deum numero additos*] Virg. Aen. 8, 301: *Salve, vera Iovis proles, decus addite divis.* — *qui speraverit*] Fatetur ipse in litteris ad dissimillimum sui successorem: *Benignitas enim mea me ad caelestem gloriam efferet.* Suet. Oct. 71. Gron. — *statim*] inde ab ipso principatus initio, ita ut parari non iam debeant.

39. *socors*] propter nimiam fiduciam, quam in fortuna sua posuerat, prorsus incautus, animo occaecatus. Sine ulla causa Lipsius suspicabatur *vecors*; nam vecordiae sive stultitiae species est etiam *socordia.* Sueton. Claud. 3: *Antonia, si quem*

insatiabiliter parandum; prosperam sui memoriam. nam contemptu famae contemni virtutes.

(39) At Seianus nimia fortuna socors, et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire. eius talis forma fuit: benivolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum aures conferret. neque fulgorem honorum umquam precatum: excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate imperatoris malle. attamen quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. hinc initium spei. et quoniam audiverit Augustum in conlocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. non enim exuere inposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa. nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum principe explevisset. (40) ad ea Tiberius laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit ceteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere putent, principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in

6. *benivolentia* M: *benevolentiae* operarum errore B. — 8. *principe* cum lin. M. — *umquam* M: *unquam* B. — *pcatum* cum lin. M. — 9. *incolimitate* M. — 10. *quo* M. — 11. Habet hic *quoniam* omnibus litteris M. — 12. *conl.* M: *coll.* B. — 13. *haberet ianimo* M. — 14. *exsuere* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 15. *adversum* M: *adversus* B. — 18. *ueneficiis* M. — 21. *derig.* M.

socordiae argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio. — *moris*] cuius repertor Caesar. Plut. Caes. 17: *Λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἔντευξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων τοῦ καιροῦ διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν καὶ τῆς πόλεως τὸ μέγεθος μὴ περιμένοντος.* Retinuit Augustus. Suet. Oct. 84: *sermones cum singulis atque etiam cum Livia sua graviores nonnisi in scriptis et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur.* Lips. — *iudiciis*] favorabilibus. Plin. Epp. 10, 3: *rogo ergo, domine, ut praestes, ut non in me tantum, verum et in amico gloriari iudiciis tuis possim.* — *coniunctione Caesaris*] filia eius Claudii filio desponsa. — *de equitibus Romanis*] Suet. Oct. 63: *Agrippa defuncto, multis ac diu etiam ex equestri ordine circumspectis condicionibus, Tiberium privignum suum elegit.* — *munia*] praefecturam praetorii, munus equestre; nolle altius ascendere, ad maiores honores provehi, ut ea de causa hoc matrimonium expetat. Ern. Re vera consul ordinarius factus est demum a. 784. — *liberorum*] suorum (non Drusi, ut opinabatur Lipsius). Suam domum firmari volebat adversus Agrippinae insidias, et quidem liberorum maxime nomine, nam de semet ipso non magnopere laborare se fingit. — *explevisset*] Simulat se optare, ut Tiberius ipsi superstes sit.

40. *ad integram consultationem*] liberam ac maturam, *unbefangen*. Suet. Iug. 108: *consulta sese omnia cum illo integra habere.* — *in eo stare*] ad solam utilita-

penatibus isdem tolerandum haberet; esse illi matrem et aviam, propiora consilia. simplicius acturum. de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset. sic quoque erumpere aemulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? «falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat. ego ut sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. at enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. mirum Hercule, si cum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Marco Agrippae, mox mihi conlocavit? atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus inmiscere

7. *C.* M: *Gaio* B. — 9. *maioreque* M. — 11. *invite* M. — 12. *peridem* M. — *legeque* M. Correxit Rhenanus. — 13. *perquem* M. — 15. *destraheretur* M. — 16. *C.* M: *Gaium* B. — 19. *Marco* omnibus litteris M. — *conl.* M: *coll.* B. — 21. *nessitudinibus* M. — *inm.* M: *imm.* B.

tem referri. Ern. — *matrem*] Antoniam minorem. — *partes*] factiones. — *sic quoque*] etiam sine hoc matrimonio. Duebn. — *in eodem ordine*] in eadem condicione. Refertur ad illa verba Seiani, *non exuere imposita munia.* Duebn. — *convelli*] ut 12, 65: *domum omnem convelli*, ad discordiam redigi et odia, cum filii Drusus et Germanicus bene concordes fuerint et certaminibus proximorum inconcussi. 2, 43. Ern. — *C. Caesari*] Augusti nepoti, deinde filio per adoptionem. Pater naturalis fuerat Agrippa. — *fratrem*] Germanicum, *patrem* Drusum maiorem. — *sistere*] ut C. 48. Hist. 1, 35. 3, 21. Haec est antiqua et vera lectio, cui male quidam supposuere *subsistere*, fato quodam verbi illius. V. Gronov. ad Liv. 4, 12. *Sistere* est continere se, coërcere. Ern. — *perrumpunt*] scil. fines modestiae, quos tu tibi circumscripsisti, vim faciunt modestiae tuae. — *consulunt*] ut principis voluntatis bene gnarum. Occulta in his inest Seiani reprehensio, quod illos primores admittat tam facile. — *equestre fastigium*] non extrema quidem dignitate (Suet. Tit. 6: *Titus praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam.*), sed potentia, qua valebat apud Tiberium. — *amicitias*] amicos, ut 5, 2. Suet. Tib. 51. Intelligit Agrippam praesertim, Maecenatem, Salustium minorem. — *C. Proculeium*] fratrem Terentiae Maecenatis et Licinii Murenae, qui per adoptionem A. Terentius Varro Murena posteaque in Augustum conspiravit. V. me ad Horat. C. 2, 10, 1. De Proculeio idem 2, 2, 5: *Vivet extento Proculeius aevo, Notus in fratres animi paterni.* Cfr. Dio 54, 3: *Μαικήνας καὶ Προκούλιος - - ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ Αὐγούστου τιμώμενοι.* — *dubitatione*] «Si movemur dubitatione sive deliberatione Augusti, multo magis moveri debemus eiusdem decisione. Nam de equestribus condicionibus deliberavit quidem, at longe aliud probavit decrevit-

te mihi parem, omittam ad praesens referre. id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur; datoque tempore vel in senatu vel in contione non reticebo.» (41) rursum Seianus, non iam de matrimonio, sed altius metuens, tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. ac ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. multa quippe providebat: sua in manu aditus, litterarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent; mox Caesarem vergente iam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius tramissurum; et minui sibi invidiam adempta salutantium turba, sublatisque inanibus † vera potentia augere. igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones, ac praecipua rerum maxime agitari. (42) ac forte habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit ut vitandos crederet patrum coetus voces-

2. *virtutis* M. — 3. *contione* M: *concione* B. — 4. *tam* M. Correxit Muretus. — 5. *depcatur* cum lin. M. — 6. *ads.* M: *ass.* B. — 7. *praberet* M. — *elexit* M. — 12. *manibus* M. — *veram potentiam* Muretus, *vera potentiae* Paschalius et Heinsius. — *augeri* Rhenano auctore Ritter et Doederlein. (*verâ potentiâ augere*, ut praebet Medic., sensu intransitivo, quo *perfectum* usurpaverunt Cato in Originibus apud Gell. 18, 12. Salust. Fr. Hist. 1. p. 947. Cort., quoniam, ut adnotat Ritter, tempus praeteritum a v. *augescere* factum deerat, ideo in praesenti Tacito tribui posse vix videtur. Verum cum aeque facile et Mureti et Rhenani lectio Taciti manum repraesentare possit, corruptelae signum apposui.) — 13. *adc.* M: *acc.* B. — *adfl.* M: *affl.* B. — 14. *tedia* M. — 15. *maximae* M.

que et ipso pacto exsecutus est.» Lipsius. — *quibus adhuc necessitudinibus*] Haec vv. ita interpretari poterat, alteri filiorum suorum destinatam esse Tiberii neptem.

41. *tacita suspicionum* cet.] Referuntur haec ad ea, quae tecte de adulatoribus Seiani significarat Tiberius. Doederlein iunxit *altius metuens tacita suspicionum;* ego cum ceteris *altius* (adverb.) *metuens* absolute accipio, maius aliquod, sed reconditius, sibi periculum in posterum metuens quam repulsam istam (16, 29: *altior pavor:)*, et *deprecatur* ad tria illa membra commode refertur per zeugma quoddam: «precatur, ne tacitis suspicionibus locum det, sed apertius loquatur, si quid in ipso reprehendendum videatur; ne vulgi rumoribus aures praebeat, ne invidiae, qua urgeatur propter beneficia et largiora promissa, ullam rationem habeat.» — *milites*] ex iis, qui speculatores dicebantur, ut est *SPECVLATORVM TVRMA* in Inscr. m. L. N. 1222. Hist. 2, 73. Suet. Cal. 44: *Magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent.* Plutarch. Galba 8. Privati utebantur suis tabellariis, γραμματοφόροις. — *vergente*] grandiore, *provecta* Ann. 1, 4. Sine causa Wopkensius malebat *urgente.* — *augere*] intransitive, ut saepe *vertere, mutare.* Dübner. V. Var. — *maxime agitari*] *Maxime* nonnulli iungunt cum v. *praecipua;* ego cum v. *agitari*, ut sit, ante alia omnia, omissis rebus levioris momenti, quarum tractatio, si in Urbe degas, saepe vix devitari possit.

42. *Votieno Montano*] cuius inter celebres oratores mentio Senecae Controv. 28. et Praef. Lib. 4.; etiam inter poëtas Ovidio ex Ponto 4, 16, 11: *Quique vel imparibus numeris, Montane, vel aequis Sufficis et gemino carmine nomen habes.* Lips. — *cunctantem*] *cunctari*, ut C. 41. *dubitatio*, interdum deliberandi significationem habet, sed cum nondum decreveris. Sueton. Domit. 2: *diu cunctatus, an duplum*

que quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius e militaribus viris dum studio probandi cuncta refert et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio punivit, Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

(43) Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus, sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post

1. *postulatio* M. — 4. *ads.* M: *ass.* B. — 5. *seuel vel* M. — 7. *adf.* M: *aff.* B. — 9. *caetulicus* M. — 10. *exilio* M. — 13. *audite* M. — 14. *liminatidis* (sic) M. Correxit Lipsius. — 16. *cumque b.* M. — *adeptum* M.

donativum militi offerret. Gronov. Obs. 1, 18. Cort. ad Sal. Cat. 52. Ern. — *vel statim*] ab edito testimonio Aemilii, vel post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio futura esset. Ern. (tum, cum senatores sententias dicerent.) — *poenis adfectus*] Hieronymus in Chron. ad a. u. c. 782. p. 419. Ed. Roncall.: *Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.* — *damnasset*] damnandam censuisset. — *lege Iulia*] ex qua dotis dimidio, bonorum parte tertia multabatur et in insulam relegabatur. Vide 2, 50. Relegatione autem graviores poenae exsilium, amissionem civitatis Romanae comprehendens, et deportatio in insulam. Gaius in Dig. 28, 1, 8. Ulpianus in Dig. 48, 22, 6: *Inter poenas est etiam insulae deportatio, quae poena adimit civitatem Romanam.* — *in acta divi Augusti*] id quod singulis Kal. Ianuariis fieri solebat; nam et Tiberius (Dio 57, 8.) et Claudius Id. 60, 10: *περὶ τῶν τοῦ Αὐγούστου πράξεων τούς τε ἄλλους ὥρκωσε καὶ αὐτὸς ἐπιστώθη· περὶ γὰρ τῶν ἑαυτοῦ οὐδενὶ τοῦτο ποιῆσαι ἐπέτρεψε.* — *albo senatorio*] Dio 55, 3. de Augusto ad a. 745.: *τά τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευόντων ἐς λεύκωμα* (tabulam albatam) *ἀναγράψας ἐξέθηκε· καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ᾽ ἔτος οὕτω ποιεῖται.* Antiquior formula est *senatu movere.*

43. *Limnatidis*] Strabo 8. p. 362: *Τὸ δ᾽ ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν, ἐφ᾽ ᾧ Μεσσήνιοι περὶ τὰς παρθένους ὑβρίσαι δοκοῦσι τὰς ἀφιγμένας ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίοις ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας, ὅπου καινὴν συνετέλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι· μετὰ δὲ τὴν ὕβριν οὐ διδόντων δίκας τῶν Μεσσηνίων, συστῆναί φασι τὸν πόλεμον.* Pausan. 4, 31, 3: *Ἔστι δὲ ἐν τῇ μεσογαίᾳ κώμη Καλάμαι καὶ Λίμνη χωρίον· ἐν δὲ αὐτῷ Λιμνάτιδος ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος.* Id. 7, 20, 7. Artemid. 2, 35. — *Macedonis Philippi*] Intelligendus Alexandri M. pater, cum infra post eum Messenii provocent ad Antigonum Dosontem, regem item Macedoniae, qui ante Chr. a. 222. Sparta potitus est. Iustin. 28, 4. — *Herculis posteros*] Circiter a. 1104. a. Chr. Aristomachi tres filii, pronepotes Hylli, Herculis filii, cum Doribus Naupacto traiecerant in Peloponnesum et electis Achaeis ita inter se convenerunt, ut Cresphontes Messeniam, expulsis Nestoris posteris, Temenus Argolidem, Aristodemi filii, Procles et Eurysthenes, Laconicam tenerent. Cfr. Isocratis Archidamum 6. Ed. Cor. I. p. 116. — *Denthe-*

C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere, suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco manere. quodsi vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. neque Philippum potentia sed ex vero statuisse. idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium. sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum praetorem Achaiae decrevisse. ita secundum Messenios datum. et Segestani aedem Veneris, montem apud Erycum, vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. suscepit curam libens ut consanguineus. tunc tractatae Massiliensium preces, probatumque P. Rutilii exemplum. namque eum legibus pulsum civem sibi Zmyrnaei addiderant. quo iure Vulcatius Moschus exsul in Massilienses receptus bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

1. *C.* M: *Gai* B. — *M.* M: *Marci* B. — *messeni* M. — 2. *hercules* M. — Habet *Peloponnesi*, non Beroaldi *Peloponessi*, M. — *recident heliatem* M. Correxit Lipsius. — 3. *reis culpa* (sic) M. — 5. *locupletioris* M. — 7. Habet *Mummii*, non Beroaldi *Mumii*, M. — *iuditium* M. — *publicae* M. — *postrem* M. — 9. *aput* M. — 10. *delapsam* M. Correxit Ernestius. — 12. *P.* M: *Publii* B. — *rutillii* M. — 13. *Zmyrnaei*] *zmyrnei* M, *Smyrnaei* B. — *exul* M. — 14. *receptos* M. — *bonasuarie publicae* M.

liatem] idem videtur, de quo Steph. Byzant. p. 295. Berk.: *Δελθάνιοι (sic) πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. (Dentheletos* (sic), Thraciae populum, huc non pertinentem, memorat Livius 39, 53. Dio Cass. 51, 23. quos Cicero in Pis. 34. *Denseletas* vocat. Ex hoc nomine suam qualemcunque emendationem duxisse videtur Beroaldus. «Apud Stephanum autem ob sertem alphabeticam scribendum *Δενθάνιοι.*» Duebn.) — *vatum*] poëtarum, quorum testimoniis veteres usos in dirimendis controversiis satis notum est e Strabone et aliis, observatis Menagio ad Diog. Laërt. 1, 47. Meursio in Solone C. 7. Ern. — *vocentur*] si ab ipsis testimonia erquirantur. — *Mummii*] a quo diruta Corinthus a. u. 608. — *publice*] decreto civitatum litigantium. — *secundum*] ut postulabant Messenii; formula iuridicialis. Cic. Rosc. Com. 1. Suet. Claud. 15: *Absentibus secundum praesentes facillime dabat.* Iulianus in Dig. 24, 3. 31, 2: *re secundum eum iudicata*, in eius utilitatem. — *Erycum*] Sic montem appellat, qui aliis *Eryx*, Ciceronis exemplo Verr. 2, 8. et 47. Zumpt ad Verr. p. 256. Ceterum Sueton. Claud. 25: *templum in Sicilia Veneris Erycinae vetustate collapsum, ut ex aerario populi Romani reficeretur, auctor fuit*; susceperat quidem reficere Tiberius, sed omisisse videtur, ut pleraque huiusmodi opera. Nummum autem *C. CONSIDII. NONIANI. S. C.* (caput Veneris Erycinae) in parte aversa templum cum inscr. *ERVC.*, de quo h. l. Ryckius et Oberlinus, huc nequaquam pertinere, sed veteris rei publicae temporibus signatum esse demonstrat Havercampius in Thes. Morell. I. p. 109. — *consanguineus*] Quoniam Segesta ab Aenea condita ferebatur. Dionys. Halic. A. R. 1, 52. Cic. Verr. 4, 33: *Segestani cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur.* Atque Eryx, Butae et Veneris filius, Aeneae frater. Virg. Aen. 5, 24. et 412. — *P. Rutilii*] a. u. c. 662. Vide Onomast. m. Ciceronianum. Vell. Pat. 2, 13. Cic. de Nat. D. 3, 32: *vir innocentissimus idemque doctissimus.* pro Balbo 11: *Exsul Smyrnae vixit eiusque civitatis factus est civis.* Ovid. ex Ponto 1, 3, 63: *Et grave magnanimi robur mirare Rutili, Non usi reditus condicione dati; Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus.* Teste Seneca Ep. 24: *reditum suum Sullae negavit, cui nihil tunc negabatur.* — *Vulcatius Moschus*] Noli cum hoc confundere Horatii Moschum, Epp. 1, 5, 9: *Et Moschi causam;* qui fuit rhetor Pergamenus.

(44) Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius. Lentulo, super consulatum et triumphalia de Gaetulis, gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur. avus Pharsalica acie pro optumatibus ceciderat. ipse delectus cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur, post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum; easque ob res insignia triumphi adeptus est. obiit et L. Antonius, multa claritudine generis, sed inprospera. nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito hunc admodum adulescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. habitus tamen supremis honor, ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum senatus.

(45) Isdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae. is praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex inproviso in itinere adortus uno vulnere in mortem adfecit; ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo per derupta et avia sequentis frustratus est.

1. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B. — *L.* M: *Lucius* B. — 2. *degetes* M, *de Getis* mg. M et Beroaldus. — 5. *pharssalica* M. — 6. *deiectus* M. — 7. *transcendit* M: *transscendit* B. — 9. *L.* M: *Lucius* B. — *inpr.* M: *impr.* B. — 10. *Iulo*] *iulio* M. — *mortae* M. — 12. *spetie* M. — *exilii* M. — 13. *inl.* M: *ill.* B. — 15. *istem* M. — *facimus* M. — 16. *termaestinae* M. — *L.* M: *Lucium* B. — 17. *inpr.* M: *impr.* B. — 18. *adf.* M: *aff.* B.

44. *Cn. Lentulus*] consul a. 735. Cfr. 1, 27., pater eius, qui C. 46. nominatur. Alius est Cn. Lentulus augur apud Senecam de Benef. 2, 27. Suet. Tib. 49. — *pater*] Cic. Phil. 2, 11. Vellei. 2, 72. Suet. Ner. 3. — *civili bello*] *in quo ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione iunctos contulit; profligatis horum partibus M. Antonio se tradidit.* Suet. ibid. — *pro optumatibus*] Pompeianis, Caes. B. C. 3, 99. Lucan. 7, 599. Suet. Ner. 2. — *minor Antonia*] M. Antonii ex Octavia filia, nupta L. Domitio Ahenobarbo, Neronis avo. Sic etiam 12, 64. At Suet. Ner. 5. Antoniam maiorem Domitio, Cal. 1. minorem Druso, Germanici patri tribuit. Plutarchi locus de duabus Antoniis Ant. 87. ambiguus est. Baumgarten-Crusius Suetonio magis credendum putat in his rebus accuratissimo. (Tres Antonii ex Octavia filias fuisse cum aliis vult Duebner.) — *Albim transcendit*] Locus praecipuus de hac Domitii expeditione Germanica a. 753. exstat in Dionis Cassii Fragm. Morelliano Lib. 55. Ed. Sturz III. p. 362: *τὸν Ἄλβιαν μηδενός οἱ ἐναντιουμένου διαβάς, φιλίαν τε τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις συνέθετο καὶ βωμὸν ἐπ᾽ αὐτοῦ τῷ Αὐγούστῳ ἱδρύσατο.* — *quam quisquam priorum*] scil. penetraverat, pro *a quoquam priorum*. Est quasi attractio verbi *transcendit*. Duebn. — *Iulo Antonio*] triumviri filio, morte punito a. 752. Cfr. 3, 18. — *sororis nepotem*] natum ex Iulo Antonio et Marcella, Octaviae filia. — *specie studiorum*] Strabo 4. p. 181. de Massiliensibus: *πάντες οἱ χαρίεντες πρὸς τὸ λέγειν τρέπονται καὶ φιλοσοφεῖν· - - ἐν δὲ τῷ παρόντι αὕτη ἡ πόλις καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας.* Agric. 4.

45. *Termestinae*] *Τερμισὸν* oppidum appellat Appianus Hisp. 99., Plinio 3, 4. est *Termes*, unde *Termestini*. Lips., nunc *Tiermes*. — *in mortem adfecit*] uno vulnere ita affecit, ut statim moreretur. C. 62: *quos principium stragis in mortem*

neque diu fefellit: nam prenso ductoque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum. et repertus cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio frustra se interrogari clamitavit: adsisterent socii ac spectarent; nullam vim tantam doloris fore ut veritatem eliceret. idemque cum postero ad quaesitionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput adflixit ut statim exanimaretur. sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur; qui pecunias e publico interceptas acrius quam ut tolerarent barbari cogebat.

(46) Lentulo Gaetulico C. Calvisio consulibus decreta triumphi insignia Poppaeo Sabino contusis Thraecum gentibus, qui montium editis inculti atque eo ferocius agitabant. causa motus, super hominum ingenium, quod pati delectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores praeficere nec nisi adversum accolas belligerare. ac tum rumor incesserat fore ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. sed antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos, et mansura haec, si nullo novo onere tentarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum.

3. *se*] *si* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 5. *quaestionem* Ritter, Doederlein. — 6. *adfl.* M: *affl.* B. — *examinaretur* M. — *permestinorum* M. — 7. *qui*] *quia* Pichena prob. Doederlein. — 9. *C.* M: *Gaio* B. — *eo* cum lin. M. — 11. *incultu* M. Correxit Beroaldus. — 12. *dilectus* M. — 16. *miserere* M. — 18. *tempt.* M.

afflixerat. — *adsisterent*] ipsos socios incepti sui tranquille ac sine periculo adsistere posse. — *postero*] die, ut 15, 57. — *quaesitionem*] Solita forma *quaestio* est 2, 30. atque in Cod. Med. vitiose sane 3, 29: *quaesituram* est pro *quaesturam*. — *e publico interceptas*] quas Termestini vel Pisonis quaestori etiam propriis quaestoribus municipalibus solvere debuissent, sed quae a privatis detinebantur. Sic Plinius Epp. 10, 28: *Nunc rei publicae Prusensium impendia, reditus, debitores excutio; quod ex ipso tractatu magis ac magis necessarium intelligo. Multae enim pecuniae variis ex causis a privatis detinentur.*

46. *Lentulo*] Dio 59, 22. Vellei. 2, 116., qui significat *Gaetulici* cognomen ei impositum esse a patre. Eius historiae et poëmata laudantur ab antiquis. Historia a Suetonio Cal. 1: *Cn. Lentulus Gaetulicus Tiburi genitum scribit*; poëmata a Martiale Ep. praem. L. 1. Sidonio Ep. 2, 10. et Carm. 9, 260. Leguntur et hodie quaedam Graeca in Anthologia (vide Ind. poët. Anthol. Pal. p. 1016.). Supervixit ad Caii principatum, interfectus ab eo, cum Germaniae praefuisset decem annos. Dio l. l. Lips. — *Poppaeo Sabino*] Cfr. 1, 80. 6, 39. — *contusis*] Horat. C. 3, 6, 9: *Pacori manus Non auspicatos contudit impetus Nostros.* — *inculti*] Pro Cod. lectione *incultu* Doederlein affert Sal. Cat. 55: *incultu - - terribilis loci facies est*, Iug. 2: *ingenium - - incultu torpescere sinunt*; et ad hanc structuram 2, 73: *uno matrimonio - - egisse.* 13, 32: *cultu lugubri - - agere.* Ceterum de hisce Thracibus cfr. Thucyd. 2, 96: *παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν τοὺς πολλοὺς τῶν αὐτονόμων (ne regibus quidem parere solitos) καὶ μαχαιροφόρων, οἳ Δῖοι καλοῦνται, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες.* — *arma inciperent*] pro solito *caperent*, ut *indita* pro *imposita*. Horat. C. 4, 14, 11: *arces impositas Alpibus.* — *memoraturos*] in memoriam revocaturos, ut 2, 58. — *libertati aut ad mortem*] solita rursus structu-

simul castella rupibus indita conlatosque illuc parentes et coniuges ostentabant, bellumque impeditum arduum cruentum minitabantur. (47) at Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita praesenti copia ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. quidam audentius apertis in collibus visebantur; quos dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. mox castris in loco communitis valida manu montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur. simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere: propius incedentes eruptione subita turbati sunt, receptique subsidio Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum et armorum tumultu trucem, haud procul instruxerat. (48) translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thraecibus, quos nobis adfuisse memoravi. iisque permissum vastare, urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. id primo servatum: mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes, lascivia epula-

1. *conl.* M: *coll.* B. — 2. *impedituum* M. — 3. *conduceretur* malebat Pichena. — 4. *postquam*] *quam* M. Redintegravit Iac. Gronovius. Scil. *post* excidit in fine versus praecedentis, ut animadvertit Baiterus. — 5. *venire* M. Correxit Iac. Gronovius. (Inde a Beroaldo usque ad Oberlinum satis inconcinne edebant: *dum Pomponius - - veniret.)* — 14. *proprius* M. — 15. *sugranbrae* M. — 17. *aput* M. — 18. *theecibus* M. — *adf.* M: *aff.* B. — 21. *versun l.* M. — Habet *raptis opulenti* M. (*rapti opulentia* Beroaldus ceterique ante Pichenam.) — *statione* M.

rae variatione. 12, 55: *vim oppidanis ac plerumque in mercatores audebant.*

47. *exercitus*] Si accipias pro *copias suas, milites*, haud prorsus opus est Pichenae coniectura *conduceretur*, etsi perfacili. — *Rhoemetalces*] Cfr. 2, 47. 3, 38. — *praesenti copia*] Licet nulla esset legio in Thracia, Sabinus tamen *copiam praesentem* secum habebat aliquot cohortium, quas *addidit legioni e Moesia* adductae et *auxiliis* Thracum. Brot. — *compositum*] dispositum, collocatum atque paratum ad proeliandum. — *audentius*] scil. agentes. — *aut incondita*] In his olim sine causa haerebant; vide Oberlinum. Recte Doederlein: disiunctive adnexum est: «partim rite armata, partim tumultuarie; nec enim armati dicuntur, qui quolibet instrumento ad pugnandum idoneo (*sparis*, *praeacutisve sudibus*, ut Catilinarii Sal. 56.) utuntur.» — *more gentis*] De barbarorum pugnandi more Brasidas apud Thucyd. 4, 126: *οὗτοι δὲ τὴν μέλλησιν μὲν ἔχουσι τοῖς ἀπείροις φοβεράν· καὶ γὰρ πλήθει ὄψεως δεινοὶ καὶ βοῆς μεγέθει ἀφόρητοι, ἥ τε διὰ κενῆς ἐπανάσεισις τῶν ὅπλων ἔχει τινὰ δήλωσιν ἀπειλῆς, προσμῖξαι δὲ τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὰ οὐχ ὁμοῖοι.* — *tripudiis*] *πυῤῥίχη*, *Waffentanz*; apud Latinos proprie de Saliis. Liv. 1, 20: *Numa Salios item duodecim Marti Gradivo legit - - ac per urbem ire canentes cum tripudiis sollemnique saltatu iussit.* — *receptique*] Sagittarios, cum turbati se reciperent, tutata est cohors Sugambra, Germanorum in sinistram Rheni ripam a Tiberio a. 746. transductorum auxiliaria. — *cantuum*] Est *baritus* ille Germ. 3. — *armorum tumul-*

rum aut somno et vino procumbere. igitur hostes incuria eorum conperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet. tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur; Thraecum auxilia repentino incursu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur. (49) postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres proelium auderent. et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat; dein fossam loricamque contexens quattuor milia passuum ambitu amplexus est; tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra artaque circumdare; et struebatur agger, unde saxa hastae ignes propinquum iam in hostem iacerentur. sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum inbellium uno reliquo fonte uterentur. simulque armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa, egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie, odore, contactu. rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. et erant qui non inultum exitium sed eruptionem suaderent,

1. *conp.* M: *comp.* B. — 3. *adp.* M: *app.* B. — 4. *proelii* M: *praelii* B. — 5. *deiectae* M. — 6. *tempt.* M. — *threcum* M. — 9. *sibinus* M. — 10. *proelium* M: *praelium* B. — 13. *milia* M: *millia* B. — 14. Habet *artaque*, non Beroaldi *arctaque*, M. — 17. *inbellium* M: *imbellium* B. — *simuleque* (sic iunctim) M. Ante Lipsium edebant *simul aeque*, quod correxit Lipsius et Ursinus. (*simul equae* Walther, *simul equi* altera Lipsii coniectura, recepta ante Bekkerum et probata a Doederleinio.)

tu] Est sonus, crepitus e concussis telo scutis. Ern.

48. *hostem propter*] ut 1, 60: *amnes inter*, ac statim *lucem intra*. — *memoravi*] C. 47. auxilia, quae Rhoemetalces adduxerat. — *dum*] ut saepe, pro *dummodo*. «Dummodo populatio intra diem cohiberetur, non produceretur in noctem.» Duebn. — *lascivia*] pro ablativo causae, *aut somno et vino* pro dativis habet Doederlein; id quod non patitur *aut* illud sic positum, non, ut ille ait: *lascivia sommo aut vino*. — *tanto infensius - quanto*] Cogitatione supple *iratius*.

49. *iam muniebat*] quae iam tunc coeperat munire necdum perfecerat. Aliter Duebner: «*iam*] nunc, dum barbari non accedebant.» (*immuniebat*, ut 11, 19. malebat Freinsh.) — *loricam*] exiguum vallum et saepem ex cratibus aut saepis instar, ideoque hic *contexens*; (quod v. per zeugma refertur etiam ad *fossam* pro *ducens*.) Vide Poliorcetica nostra 2. Dial. 2. Lips. *Brustwehr, parapet*. Cfr. Hist. 4, 36. Caesar B. G. 8, 9., ubi *vimineam loriculam* invenies. Curt. 9, 18: *Angusta muri corona erat; non pinnae, sicut alibi, fastigium eius distinxerant, sed perpetua lorica obducta transitum saepserat.* Veget. 4, 28: *Obsidentes ultra iactum teli fossam faciunt eamque non solum vallis et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitate possint obsistere; quod opus loriculam vocant*. Et saepe, cum obsidio describitur, invenitur in historiis *loricula* urbem esse circumdatam. — *artaque*] non est ablat. scil. *loricâ*, sed accusat. iungendus cum v. *claustra*, *munimenta*, quae artiora semper faciebat. — *rebusque*]

neque ignobiles, quamvis diversi sententiis. (50) verum e ducibus Dinis provectus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adflictis id remedium, disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit. secuti aetate aut sexu inbecilli, et quibus maior vitae quam gloriae cupido. at iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur. utrique destinatum cum libertate occidere: sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro. nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro. igitur firmatae stationes densioribus globis. et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis. (51) interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum manualia saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere, nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas, quidam pontis et scalas ante fabricati inferre propugnaculis, eaque prensare, detrahere, et adversum resistentis comminus niti. miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. his partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos.

3. *adfl.* M: *affl.* B. — 4. *inb.* M: *imb.* M. — 12. *absinus* M. — 13. *cassum* M. 18. *eaquae* M. — *adversum* M: *adversus* B. — 21. *ads.* M: *ass.* B.

Construe: *accessit discordia, malum extremum turbatis rebus.* — *quamvis diversi sententiis*] qua parte et quando, die an nocte, erumperent.

50. *cum libertate occidere*] non superesse libertati, ut 2, 15: *tenere libertatem aut mori ante servitium.* Freinsh. — *properum finem*] sumendum vel deligendum, si quidem verbis explere sententiam volumus; ceterum voce potius et recitationis arte talia illustranda sunt; ut 1, 35: *mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus!* Doed. — *casum - aperirent*] occasionem darent, ut hostes aliquâ erumpere conarentur. Vertunt *eine Blösse geben.*

51. *catervis*] pro magis solito *catervatim.* — *manualia saxa*] quae manu teneri aut iaci possunt, *handliche Steine.* De saxorum usu in re militari cfr. Veget. 4, 8: *saxa rotunda de fluviis - - diligentissime colliguntur; - - minima ad fundas sive fustibalos vel manibus iacienda.* — *decisa robora*] in tumulis, de quibus C. 49. — *propugnaculis*] Intellige *loricam* illam, quam C. 49. *contextam* dicit. 1, 68: *proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant.* Ut muri, sic valla propugnacula dicuntur, unde urbs, castra defendantur. Ern. Cfr. tamen Vegetii locum C. 49. allatum, ubi in *loricula* etiam *turricularum* mentio. — *muralia pila*] maiora iis, quae in acie iaci solebant, quod ex muris facilius deiiciuntur et maiore cum vi. Caes. B. G. 7, 82. Ern. — *deiecto*] ut 4, 25.

52. *commota principis domo*] turbata per mortem Drusi et Liviae adulterium ac mutua inter hanc et Agrippinam odia discordiamque. — *Claudia Pulchra*] Sobrina haec Claudia quomodo Agrippinae fuerit, nondum repperi; hoc tantum, filium eius Quinctilium Varum desponsum filiae Germanici, quod ostendo infra. Dio 59, 19. in Caii rebus, ubi de Domitio agit, de hoc: *γυναικός τινος, τῇ Ἀγριππίνῃ προσηκούσης κατηγορήκει.* — *recens praetura*] ut 1, 41: *recens dolore et ira.* 15, 59: *stipendiis*

nox aliis in audaciam aliis ad formidinem opportuna, incerti ictus, vulnera inprovisa, suorum atque hostium ignoratio, et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros, deiecto promptissimo quoque aut saucio, adpetente iam luce trusere in summa castelli, ubi tandem coacta deditio. et proxima sponte incolarum recepta. reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiems subvenit.

(52) At Romae commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra sobrina eius postulatur, accusante Domitio Afro. is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, crimen inpudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri reperit. quo initio invidiae, non eiusdem ait mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari. non in effigies mutas divinum spiritum transfusum; sed imaginem veram, caelesti sanguine ortam intellegere discrimen, suscipere sordes. frustra Pulchram praescribi, cui sola exitii causa sit quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiae ob eadem adflictae. audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non

1. *oportuna* M. — 2. *inpr.* M: *impr.* B. — 5. *nisadmodum* M. — *deiecto* Orellius: *delecto* M, *deleto* cum Beroaldo B. — 6. *adp.* M: *app.* B. — 7. *incorum* M. — 8. *hiemps* M. — 12. *inp.* M, *imp.* B. — 14. *propinq;* M. — 15. *repperit* M. — 17. *maginem* M. — *sanguine* cum lin. M. — *intellegere* M: *intelligere* B. — 20. *adfl.* M: *affl.* B.

recens. Sine causa Heinsius malebat *praeturae.* — *devotiones*] magicas incantationes ad mortem principis accelerandam. — *atrox*] minax ac ferox, iras occultare nesciens. Sic *atrox animus Catonis* Horat. C. 2, 1, 24. Ern. Cfr. de Agrippina 1, 33: *paullo commotior.* 2, 72: *exueret ferociam.* — *quo initio invidiae*] Ab hoc ipso sacrificio initium dicendi ea, quae invidiam Tiberio facerent, sumpsit. — *sed imaginem veram*] ad Augustum in caelum receptum haec nullo pacto referri possunt; huic enim Doederleinii opinioni refragantur vv. *imaginem - - caelesti sanguine ortam,* quae sic et supervacanea et prorsus inconcinna essent etiam in ore alius quam Agrippinae. Haec autem ab omni poëtarum adulatione sane longissime remota iis uti profecto nunquam poterat. (Incommode prorsus Walther distinxit: *imaginem - - ortam, intelligere.* Unde enim vv. *imaginem - - ortam* penderent? Ipse quidem cogitatione precario supplevit *esse.* Aliquanto melius Ruperti servata Waltheri distinctione explicat: *sed in imaginem veram transfusam esse.* Neque vero hoc satis placet.) Hoc dicit Agrippina: «se vivam Augusti imaginem, veram eius prolem, — non sine invidia in Tiberium, illius filium dumtaxat adoptivum — sentire atque intelligere discrimen, in quo ipsa, non solum sobrina, versetur.» — *suscipere sordes*] se vestem sordidam, supplicum ac lugentium habitum, induisse ob Pulchrae periculum. — *praescribi*] *praescribere* est praetexere, obtentui sumere. Sic 11, 16: *frustra Arminium praescribi.* Hist. 3, 13: *praescriptum Vespasiani nomen.* Caes. B. G. 3, 32: *ut honesta praescriptione rem turpissimam tegeret.* — *stulte prorsus*] *prorsus* ironiae significandae inservit, ut 6, 8. Curt. 5, 8, 13. Doed. — *Sosiae*] C. 19. — *correptam*] manu apprehensam explicat Walther ex Suet. Tib. 53: *Nurum Agrippinam post mariti mortem liberius quiddam questam, manu apprehendit*

regnaret. Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii inpatientiam. (53) at Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata, cum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum; habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium; esse in civitate * * * Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. sed Caesar non ignarus quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quamquam instantem reliquit. id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit. (54) ceterum Seianus maerentem et inprovidam altius perculit, immissis qui per speciem amicitiae monerent paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. atque illa simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut

2. *ads.* M: *ass.* B. — 3. *desertum* M. — *accussat.* M. — 5. *extremam* M. — 6. *inp.* M: *imp.* B. — 9. *aliut* M. — 10. *solacium* M. In fine versus exciderunt circiter tredecim litterae. — 16. *inpr.* M: *impr.* B.

Graecoque versu: Si non dominaris, inquit, filiola, iniuriam te accipere existimas? Nec ullo mox sermone dignatus est. At hoc sensu v. *corripi* nusquam invenitur, sed significat totam alicuius personam celeriter comprehendere, qui h. l. foret actus nimis vehemens; contra aptissimum est v., cum Cicero Verr. 2, 3, 23: dicit: *hominem corripi et suspendi iussit.* Sed hic significat: «corripuit, acriter reprehendit atque admonuit, ne ideo laederetur cet.» Graecus versus non iam exstat: nimis enim distat, quod affert Lipsius ex Aristot. Poët. 3, 4: *Καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως Ἰάσων ἔφη, πεινῆν, ὅτε μὴ τυραννοῖ, ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι.* — *suo iure disertum*] Memoratur hoc a Tacito, quia artificiose, uti se assuefecerat, usus est his vv. Tiberius pro solitis: «proprio ingenio ac natura, non hominum concessione, non precario.» Male autem adscribunt Cic. pro Arch. 8: *suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, suo iure* trahentes ad v. *sanctos*, cum manifesto iungenda sint *suo* (id est, optimo) *iure appellat*, ut aeque simpliciter Tac. Dial. 25: *Calvus et Asinius - - suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur.* — Sane magnificat Domitium ubique Quintilianus, quem senem ab se adolescente cultum ait 5, 7, 7. 10, 1, 118. 12, 11, 3: *Vidi ego omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum - -, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium*, cet. — *morum fama*] Operarum errorem in Ed. Gronoviana 1672. *morum forma*, retentum ab Oberlino explicabant: «tota vitae ratione.» — *aetas - - dempsit*] Quintilianus l. l.: *Vidi Domitium - - valde senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo alii - - riderent, alii erubescerent, quae occasio fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere.*

53. *pervicax irae*] ut Hist. 4, 5: *pervicax recti.* — *invidiam et preces*] preces invidiosas. Cfr. 3, 67. — *habilem*] liberis creandis. — *in civitate*] optimum et ad spatium vacuum explendum aptissimum est Crollii supplementum: *qui D. Augusti neptem.* — *ex re publica*] cui, illo coniugio cum Augusti nepti, velut alterum caput dari videbatur. «Probe sciebat, quantam vim coniugis concessio in totum rei publicae

sermone flecti, nullos attingere cibos, donec advertit Tiberius, forte, an quia audiverat; idque quo acrius experiretur, poma, ut erant adposita, laudans nurui sua manu tradidit. aucta ex eo suspicio Agrippinae, et intacta ore servis tramisit. nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem non mirum ait, si quid severius in eam statuisset a qua veneficii insimularetur. inde rumor parari exitium, neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quaeri.

(55) Sed Caesar quo famam averteret, adesse frequens senatui, legatosque Asiae, ambigentes quanam in civitate templum statueretur, pluris per dies audivit. undecim urbes certabant, pari ambitione, viribus diversae. neque multum distantia inter se memorabant de vetustate generis, studio in populum Romanum per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. verum Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi. ne Ilienses quidem, cum parentem urbis Romae Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria, pollebant. paulum addubitatum, quod Halicarnassii mille et ducentos per annos nullo motu terrae nutavisse sedes suas, vivoque in saxo fundamenta templi adseveraverant.

2. *adp.* M: *app.* B. — 3. *suae* M. — 5. *quit* M. — 6. *ueneficia* M. — 12. Habet *Persi* M. — 13. *hypae penitrali tanique* (sic, non, ut narratur apud Bekkerum, *peni tralicanique)* M. — 14. *nellienses* M. — 16. *alicarnasii* M. — 17. Habent *nutavisse* M et Beroaldus. Ante Bekkerum edebant *mutavisse.* — *ads.* M: *ass.* B.

statum exercitura esset;» *wie wichtig in Beziehung auf den Staat ihr Begehren sei.* Gutmann. Aliter utuntur Cicero aliique hac formula; nam illi *civis, virtus e re publica* est utilis rei publicae. Sed in hoc semper usurpatur forma *e*, *ex* tunc dumtaxat, ubi additur copula. Phil. 3, 15, 38: *recte atque ordine exque re publica fecisse.* Hand Turs. II. p. 660. — *Agrippinae*] quae mulier perita et industria praeter sexum. Citat eam Plinius indice libri 7. vocatque *Agrippinam Claudii*, scilicet uxorem. Et 7, 6: *Neronem paullo ante principem pedibus genitum parens eius scribit Agrippina.* Lips.

54. *non vultu*] suo semper tristi; *flecti* autem, ad hilaritatem conviviis usitatam, ut 3, 16: *flexo in maestitiam ore.* Ergo rigido vultu et constanti silentio accubabat. Alii de conviventium vultu ac sermone interpretantur. Doed. Quae Waltheri explicatio sane pravissima est. — *ut erant adposita*] statim et antequam ipse degustarat. Doed. — *aucta*] Cfr. Suet. Tib. 53. — *servis tramisit*] qui ad fulcra lecti, ex more. Lips.

55. *adesse frequens*] quo hominibus persuaderet, se unice in negotiis publicis occupatum esse neque cogitare de secreto illo facinore. — *templum*] illud, quod destinatum Tiberio et senatui a communi Asiae. C. 15. Lips. — *Persi*] pro *Persei;* haec forma in libris antiquis saepe obvia, saepe temere mutata; de qua v. Gron. et Drak. ad Liv. 42, 25. Usus etiam Salustius Hist. 1. auctore Prisciano: *a primordio Urbis ad bellum Persi Macedonicum;* ubi v. Cortius p. 934. Ern. — *Aristonici*] qui Eumenis filium se ferens Asiam occupaverat; a M. Perperna a. 624. ad deditionem adactus et iussu senatus in carcere strangulatus est. Liv. Epit. 59. Iustinus 37. — *Hypaepeni*] Steph. Byz. Ὕπαιπα, πόλις Λυδίας, ἀπὸ τὸ αἶπος, καλλίστας ἔχει γυναῖκας, δῶρον Ἀφροδίτης. — *validi - pollebant*] scil. divitiis; oppida nimis invalida parvaque videbantur, quam ut iis talis favor concederetur. — *nutavisse*] concussas esse. — *vivo*] nativo, ita ut in ipso saxo fundamenta templi deponi possent, non in humo: Virg. Aen. 1, 167: *vivoque sedilia saxo*; videtur tamen ἐπίθετον non tam poëticum quam proprium, ut Plin. 19, 1, 4: *sulfur vivum*, nativum, non excoctum.

Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. ita Sardianos inter Zmyrnaeosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recitavere ut consanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum novas ut conderet sedes; et ducum e nominibus indita vocabula illis per Asiam, his in Italia; auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope nomen. simul litteras imperatorum et icta nobiscum foedera bello Macedonum, ubertatemque fluminum suorum, temperiem caeli ac dites circum terras memorabant. (56) at Zmyrnaei repetita vetustate, seu Tantalus Iove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset, transcendere ad ea quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur; seque primos templum urbis Romae statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus. simul L. Sullam testem adferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, cum id Zmyrnam in contionem nuntiatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori teg-

1. *aede* cum lin. M. — *sitam* M. Correxit Lipsius. — 2. *cerim.* M. — 5. *divise* M. — 6. *novos* M. — 7. Habet *Italia*, non Beroaldi *Italiam*, M. — 9. *dicta* M. Correxit Rhenanus. — 16. *M.* M: *Marco* B. — 18. *L.* M: *Lucium* B. — *adf.* M. *aff.* B. — 20. *cont.* M: *conc.* B. — *oms* cum lin. M.

— *eo ipso nitebantur*] quod apud se aedes Augusti dicata esset: senatui contra visum est, ob id ipsum satis eos adeptos esse. Walth. — *Atye*] Atys, Herculis et Omphales filius, e duobus filiis sorte iacta alterum retinuisse tradebatur Lydum nomine, alterum in Italiam misisse coloniae deducendae, cui nomen Tyrrhenus, et ab eo Tyrrhenia terra. Ita fere Strabo 5. p. 219. et Tertull. de Spect. 5: *Lydos ex Asia transvectos in Etruria consedisse Timaeus refert duce Tyrrheno, qui fratri successerat* (lego *cesserat* vel *secesserat) regni contentione.* Paullo diversus tamen ab istis Dionys. Hal. 1, 27. Cfr. Velleium 1, 1. Lips. — *a Pelope*] quem vulgo Phrygem (Strabo 7, 7.) et quidam Lydum faciunt. (Pausan. 5, 1, 6.) Lipsius.

56. *Theseus*] De Theseo et Atheniensibus sensit Epigrammatarius Anthol. Planud. 4, 4. p. 176. Ed. Ald. 1550. (Anthol. Palat. II. p. 445.), ubi Athenienses hoc argumento Homerum sibi vindicant: *Ἡμέτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, Εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.* Lips. — *divina*] Neptuni enim filius ferebatur. — *una*] De Amazone, quae nomen Smyrnae a se dederit, Strabo 14. p. 633. Lips. — *M. Porcio*] Catone cos. a. 559. — *in contionem nuntiatum*] Graecorum more. Isocrat. de Big. p. 348: *εἰσήγγελλον εἰς τὴν βουλήν.* Lactant. de mort. pers. 46: *nuntiatur in castra.* — *praetulere*] Huc spectat nummus Smyrnae, in quo signum Tiberii in medio templo. Eckhel II. p. 547. Oberl. — *ipse deligere*] Senatus quidem decreto mittebantur in provincias legati, sed electio solebat plerumque proconsulibus permitti. Liv. 44, 18: *Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut in Macedoniam, quos L. Aemilio videretur, legaret.* Bach.

57. *in Campaniam*] Scil. meavit; ut 14, 8: *quod nemo a filio.* Cic. ad Att. 2, 8: *cogito in Tusculanum.* Sal. Iug. 100: *dein Marius, uti coeperat, in hiberna.* Dorb. Liv. 41, 3: *tum demum nuntius ad tertiam legionem revocandam.* 44, 24:

mina nostrisque legionibus misisse. ita rogati sententiam patres Zmyrnaeos praetulere. censuitque Vibius Marsus ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet. et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

(57) Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio, tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. causam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque permoveor num ad ipsum referri verius sit, saevitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta. et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insueverat. traditur etiam matris inpotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur, neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum eius accepisset. nam dubitaverat Augustus Germanicum, sororis nepotem

2. *uibius marcus* M. — *M.* M: *Marco* B. — 6. *interq;* M. — 7. *in*] *iit* malebat Lipsius. — Habet *templa*, non Beroaldi *templum*, M. — 12. *occultantis* M. Emendavit Rhenanus. (*occultandi*, scil. causa, Doederleinii suspicio; verum litterae *is* ortae sunt ex mera librarii *ἀβλεψίᾳ* post v. *locis.*) — Habet *corporis quoque*, non Beroaldi *quoque corporis*, M. — 16. *inp.* M: *imp.* B. — 18. *dubutaverat* M.

Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata. Florus 3, 10: *Reversus igitur in Galliam, classe maiore auctisque copiis in eundem rursus Oceanum.* Cfr. Gronov. ad Senec. Troad. 844., Dukerum ad Flor. 3, 6, 12. Falso verbum excidisse vel *in* mutandum in *iit* alii opinabantur. — *Nolam*] ubi mortuus. 1, 5. Suet. 40. Dio 56, 46: *καὶ ἡ ἐν τῇ Νώλῃ οἰκία, ἐν ᾗ μετήλλαξεν, ἐτεμενίσθη.* — *certus degere*] alibi cum gerundio, ut Hist. 4, 14: *Civilis desciscendi certus.* — *rettuli*] C. 41. — *sex postea annos*] Seianus necatus est a. 784., Tiberius obiit a. 790. — *coniunxit*] cum quinque superioribus annis, quos ante Seiani caedem ibidem degerat. — *plerumque permoveor*] «saepe inclinat animus ad dubitationem cet.» — *incurva proceritas*] de Tiberii senectute loquitur Tacitus, de virili aetate Suetonius 68: *Corpore fuit amplo atque robusto; statura, quae iustam excederet; latus ab humeris et pectore; ceteris quoque membris usque ad imos pedes aequalis et congruens.* — *ulcerosa facies*] Suet. ibid.: *facie honesta, in qua tamen crebri et subiti tumores.* (Iulianus in Caesaribus p. 309: *ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες καὶ ξέσματα καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ καὶ μώλωπες, ὑπό τε ἀκολασίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες καὶ λειχῆνες οἷον ἐγκεκαυμέναι.* Galenus de Compos. medicam. 5, 12. praescribit remedium *πρὸς ἕρπητας* Tiberii. Brot.) — *matris inpotentia*] abusu potentiae et dominandi cupidine; de qua cfr. Dio 57, 12., qui in fine capitis addit: *καὶ τέλος τῶν μὲν δημοσίων παντάπασιν αὐτὴν ἀπήλλαξε, τὰ δ' οἴκοι διοικεῖν οἱ ἐφεῖς, εἶθ' ὡς καὶ ἐν τούτοις ἐπαχθὴς ἦν, ἀποδημίας τε ἐστέλλετο καὶ πάντα τρόπον αὐτὴν ἐξίστατο· ὥστε καὶ ἐς τὴν Καπρίαν δι' ἐκείνην οὐχ ἥκιστα μεταστῆναι.* Adde Suet. Tib. 50 51. — *donum eius*] Dio l. l.: *ἐπί τε γὰρ τοῦ Αὐγούστου μέγιστον ἠδυνήθη καὶ τὸν Τιβέριον αὐτὴ αὐτοκράτορα πεποιηκέναι ἔλεγε.* — *dubitaverat*] cogitaverat, non tamen hoc ex-

et cunctis laudatum, rei Romanae imponere: sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. idque Augusta exprobrabat, reposcebat. (58) profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia, eques Romanus, praeter Seianum, ex inlustribus Curtius Atticus; ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium ut reditus illi negaretur. unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque. neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore, et saepe moenia urbis adsidens, extremam senectam compleverit. (59) ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps periculum auxit vana rumoris, praebuitque ipsi materiem cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. vescebantur in villa cui vocabulum Speluncae, mare Amunclanum inter et Fundanos montes, nativo in specu. eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes et fuga eorum qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque et manibus super Caesa-

1. *pcibus* cum lin., id est, *praecibus* M. — 3. Habet *arto*, non Beroaldi *arcto*, M. — 5. *inl.* M: *ill.* B. — *curcius* M. — 13. *litore* M: *littore* B. — *ads.* M: *ass.* B. — 16. *amunclanum* M, non, ut narratur apud Bekkerum, *amundanum*. — 17. *et Fundanos* Orellius: *fundanos* M, *Fundanosque* B. Sed facilius post *ter* excidit *et* quam *que* post *os*. — 18. *oms* cum lin. M.

secutus erat; ut C. 40. — *reposcebat*] imputabat quasi beneficium sibi debitum.

58. *Nerva*] Cfr. 6, 26. — *legum peritia*] cuius consiliis propterea Tiberius haud raro indigebat. — *inlustribus*] laticlaviis. Cfr. 11, 4. — *Curtius*] Est ille, quem 6, 10. subversum artibus Seiani ait et ad quem Ovidii ex Ponto 2, 4. et 7. — *levaretur*] oblectaretur, ut Virg. Aen. 8, 308: rex Aenean comitabatur *varioque viam sermone levabat*. Ann. 3, 34. 13, 5: *uxorium levamentum*. Amabat enim Graecam eruditionem. Vide Suet. Tib. 70. — *iis motibus siderum*] id est, ut posteriores (Spartianus, Ammianus) dicebant, ea constellatione, quam Graeci *θέμα*, *συνδρομὴν* vocant; in qua etiam *motus* ratio habetur, per quem fiunt certi positus siderum. Hist. 2, 78: *responsa vatum et siderum motus*. Gell. 14, 1: *Chaldaeos profiteri de motu deque positu stellarum dicere posse, quae futura sint*. Ern. — *ut*] pendet ex v. *casum*, eventurum esse, ut cet. — *artis et falsi*] artis astrologicae et mathematicorum fraudis vel saltem erroris. — *haud forte*] non temere, sine idonea causa. Ern. — *moenia urbis adsidens*] Sic 6, 43: *adsidendo castellum*. Contra Hist. 2, 22: *iisdem castris adsideret*. Inest inertis morae significatio, ut faciunt, qui tempus otiose terunt.

59. *Speluncae*] *Praetorium* Suetonius appellat C. 39. more sui seculi, quo omnes villae elegantiores et non rustici usus *praetoria* dicta. Eius verba haec sunt: *In praetorio, cui Speluncae nomen erat, incoenante eo complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt*. Strabo 2. p. 233. prope Terracinam dicit esse *σπήλαια κατοικίας καὶ πολυτελεῖς δεδεγμένα*. Hodie est *Sperlonga*, unde et *mare di Sperlonga*. (Talibus autem speluncis propter amoenum frigus per aestatem delectabantur; aliae autem, ut haec, erant *nativae*, aliae *manu factae*, concameratae. Seneca de Vatiae villa Ep. 55: *Speluncae sunt duae magni operis, cuivis laxo atrio pares, manu factae, quarum altera solem non recipit, altera usque in occidentem tenetur.*) — *Amunclanum*] inter Caietam et Terraci-

rem suspensus opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est a militibus qui subsidio venerant. maior ex eo; et quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. adsimulabatque iudicis partes adversum Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent, maximeque insectarentur Neronem proximum successioni et, quamquam modesta iuventa, plerumque tamen quid in praesentiarum conduceret oblitum, dum a libertis et clientibus, apiscendae potentiae properis, exstimulatur ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus, neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet. (60) haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis: sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultae, quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur. nam alius occursum eius vitare; quidam salutatione reddita statim averti; plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra inridentibusque qui Seiano fautores aderant. enimvero Tiberius torvus aut falsum renidens vultu: seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce. ne nox quidem secura, cum uxor vigilias somnos suspiria matri Liviae atque illa Seiano

3. *ads.* M: *ass.* B. — *iudicis* M: *indicis* auctore Mureto B. — 4. *adversum* M: *adversus* inde a Beroaldo Edd., etiam B. Cur formae *adversum* tam infestus fuerit Beroaldus, ignoro. — 6. *presentia rum conducet* M. Emendavit Beroaldus. — 11. *prave* M. — 12. *adp.* M: *app.* B. — 16. *inr.* M: *irr.* B. — *aberant* M.

nam. — *Fundanos*] Fundi, hodie *Fondi.* — *genu*] Haec positio facile capitur, si cogitas iacentem in lecto Tiberium, ut solebant vescentes. Lips. — *maior*] potentior. — *adsimulabatque iudicis partes*] Male recentiores editores auctore Oberlino ad unum omnes receperunt Mureti coniecturam *indicis*. Codicis scriptura aptissimum hunc praebet sensum: «subornabat, qui Germanici stirpem accusarent apud se et Tiberium (ne putes apud senatum); ipse deinde cum Tiberio consultabat et rogatus sententiam dicebat, tamquam ab omni partium studio alienus.» Walth. Phaedr. Prol. ad l. 3, 41: *Quodsi accusator alius Seiano foret, Si testis alius, iudex alius denique, Dignum faterer esse me tantis malis.* Contra dicit Ritter: «*Indicis* partes re vera sustinet, qui aliorum facinora a se ipso explorata vel aliunde comperta ad principem defert; sed qui, ut Seianus, subornat tam accusatores quam crimina, quae ipse indicat, is est *calumniator* atque indicis partes non nisi assimulat.» Equidem facio cum Walthero. — *nomina sustinerent*] partes susciperent. — *in praesentiarum*] Explicant *in praesentia rerum;* mira haec formula reperitur iam inde a Catone (R. R. 144, 4.) usque ad Sidonium (Epist. 4, 3.); apud Petronium 58. et 74. est etiam *depraesentiarum*. — *patientiam - - insultet*] rarissima cum accusat. constructione, ut Sal. Fragm. inc. 87, p. 250. Gerl.: *multos tamen ab adulescentia bonos insultaverat.*

60. *voces procedebant*] rarissimo usu pro *exibant ex eius ore*. — *insuper*] non solum delatores eum insectabantur, contra quos defensio ei concessa haud erat, sed aliae praeterea varii generis sollicitudines miserum angebant. — *insistentibus*] subsistentibus, ut ei insultarent; opponuntur autem iis, qui statim avertebantur. — *falsum renidens*] ut plenius Appuleius Met. 6. p. 310: *renidens exitiabile risu maligno.* Cfr. Horat. 3, 27, 67: *perfidum ridens.* Sil. Ital. 1, 398: *saevum arridens.* — *uxor*] Iulia Drusi F., quae Neroni nupta; quamque postea Claudius Messalinae dolo interfecit. Sueton. Claud. 29. Dio 60, 18. Lips. —

patefaceret; qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiae et solita fratribus odia, accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. neque tamen Seianus ita Drusum fovebat ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur, gnarus praeferocem et insidiis magis opportunum.

(61) Fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis, vitaque non degener, et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. scilicet impetu magis quam cura vigebat; utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.

(62) M. Licinio L. Calpurnio consulibus ingentium bellorum cladem aequavit malum inprovisum. eius initium simul et finis exstitit. nam

6. *oport.* M. — 8. *insignis* M. — 9. *et quae haterius* M, *et Quintus Haterius* B. — 10. *qua ad* M. — *ingeni* M. — 12. *illut* M. — 13. *extinctum* M. — 14. *M.* M: *Marco* B. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lin. M. — 15. *inpr.* M: *impr.* B.

demovisset] adiuvisset fratris interitum, quo in eius locum succederet. — *solita fratribus odia*] Hist. 4, 70: *ut ferme acerrima proximorum odia sunt.* — *promptior*] propensior ad gratificandum, ut 12, 1. 13, 8. Hist. 2, 74: *pronior in Titum*, ut hic quoque teste Pichena alii malebant, verum sine causa.

61. *Asinius Agrippa*] videtur filius Asinii Galli. — *claris*] rursus omisso v. *magis*, ut Germ. 6: *cedere loco consilii quam formidinis arbitrantur.* Clari autem et Asinius Pollio et Vipsanius Agrippa. — *vetustis*] non erat ex antiqua nobilitate. — *Q. Haterius*] Seneca Controv. 6. et Exc. Controv. 4. Praef.: *Declamabat Haterius admisso populo ex tempore. - - Tanta erat illi velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque D. Augustus optime dixit: Haterius noster sufflaminandus est. Adeo non currere sed decurrere videbatur.* Seneca Ep. 40: *Q. Haterii cursum, suis temporibus oratoris celeberrimi, longe abesse ab homine sano volo.* Hieronymus in Chron. ad a. Chr. 25. p. 419. Ed. Roncall.: *Q. Haterius, promptus et popularis orator, ad XC. prope annum summo honore consenescit.* — *haud perinde*] atque tum, cum viveret, ab auditoribus dilaudabantur eius orationes; nunc exaruerunt neque ullos lectores reperiunt. — *vigebat*] placebat, probabatur, florebat. Ern. — *canorum illud et profluens*] Seneca Exc. l. l.: *Solus omnium Romanorum, quos meo tempore cognovi, in Latinam linguam transtulit Graecam facilitatem. Canorum* autem significat non tam vocis suavitatem quam styli *εὐρυθμίαν*, gratum clausularum sonum. (Similiter Cic. de Or. 3, 7: *profluens quiddam habuit Carbo et sonorum.*)

62. *M. Licinio*] Crasso Frugi. Hic fuit filius M. Licinii Crassi cos. a. 740., pater Pisonis, quem Galba adoptavit, et M. Crassi Frugi cos. a. 816. Ryck. — *L. Calpurnio*] Pisone, de quo vide 3, 17. — *inprovisum*] Doederlein explicat «improvidentia contractum.» Quidni, ut alibi, «inopinatum»? — *coepto*] exstrui ab Atilio; quam perverse finito, narratur in sequentibus. Nihil autem opus transpositione, quae placuit Ernestio: *Nam Atilius quidam, libertini generis, coepto apud Fidenam amphitheatro, quo* cet.; *coepto amphitheatro* dativus est pendens a v. *subdidit.* — *Fidenam*] Magis solitus est pluralis. Horat. Epp. 1, 11, 8. Liv. 2, 19. Suet. Tib. 40.; singularis tamen etiam apud Virg. Aen. 6, 773. Sil. Ital. 15, 90. Graeci quoque fluctuarunt inter formam *Φιδήνη* et *Φιδῆναι.* — *celebraret*] non est simpliciter «ederet»; sed: «ut exstructo amplissimo amphitheatro temporario quam maximum posset numerum spectatorum (qui mercedem ei pro quaque sede solvere debe-

coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordida mercede id negotium quaesivisset. adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius; unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus aut in exteriora effunditur, immensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. miserandi magis quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. etiam

1. *amphitheatru* cum lin. M. — 2. *gladiatorom* M. — 4. *habundantia* M. — *in sordidam mercedem* malebat Pichena, probante Doederleinio. — 5. *adfl.* M: *affl.* B. — 6. Habet *virile ac muliebre secus*, non Beroaldi *virilis ac muliebris sexus*, M. — 7. *effusus* M. Correxit Lipsius. — 10. *adfl.* M: *affl.* M.

bant) in eo congregaret.» — *nec municipali ambitione*] nec studio gratiae municipum comparandae, ut ad honores municipales (duumviratum iuri dicundo, aedilitatem cet.) perveniret. — *in sordida mercede*] paranda unice occupatus, id unum spectans, ut quaestum faceret. Prorsus necessarium non puto Pichenae coni. *in sordidam mercedem*, etsi Walther, qui recepit, affert 11, 6: *in nullius mercedem.* Germ. 24: *in quaestum aut mercedem.* Contra Ritter: «Pichenae verba non nisi finem, quem secutus sit in amphitheatro aedificando sordidus ille Fidenas, indicant; Tacitus omnem istius hominis agendi et muneris edendi rationem describit.» — *avidi talium*] maxime ex Urbe, a qua Fidena non plus V. milia passuum distabat. — *imperitante Tiberio*] Suet. Tib. 47: *neque spectacula omnino edidit, et iis, quae ab aliquo ederentur, rarissime interfuit, ne quid exposceretur.* — *virile ac muliebre secus omnis aetas*] *virile - - secus* non est accusativus, ut cum Drakenborchio existimat etiam Wolfius ad Suetonii locum Oct. 44., sed simplicius pro nominativo et antiquae consuetudinis formula appositionis instar habendum est. Certe iungenda haec neque vero cum aliis post v. *secus* distinguendum; dictum enim est, ut Suet. l. l.: *athletarum spectaculo muliebre secus omnes summovit.* Frontin. Strat. 1, 2, 6: *omnes virile secus.* Liv. 26, 47: *liberorum capitum virile secus ad decem milia capta.* Sal. Fr. Hist. 2, 41: *magna gloria undique concurrentium virile et muliebre secus.* — *ut tali sorte*] in tam funesta clade tamen quodammodo felices, saltem minus miserandi, quoniam cruciatum effugere. (*ut tali sorte* est idem fere atque *pro tali sorte*, quae iis quoque, qui ruina laesi non erant, saltem formidolosa esse debebat; neque vero cum Rupertio explicem: «ut tali in casu fieri solet.») — *qui per diem*] Totius loci constructio favet sane communi interpretationi de debilitatis, qui coniuges liberosque suos non saucios, per diem oculorum coniectu quaerere, per noctem autem ex nota voce lamentisque agnoscere studebant neque tamen ullam ab iis opem impetrare aut saltem, ubi ipsi essent, certiores eos facere sermonesque cum iis miscere poterant, quia neque tam facile ab illis conspiciebantur, ruinis et strage molis obtecti, neque inclamare eos aut ipsorum debilitas aut promiscui atque continui clamoris tumultus permittebat. Contra alii vix probabiliter ad incolumes referunt, allato Plinii Epp. 6, 20, 14: «qui», ut ait Doederlein, «non obscura huius loci imitatione: *Audires ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum; alii parentes, alii liberos, alii coniuges*

quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere tamen; nequedum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus. (63) ut coepere dimoveri obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem adgnoscentibus fecerat. quinquaginta hominum milia eo casu debilitata vel obtrita sunt; cautumque in posterum senatus consulto ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum milium res, neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exsilium actus est. ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti; fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

(64) Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Caelio; feralemque annum ferebant, et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias

2. *periculis sed latior* M. — 4. Habet *sed* M. Ante Bekkerum edebant *et*. — 5. *adgn.* M: *agn.* B. — 7. Clare habet *gladiatorium* M, non *gladiatorum*, ut narratur apud Bekkerum, qui innocens hoc primus recepit. — *manus* M. — 9. *exilium* M. — 10. *prebeti* M. — 11. *instituti* M. Correxit Beroaldus. (Non deerunt aliquando qui Cod. lectionem defendant. Equidem cum Beroaldo facio, vel propter seq. litteram *s*.) — 12. *proelia* M: *praelia* B. — 13. *namdum* M. — *exsol.* M. — 14. *adf.* M: *aff.* B. — 15. *omnibus* M. Correxit Beroaldus.

vocibus requirebant, *vocibus noscitabant*; significari igitur eos, qui praesentes aliquo casu incolumes aut leviter saucii evaserant, sed pignora sua suos ante oculos affligi viderant, morientiumque partim corpora, partim voces agnoscebant, opitulando impares.» Hoc si voluisset Tacitus, nonne scripsisset, *quique per diem* vel *pariter qui per diem* —? Minime autem probanda Neuii suspicio *poscebant*, «desiderium prodebant coniugum et liberûm, per diem prospiciendo, per noctem ululatibus;» *noscebant*, ut apud Plinium *noscitabant*, est «agnoscere studebant, quoniam eos quoque spectaculo praesentes fuisse sciebant.»

63. *confusior*] mutata elisione nec facile agnoscenda. — *quinquaginta*] Nihil mutemus. Suetonius Tib. 40. et Orosius 7, 4. *supra* viginti hominum milia periisse eo casu aiunt; Tacitus, quinquaginta, sed latius sumens, debilitatos, non solum obtritos. Lips. — *munus ederet*] quocum in municipiis certe coniuncta erat amphitheatri exstructio. — *quadringentorum milium*] monetae Gallicae 80000. librae; is ante Augustum census fuerat equester. Oberl. Male Hackius de reditibus accepit. — *imponeretur*] pro *exstrueretur*. Horat. Sat. 1, 5, 26: *impositum saxis Anxur*; ut et h. l. dativus *solo* adiungitur. — *veterum institutis*] Liv. 2, 47: *Manlius consul saucios militum curandos dividit patribus; Fabiis plurimi dati; nec alibi maiore cura habiti.*

64. *Caelio*] in regione Urbis secunda. — *sine ambitione*] nihil gratiae tribuens, sed necessitati omnia; nos *ohne Nebenrücksichten.* — *Augustus*] Suet. Tib. 48: *montem Caelium appellatione mutata vocari Augustum iussit.* Vell. 2, 130: *Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenso monte Caelio omnis ordinis hominum patrimonio succurrit suo!* — *Claudiae Quintae*] Historiam declarat Valerius Max. 1, 8, 11: *Q. Claudiae statua in vestibulo templi Matris deum posita, bis ea aede incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione, L. Bestia, item M. Servilio et L. Lamia coss. in sua basi intacta stetit.* (a. u. 643. et 756.) Fuit autem Appii Caeci neptis, virgo Vestalis, quae a. 549. navim simulacrum Matris deum e Pessinunte translatum vehentem per adversum Tiberim sola adduxit, ut narrat Livius 29, 14. et patet

ex modo detrimenti. actaeque ei grates apud senatum ab inlustribus famaque apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat. adduntur sententiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo Iunii senatoris, inviolata mansisset. evenisse id olim Claudiae Quintae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem matris deum consecravisse. sanctos acceptosque numinibus Claudios, et augendam caerimoniam loco in quo tantum in principem honorem di ostenderent. (65) haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat, mox Caelium appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae cum auxilium † [appellatum] tauisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

1. *gratis* M. — *inl.* M. *ill.* B. — 2. *praec.* M. — 6. Habet *Quintae*, non Beroaldi *Quintiae*, M. — 7. *consegravisse* M. — 8. Habet h. l. *caerimoniam* M. — 9. *di* M: *dii* B. — 12. *appellatum* iudicibus Lipsio, Rittero, Doederleinio delendum, utpote temere iteratum ex praeced. *appellitatum*.. — 14. *tauisset* M: *tavisset* B, *tulisset* Lipsio auctore Ritter et Doederlein, atque haec sane optima est emendatio; error in v. *tauisset* rursus ortus est ex simillima scriptura litterarum *u* et *a*. (*ductavisset* Ferreto auctore Oberlinus; *appellatum itavisset* Waltherus, *portavisset* Doederleinii suspicio.) — 16. *advenabum* M.

ex anaglypho litterato apud Maff. *Mus. Veron.* 252, 4. Postea quasi dea Romae culta est sub nomine Navisalviae. Vide Inscr. m. Lat. N. 1905. 1906: *NAVISALVIAE. ET. MATRI. DEV. D. D. CLAVDIA. SINTI. (Syntyche.)* item N. 2403: *MATRI. DEVM. ET. NAVI. SALVIAE. Q. NVNNIVS. TELEPHVS. MAG. COL. CVLTO. EIVS. D. S. DD.* — *caerimoniam*] sanctitatem, nomine *Augusti* imponendo. Sic *caerimonia legationis* Cic. pro Rosc. Am. 39., *sepulchrorum* Tusc. 1, 12.

65. *Caele Vibenna*] Cfr. Niebuhr *R. G.* I. p. 393. Müller *Etrusker* I. p. 117. *Caelem* sine cognomine vocat Festus p. 44. Müll., *Caelium Vibennum* (sic) Varro L. L. 5, 8., *Caelium Vivennam* Claudius in Orat. Lugd. (Vide Excurs. ad Lib. 11, 24.), *Caelium* sine cognomine Dionys. Halic. 2, 36. Festus denique in *Tuscum vicum* p. 355. Müll.: *Volcientes fratres Caeles et Vibenna.* — *dux gentis Etruscae*] Vix cogitare poterat Tacitus haec unquam ita explicatum iri, ut fecit Walther: *Anführer, Haupt eines Etruskischen Geschlechts;* ipse videlicet totam nationem Etruscam intelligebat; iure an falso, nihil refert. — *seu quis alius regum*] Tempus adventus eius Varro, Dionysius, Festus p. 44. ad Romulum, Cic. de Rep. 2, 18. et Strabo 5. p. 358. ad Ancum Marcium, ad Tullum Hostilium Liv. 1, 30., ad Tarquinium Priscum cum Tacito Claudius et Festus p. 355. referunt. — *Tuscum vicum*] Aliter Liv. 2, 14: *Pars perexigua* (exercitus Porsenae a Cumanis ad Ariciam fugati) *duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes et fortuna et specie supplicum delati sunt . . . His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum vicum appellarunt.* Festus p. 355., antequam aliorum narrationem de Caele et Vibenna fratribus affert: *Tuscum vicum ceteri quidem omnes scriptores dictum aiunt ab iis, qui Porsena rege discedente ab obsidione e Tuscis remanserint Romae locoque his dato habitaverint.* Varro rursus dissentit 5, 8: *Hinc* (a Caelio monte) *post Caelii mortem, quod nimis munita loca tenerent neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus, et ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriae princeps.*

(66) Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur; corripueratque Varum Quintilium, divitem et Caesari propinquum, Domitius Afer, Claudiae Pulchrae matris eius condemnator, nullo mirante quod diu egens et parto nuper praemiò male usus plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis exstitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. restitit tamen senatus et opperiendum imperatorem censuit; quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat. (67) at Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit trium milium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam inportuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia: neque adpulerit quisquam nisi gnaro custode. caeli temperies hieme mitis, obiectu montis quo saeva ventorum arcentur; aestas in Favonium obversa et aperto circum

1. *casum* M. Correxit Heinsius. — *solacium* M. — 2. *telerant* M. (*tetulerant* mavolt Doederlein.) — *accussat.* M. — 3. Habet *Quintilium*, non *Quinctilium*, M. — 5. *maliusus* M. — 6. Habet omnibus litteris *Publium* M. — *ext.* M. — 7. *conixius* M. — 9. *molorum* M. — 11. *inr.* M: *irr.* B. — 13. *addidit* M. — 14. *promuntirii* M. — 15. *quoniam* omnibus litteris M. — *inp.* M: *imp.* B. — 16. *adp.* M: *app.* B. — 17. *grano* M.

66. *Varum Quintilium*] Censeo filium esse infelicis patris, qui in Germania caesus. Seneca Controv. 1, 3: *Declamaverat apud Cestium hanc controversiam Varus Quintilius tunc Germanici gener et praetextatus.* Itaque prosocer illi Tiberius fuit. Lips. — *condemnator*] qui effecerat, ut condemnaretur; v. C. 52.

67. *Capreas*] Schol. ad Iuven. 10, 93: *angusta Caprearum in rupe sedentis Cum grege Chaldaeo: Sedentis*, inquit, *significat et diu et turpiter vixisse Capreis Tiberium.* Hodie *Capri.* — *ab extremis*] ab ea parte, quae longissime excurrit et protenditur. Cfr. Hist. 3, 47. Freinsh. — *subsidia*] stationes et tutiora loca, in quibus naves facilius appellere possent, ut 2, 63. — *custode*] quin Tiberii speculatores (paullo ante *disposito milite*) illico animadverterent. Aliter Ritter, sed vix recte: «nisi gnaro instructus gubernatore, qui vitatis locis importuosis ad *pauca subsidia* (navium stationes) navem direxerit.» — *saeva ventorum*] saevitia aquilonis. — *antequam Vesuvius*] a. u. c. 832: post Chr. 79. Plin. Epp. 6, 16. et 20. — *Teleboïs*] Ideo Teleboae pro ipsis Capreis Ausonio: *viridesque resultant Teleboae.* Virgilius causam nominis tangit Aen. 7, 735: *Telon Teleboum Capreas dum regna tenebat.* Erat autem ea insula in censu Caesarum. Suet. Oct. 92: *Apud insulam Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo adeo laetatus est Augustus, ut eas cum re publica Neapolitanorum permutaverit, Aenaria* (hodie *Ischia*) *data.* Strabo 5. p. 248. Dio 52, 43. Insulam hanc Tiberius *duodecim villarum nominibus insedit*, ait Tacitus (id est, paene totam occupavit). Iis villis nomina fuisse censeo XII. deorum ex Suetonio, qui Capreis adsignat *villam, cui nomen Iovis* C. 65. Sed et Pharus in ea insula, usui nautis. Idem C. 74: *turris Phari terrae motu Capreis concidit*, quod ponit inter omina Tiberianae mortis. Lips. — *molibus*] amplitudinem villarum significat, ut *nominibus*, insolita ea fuisse et affectata. (Duodecim villarum loca detegere sategit a. 1781.

pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas fama tradit. sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus et malum otium resolutus. manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. quis additus miles nuntios, introitus, aperta secreta, velut in annales referebat; ultroque struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus, vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare. eaque spreta ab illis, velut pararent, obiciebantur.

(68) Iunio Silano et Silio Nerva consulibus foedum anni principium incessit tracto in carcerem inlustri equite Romano, Titio Sabino, ob amicitiam Germanici: neque enim omiserat coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus, eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis. hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opsius praetura functi adgrediuntur, cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus; neque Seiani volun-

3. *teletebois* M. (*tele* est in fine versus.) — 5. *occultior* M: *occultos* auctore I. Fr. Gronovio B. Sed cfr. 3, 29. 4, 12. Accessit h. l. *σιγματισμοῦ* vitandi cura. — 6. *suspition.* M. — 12. Habet *obiciebantur* M, non *obiiciebantur*. — 13. *cos.* cum lin. M. — 14. *inl.* M: *ill.* B. — 17. *portius* M. — 18. *M.* M: *Marcus* B.

Accuccius; indicat ea et omnis generis monumenta inde ab a. 1786. a se Capreis detecta describit Norb. Hadrawa in Epistolis Italice editis et Germanice versis. Dresdae 1794. 4. In iis templorum, aquaeductuum, pavimentorum tessellatorum, vasorum cet. frequens mentio. OBERLIN.) — *additus miles*] custodiae causa atque ut, ubi opportunum videretur, illico interficerentur. Cfr. Virg. Aen. 6, 95: *Teucris addita Iuno.* — *struebantur*] Notabilis verbi usus cum accusativo personae, ut 11, 12. Sic et *moliri* 12, 22. Cfr. Val. Flacc. 1, 535. WOPKENS. — *celeberrimo fori*] Intellige de tempore, quo forum hominum frequentia celeberrimum (plenissimum) esse solebat (hora diei fere quarta). ERN. (Intelligo potius de parte fori celeberrima; alioqui dici oportuerat *celeberrimo foro.* WOPKENS. Ernestii tamen interpretatio praestare videtur; nam *forum* non solum de loco fori valet, sed etiam de multitudine hominum in foro agentium, ut Virg. Ge. 2, 502: *insanumque forum.*)

68. *Iunio Silano*] quem interfecit Claudius a. 795. — *Silio Nerva*] In Burmanni Syllog. Epist. IV. p. 760. Perizonius pro *Silio* corrigere volebat *Siliano*, deceptus loco Velleii 2, 116: *A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius - - praereptus immature et fructu amplissimae principis amicitiae et consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium magnitudinis defectus est. Magnitudo* ista sane nihil aliud est quam consulatus, quem igitur Silianus Velleii adeptus non erat; fuit hic *Silianus* probabiliter filius P. Silii consulis h. l. a Tacito memorati, ab A. Licinio Nerva adoptatus, pater A. Licinii Nervae Siliani, consulis a. 818., de quo vide 15, 48. — *Titio Sabino*] Cfr. Dio 58, 1. Plin. H. N. 8, 40, 61: *Super omnia in nostro aevo Actis populi Romani testatum Appio Iunio et P. Silio coss. cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filii in Titium Sabinum et servitia eius, unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse nec a corpore recessisse abiecti in gradibus Gemitoriis maestos edentem ululatus* cet. — *gravis iniquis*] molestus atque invisus iis,

tas nisi scelere quaerebatur. compositum inter ipsos ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent. igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam, quod non, ut ceteri, florentis domus amicus adflictam deseruisset; simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat Seianum, saevitiam superbiam spes eius. ne in Tiberium quidem convicio abstinet. iique sermones, tamquam vetita miscuissent, speciem artae amicitiae fecere. ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. (69) consultant quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu acciperentur. nam loco in quem coibatur, servanda solitudinis facies; et si pone fores adsisterent, metus visus, sonitus aut forte ortae suspicionis erant. tectum inter et laquearia tres senatores, haud minus turpi latebra quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit; praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. eadem ille et diutius, quanto maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. properata inde accusatio, missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. non alias magis anxia et pavens civitas, † egens adversum proximos:

5. *adfl.* M. *affl.* B. — 6. *moles* M. — 7. *quaestus* M. — *audentius* M: *audacius* Bekkeri operae. — 10. *fecere* Faërnus et Muretus: *facere* M, B. Ubique historica perfecti forma in M corrupta est in verbi infinitivum. — 13. *solitudines* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 14. *metus* M: *metui* Ernestio auctore B. — *suspicionis* M: *suspiciones* cum Beroaldo B. Utramque Cod. lectionem restituere Walther, Ritter, Doederlein. — 18. *adf.* M: *aff.* B. — 19. *qaranto* (sic) M. — 21. *ipse* M. — 22. *egens* v. corruptum. Inter coniecturas (*satagens* Vertranius, *tegens* Lipsius) memorabilis est Acidalii: *se tegens*; verum interpretibus auctor sum, ut sequantur Mureti: *civitas egit, etiam adversum proximos.*

qui filios odissent. — *quaerebatur*] simplex pro composito *acquirebatur*. 6, 4: *Sic Trioni dilatio exitii quaesita*, id est, parata. — *questus*] suos cum Latiaris questibus. — *onerat*] pro pleniore locutione *onerare maledictis* Plaut. Pseud. 1, 3, 122., vel *contumeliis* Cic. Phil. 2, 28. Doed. — *vetita miscuissent*] consilia prava communiter agitassent ac socii sceleris fuissent.

69. *metus*] pluralis est, ut C. 50. 6, 18. 14, 57. Hist. 2, 22.; *visus* et *sonitus* genitivi ut *suspicionis*. «Metuendum erat, ne vel ipsorum negligentia conspicerentur audirenturve vel Sabinus per providentiam sponte natam proxima cubiculi scrutaretur ad amovendos auscultatores.» Doed. — *laquearia*] lacunar, interstitium tignorum in caelo cubiculi vel alius aedium partis, quod cameratum non sit, ex eo dictum, quia inter tignum et tignum veluti lacuna est. Forcell. Similem latebram memorat Valer. Max. 6, 7, 2: *Lucretium uxor Thuria inter cameram et tectum cubiculi abdidit.* — *pavens*] Mire locum sane corruptum interpretatus est atque distinxit Walther: *pavens civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia: notas* cet., cum vv. *congressus*, *colloquia* manifesto iungenda sint cum v. *vitari*, uti vv. *notae ignotaeque aures.*

70. *sollemnia*] Plinius 28, 2, 5: *primum anni incipientis diem laetis preca-*

congressus, conloquia, notae ignotaeque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur. (70) sed Caesar sollemnia incipientis anni kalendis Ianuariis epistula precatus, vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. nec mora quin decerneretur; et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas; deseri itinera, fora. et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes quod timuissent. quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? non inprudentem Tiberium tantam invidiam adisse: quaesitum meditatumque ne quid impedire credatur quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant. secutae insuper litterae grates agentis quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim conpellato; neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

(71) Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus antire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio; qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eandem operam recentibus, veteres et praegraves adflixit. verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. tum censuit Asinius Gallus, cuius

1. *conl.* M: *coll.* B. — 2. *sollemnia* M: *sollennia* B. — 3. *k.* cum lin. M: *calendis* B. — *Ianuarius* M. Correxit Iac. Gronovius, ante quem edebant *Ianuarias*. — Habet *epistula* M. — *pcatus* cum lin. M. — 8. *acciperent* M. Correxit Rhenanus. — *regrediebatur* M. — 12. *prudentem* M. (*in* excidit in versus fine.) Correxit Rhenanus. (*impr.* B.) — *adisset* M. — 15. *adiecti* M. — 16. *conp.* M: *comp.* B. — 20. *C.* M: *Gaius* B. — 21. *incolomi* M. — 22. *nollebat* M. — 23. *adfl.* M: *affl.* B.

tionibus invicem faustum ominamur. — *acciderent*] ad aures hominum. — *inter sacra et vota*] Nihil enim triste publice privatimque primo illo die patrabant; nedum ut punirent. Plutarch. in Mar. p. 482: *καὶ προσελθὼν (ὁ Μάριος) αὐταῖς Καλάνδαις Ἰανουαρίαις, ἔτους ἀρχῇ, Σέξτον τινὰ Λικίννιον κατεκρήμνισεν· ὃ κἀκείνοις καὶ τῇ πόλει τῶν αὖθις ἐδόκει κακῶν γεγονέναι σημεῖον μέγιστον.* Suet. Tib. 61: *Nullus a poena hominum cessavit dies, ne religiosus quidem et sacer.* Lips. — *id ipsum paventes*] ne scilicet, qui hunc timorem animadvertissent, ipsos Tiberio ac Seiano deferrent. — *quem enim diem*] Sensus et occulti sermones hi sunt populi Romani. — *non inprudentem*] non temere neque caeco aliquo furore abreptum Tiberium tam odiosum factum commisisse. Cod. *non prudentem* frustra defendit Bachius: «haec ironice dicta sunt unius ex populo, Tiberium quasi excusantis ut imprudentem, temere et inconsiderate agentem, Seiani videlicet artibus deceptum, ipsum quasi insontem, statim tamen semet corrigentis, immo *quaesitum* cet.» — *delubra et altaria*] in magistratu ineundo. — *trepidam*] sollicitam propter continua pericula.

71. *Latinius*] Habes 6, 4. Poenas Opsii, Catonis et Petitii tradidit in libris deper-

liberorum Agrippina matertera erat, petendum a principe ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. nullam aeque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. eo aegrius accepit recludi quae premeret. sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.

Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat, proieceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. illic viginti annis exsilium toleravit, Augustae ope sustentata; quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

(72) Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii inpatientes. tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius e primipilaribus regendis Frisiis inpositus terga urorum delegit quorum ad formam acciperentur. id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium beluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant. hinc ira et questus, et postquam non subveniebatur, remedium ex bello. rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga

4. *praemeret* M. — 5. *aperirentur* M. Correxit I. Fr. Gronovius. Codicis lectionem defendit Doederlein. — 8. *proleceratque* M. — 9. *litoribus* M: *littoribus* B. — *exilium* M. — 11. *adfl.* M: *affl.* B. — 13. *inp.* M: *imp.* B. — 16. *inp.* M: *imp.* B. — 17. *deiegit* M. — 21. *quaestus* M. — *subveniebat* M. Correxere Muretus et Lipsius. Litterae *ur* absorptae sunt a seq. *r.* — 22. *adf.* M: *aff.* B.

ditis. — *matertera*] quia Vipsania uxor primum Tiberii, deinde Asinii, consanguinea Agrippinae soror, id est, eodem patre Vipsanio natae ambae, diversa matre. Cfr. 1, 12. 3, 19. — *ut rebatur*] ipse; putabat hanc virtutem, quae reapse pravitas erat. — *ut cunctationes pr. opperiretur*] quo exspectaret, donec Tiberius omni cunctatione tandem omissa in Agrippinam ac Neronem animadvertere decresset, tunc ut eum in saevitia confirmaret. (Cod. *aperirentur* sic defendit Doederlein: «Recte. Offensum Tiberium mitigavit, non ut Gallo veniam impetraret, sed ut occasionem nancisceretur significandae verae et occultae principis voluntatis, utque apertum fieret patribus, cunctari tantum principem, non prorsus nolle, ac mox fore, ut fateretur metus suos.» Sed huic interpretationi maxime obstat tota clausulae constructio: *mitigavit* - - *ut* - *aperirentur*, parum sane concinna.) — *Iulia*] Iuliae filia, soror C. et L. Caesarum, quae nupta Aemilio Paulio. Cfr. 3, 24. — *Trimerum*] una insula Diomedearum, hodie *Tremiti*.

72. *Frisii*] Cfr. 1, 60. — *tributum iis iusserat*] pro *imposuerat*. Comparat Oberlinus Liv. 42, 28: *cui iussum erat creare.* Ann. 13, 15: *Britannico iussit, exsurgeret.* Ibid. 40: *quibus iusserat, ut resisterent.* — *in usus militares*] ad scuta, ad tentoria militum, etiam ad machinarum paratum. Lips. — *terga*] pro *tergora*, ut 15, 44. Virg. Aen. 1, 372: *Taurino quantum possent circumdare tergo.* — *acciperentur*] a militibus; si tam grandia non essent, quam urorum tergora, reiicerentur. De uris cfr. Caes. B. G. 6, 28. — *beluarum*] bisontium, urorum, alcium. Plin. 8, 15: *Paucissima Scythia gignit inopia fruticum,*

praevenit, receptus castello, cui nomen Flevum; et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat. (73) quod ubi L. Apronio inferioris Germaniae pro praetore cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit, ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus. igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat. atque interim repertis vadis alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet; qui iam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. tum tres leves cohortes, ac rursum duae, dein tempore interiecto alarius eques inmissus. satis validi, si simul incubuissent, per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintae legionis, quod reliquum auxiliorum, tradit. atque ille dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum inplorabat. prorumpunt quintani ante alios, et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. neque dux Romanus ultum iit, aut corpora humavit, quamquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent. mox compertum a transfugis nongentos Romanorum, apud lucum quem Baduhennae vocant, pugna in posterum extracta confectos; et aliam quadringentorum

2. *licora* M: *littora* B. — *L.* M: *Lucio* B. — 3. *pro praetore*] *propraetore* M B, *propraetori* cum Rhenano plerique, etiam Walther. — 6. *castello* M. Correxit Rhenanus. — *degressis* M. — 10. *pelluntur* (in fine versus) M ex geminatione seq. syll. *tur*. — 11. *leve* M. — *acrius* M. Correxit Freinshemius. — 12. *inm.* M: *imm.* B. — 13. *auferaebantur* M. — 14. *cethecio* M. — 16. *inpl.* M: *impl.* B. — *agri* M. — 17. *pulsa* M. — *faessas* M. — 21. *confeltos* M.

pauca contermina illi Germania, insignia tamen boum ferorum genera, iubatos bisontes, excellentique vi et velocitate uros, quem ad locum conferendus est Cuvier. — *subveniebatur*] Qui retinent Cod. *subveniebat*, supplent *Olennius*; attamen parum concinnum hoc videtur, cum hic ipse molestum Frisiis onus imposuerit. — *rapti*] pro *correpti*, ut Hist. 2, 17. Mox *tributo* scil. exigendo. — *Flevum*] Ad Hunsae fluvii os positum, ubi hodie *Flie* sive *Flieland*, aut *Vliesfliet*, *Fliedorp*; alii non longe a Maarsa, ubi nunc *Vleuten* in provincia Ultraiectina; alii ad Flevum seu Flevonem, quod est unum de Rheni ostiis. Ptolemaeo 2, 15: Φληούμ nominatur. Rup. Alii cogitarunt de oppidulo *Delfziel*. Cfr. Ukert *Germanien* p. 435.

73. *vexilla legionum*] Cfr. ad 1, 38. — *Canninefatem*] Erant hi Batavorum vicini. Plin. 4, 15: *in Rheno ipso nobilissima Batavorum insula et Cannenufatum* cet. Apud Vellei. 2, 105. simplici *n Caninefates*, sed Ed. pr. *Caninifaci*. Grut. 385, 1. Inscr. m. Lat. N. 96: *PRAEF. EQ. ALAE. PRIMAE. CANNVNEFATVM.* Sed titulus mihi est suspectus. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 368. Ukert *Germanien* p. 102. — *equites legionum*] cfr. Hist. 1, 57. Opponitur hic equitatus e civibus Romanis conscriptus vel saltem, si peregrini erant, Romanis legionibus aggregatus *alario equiti* sociorum, de quo 3, 39. (12, 27. 13, 35. 15, 10.) — *dux Romanus*] Pichena malebat *Romanos*; sed Tacitus reprehendere voluit L. Apronii socordiam atque ignaviam, Romano duce prorsus indignam. — *insignes centuriones*] Sunt, quos alibi vocat *primorum ordinum*, *primipilares*. Cfr. 2, 11. — *Baduhennae*] de nominis

manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse. (74) clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. ita quamquam diversis super rebus consulerentur, aram clementiae, aram amicitiae, effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere; crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent. non illi tamen in urbem aut propinqua urbi degressi sunt: satis visum omittere insulam et in proximo Campaniae adspici. eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus, atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. satis constabat auctam ei adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti. quippe Romae sueti discursus, et magnitudine urbis incertum quod quisque ad negotium pergat: ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine, noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec id quoque vetitum, et revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat; quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat. (75) ceterum Tiberius neptem Agrippinam, Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. in Domitio, su-

1. *stipendiari* M. — 5. *internos* M. — 7. *praec.* B. — 9. Habet *degressi* M. Ante Ernestium male edebant *digressi*. Ritter recte illud vindicat. — 10. *aspici* M. — 12. *adr.* M: *arr.* B. — 13. *illum* M. — *propatibulo* M. — 14. *magnitudini* M. — 15. *litore* M: *littore* B. — 16. *idque* M. Correxit *id quoque* Muretus. — 18. *infastae* M. — 20. *CN.* M: *Gnaeo* B.

significatione et luci situ nihil constat. Cfr. Ukert *Germanien* p. 120. Grimmius quidem *Gramm.* I. p. XLI. vocem Theotiscam *badu* explicat *proelium, bellum,* unde pateat hunc lucum ad bellica imprimis sacrificia fuisse destinatum. — *stipendiarii*] qui stipendia olim in exercitu Romanorum meruerat; fuit sine dubio e Frisiorum principibus.

74. *ne cui bellum permitteret*] quia Apronius victus erat, ei non iam committi poterat; nemini alii autem satis fidebat Tiberius. — *diversis*] De aliis relatum erat, sed per egressionem de his honoribus censuere. — *clementiae*] Praeluserat huic arae nummus sic inscriptus: *TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII.* (caput nudum): in parte aversa *CLEMENTIAE. S. C.* (clipeus, cui insculptum adversum caput Clementiae.) Eckhel VI. p. 187. Cfr. etiam *aram adoptionis* 1, 14. — *anxii erga Seianum*] anxie eius gratiam quaerentes, odium vitantes, *ὥστε καὶ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι.* Dio 58, 4. Walth. — *eo per ambitum*] propter id ipsum, quod difficilis ac rari aditus Seianus erat, per ambitum clientibus eius et ianitoribus adulando atque gratificando quaerendus erat. (*«Eo* superfluum, obscurum (?) est et fortasse ex superiore versu male repetitum.» Doed.) — *societate consiliorum*] ita ut eum adiuvarent in insidiis hominibus, quos oderat, struendis. — *perpetiebantur*] Hoc v. significat aeque indignam atque molestam mancipiorum et gratiam et superbiam fuisse. — *male alacres*] intempestive ac prave, quia ipsa haec alacritas ipsis postea perniciem allatura erat. Haud prorsus apte comparant Virg. Aen. 6, 278: *mala mentis gaudia.*

75. *neptem*] per adoptionem. — *Agrippinam*] quae post Domitium nupsit Crispo Passieno et postremum Claudio imperatori. Occisa est a filio Nerone. — *coram*] in Campania. — *Cn. Domitio*] Aenobarbo,

per vetustatem generis, propinquum Caesaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

2. *praeferebat.* *FINIT LIBER IIII.* ‖ *INCIPIT LIBER V.* M.

patri postea Neronis imperatoris; *omni parte vitae detestabilem* vocat Suet. Ner. 5. — *delegerat*] in eo deligendo spectaverat et secutus erat. Ern. — *aviam*] Quia filius L. Domitii ex Antonia maiore. Antonia autem ex M. Antonio et Octavia. Avunculus ergo maior (cfr. 2, 43.) illi Augustus. Lips. Cfr. Eckhel VI. p. 160. — *praeferebat*] prae se ferebat, ut 2, 53. 13, 3. 14, 57. et alibi. Walther.

EXCURSUS AD ANN. IV. 5.

Guil. Pfitzner Commentatio, quot quibusque numeris insignes legiones inde ab Augusto usque ad Vespasiani principatum in Oriente tetenderint. Neobrandenb. 1844. 4. excerpta est in Bergk u. Caesar *Zeitschrift* 1845. 5. p. 477: *In dieser gründlichen Abhandlung weist der Verfasser nach, dass zwar aus Tac. Ann. 4, 5. hervorgehe, dass im 9. Regierungsjahre des Tiberius (776) 4 Legionen im Orient gewesen seien, dass aber daraus nicht mit Bestimmtheit auf eine gleiche Zahl unter Augustus sich schliessen lasse. Jene 4 Legionen sind III. VI. X., und eine unbekannte; da nun aber Ann. 15, 6. die XII. und IV. erwähnt werden, von denen die eine aus Germanien versetzt war, so nimmt Hr. Pf. an, dass die eine von diesen schon längst in Syrien ihre Standquartiere gehabt habe, da es Princip der römischen Politik war, die Legionen wo möglich in derselben Provinz zu belassen. Unter Corbulo kommt also wegen kriegerischer Verhältnisse die IV. Legion aus Germanien, bald darauf die V. aus Mösien, dann die XV. aus Pannonien, so dass unter Nero 7 Legionen sich im Orient befinden, die nach Corbulo's Tode anfangs Mucianus kommandirt; dann tritt eine Theilung ein, so dass Mucianus mit 4 Legionen (III. IV. VI. XII.) in Syrien zurückbleibt, Vespasian mit 3 Legionen (V. X. XV.) den Krieg fortsetzt; im J. 819 kehrt die IV. nach Germanien zurück, die III. wird nach Mösien versetzt, so dass also nur 5 im Orient zurückbleiben würden: gleichwohl erwähnt Tacit. Hist. 2, 76., dass drei Legionen in Judaea, 4 in Syrien Vespasian sofort als Kaiser anerkannt hätten; um diesen Widerspruch zu heben, nimmt Hr. Pf. an, dass ein Theil dieser beiden Legionen bei der Versetzung in Syrien zurückgeblieben sei, und findet eine Bestätigung darin, dass Vespasian sofort beide Legionen wieder in den Orient zurückversetzt.*

ANNALIUM

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Liviae Augustae mors et elogium. 2. Tiberius etiam mortuae iniquus. 3. Seiani potentia crescit. Agrippina et Nero a principe accusantur. 4. In eos populi favor. 5. Irato Tiberio. Triennii acta desunt.

6. Seianus detecta cupidine imperii pervertitur; 7. — 9. cum magna amicorum strage.

10. Pseudo-Drusum persequitur Poppaeus Sabinus. 11. Discordia consulum.

Haec gesta annis circiter tribus, C. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino; M. Vinucio Quartino, C. Cassio Longino; Ti. Caesare V., L. Aelio Seiano coss.

Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta in urbem rediit. exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit. nullam posthac subolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa communes pronepotes

1. *Ab excessu diui augusti. Rubellio* M. — Habet *Fufio*, non *Fusio*, M. — *cos.* cum lin. M. — 4. *perusinio* M. — 5. *Sex.* M: *Sextum* B. — 8. *induxerat* pr. M, sed eadem manu correctum. — Habet *subolem*, non Beroaldi *sobolem*, M.

1. *Geminus*] Heinsius et Burmannus malebant *Geminis*. Sed recte Walther: «Hic *Geminis* non satis elegans videtur esse propter *utrique*. Cfr. Liv. 31, 4: *Geminis ambobus cognomen erat*; contra idem 35, 24: *utrique eorum Salinator cognomen erat.*» Ceterum nomina integra haec sunt: *L. Rubellius Geminus* et *C. Fufius Geminus*. Huius nex memoratur 6, 10. — *extrema*] Discrepant de eius aetate Plinius 14, Sect. 8: *Iulia Augusta LXXXII. annos vitae Pucino rettulit acceptos non alio vino usa*; et Dio 58, 2: Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ (a. 762.) καὶ ἡ Λιουία μετήλλαξεν, ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη ζήσασα. — *Liviorum*] Duas ergo familias complexa per adoptiones Livia. Ipsa enim e Claudiis, unde et cognomen tenuit Drusillae. Sed pater eius insertus adoptione in Livios, quod hic Tacitus voluit dictum. Nec aliter accipies 6, 51: *quamquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam* (Augusti testamento Ann. 1, 8.) *adoptionibus transierit*. Non enim ipsa, sed pater; cui nomen apud Velleium 2, 75. Livius Drusus Claudianus. Vocat simpliciter Dio 44, 48. Livium Drusum; et cum a Bruto stetisset, post pugnam Philippensem manus ait attulisse sibi. Clara haec e Suetonio Tib. 3: *Ex hac stirpe* (Claudia) *Tiberius Caesar genus trahit, et quidem utrumque: paternum a Ti. Nerone, maternum ab Appio Pulchro qui ambo Appii Caeci filii fuerunt. Insertus est et Liviorum familiae, adoptato in eam materno avo.* Lips. — *bello Perusino*] inter Octavianum et L. Antonium gesto a. 713. — *pace*] a. 715. — *aufert marito*] Cfr. 1, 10. — *sanguini Augusti*] Nam Germanicus Druso ortus Liviae sanguis, Agrippina ex Iulia sanguis

habuit. sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater inpotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. funus eius modicum, testamentum diu inritum fuit. laudata est pro Rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est. (2) at Tiberius quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit; honoresque memoriae eius ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito ne caelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse. quin et parte eiusdem epistulae increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens. is gratia Augustae floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus, quarum apud praepotentes in longum memoria est. (3) ceterum ex eo praerupta iam

2. *inp.* M: *imp.* B. — 4. *inr.* M: *irr.* B. — *accaesare* M, *a Gaio Caesare* B. — 11. *allic.* M: *adlic.* B. — 12. *inr.* M: *irr.* B.

Augusti. Id. — *inpotens*] indulgens *στοργῇ* et studio potentiae filii, cui adversus domum mariti et adversus rem publicam et adversus nepotem ex modestiore filio (Germanicum) omni bono maloque modo favit ac servivit. Cfr. Ann. 1, 10: *Gravis domui Caesarum noverca* (propter filium). Gron. Melius vero Walther explicat de arrogantia in filium; quocum faciunt vv. Ann. 4, 57: *Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur.* Et tam diuturnum iugum filio imposuerat, huius *inveterato erga matrem obsequio* (C. 3.) abusa. Atque huic interpretationi unice favet ipsum *ἀντίθετον* *inpotens*, *facilis*. Ceterum de Livia cfr. etiam Sen. de Clem. 1, 9. Consol. ad Marc. 2—4. Macrob. Sat. 2, 5. — *facilis*] Dio 58, 2: *Πυθομένου τέ τινος αὐτῆς, πῶς καὶ τί δρῶσα οὕτω τοῦ Αὐγούστου κατεκράτησεν, ἀπεκρίνατο, ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα καὶ τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε διώκουσα μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιουμένη.* Suet. Aug. 71: (Augustus) *circa libidines haesit; postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quae sibi undique etiam ab uxore conquirerentur.* — *bene composita*] par, responsans, ita ut neque artibus illius nec huius simulatione caperetur ac falleretur, nec vero contumacia eos offenderet; metaphora ducta a gladiatorum paribus. Horat. Sat. 1, 7, 19: *par pugnat, uti non Compositi melius cum Bitho Bacchius.* Et propter hanc astutiam Caligula aviam *Ulixem stolatum* nominabat. Suet. Cal. 23. — *diu inritum*] Suet. Tib. 51: *Testamentum quoque Livia pro irrito habuit.* Atque Caligula demum *legata* - - *Iuliae Augustae, cuius testamentum Tiberius suppresserat, cum fide ac sine calumnia repraesentata persolvit*, ut refert Suet. Cal. 16. Cfr. Dio 59, 2.

2. *supremis*] Dio 58, 2: *οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο οὔτε ἀποθανοῦσαν προέθετο κτλ.* Suet. Tib. 51: *Toto quidem triennio, quo vivente matre afuit, semel omnino eam nec amplius quam uno die ac paucissimis vidit horis, ac mox neque aegrae adesse curavit defunctamque et, dum adventus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum et tabido corpore funeratam prohibuit consecrari, quasi id ipsa mandasset.* — *religio*] Quam tamen postea ei tribuit nepos Claudius, effigie eius in templo Augusti consecrata sacrisque, quae Vestales facerent, institutis; edicto etiam, ut per nomen eius feminae iurarent. Dio 60, 5. Suet. Claud. 11. Exstant nummi: *DIVVS. AVGVSTVS. PATER.*, caput radiatum, ara ante pedes: parte aversa: *S. P. Q. R. DIVAE. IVLIAE. AVGVSTI. FIL.*, carpentum, cui subiuncti duo muli. Eckhel D. N. VI. p. 158. Cfr. Marini *Atti* I. p. 78. et Inscr. m. Lat. N. 614—618.

3. *praerupta*] *ἀπότομος*, imagine desumpta a rupe ardua et inaccessa, «ab omni comitate longe remota et homines

et urgens dominatio. nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis antire: tunc velut frenis exsoluti proruperunt, missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus: haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum et inpudicitiam nepoti obiectabat. in nurum ne id quidem confingere ausus, adrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur), ut referretur postulavere, promptissimo Cotta Messalino, cum atroci sententia. sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat. (4) fuit in senatu Iunius Rusticus, conponendis patrum actis delectus a Caesare, eoque meditationes eius introspicere creditus. is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiae dederat) seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules ne relationem inciperent; disserebatque brevibus momentis summa verti; posse quandoque † Germanicis titium

3. *antire* M: *anteire* B. — 4. *allatas* M: *adlatas* B. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *confringere* M. Emendavit Beroaldus. — *adr.* M: *arr.* B. — 11. *postolavere* M. — 12. *maximaeque* M. — 14. *conp.* M: *comp.* B. — 15. *meditationis* M. — 18. *consulens* M. — 19. *verti; posse quandoque* distinxit Walther: *verti posse, quandoque* B. »Haec mutila sunt et adhuc ne probabiliter quidem ab ullo restituta.» Ritter. Addam importunitate sua conterrens.» — *urgens*] absolute, ut Cic. Tusc. 3, 25: *opinio magni praesentis atque urgentis mali.* Virg. Ge. 1, 146: *duris urgens in rebus egestas;* prorsus ut nos: *schroff und drückend.* Recte Doederlein: «Itaque post Augustae mortem et clementia diminuta est et crudelitas aucta.» — *missae*] ad senatum atque in eo recitatae. — *allatas*] ad consules, mox tamen propter Augustae intercessionem eas recitare vetitos. — *iuvenum*] qui flore aetatulae Neronis cum ipsius voluntate libidinose abuterentur. — *adrogantiam oris*] impudentem effrenatamque licentiam in loquendo atque omnia reprehendendo. — *et publica - - trahuntur*] Noli haec iungere cum praecedentibus *quis* cet.; est enim generalis sententia pro: *trahi solent.* Contra qui iungunt, sic fere interpretantur, ut fecit Louandre: *Enfin, quelques-uns de ces hommes qui n'ont rien à espérer du bien, et qui exploitent au profit de leur crédit les malheurs publics, demandèrent à délibérer.* — *Cotta*] Ann. 6, 5: *saevissimae cuiusque sententiae auctor.* — *cum atroci sententia*] sunt, qui iungant cum v. *promptissimo;* quod vereor, ut Latinum sit pro: *in a. sententiam, a. sententiae.* Immo est: «promptissimus fuit ad postulandum, ut referretur, atque insuper ipse atrocem dixit sententiam.» — *trepidabatur*] «metu capti, incerti haesitabant, quousque procederent.» Cfr. mox *dubitantibus.* — *cetera*] «quid, ut in Agrippinam et Neronem a senatu decerneretur, reapse vellet.»

4. *actis*] 15, 72: *commentarii senatus* dicuntur, *Senatsprotokolle.* Totam rationem variorum actorum publicorum diurnorumque illustravit Le Clerc *des journaux chez les Romains. Paris.* 1838. — *prava sollertia*] Attamen innocentes conservare conabatur. Refer igitur ad Iunium ipsum: «inconsiderata et in ipsius fortasse exitium cessura;» etsi praeterea nihil de eo constat. — *imminentium*] Mala praesentia et pericula negligit prae futuris. Plus scilicet timebat ab heredibus (Nerone), quos destinabat,

paenitentiae senis. simul populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumsistit curiam, faustisque in Caesarem ominibus falsas litteras et principe invito exitium domui eius intendi clamitat. ita nihil triste illo die patratum. ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum. unde illi ira violentior et materies criminandi: spretum dolorem principis ab senatu, descivisse populum; audiri iam et legi novas contiones, nova patrum consulta; quid reliquum nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent? (5) igitur Caesar repetitis adversum nepotem et nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. nec ultra deliberatum quo minus, non quidem extrema decernerent (id enim vetitum), sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur.

tamen inventa nonnulla. Doederlein: *verti; posse quandoque Germanici stirpis* (potius *domus* vel *familiae: stirps* enim de Agrippina usurpari non poterat:) *exstinctum paenitentiae esse seni.* (*exstinctum* voc. Plinianum H. N. 7, 7. tamen parum est probabile apud Tacitum.) Seyffert: *verti posse; quandoque a Germanicis initium paenitentiae seni.* Comparat Ann. 14, 64: *communesque G e r m a n i c o s et postremo Agrippinae nomen cieret.* Walther autem praeeunte Ruperlio edidit: *verti: posse quandoque Germanici exitium poenitentia esse seni.* (Rupertius proposuerat *seni esse*; in nova Ed. obsecutus est Walthero. At vero, cum statim sequatur v. *exitium*, hic iam inferri non debet.) — 2. *festisque* M. Correxit Ursinus. — *omnibus* M. (*infestisque in C. omnibus* proposuit Kritz, prorsus improbabiliter.) — 5. *procatius* M. — 6. *crimandi* M. — 8. *contiones* M: *conciones* B. — 11. *quaestus* M. — *aput* M.

quam a Tiberio. Lips. Mox *brevibus momentis* exquisitius dictum. Aptius et usitatius est *levibus*; sed voluit etiam temporis rationem haberi. Ern. Videlicet similes notiones *parvus* et *brevis* inter se aliquando alternant, ut Horat. Sat. 2, 2, 37: *breve pondus.* — *monere consules*] vel brevi colloquio vel codicillis raptim et clam ad eos missis; palam enim haec efferri non poterant coram Tiberio. — *summa*] principatum h. l. significat Iunius. Comparant Cic. Phil. 5, 10: *Minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt.* — *quandoque*] Verba ipsa scriptoris etsi restitui nequeunt, tamen clarus eorum est sensus: «facile fore, ut aliquando poeniteat senem saevitiae in Germanici coniugem atque prolem exercitae.» — *faustis*] Ad defendendam Cod. lectionem *festis* afferunt Ann. 12, 69: *Nero* (princeps declaratus) *festis vocibus exceptus est.* Addunt etiam Hist. 5, 5: *Liber festos laetosque ritus posuit.* Ovid. Met. 3, 528: *Liber adest festisque fremunt ululatibus agri.* Plin. Epp. 2, 17: *tectum licentia Saturnaliorum festis clamoribus personat.* Vides vero quattuor his locis agi de laetis occasionibus, non, ut hic, de tristissima, ubi irata plebs abstinet quidem a principis exsecratione, immo fausta omnia ipsi apprecatur, quo proclivior fiat ad parcendum innocentibus, sed facinus in Agrippinam Neronemque commissum eiusque, quem opinabatur, auctorem (Seianum) detestatur. — *ferebantur*] tamquam ex Actis senatus excerptae in vulgus spargebantur, quas *sententias* mox vocat *novas contiones*, quales veteris rei publicae temporibus haberi solebant ad seditiones concitandas.

5. *nec ultra*] «nec ultra in senatu diversae sunt prolatae sententiae, verum cuncti illico in eo convenerunt, ut non quidem ultimum supplicium in Agrippinam et Neronem decernerent, sed se paratos ad ultionem principis, tantum severo eius iussu ab illis condemnandis impediri testarentur.» — *testarentur*] Malum tuum,

(6) . . . Quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine . . . «mihi pudorem aut Seiano invidiam allaturum censui. versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat, sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur. miserius sit ob amicitiam accusari an amicum accusare, haud discreverim. non crudelitatem, non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. vos obtestor ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis, adiciendo me quoque iis qui fine egregio publica mala effugerunt.» (7) tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens, partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu, et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusavisset. (8) relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Se-

1. Post v. *testarentur* trium quattuorve litterarum spatium vacuum est in M, novo versu incipiente a v. *Quattuor*. — 2. *ads*. M: *ass*. B. — 5. *insectanter* M. — 7. Habet *antibo* M, ut B, non *anteibo* aliorum. — 8. *merorem* M. — 9. *adiciendo* M: *adiiciendo* B. — 10. *ads*. M: *ass*. B. — 11. *adsumpsit* M. — 14. *blesum* M. — 15. *P*. M: *Publio* B.

Corneli, fatum! Non paginae aliquot, sed libri hic perierunt, quibus gesta fere triennii continebantur, de Agrippinae liberumque eius exitu, de Seiani spe conatuque, de eiusdem cum agmine amicorum strage, de Liviae flagitiis et morte: ad summum, flos quasi historiae tuae. Adeo bonis illis patribus cura otiumque fuit describere Orosios et Vopiscos et huiusmodi quisquilias prae tuo auro. Lips.

6. *Quattuor* cet.] Quae praecedunt, gesta sunt Fufio et Rubellio Coss. initio anni; haec autem post oppressum Seianum XV. Kal. Novembr. (6, 25.) per P. Memmium Regulum Cos. suffectum ex Kal. Octobr. a. 784. (Dio 58, 9.). Ita interciderunt acta pleraque a. 782., acta omnia anni sequentis, quo Coss. M. Vinicius et L. Cassius Longinus; item huius anni, quo ex VII. Id. Mai. Tiberio et Seiano Coss. suffecti Faustus Cornelius Sulla et Sectidius Catullinus; tum Catullino ex Kal. Iul. L. Fulcinius Trio et, ut diximus, ex Kal. Oct. P. Memmius Regulus. — *super ea re*] de condemnandis, ut probabile est, Seiani amicis. — *mihi pudorem*] Particula haec est orationis, quam quispiam aut accusatus ob Seiani amicitiam aut exspectans accusationem, utique nondum damnatus, domi apud amicos habuit. Doed.

Eiusdem culpae reus Blaesus. Cap. 7. — *collegam*] in consulatu a. 784. Quid, quod paullo ante eius necem rumorem sparserat Tiberius, quasi tribunitiam potestatem ei esset daturus. Dio 58, 9. Atque sane cum eum consulem designaret, *κοινωνὸν τῶν φροντίδων ὠνόμαζε*. Ibid. 4. et homines *συνάρχοντα τοῦ Τιβερίου οὐκ ἐς τὴν ὑπατείαν, ἀλλ' ἐς τὸ κράτος ὑποσημαίνοντες ἐδήλουν*. Ibid. 6. — *generum*] proprie progenerum sibi destinarat; nam ex Dionis loco deperdito Zonaras Ed. Paris. 1686. p. 550: *τὸν δὲ Σηιανὸν ἐπὶ μέγα δόξης ἐπάρας καὶ κηδεστὴν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ τοῦ Δρούσου θυγατρὶ* (Tiberii nepti) *ποιησάμενος ὕστερον ἔκτεινεν*. Cfr. 6, 8. Suet. Tib. 65. accuratius *spe affinitatis ac tribunitiae potestatis deceptum* dicit. Etenim, cum occisus est, coniugem habuit Apicatam, quae discidium quidem, non vero divortium cum eo fecerat. (Dio 58, 11.) — *sibi ignoscit*] ideo quia errasse se in Seiano nimis extollendo ultro fatetur. — *cum scelere*] maxime quia innocentium impii hominis amicorum exitium quaerunt.

7. *ut cuique*] Sensus est, qui remanere apud eum volebant, ut verba eius audirent et vicissim verba ad eum facerent, eos retinebat; quibus ille animus remanendi non erat, eos dimittebat. Walth.

cundo. illum indices arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse; huic a Considio praetura functo obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset. neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. mox crebris prolationibus, spem ac metum iuxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro levem ictum venis intulit, vitamque aegritudine animi finivit. at Pomponius multa morum elegantia et ingenio inlustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit. (9) placitum posthac ut in reliquos Seiani liberos adverteretur, vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. igitur portantur in carcerem, filius imminentium intellegens, puella adeo nescia ut crebro interrogaret quod ob delictum, et quo traheretur; neque facturam ultra, et posse se puerili verbere moneri. tradunt temporis eius auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, a

3. *uelii* M. Correxit Lipsius. — 4. *perfuguisset* M. — 8. *inl.* M: *ill.* B. — 12. *intellegens* M: *intelligens* B. — 13. *puerilimo* (in fine versus) M. — *monerit* M. — 15. *adf.* M: *aff.* B.

— *in Blaesum - - incusavisset*] Ut Liv. 27, 1: *Ipse in Fulvii similitudinem nominis increpans.* 30, 20: *in se quoque ac suum ipsius caput exsecratus.* Gron.

8. *P. Vitellio*] praetorius fuit teste Suet. Vit. 2. Praefecerat autem aerario praetorios Augustus. Dio 53, 2. Doed. — *Pomponio Secundo*] Cfr. 6, 18. 11, 13. In carcerem coniectus septem post annos a Caligula dimissus est. Diversus non videtur a Q. Pomponio Secundo cos. suff. a. 794., de quo Dio 59, 6. — *Galli*] Est C. Aelius Gallus, illustris ICtus, qui sub Augusto fuit praefectus Augustalis Aegypti et libros scripsit de verborum, quae ad ius pertinent, significatione, aliquoties a Festo laudatos. Cfr. Gell. 16, 5. — *periclitantibus*] et Vitellium et Pomponium utriusque fratres adiuverunt; hoc non satis expendens Lipsius Suetonium l. l. cum Tacito pugnare ratus est. — *in fratrum constantia*] Suetonius Vit. 2.: *Publius post praeturae honorem inter Seiani conscios arreptus et fratri in custodiam datus, scalpro librario venas incidit - - et obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit.* Idem Tacitus significat adiectivo *levem* ideoque sanabilem. Doed. Aegritudo autem animi, quae eum confecit, Suetonii l. l. est *morbus.* — *per speciem studiorum*] Doctus enim fuit et scripta reliquit. Tertull. de anima 46: *In Vitellii commentariis conditum est.* Lips. — *morum elegantia*] humanitate iuncta cum integritate, ut 14, 19. *elegantia vitae* in M. Servilio praedicatur. Sic Cicero in Bruto §. 295. Laelio tribuit *vitam elegantissimam.* — *ingenio inlustri*] De quo consule Plin. Epp. 7, 17. Plinius senior 13, Sect. 26. eum vocat *vatem civemque clarissimum.* 14, 6., qui et de vita Pomponii Secundi scripsit libros duos, teste Plin. Epp. 3, 5. Adde Quintil. 10, 1, 98. Dial. de Orat. 13.

9. *filius*] natu minor. Maior statim post patris supplicium quasi paternae conspirationis socius necatus videtur. — *puella*] illa ipsa, quae sponsa Claudii filio; ut hic notat Dio 58, 11. Lips. — *verbere moneri*] Ut Suet. Oth. 2: *obiurgari flagris.* Ulp. Fr. 7. de poen. 48, 19: *fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio.* — *triumvirali*] Pomponius de Orig. iuris §. 30: *triumviri capitales, qui carceris custodiam habebant, ut, cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.* Ius etiam habebant nequam, mendicos, alios infimae sortis homines ac servos puniendi, qui publica maleficia commiserant. Cfr. Hor. Epod. 4, 11: *Sectus flagellis hic triumviralibus.* Cfr. P. Fabri

carnifice laqueum iuxta conpressam; exin oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

(10) Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt acri magis quam diuturno rumore, Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. et erat iuvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus, per dolumque comitantibus. adliciebantur ignari fama nominis, et promptis Graecorum animis ad nova et mira: quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam invasurum fingebant simul credebantque. iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur, laetus praesentibus et inanium spe, cum auditum id Poppaeo Sabino. is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. igitur quo vera seu falsa antiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam Aegaei maris insulam et Piraeeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit; marique alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus, ibi demum cognoscit sollertius interrogatum quisnam foret, dixisse M. Silano genitum, et multis sectatorum dilapsis adscendisse navem tamquam Italiam peteret. scripsitque haec Tiberio, neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

(11) Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit. nam Trio, fa-

1. *conp*. M: *comp*. B. — *exim* M. — 5. *ispari* M. — 6. *dolum qui* M. — *allic*. M. — 8. *lapsum* M. Correxit Rhenanus et Lipsius. — 11. *pompeio* M. Correxit Rhenanus ex 1, 80. 4, 46. — 12. *toroneum termeumque* M. — 13. *Aegaei* M: *Aegei* Bekkeri operae. — 14. *piraeum* M. — *chorintiense* M. — *litus* M: *littus* B. — 14. *M*. M: *Marco* B. — 15. *delapsis* M. — *ascend*. M.

Semestrium L. II. p. 121. Ed. Paris. 1575. — *conpressam*] Suet. Tib. 61: *quia more tradito nefas esset virgines strangulari*. Dio 58, 11: *τῆς κόρης προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ δημίου· ὡς οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι*. — *abiecta*] Cum Ryckio censeo hic Apicatae fata perisse, de quibus vid. Dio 58, 11. Nam quae supra 4, 8: *Ut octo post annos cognitum est*, et C. 11: *Ordo sceleris per Apicatam Seiani proditus* cet. breviter significavit, haud dubie amplius hic debuit exponere. Walth. Non credo; nam etsi forte fuit facinus Apicatae sibi ipsi mortem consciscentis, Tacito tamen displicuit, ut opinor, sero de infideli marito sumpta ab illa ultio; (Dionis verba exscripsimus ad 4, 8.) nec ullum defectus vestigium comparet.

10. *Drusum*] De vero Druso v. 6, 23. Is in ima Palatii parte custoditus, mox fame necatus est. Suet. Tib. 54. — *velut agnitus*] id est, simulabant se Drusum agnovisse, quo eum comitari ac postea prodere possent. Singulari autem quadam attractione miscentur h. l. duae constructiones: *quibusdam* (dativus pro «a quibusdam») *agnitus* et ablat. absol. *comitantibus*. — *elapsum*] Ad Cod. lect. *lapsum* Walther comparavit Curt. 3, 13, 3: *Ille e manibus custodientium lapsus;* nec tamen eam restituit. Defendit item Roth ad Agric. p. 267., sed satis contorte. — *Achaiam quoque*] Ex decreto illo 1, 76: *Achaiam et Macedoniam onera deprecantes levari proconsulari imperio tradique Caesari placuit*. Lips. — *Toronaeum Thermaeumque sinum*] Quorum ille ad Toronen, Macedoniae urbem; hic (nunc *Golfo di Salonichi)* iuxta Macedoniam, Axii fluvii receptor. Lips. — *M. Silano*] De quo 2, 59. 6, 20. — *neque nos*] At repperit Dio 58, 25., qui totam rem sic narrat: *Οὐδὲ τὸ ὑπήκοον ἡσύχαζεν· ἀλλ'*

cilis capessendis inimicitiis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat. ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens, non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. multisque patrum orantibus ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

5. *permitiem* (sic) M. — 6. Sine ulla novi libri indicatione: *abirent. C. N. domitius et camillus* cet. M. Primus Lipsius «arbitrario», ut ait, «iure, non certo» libros V. et VI. ita divisit, ut inde ab eo fecerunt omnes.

ἐπειδὴ τάχιστα νεανίσκος τις Δροῦσος λέγων εἶναι περί τε τὴν Ἑλλάδα καὶ περὶ τὴν Ἰωνίαν ὤφθη, καὶ ἐδέξαντο αὐτὸν ἀσμένως αἱ πόλεις καὶ συνῄροντο. κἂν ἐς τὴν Συρίαν προχωρήσας καὶ στρατόπεδα κατέσχεν, εἰ μή γνωρίσας τις αὐτὸν κατέσχε καὶ πρὸς τὸν Τιβέριον ἀνήγαγεν. Sed Dio (quem exscripsit Zonaras p. 551.) haec refert ad a. 787.

11. *noxium*] conscium, participem. Atque re vera Dio 58, 9. Trionem Seiano favisse tradit: *ὁ συνάρχων αὐτοῦ* (Reguli) *τὰ τοῦ Σηϊανοῦ ἐφρόνει.* Anno 788. condemnatus est. Dio 58, 25.

ANNALIUM

LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Tiberii foedae libidines. 2. In Seiani et Liviae memoriam saevitur. Togonii adulationem princeps irridet, 3. Gallionis increpat et punit. Paconianus. 4. Latiaris. Discidium consulum sedat Maximus. 5. Cotta Messallinus accusatus. 6. Tiberii confessio; tyrannorum occulta supplicia. 7. Caecilianus, Servaeus, Thermus damnati. Delationes crebrae. 8. 9. M. Terentius, ob Seiani amicitiam accusatus, egregie et libere se defendit, et absolvitur. Vestilius se interimit. Plures gregatim accusati.

10. L. Pisonis pontificis mors et funus. 11. Praefecturae urbis origo et progressus. 12. De Sibyllinis carminibus consultatio. 13. Seditio Romae ob gravitatem annonae coërcita. 14. Equites Romani coniurationis crimine cadunt.

15. Germanici filiae L. Cassio et M. Vinicio locatae. 16. Feneratores accusati; repressae usurae. 17. Liberalitate Caesaris fides refecta. 18. 19. Iterum accusationes maiestatis, et omnes societatis cum Seiano rei necati.

20. C. Caesar Claudiam ducit. Tiberii praesagium de Ser. Galba. 21. Ars Chaldaea. Thrasyllus. 22. De fato dubitatio. 23. Asinius Gallus obit. Mors Drusi miseranda. 24. In eum atrox Tiberii animus. 25. Agrippina perit inedia. 26. Cocceius Nerva sponte vita decedit. 27. Mors Aelii Lamiae, Flacci Pomponii, M. Lepidi.

28. Phoenix in Aegypto visa; super ea narrationes et iudicia. 29. Labeo sponte moritur, invidiam amoliente Tiberio. Scaurus damnationem anteit. 30. Varii cives urbe exacti. Gaetulicus mira fiducia evadit.

31. 32. Parthis Artabanum amoturis et petentibus regem Tiberius dat Phrahatem et, hoc mortuo, Tiridatem destinat. Orienti Vitellium praeficit. 33. — 35. Parthos Armenii invadunt; hos Albani Iberique Thessalis orti iuvant. 36. Artabano in Scythiam profugo 37. Tiridates sufficitur. 38. Romae Tiberius saevire pergit. 39. Poppaeus Sabinus obit.

40. Mors Vibuleni Agrippae, Tigranis, Aemiliae Lepidae. 41. Clitas Cappadoces, regi suo rebelles, reprimit Trebellius. 42. Tiridates insigne regium accipit. 43. Mox procerum discidio pellitur, 44. Artabano restituto.

45. Grave incendium Romae Tiberius liberalitate mitigat. Macro Caligulam captat. 46. Tiberius de successore deliberat. Eius praesagium de Caligula. Morbum dissimulat. 47. Acutia damnatur. Albucilla impietatis in principem defertur. 48. Arruntius taedio temporum venas resolvit. 49. Papinius se praecipitat. 50. Tiberius defectionem suam tegit, Chariclis medici astu compertam. Finit oppressus. 51. Eius varii casus et mors.

Gesta haec annis circiter sex, Cn. Domitio, M. Furio Camillo; Ser. Sulpicio Galba, L. Cornelio Sulla; Paullo Fabio, L. Vitellio; C. Cestio Gallo, M. Servilio Rufo; Q. Plautio, Sex. Papinio; Cn. Acerronio, C. Pontio coss.

Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Caesar tramisso, quod Capreas et Surrentum interluit, freto Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans. et saepe in propinqua degressus, aditis iuxta

1. *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B. — 4. Habet *degr.* M, ut vulgatum *digressus* correxit Ernestius. (Ceterum *degresus* simplici *s* M.)

1. *Cn. Domitius*] Integra nomina sunt Cn. Domitius Ahenobarbus pater Neronis (4, 75.) et M. Furius Camillus Scribonianus, qui Delmatiae praefectus contra Claudium vano successu conspiravit. 12, 52. Suet. Claud. 13. Cfr. Gruteri Inscr. 1087.

Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia. praepositique servi, qui inquirerent, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant. (2) at Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius, et bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret. Scipiones haec et Silani et Cassii, isdem ferme aut paulum immutatis verbis, adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent. crediderat nimirum epistulae subsidio sibi alterum ex consulibus poscen-

3. *set* M. — 5. Habet *antea* M. Ante Bekkerum edebant *ante*. — 6. *p.sintriarum* M. Correxit Beroaldus ex Suet. Tib. 43., ubi Codex etiam Salmas. *spintrias* exhibet. (*psintriarum* mavolt Doederlein.) — *pacientia* M. — 7. *servi*, *qui inquirerent* Doederlein: *servi quirerent* M, *servi*, *qui quaererent* cum Beroaldo B. — 8. *retinuerent* M. — 11. *sentiae* M. — *infigies* (sic) M. — 12. *tam referret* M. Correxit Lipsius. — 14. *ads.* M: *ass.* B. — 18. Habet *epistulae* M.

— *hortis*] a Caesare populo Romano legatis, de quibus Horat. Sat. 1, 9, 18: *Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.* Ii vicini naumachiae fuerunt, siquidem eadem de re Suet. Iul. 83. Tib. 72. (ubi tamen vide Ern.): *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi usque ad proximos naumachiae hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis, quae obviam prodeuntes submoveret.* Lips. — *more regio*] regum imprimis Asiaticorum. — *sellariorum*] Suet. Tib. 43: *Secessu Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges monstruosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi invicem incestarent se coram ipso, ut adspectu deficientes libidines excitaret;* ubi Ern.: «*sellaria* erat locus, ubi sellarii spintriaeque conveniebant obscoenisque artibus in sellis dispositis operam dabant.» V. autem *spintria* ducunt a v. σφιγκτήρ, ani musculo; Bachius a v. σπινθήρ, scintilla. Sic teste Suet. Vit. 3: *Vitellius pueritiam - - Capreis egit inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo Spintriae cognomine notatus.* — *patientia*] ut Sal. Cat. 13: *viri muliebria pati.* — *praepositi*] destinati ad detestabile hoc ministerium per Italiam exercendum.

2. *pridem etiam punitis*] post Seianum interfectum καὶ τὴν Λιουΐλλαν (ut Drusianae caedis ream) ἀπέκτεινεν. ἤδη δὲ ἤκουσα, ὅτι ἐκεῖνος μὲν αὐτῆς διὰ τὴν μητέρα τὴν Ἀντωνίαν ἐφείσατο, αὐτὴ δὲ ἡ Ἀντωνία ἑκοῦσα λιμῷ τὴν θυγατέρα ἐξώλεσε. Dio 58, 11. — *tamquam referret*] Nihil sane referebat; etenim de aerario populi Ro. non minus pro suo lubitu disponebat princeps quam de fisco. Inepta ergo ista erat sententia quasi severior. — *per deridiculum*] Ridiculum se reddebat Togonius, quia ceteri omnes probe sciebant nunquam Tiberium in urbem esse reversurum. Eandem rem, sed omisso Togonii nomine, narrat Dio 58, 17. — *epistulae*] Quam anno proxime superiore ad senatum miserat Caesar de sub-

tis, ut tutus a Capreis urbem peteret. Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benivolentiae patrum: sed quos omitti posse, quos deligi? semperne eosdem an subinde alios? et honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus? quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret. haec adversus Togonium, verbis moderans; neque ultra abolitionem sententiae suadere. (3) at Iunium Gallionem, qui censuerat ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans quid illi cum militibus, quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset. repperisse prorsus quod divus Augustus non providerit. an potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret. hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus; et quia incusabatur facile toleraturus exsilium delecta Lesbo, insula nobili et amoena, retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum. isdem litteris Caesar Sextium Paconianum praetorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum,

2. *benivol.* M: *benevol.* B. — 3. *delegi* M. — *alio sed hon.* M. — 6. *urbis* M. — 7. *suaderet* M. (*neque ut ultra a. s. suaderet* suspicatur Doederlein.) — 8. *stipendii* M. — 14. *praecium* M. — *meditate* M. — 15. *exilium* M. — 17. *extium pagonianum* M.

vertendo Seiano. Dio 58, 10: *ὡς γοῦν οὐδὲ τὴν ὁδὸν ἀσφαλῶς ποιήσασθαι δυνάμενος, τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων μετεπέμψατο.* Suet. Tib. 65: *Cum inter alia patres conscriptos precaretur, mitterent alterum e consulibus.* Erat autem *alter ille* Memmius Regulus; cuius collega Fulcinius Trio Seiano favere credebatur. Doed. Cfr. Dio 58, 9. Malim equidem ad iteratam eandem postulationem referre senatui propositam, ante quam simulatum illud iter suscepisset. (C. 1.) — *et honoribus*] Duplex *ἀντίθετον* in duobus his membris, nondum satis ab interpretibus perspectum, hoc est: *honoribus perfuncti* (non *functi* dumtaxat) consulares sunt vel saltem praetorii; *iuvenes*, qui, ut probabile erat, mox ad honores perventuri erant, cfr. 13, 25.; *privati*, qui aut tunc nullo honore fungebantur, aut etiam nunquam eo aspirarant, quos alibi simpliciter *senatores* appellat; *magistratus* illius ipsius anni 785. — *neque ultra abolitionem*] neque acrius increpuit Togonium neque ulla poena eum affecit.

3. *Gallionem*] Cfr. Dio 58, 18., ubi Reimarus recte, opinor, eum distinguit a L. Iunio Gallione, Senecae fratre, de quo cfr. 15, 73. Actt. Apost. 18, 12. — *in quattuordecim*] tamquam equites essent. Causam sententiae sumpsit a primipilaribus, qui functi militia equites censebantur. Similia voluit in praetorianis. Vide me in Milit. lib. 2. Dial. 8. Lipsius. (In Ed. Vesal. Opp. III. p. 93., ubi nonnulla eius rei testimonia affert ex Ovidio et Martiale.) — *neque dicta imperatoris*] Rhenanus aliique volebant *neque dicta nisi imperatoris*. Codicis lectio sane aliter explanari nequit quam sic: «quos nihil pro imperatoris iusso accipere par esset, nisi quae vel ex ipsius imperatoris ore vel per praefectum praetorii ex imperatoris codicillis recitata percepissent.» *Dicta* autem *imperatoris* ut 2, 45. — *tulit*] Post hoc v. Doederlein plene interpunxit, ut sit nova periodus: *statim - - exactus* (est). Vulgatam rationem praefero: primum *pretium* fuit vehemens illa Tiberii obiurgatio, ob quam statim deinceps senatu motus, mox Italia exactus est; haec fortasse SCtis; retractus in custodiam solius Tiberii iussu. — *delecta Lesbo*] quia tantummodo Italia exactus nec relegatus erat in certam aliquam

omnium secreta rimantem, delectumque a Seiano cuius ope dolus C. Caesari pararetur. quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia; et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret. (4) ut vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus iuxta invisi gratissimum spectaculum praebebantur. Latiaris, ut rettuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent: metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere haberi; at non patribus reticenda quae audivissent. Regulus manere tempus ultionis, seque coram principe exsecuturum; Trio aemulationem inter collegas, et si qua discordes iecissent, melius oblitterari respondit. urgente Agrippa Sanquinius Maximus, e consularibus, oravit senatum ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis. sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, et ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens, inlustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra meditabatur.

1. *a*] *ad* M. — *C.* M: *Gaio* B. — 2. *peridem* (per notam) M. — 4. *lucanium* M. Correxit Beroaldus ex Lib. 4, 68. — *accussator* M. — *ac reus*] *acrius* M. Correxit Lipsius. — 5. Habet *praebebantur* M. Ante Bekkerum edebant *praebebatur*. — 6. *titii is abini* M. — 7. *interque H.* M. — 9. *redicenda* M. — 11. *obliterari* M. — 13. *necuras necuras* (sic) M. — 17. *inl.* M: *ill.* B. — *permitiem* (sic) M.

insulam, ipse, quod sibi placeret, domicilium deligere poterat. — *domibus magistratuum*] quae *libera* dicebatur *custodia*. Sal. Cat. 47. Quattuor custodiae genera memorat Ulpianus Dig. 48, 3, 1: *De custodia reorum proconsul aestimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda* (ut Paulus apostolus praetoriano), *vel fideiussoribus* (sive vadibus, ut est supra 5, 8.) *vel etiam sibi*, ut hic, sed Romae. Qui *magistratus* intelligendi sint, monstrant quae Dio 58, 3. narrat de Asinio Gallo: *πρὸς τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐτηρεῖτο, ἔξω τῆς τοῦ Τιβερίου ἀρχῆς. τότε γὰρ πρὸς τῶν στρατηγῶν ἐφυλάχθη.* — *Sextium Paconianum*] in carcere strangulatum a. 788. C. 39. — *C. Caesari*] Caligulae.

4. *ingressus*] Lipsius malebat *aggressus*; sed verbo usitatiori rarius praetulisse scriptor videtur, quod infensum Sextii in Latiarem impetum efficacius etiam exprimeret, quam vel illud vel *in Latiarem invectus est*. Atque mox est similiter *Haterius consules - - invasit*. Aliter quidem explicat Doederlein: «*ingressus est;* coepit, ut 11, 2: *ingressus defensionem*. Plin. Epp. 3, 9: *Horum antequam crimina ingrederer*. Porro *Latinium* pendet ex infin. *indicare*, qui ex praeced. *indicium* repetendus est:» quae ratio mihi subtilior quam verior videtur. — *praebebantur*] «Quasi a diis et Nemesis beneficio.» Doed. Equidem accipio significatione formae mediae pro «sese praebebant.» — *ut rettuli*] 4, 68. — *mutua accusatione*] 5, 11. — *intenta*] Metaphora desumpta a sagitta, quae intenditur in aliquem, ut 1, 39: *intento mortis metu*. Sueton. Dom. 8: *cui adulterii crimen intenderat*. — *noxiam conscientiae*] Nove dictum: *noxiam*, culpam, cuius sibi vicissim conscii sint, ab iis *haberi*, id est, teneri, iis esse pro foedere, etsi nullum pactum conventum de mutuo silentio inter eos factum sit. Bachius *conscientiae* habet pro dativo, ut significet *consciis*. — *Sanquinius*] Consul suffectus et praefectus urbi sub Caligula, a. 792., Dio 59, 13. A. 800. inferiorem Germaniam obtinebat, in qua mortuus est. Ann. 11, 18. Prior eius consulatus, cuius hic mentio fit, in Fastis haud reperitur. Diversus sane est a Sanquinio memorato c. 7. — *somno*] desidia atque inertia, ut Hist. 2, 90: *somno et luxu pudendus incessit*.

(5) Exin Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: C. Caesarem quasi incestae virilitatis, et cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novendialem eam cenam dixisse; querensque de potentia M. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse: «illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.» neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur; iisque instantibus ad imperatorem provocavit. nec multo post litterae adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur postulavit. (6) insigne visum est earum Caesaris litterarum initium; nam his verbis exorsus est: «quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant quam perire me cotidie sentio, si scio.» adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes,

1. *exim* M. — 3. *C.* M: *Gaium* B. — *incerta* (sic, non *incesta* Beroaldi) M. — 4. *quaerensque* M. — 5. *M.* M: *Marci* B. — *L.* M: *Lucii* B. — 7. Habet *neque cuncta* M. Beroaldus dedit *neque cunctatus*; *eaque cuncta* coniecit Pichena. — 8. *adf.* M: *aff.* B. — 9. *amicitia* M. — 13. *P. C.* M. — *quando* M. Correxit Beroaldus ex Suet. Tib. 67. — 14. *dimide aequae* M. — 15. *cotidie* M: *quotidie* B. — 17. *tir.* M.

5. *pleraque*] in quo v. immerito nonnulli haeserunt, significat «multa et varia.» — *incestae virilitatis*] *Virilitas* est hic, ut apud Quintil. 5, 12, 17: *excisa virilitate* atque alibi, honestius vocabulum pro membro genitali; iam si vera est lectio *incestae*, aliter explicari nequit quam de incestuosa libidine, qua ardebat in sororem Drusillam teste Suet. Cal. 24: *Drusillam virginem vitiasse praetextatus adhuc dicitur.* Sed quid sibi velit v. *quasi*, equidem non satis video; prorsus enim supervacaneum est. Iam cum Cod. ipse habeat *incerta*, ego quoque ut Hofman Peerlkamp ad Aen. Vol. II. p. 207. aliique propendeo in Freinshemii inventum: *Caiam Caesarem quasi incertae virilitatis*: simili ioco ut apud Cic. de Or. 2, 68. *Q. Opimius Egilium, qui videretur mollior, appellavit: Quid tu, Egilia mea* cet. Nec vero multum discrepat alter locus de *Tiberiolo suo*, quem tamen referre non dedignatus est gravissimus scriptor. Atque sic *quasi* optime suum locum tuetur, significans hoc uno praenomine *Caiae* Cottam significasse Caligulam esse impudicum (cfr. infra C. 9.) et cinaedum. Suet. Cal. 36: *Pudicitiae neque suae neque alienae pepercit.* — *Augustae*] Vivente Tiberio Liviae diem natalem celebratum esse, quid, quaeso, impedit? Adeo ut probabilitate destituta sit Lipsii coni. *Augusti*, Pichenae atque Ernestio probata. — *novendialem cenam*] Glossae: ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα. Mortuis ritu Romano non ante diem nonum post cremationem parentabatur. Tunc iis iusta, ludi, inscriptio et funeri finis. Lips. Hoc igitur dixit Cotta, aeque tristes esse illius natalis epulas atque feralem aliquam cenam, ut novendialem appellat Appuleius Florid. 4.; quippe cum Livia fuisset *gravis in rem publicam mater* cet. Ann. 1, 10. — *neque cuncta -- revincebatur*] Duae causae accusationis eventum impedierunt; primum quod non cuncta convincebatur, deinde, quod ad imperatorem provocavit. Walth. V. *revincere* pro usitatiore *convincere* utitur iam Lucr. 4, 489. Cic. pro Arch. 6. ac posteriores quoque; sic *in mendacio revincere.* Fr. 3. §. 15. de susp. tut. 26. 10. — *fabularum*] confabulationum, sermonum. — *simplicitas*] cum in conviviis etiam liberiores ioci locum habeant, nec quisquam

posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur. (7) tum facta patribus potestate statuendi de Caeciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum eandem poenam inrogari quam in Aruseium et Sanquinium, accusatores L. Arruntii; quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur.

Q. Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti, Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes, Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia; unde illis maior miseratio. contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans, admonuit C. Cestium patrem dicere senatui quae sibi scripsisset; suscepitque Cestius accusationem. quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum; neque discerneres alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum:

1. Habet *quando* omnibus litteris M. — *sevitia* M. — 3. *quiin* M. — 4. *caesiliano* M. — 6. *inr.* M: *irr.* B. — *sangunnium* M. — *L.* M: *Lucii* B. — 8. *set* M. — 9. *ultioni sequebatur* M. Correxit Beroaldus. — 10. *Q.* M: *Quintus* B. — 13. *C.* M: *Gaium* B. — Habet *Cestium*, non *Caestium*, M.

tectus atque cautus esse velit. — *in crimen duceretur*] ut Sal. Iug. 85: *ne quis modestiam in conscientiam duceret.*

6. *praestantissimus sapientiae*] Socrates. Cicero de Sen. 21: *is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus.* — Respicit autem ad Platonis Gorg. p. 524. E: *ὁ Ῥαδάμανθυς θεᾶται ἑκάστου τὴν ψυχήν, οὐκ εἰδὼς ὅτου ἐστίν, ἀλλὰ πολλάκις τοῦ μεγάλου βασιλέως ἐπιλαβόμενος ἢ ἄλλου ὁτουοῦν βασιλέως ἢ δυνάστου κατεῖδεν οὐδὲν ὑγιὲς ὂν τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ διαμεμαστιγωμένην καὶ οὐλῶν μεστὴν ὑπὸ ἐπιορκιῶν καὶ ἀδικίας, ἃ ἑκάστῳ ἡ πρᾶξις αὐτοῦ ἐξωμόρξατο εἰς ψυχήν, καὶ πάντα σκολιὰ ὑπὸ ψεύδους ἀλαζονείας καὶ οὐδὲν εὐθὺ διὰ τὸ ἄνευ ἀληθείας τεθράφθαι· καὶ ὑπὸ ἐξουσίας καὶ τρυφῆς καὶ ὕβρεως καὶ ἀκρατίας τῶν πράξεων ἀσυμμετρίας τε καὶ αἰσχρότητος γέμουσαν τὴν ψυχὴν εἶδεν.* de Rep, 9. p. 579. D: *Ἔστω ἄρα τῇ ἀληθείᾳ ὁ τῷ ὄντι τύραννος τῷ ὄντι δοῦλος τὰς μεγίστας θωπείας καὶ δουλείας καὶ κόλαξ τῶν πονηροτάτων· καὶ τὰς ἐπιθυμίας οὐδ' ὁπωστιοῦν ὁ ἀποπιμπλάς, ἀλλὰ πλείστων ἐπιδεέστατος καὶ πένης τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἐάν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίστηται θεάσασθαι, καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης.* Adde Cic. Off. 3, 21: *Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae vulnera?*

7. *Aruseium*] Reinesius hic et C. 40. malebat *Aruleium* ex Grut. 961, 6. — *L. Arruntii*] 1, 13. 3, 11. 6, 40. At de accusatione eius nihil in libris, qui nunc supersunt. — *inducti*] accusati; proprie tamen inducti in senatum ad causam dicendam. Appul. Met. 3. p. 185: *reus capitis inducor.* Ammianus Marc. 22, 3: *Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: Consulatu Tauri et Florentii inducto sub praeconibus Tauro.* — *C. Cestium patrem*] cui cognomen Gallo (Dio 58, 25.); fuit consul cum M. Servilio (infra C. 31.). Prorsus autem arbitraria est Lipsii coni. *praetorem* neque adsciscì debebat a Böttichero. Cfr. C. 9: *Pollioni patri.* (Ceterum Cestius filius ignotus est.) — *repens*] pro recens, ut item 11,

perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valitudine et contactu. sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere. tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis Gallica civitate, Seius Quadratus: originem non repperi. neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent verentur. nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata. (8) nam ea tempestate qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: «fortunae quidem meae fortasse minus expediat adgnoscere crimen quam abnuere. sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Seiano amicum, et ut essem expetisse, et postquam adeptus eram laetatum. videram collegam patris regendis praetoriis cohortibus, mox urbis et militiae munia simul obeuntem. illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus; contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. nec quemquam exemplo adsumo: cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus, meo

1. *proinde* per notam M. — 3. *serveus* M. — 4. *tractatique* M. Emendavit iam Beroaldus. — Ceterum minus recte Doederlein distinxit: *accessere, tractique sunt,* quasi vero hi quoque indicibus accesserint. Immo una cum Servaeo et Minucio sunt accusati. — 7. *autque* M. — *mesta* M. — 8. *laect.* M. — *adf.* M: *aff.* B. — 10. *eque romanos* M. — *M.* M: *Marcus* B. — *terrentius* M. — 11. *adhuc* M. — *fortune* M. — 12. *adgn.* M: *agn.* B. — 13. *utcumque* M: *utcunque* B. — 15. *colligam* M. — 16. *adf.* M: *aff.* B. — 19. *ads.* M: *ass.* B.

24. 15, 68. Hist. 4, 25. — *indicibus accessere*] se iunxere cum indicibus, id est, servati sunt, quia ipsi quoque indicium professi. Ita C. 3: *Summum supplicium decernebatur, nisi indicium professus foret.* Lips. (Mire, immo manifesto prave interpretatus est hoc Pichena: «Bona eorum lucrati sunt;» probante quidem Rupertio ad 12, 49.) — *originem non repperi*] Noli otiosum putare hoc κῶλον· partim opponitur vv. *e Santonis* cet., partim significat hunc quoque fuisse civem provincialem, adeoque vix intelligi posse, quomodo homines etiam tenui loco orti in hanc perniciem tracti sint. *Santoni* vel *Santones*, hodie *Saintonge*. — *incelebrata*] v. quod hodie apud solum Tacitum reperitur.

8. *fatebor*] Tota haec Terentii oratio, ut et causa, simillima est illi Amyntae apud Curtium 7, 3. Et membra sane aliquot sunt, quae dicas illinc translata. Lips. Quod mihi quidem nequaquam veri simile videtur. Aliquam similitudinem utraque oratio inde tantum habet, quod utraque causa similis est. Nec vero probabile Tacito unquam in mentem venisse imitari Curtium, ut concedamus hunc rhetorem sub Augusto floruisse, quemadmodum nuper denuo probatum ivit Klotz *Lat. Litteraturgeschichte.* Leipzig 1846. I. p. 28. — *sordibus*] Respicit ad sordes reorum. Sensus igitur est: «aut metuebant perpetuo accusationes aut ab accusatoribus vexabantur.» Ern. — *novissimi consilii*] Quo decreverat Tiberium de medio tollere atque ita clandestinis machinationibus finem imponere scelere manifesto. Hoc Antonia, Claudii mater, cum Tiberio per Caenidem, Vespasiani postea amicam, teste Dione 66, 14., vel per Pallantem communicavit. Ita enim rem narrat Iosephus Antiq. 18, 6, 6: *Ἐπιβουλῆς μεγάλης συστάσης ἐπὶ Τιβέριον ὑπὸ Σηιανοῦ, φίλου τε ἀνδρὸς καὶ δύναμιν ἐν τῷ τότε μεγίστην ἔχοντος*

unius discrimine defendam. non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum, tui consulatus socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. non est nostrum aestimare quem supra ceteros et quibus de causis extollas. tibi summum rerum iudicium di dedere: nobis obsequii gloria relicta est. spectamus porro quae coram habentur, cui ex te opes honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia; quae Seiano fuisse nemo negaverit. abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare. ne, patres conscripti, ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. etiam Satrium atque Pomponium venerabamur; libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur. quid ergo? indistincta haec defensio et promisca dabitur? immo iustis terminis dividatur. insidiae in rem publicam, consilia caedis adversum imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit.» (9) constantia orationis, et quia repertus erat qui efferret quae omnes animo agitabant, eo usque potuere ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exsilio aut morte multarentur.

Secutae dehinc Tiberii litterae in Sex. Vestilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. causa offensionis

1. *sed*] *et* M. Correxit Rhenanus. — 2. *adf.* M: *aff.* B. — 3. *consolatus* M. — *capissentem* M. — 5. *iuditium* M. — 9. *inl.* M: *ill.* B. — *ads.* M: *ass.* B. — *P. C.* M. — 11. *ianitonibus* M. — 12. *noctestere* (sic) M. — 13. Habet *promisca* M. — *insidis* M. — 15. *officis* M. — 16. *oms* cum lin. M. — 18. *exilio* M. — 19. *Sex.* M: *Sextum* B.

διὰ τὸ τῶν στρατευμάτων εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ, καὶ τῆς τε βουλῆς οἱ πολλοὶ καὶ τῶν ἀπελευθέρων προσέθεντο καὶ τὸ στρατιωτικὸν διέφθαρτο, προέκοπτέ τε ἡ ἐπιβουλὴ ἐπὶ μέγα, καὶ ἂν ἐπέπρακτο Σηιανῷ τὸ ἔργον, μὴ τῆς Ἀντωνίας τόλμῃ χρησαμένης σοφωτέρᾳ τῆς Σηιανοῦ κακουργίας. - - Γράφει πρὸς αὐτὸν τὰ πάντα ἀκριβῶς καὶ Πάλλαντι ἐπιδοῦσα τὰ γράμματα τῷ πιστοτάτῳ τῶν δούλων αὐτῆς, ἐκπέμπει πρὸς Τιβέριον εἰς τὰς Καπρέας. Ὁ δὲ μαθὼν τόν τε Σηιανὸν κτείνει καὶ τοὺς συνεπιβούλους· τὴν δὲ Ἀντωνίαν καὶ πρὶν ἀξιολόγως ἄγων τιμιωτέραν τε ὑπελάμβανε καὶ ἐπὶ τοῖς πᾶσι πιθανήν. — *Claudiae et Iuliae*] Seiani filia destinata Claudii filio auctore Dione 58, 11. Mox Tiberii *gener* (id est, progener) dicitur ob opinionem destinatae ipsi Iuliae, Drusi filiae. Vide 5, 6. — *nec ideo*] «et utcumque sensus tuos scrutabitur aliquis, haud assequetur; nam explorari nequeunt.» — *Satrium*] Seiani clientem, qui Cremutium accusavit 4, 34. Hunc Ryckius putat conscium coniurationis fuisse et Antoniae eam detexisse, unde *coniurationis index* dicatur infra C. 47. Eodem ex numero *Pomponium* putabimus. Ern. — *Pomponium* puto, *Quintum* praenomine, qui *moribus inquies* dicitur mox C. 18. Lips. Incertum hoc; cfr. 5, 8. — *ianitoribus*] Dio 58, 5: *σπουδαί τε καὶ ὠθισμοὶ περὶ τὰς θύρας αὐτοῦ ἐγίγνοντο ἐκ τοῦ δεδιέναι μὴ μόνον, μὴ οὐκ ὀφθῇ τις αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ καὶ ἐν τοῖς ὑστάτοις φανῇ.* — *idem finis*] Scite significat, occiso Seiano, nihil prorsus in posterum timendum fore ab eius amicis, qui in eandem qua ipse fraudem inciderint a monstro illo nimirum decepti.

9. *cohortem*] scil. amicorum. Ita enim vocabant exemplo praetoriae cohortis. Sen. Clem. 1, 10: *Salustium et Cocceios et Dellios et totam cohortem primam interio-*

Vestilio fuit, seu composuerat quaedam in C. Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. atque ob id convictu principis prohibitus cum senili manu ferrum tentavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio, maiestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adiciebatur, clari genus, et quidam summis honoribus. contremuerantque patres (nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiae tot inlustrium virorum expers erat?), ni Celsus urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis. (10) ne feminae quidem exsortes periculi. qua occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur; necataque est anus Vitia, Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. haec apud senatum. nec secus apud principem Vescularius Atticus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et apud Capreas individui, Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe

1. *uistilio* h. l. M. — *C.* M: *Gaium* B. — 3. *temtavisset* (sic) M. — *obligat venas* Baiterus: *oblegatu uenas* (sic) M ex gemin., *obligavit venas* cum Beroaldo B. — *pcatusque* cum lin. M. — 4. *immitti* M. — 5. *clauisio* M. — 6. Habet h. l. *Vinicianus* M. — *adicebatur* (sic) M. — 7. *contremuerant quae* M. — 8. *adf.* M: *aff.* B. — *inl.* M: *ill.* B. — 9. *caliusium* h. l. M. — 10. *uiciniani* h. l. M. — 12. *exortes* M. — *qua*] *quia* malebat Muretus. — 14. *fugii* M. — *aput* M. — 15. *aput* M. — *almortem* M. — 16. *familiarum* M. — *aput* M. — 17. *participis* M.

ris admissionis ex adversariorum castris conscripsit Augustus. Ubi vides plures fuisse amicorum cohortes (cfr. Suet. Tib. 46. Cal. 19.) et quasi gradus. Lips. — *precatusque*] Heinsius volebat *deprecatusque;* illud est «precatus, ut sibi ignosceretur vitaque concederetur.» — *Annius Pollio*] Est ille, qui postea in Neronem coniuravit, amicorum eius praecipuus. 15, 56. Lips. — *Appius Silanus*] cuius caedem sub Claudio a Narcisso factam narrat Dio 60, 14. Cfr. Ann. 11, 29. — *Scauro Mamerco*] Cfr. 1, 13. 3, 23. et 31., infra C. 29. — *Sabino Calvisio*] Hist. 1, 48. — *Vinicianus*] qui postea in Claudium cum Scriboniano coniuravit. Dio 60, 15. — *nosceret*] pro cognosceret, ut *notio* C. 12. et 3, 59.

10. *qua*] quatenus; sine causa Muretus volebat *quia*. — *Fufii Gemini*] consulis a. 782. Cfr. 5, 1. — *haec*] non *Vitia*, ut ratus est Walther; sed ea omnia, quae narrantur C. 9. — *apud principem*] delati sine senatus cognitione. — *Vescularius Atticus*] 2, 28. idem nominatur *Vescularius Flaccus*, ut hic reposuit Pichena. Duplex Grosiotius et Ryckius cognomen putant. — *Iulius Marinus*] nusquam praeterea memoratur. — *Curtium Atticum*] equitem Romanum ex illustribus. Is quoque Tiberium Capreas comitatus erat. Cfr. 4, 58. — *sua exempla*] Phaedr. 1, 26: *Sua quisque exempla debet aequo animo pati.* — *L. Piso*] praefectus urbis; unde pro *pontifex* Lipsius ac Muretus volebant *P. V.*, *Praefectus Vrbis*, parum sane probabiliter; est autem is, ad cuius filios Horatius misit Artem poëticam. Vide de eo Senecam Ep. 83, 12. Plin. 14, 28. Suet. Tib. 42. Dionem 58, 19. Miro errore Iosephus Antiq. 18, 10, 6. eum Tiberio superstitem facit. — *censorium fuisse memoravi*] Non quidem in his libris, qui exstant. Tamen intelligi vult L. Pisonem, socerum Caesaris, qui censor cum Appio Claudio a. u. 704., quo ipso anno, ut ratio aetatis Tacito constet, natus esse debuit hic Piso. Lips. — *Thraecia*] Vellei. 2, 98: *Atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit.*

Seianus Curtium Atticum oppresserat. quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.

Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. patrem ei censorium fuisse memoravi; aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thraecia meruerat. sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit. (11) namque antea, profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium inpositos. dein consules mandabant; duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur qui consulare munus usurpet. ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. mox rerum potitus, ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, sumpsit e consularibus qui coërceret servitia et quod civium

2. Habet *recidisse*, non, ut opinatur Ritter, *reccidisse*, M. — 3. *L.* M: *Lucius* B. — 4. *obiid* M. — 6. Habet *Thraecia* M. — 9. *praefectis demum* M. Correxit Rhenanus. (*profectis demum* mavolt Doederlein.) — 11. *mumam* M. — 12. Habet *Spurium* omnibus litteris M. — *inp.* M: *imp.* B. — 15. *cillinium* M. Correxit Lipsius.

Cfr. Dio 54, 34. ad a. u. 734. — *recens continuam*] Sic iunge, non cum Ern. *praefectus urbis recens; continua* opponitur annuae potestati; *recens* autem, quia L. Piso primus sane is fuit, a quo deinceps perpetua esset praefectorum urbis series. Cfr. Corsinum Ser. Praef. Urb. p. 31. — *insolentia parendi*] cum cives principi eiusque quasi vicario, praefecto urbis, dicto audientes esse nondum assueti essent, *crudo adhuc servitio*, ut ait 1, 8.

11. *Numam Marcium*] Liv. 1, 20: *pontificem Numam Marcium Marci filium* (Marcii hic memorati patrem) *ex patribus legit* Numa rex. Plutarchus in Numa 25: *πάντες ὁμολογοῦσι τὴν Πομπιλίαν* (Numae filiam) *Μαρκίῳ γαμηθῆναι. Παῖς δὲ ἦν ὁ Μάρκιος ἐκείνου Μαρκίου τοῦ Νομᾶν παρορμήσαντος εἰς τὴν βασιλείαν. Καὶ γὰρ συμμετῴκησεν εἰς Ῥώμην αὐτῷ καὶ τῆς συγκλήτου μετέσχε τιμώμενος καὶ μετὰ τὴν Νομᾶ τελευτὴν Ὁστιλίῳ περὶ τῆς βασιλείας εἰς ἀγῶνα καταστὰς καὶ ἡττηθεὶς ἀπεκαρτέρησεν. Ὁ δὲ υἱὸς αὐτοῦ Μάρκιος ἔχων τὴν Πομπιλίαν κατέμεινεν ἐν Ῥώμῃ καὶ Μάρκιον ἐγέννησεν, ὃς μετὰ Τύλλον Ὁστίλιον ἐβασίλευσε.* — *Sp. Lucretium*] Liv. 1, 59: *Brutus imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis iam ante ab rege* (Tarquinio) *instituto, relinquit.* — *ferias Latinas*] cfr. 4, 36. In Inscr. m. Lat. N. 890. memoratur M. Antonius Antius Lupus, qui inter alios honores dicitur etiam *PRAEF. FER. LAT.* Conservatum igitur est hoc praefecturae simulacrum saltem usque ad Commodum, a quo Antius interemptus est. Lamprid. 7. — *Maecenatem*] Huc refer Dionis locum 49, 16. ad a. u. 718.: *ἐν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει οὔτ' ἀγορανόμος τις ἀπορίᾳ τῶν αἱρεθησομένων ἐγένετο, ἀλλ' οἵ στρατηγοὶ οἵ τε δήμαρχοι τὰ προσήκοντα αὐτοῖς ἔπραξαν· οὔτε πολίαρχος ἐς τὰς ἀνοχὰς ἀπεδείχθη, ἀλλ' ἐκ τῶν στρατηγῶν τινες τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ διήγαγον, τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γάϊός τις Μαικήνας, ἀνὴρ ἱππεύς, καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ διῴκησεν.* Idem 51, 3. ad a. u. 723: *τῷ Μαικήνᾳ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέτακτο.* Ad quod tempus (a. u. 725.) Lachmannus re-

audacia turbidum, nisi vim metuat. primusque Messala Corvinus eam potestatem, et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit. dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.

(12) Relatum inde ad patres a Quintiliano tribuno plebei de libro Sibullae, quem Caninius Gallus quindecimvirum recipi inter ceteros eiusdem vatis, et ea de re senatus consultum postulaverat; quo per discessionem facto misit litteras Caesar, modice tribunum increpans ignarum antiqui moris ob iuventam. Gallo exprobrabat quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto per magistros aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur neque habere privatim liceret. quod a maioribus quoque de-

7. Habet h. l. *Sibullae* M. — Habet *quindecimvirum* M. (*quindecimvir* Beroaldus.) — 11. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *estimatoque* M. — 13. *cummunefecit* (sic) M.

fert etiam Horatii Carm. 3, 8. (18: *Mitte civiles super urbe curas.*) Ipsa autem Maecenatis potestas nunquam praefecturae urbanae nomine insignita est, etsi reapse eadem ampliorque etiam fuit. Idem valet de Agrippae τῆς πόλεως διαχειρίσει. Dio 54, 6. — *Messala*] Hieronymus in Chronico ad a. u. 729. p. 408. Roncall.: *Messala Corvinus, primus praefectus urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans*; ubi Scaliger, quo Hieronymum cum Tacito conciliaret, proposuit: *imbecillem sese potestati contestans* (Heinsius *inhabilem potestati* cet.). Similiter ut Maecenati Agrippae concredita est ab Augusto urbis administratio a. u. 733. Dio l. l. — *Taurus Statilius*] Dio 54, 19. ad a. u. 738: *οὕτω τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας ἐπιτρέψας, ἐξώρμησε.* — *viginti per annos*] De tempore, quo Tiberius Pisonem praefectum urbis fecerit, magna est inter scriptores dissensio; Seneca Ep. 83: *Tiberius proficiscens in Campaniam praefecturam urbis ei dedit*, id est, a. u. 779. Contra Suet. Tib. 42: *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit; quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim dedit.* Quae morum correctio cum incidere videatur in a. u. 769. fere aut 770., Ernestius *XX. per annos* corruptum ratus est ex *XV. per a.*, Lipsius corrigere voluit *X. per a.* Corsinus Praef. Urb. p. 33. Senecae auctoritatem secutus proposuit *VI. per annos.* Ac sane magnam fidem meretur Seneca in omnibus, quae de aetate suam proxime praecedente tradit, quippe qui talia hauserit ex patris commentariis de historia sui temporis. Cfr. Egger *Examen critique* p. 162. Nec vero difficulter ex *VI.* per errorem oriri poterat *VIGINTI*, et sex anni sufficiebant ad significandum, quam diversa fuisset Pisonis praefectura ab antecedentibus ad brevius tempus a Maecenate et Statilio Tauro gestis. Ut nunc est apud Tacitum, ea res incideret in a. u. 765., quo Augusto etiamtunc vivo Tiberius, etsi consors imperii, *princeps* tamen omnino dici non potuit neque de praefectura urbis arbitratu suo disponere. Utique nimis incerta atque artificiosa sunt, quae Walther excogitavit ad vindicandos XX. annos praefecturae Pisonis. Ea videsis apud ipsum.

12. *quindecimvirum*] sc. unus, ut Hist. 1, 31: *Tribunorum Subrium et Cerium milites adorti.* — *senatus consultum*] *Οὐ γὰρ ἐξῆν οὐδὲν τῶν Σιβυλλείων, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, ἐς τὸ πλῆθος ἐξαγγέλλεσθαι.* Dio 39, 15. — *scientiae caerimoniarumque*] per *ἓν διὰ δυοῖν*, iam

cretum erat post exustum sociali bello Capitolium, quaesitis Samo Ilio Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias, carminibus Sibullae, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subicitur.

(13) Isdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum; multaque, et plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quam solitum adversum imperatorem. quis commotus incusavit magistratus patresque quod non publica auctoritate populum coërcuissent; addiditque quibus e provinciis, et quanto maiorem quam Augustus rei frumentariae copiam advectaret. ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate, neque segnius consules edixere. silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

(14) Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, cecidere coniurationis crimine; ex quis Geminius prodigentia opum ac

2. *erytrythrys* M. — *affricam* M. — 3. *sibillae* h. l. M. — 5. Habet *subicitur* M. — 10. *e*] *et* M. — *provintiis* M. — 14. *caecidere* M.

diu versatus in rituum quindecimviralium scientia. — *caerimoniarum vetus*] ut C. 44: *vetus regnandi*. Hist. 4, 20: *veteres militiae*. — *incerto auctore*] Eum intelligo, qui librum istum cum Caninio primum communicarat; alii de Caninio ipso, quem ita fide parum dignum taxarit. — *magistros*] quales omnia sacerdotum collegia habebant, qui et collegio, cum coiret, praeessent et recens cooptatos caerimoniis instituerent. Plinius 28, 3: *Quindecimvirum collegii magister*. Marini *Atti Tav.* XV: *Magister fratrum arvalium*. Mirus sane est pluralis, quoniam unus dumtaxat eodem tempore ea dignitate fungi poterat. Difficultatem ita solvere conatur Walther: «Nimirum magisterium ordinis per vices obiri solebat. Suet. Cal. 22: *magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maxima vicibus comparabant*. Inde colligo magistrorum nomine insignes fuisse in quovis sacerdotum collegio ad eosque pertinuisse res interioris deliberationis, qualis sane haec erat de novo libro recipiendo.» — *sanxisse Augustum*] Suet. Oct. 31: (pontifex maximus Augustus) *quidquid fatidicorum librorum Graeci Latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo milia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos; hos quoque dilectu habito;* quorum qui nunc exstant, addito nuper a Maio libro XIV., Romanorum notha quaedam suboles sunt partim Iudaica, partim Christiana. — *sociali bello*] σφάλμα μνημονικόν. Recte vero Hist. 3, 72: *Arserat et ante Capitolium civili bello*. Mox: *L. Scipione C. Norbano coss. flagraverat*, id est, a. u. 671., bello sociali sive Marsico iam a. u. 666. composito. — *Erythris*] Ioniae urbe e regione Chii, ex qua Sibylla Tarquinii temporibus Romam venisse credebatur. Varro apud Serv. ad Aen. 6, 36. et Liv. 29, 10. — *notioni*] ut 3, 59: *notione de iure flaminis*.

13. *gravitate annonae*] Prorsus ut 11, 4. et 2, 87: *saevitia annonae*. — *in theatro*] Mansit theatrum sedes lamentationum querelarumque populi usque ad tempora Sidonii Apollinaris. Ep. 1, 10: *Vereor, ne famem populi Romani theatralis caveae fragor insonet et infortunio meo publica deputetur esuries*. — *quam Augustus*] *Cuius tempore ex Aegypto Urbi annua ducenties centena milia* (modium) *frumenti inferebantur*, teste Aurelio Victore Epit. 1. — *neque segnius*] Lipsius volebat *sequius*. Sed respondet *neque segnius* praecedentibus vv. *prisca severitate*: non ita commode *sequius* vel *secus*. Ern.

14. *Fine anni*] Dio 58, 4: *Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος ἀσεβείας ἐς τὸν Τιβέριον ἐγκληθεὶς καὶ μαλακίας αἰτιαθεὶς κτλ.* —

mollitia vitae amicus Seiano, nihil ad serium. et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens, suam ipse cervicem perfregit. at Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. sane is repertus apud fretum Siciliae retractusque per centurionem, nullas probabiles causas longinquae peregrinationis adferebat. mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia.

(15) Ser. Galba L. Sulla consulibus diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus facilitate saepius quam industria com-

1. *mollicia* M. — 4. *sanę is*] *sanus* M, non *anus*, ut aiunt Ritter et Doederlein. Correxit Mercerus. — 5. *aput* M. — 6. *longinque* M. — *peregrinationes* M. — *adf.* M: *aff.* B. — 8. *Ser.* M: *Servio* B. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lin. M. — 9. *L.* M: *Lucium* B. — 10. *M.* M: *Marcum* B. — 12. Habet *plebeii* M. Ante Bekkerum plerique cum Beroaldo edebant *plebei.* — *rome* M. — 13. *disciplinae ductus* M.

nihil ad serium] οὐδὲν πρὸς τὸ σπουδαῖον, nullum gravius inceptum, nedum coniurationem, cum eo communicarat Seianus.

15. *Ser. Galba*] Proprie scribendum erat *Lucio Galba:* nam Galba imperator, teste Suet. in eius vita 4., *adoptatus a noverca sua Livia nomen et Ocellae cognomen assumpsit, mutato praenomine. Nam Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.* Atque re vera in tessera gladiatoria iam ab Ursino ad h. l. significata posteaque edita a Fabretto p. 39. N. 192., a Muratorio I. p. 303, 1., a Cardinalio *Diplomi* p. 122: *MVRTILVS* | *ATTIAE* | *SP. III. NON. IVN* | *L. SVLL. L. SVLP.* Galbae praenomen est *Lucius;* nec vero concedunt Fasti consulares, ut hoc consulum par referamus, quemadmodum nonnulli voluerunt, ad a. u. 749. Vide Baiteri Ed. ad hunc annum. Contra in Fr. Fast. consularium apud Grut. 1087, 1. sane est *SER. SVLPICIVS. GALBA. L. SVLLA. FELIX. COS.* Sed Tacitus solitum ac magis notum praenomen ei tribuit. *L. Sulla* videtur esse is, cuius mentio 3, 31., filius L. Cornelii Sullae cos. a. u. 749. Qui cum Felix appelletur in lapide apud Grut. 1087, 1. hoc ipso proditur inter posteros Sullae dictatoris. Ryck. — *virginum aetas*] Drusilla XVI., Iulia XV. annos nata erat. Cfr. 2, 54. — *L. Cassium* (Longinum Suet. Cal. 24.) *M. Vinicium*] Sunt consules a. 783. Cassius sub Caio proconsul Asiae et monentibus sortibus Antiatinis, *ut a Cassio caveret* (intelligebant autem Cassium Chaeream) a tyranno occisus est. Suet. Cal. 57. Dio 59, 29. — *Calibus* (Campaniae oppido) *ortus*] Hic est M. ille Vinicius (in Inscr. et Fastis *Vinucius)*, ad quem historiam suas Velleius misit. Produxit vitam ad Claudium et a Messalina, quia pudorem servaverat, interfectus est. Dio 60, 27. Pater eius Publius cos. a. 755., avus Marcus cos. a. 735. Lips. — *comptae*] elegantis, artificiosae tamen potius quam nativae. — *facilitate*] comitate et indulgentia in offensionibus condonandis. — *vagis*] certa ratione destitutis ac longe repetitis. Sic 15, 54. *vagi sermones* tribuuntur ei, qui laetitiam simulare contendit. — *coeptas*] Sine causa Faërnus et Lipsius volebant *captas.* Cfr. Cap. 30. 12, 10. *Coeptas* indicat offensiones recens oriundas, diversas a prioribus. Walth. — *Macro praefectus*] praetorio. Cfr. Dio 58, 9. — *ambigens*] ambagibus circumibat urbem et declinabat, quoties ad eam accessisset; *sich umhertreibend, tournant autour de sa patrie,* qua quidem significatione verbi primaria nunc hoc uno loco reperitur; Rhenanus volebat *ambiens.* Cfr. Dio 58, 21:

mendabatur. huic Drusillam, Vinicio Iuliam Germanico genitas coniungit; superque ea re senatui scribit, levi cum honore iuvenum. dein redditis absentiae causis admodum vagis, flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit. factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto, ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans.

(16) Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias fenore auctitabant adversum legem dictatoris Caesaris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur, omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. sane vetus urbi fenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa; eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine

1. *uinio* h. l. M. — 2. Habet *scribit* M. Ante Bekkerum edebant *scripsit*, quem errorem praetulerunt Ritter et Doederlein. — 7. *urbes* M. — *numq.* M: *nunq.* B. — 9. *inr.* M: *irr.* B. — *faenore* M. — 11. *omissa* M. — 12. *faenebrae* (sic) M. — 15. *faenore* M.

Τιβέριος δὲ δὴ ἦλθε μὲν πρὸς τὸ ἄστυ καὶ διέτριψεν ἐν τοῖς πέριξ αὐτοῦ τόποις, οὐ μέντοι καὶ ἐσεφοίτησεν εἴσω καίτοι καὶ τριάκοντα σταδίους (IV. Mil. Pass.) *ἀποσχών.* — *sine praescriptione generis*] custodum; utrum tribuni, an centuriones, an gregarii milites eum in curiam comitari deberent.

16. *auctitabant*] verbum, quod nunc hoc tantum loco reperitur. (Apud Arnob. 7, 17. est *auctificare.*) — *adversus legem Caesaris*] Inde a Lipsio haec vv. plerique ante Ernestium referebant ad eam legem Iuliam, de qua Dio 41, 38. ad a. 705.: *ἐπειδή τε συχνοὶ πολλά τε χρήματα ἔχειν καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν* (XL. H. S.) *ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσῷ κεκτῆσθαι κτλ.* Sed ad hanc, quam significat Tacitus, pertinent verba Dionis 58, 21: *Τιβέριος τοὺς νόμους περὶ τῶν συμβολαίων ὑπὸ τοῦ Καίσαρος τεθέντας, ἐξ ὧν καὶ ἀπιστία καὶ ταραχὴ πολλὴ γενέσθαι ἔμελλεν, ἀνενεώσατο.* — *olim*] iam pridem, ut 13, 15: *olim provisum erat.* Doed. — *XII. tabulis*] Ex uno Tacito hoc scimus. Dirksen *XII. Tafeln* p. 594. h. l. collocavit Tab. VIII. Fr. 18. atque cum Taciti verbis coniunxit haec Catonis Prooem. de Re R.: *Maiores nostri sic habuerunt, itaque in legibus posuerunt, furem dupli damnari, feneratorem quadrupli.* Aliter quidem Livius 7, 16: *Haud aeque laeta patribus insequenti anno* (a. u. 398.) *C. Marcio, Cn. Manlio coss. de unciario fenore a M. Duilio, L. Maenio tr. pl. rogatio est perlata; et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque.* De hac dissensione fideque nec Tacito nec Livio abroganda cfr. Niebuhrius *Hist. Rom.* III. p. 61. Nimirum statuit legem in XII. tabulis sanctam postea abrogatam et a tribunis pl. iterum perlatam esse. *Unciarium fenus* est uncia sive pars assis duodecima pro usura sortis ex uno asse constantis in anni prisci, qui decem mensibus complebatur, spatium (8⅓ *p. Cent*), h. e. decem centesimae (*10 p. Cent*) in annum civilem duodecim menses numerantem. Cfr. Niebuhr l. c. p. 66. Ritter. Alii, ut Forcellinus: «duodecim pro centum in annos singulos.» — Quomodo autem usurarii *auctitarint* fenus, illustre exemplum praebet Scaptius apud Cic. ad Att. 5, 21, 11: *Cum ego in edicto tralaticio centesimas me observaturum haberem cum anatocismo anniversario, ille ex syngrapha postulabat quaternas.* Adde ibid.: *factum S. C., ut centesimae perpetuo fenore ducerentur.* Verr. 3, 71: *ex te quaero, pecunia publica - - pensitaritne tibi binas centesimas?* Quibus ex locis ap-

locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura. multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur. sed tum Gracchus praetor, cui ea quaestio evenerat, multitudine periclitantium subactus rettulit ad senatum; trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petivere; et concedente annus in posterum sexque menses dati, quis secundum iussa legis rationes familiares quisque componerent. (17) hinc inopia rei nummariae, commoto simul omnium aere alieno, et quia tot damnatis bonisque eorum divenditis signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. ad hoc senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam conlocaret. sed creditores in solidum appellabant; nec decorum appellatis minuere fidem. ita primo concursatio et preces; dein strepere praetoris tribunal; eaque quae remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari,

1. *semuntias redactu* M. — 2. Habet *plebis scitis* M. — 7. *qui* M. — *familiares*] In M erasa littera ante *s*. — 9. *devenditis* M. — 11. *faenoris* M. — *conl.* M: *coll.* B.

paret fenus ex sorte per centesimas ductum sive perceptum esse, qua de re h. l. ambigunt interpretes. — *rogatio tribunicia*] Liv. 7, 27: *T. Manlio Torquato, C. Plautio coss.* (a. u. 408.) *semunciarium tantum ex unciario fenus factum.* — *vetita versura*] *Zinsdarlichen.* Mirum mihi visum est etiam summum Niebuhrium (H. R. III. p. 78.) ex h. l. collegisse Romae aliquantum temporis aes alienum solvendis usuris contrahere vetitum fuisse; quamvis idem vir ingeniosus significationem *versurae* (H. R. I. p. 209. Ed. sec.) rectissime explanaverit. Scilicet sors cum usuris non solutis in sortem maiorem ubi vertitur, fit *versura*. Itaque lege illa cautum est, ne ex ipsis usuris novae usurae procrearentur. (Eleganter de versurae malo Livius 6, 14: *multiplici iam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris.)* Non accurate de ea lege rettulit Livius 7, 42. ad a. u. 412.: *Praeter haec invenio apud quosdam L. Genucium tr. pl. tulisse ad populum, ne fenerare liceret. Versuram facere* annalium auctores, quos Livius legit, appellasse *fenerare* arbitror. Ritter. Pertinet huc etiam locus Appiani B. C. 1, 54: *Τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν· οἱ μὲν, πράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις, νόμου τινὸς παλαιοῦ* (Genucii, ut videtur) *διαγορεύοντος, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσόφλειν. — — Ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἔθος ᾔτουν, οἱ δὲ οἷον ἐκ πολέμων τε καὶ στάσεων ἀνεβάλλοντο τὰς ἀποδόσεις· εἰσὶ δ' οἳ καὶ τὴν ζημίαν τοὺς δανείσαντας ἐκτίσειν ἐπηπείλουν.* — *multisque plebis scitis*] De talibus nihil apud Livium, sed aliquoties (7, 28. 10, 23. 35, 11.) memorat *iudicia populi in feneratores multa severe facta, accusantibus privatos aedilibus curulibus.*

17. *inopia rei nummariae*] Cfr. Suet. Tib. 48: *magna difficultate rei nummariae.* Propter sequentia *pecuniam - - condiderant* sic explica: «Cum locupletes ob spem maximi lucri faciendi ex obaeratorum agris vili pretio emendis pecuniam domi retinerent nec mutuam darent, magnopere per aliquod tempus impedita inopiâ arte factâ est tota res fenebris (omne argenti signati mutuum commercium), adeo ut ad veram, sed non summam inopiam ortam ex eo, quod magna pars argenti fisco vel aerario attinebatur, accederet etiam simulata illa, quam feneratores condenda domi suae cetera pecunia effecerant.» — *commoto aere alieno*] dum creditor quisque pecuniam creditam repetit eodem tempore; *da auf einmal Allen ihr Darlehn gekündigt wurde.* Bötticher. — *duas quisque fenoris partes*] Idem Suetonius l. l. sic exprimit: *Cum*

quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant, multique fortunis provolvebantur; eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas milies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praediis cavisset. sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti. neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

(18) Dein redeunt priores metus postulato maiestatis Considio Proculo; qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam, pariterque damnatus interfectusque. et sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum, accusante Q. Pomponio. is moribus inquies haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. etiam in Pompeiam Macrinam exsilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e pri-

1. *faeneratores* M. — 3. *fortunus* M. — 7. *emitio* h. l. M. — 12. *Q.* M: *Quinto* B. — 15. *exilium* M.

per S. C. sanxisset, ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem aeris alieni statim solverent; qua postrema constitutione, ut adnotat Duebner, priorem exsequi posse feneratoribus dabatur. *Fenus* apud Tacitum est, quod nos dicimus *Kapitalvermögen,* totum patrimonium (exceptis, ut per se intelligitur, fundis) sub fenore positum. — *creditores in solidum appellabant*] pro duabus illis fenoris partibus concessis, totum fenus repetebant a debitoribus, qui proprie *appellari* dicuntur, cum pecunia credita ab iis reposcitur. Notissimum illud Alfii feneratoris Horatiani, *optima nomina non appellando fieri mala.* Cfr. etiam Cic. pro Rab. Post. 17: *solidum solvere*, item v. proprium. — *minuere fidem*] si solvendo non fuissent; *ihren Credit zu schwächen.* — *condiderant*] omnem pecuniam, quam qualicunque modo redegerant, in arca conditam, id est, servatam, tenebant, ut paratiores essent ad occasionem bene emendi, quando senatus consultum illud esset exsequendum; nullam igitur iam petentibus mutuam dabant; *mercandis* autem *agris* explica «ad mercandos agros.» Locum egregie tractavit I. Fr. Gronovius in Mantissa de pec. vet. Cap. 1. p. 417. — *copiam vendendi*] quia debitores iam vel vili pretio praedia sua vendere coacti erant. — *aegrius distrahebant*] Quia emptores, necessitate vendendi cognita, simulabant sibi non opus agris et alia similia, ut fit, ut quam minimo pretio emerent. Ern. (Aliter, nec tamen vere, locum difficiliorem interpretatur Seyffert Emendd. Tac. I. p. 25: «Taciti verba clare docent signatum argentum aut nullum aut fere nullum apud privatos fuisse. Iam unde, quaeso, arcae illae refertae in feneratorum domibus? Qui damnatorum bona numerata pecunia emerant? Num obaerati et concussa fide vix paterna arva tuentes? Immo pecuniosi feneratores, qui publicorum malorum incuriosi simul sectorum quaestum exercebant. Iam cum debitorum turba suos agros distrahere trepidaret, nullus emptor exsisteret, quippe creditores, qui soli opibus pollebant, omnem pecuniam mercandis agris, qui sub hasta vendebantur, condiderant. Nam *agris* imprimis damnatorum bona continebantur.» At non satis novus hic interpres attendit ad vv. *ad hoc senatus* cet.) — *per mensas*] Dio 58, 21: *δισχιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας* (milies H. S.) *τῷ δημοσίῳ ἔδωκεν, ὥστ' αὐτὰς ὑπ' ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκὶ τοῖς δεομένοις ἐς τρία ἔτη ἐκδανεισθῆναι.* Verum hoc sane extraordinarium munus senatoribus datum; nam solitam pecuniae publicae administrationem sub quaestoribus habebant triumviri mensarii.

18. *Considio Proculo*] De hoc et Pom-

moribus Achaeorum, Caesar adflixerat. pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. datum erat crimini quod Theophanen Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat. (19) post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deicitur. ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurarias eius, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. inritatusque suppliciis cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. iacuit inmensa strages, omnis sexus, omnis aetas, inlustres ignobiles, dispersi aut aggerati. neque propinquis aut amicis adsistere inlacrimare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumiecti custodes

1. *adfl.* M: *affl.* B. — *inl.* M: *ill.* B. — 2. *interficere* M. Solitus est in hac forma Medicei error, non infinitivus historicus, uti ratus est Doederlein; cui quidem infinitivo hic nullus est locus. — 3. *Theophanen* M: *Theophanem* B. — *mitylenaeum* M. — *CN.* M: *Gnaeus* B. — 5. *Sex.* M: *Sextus* B. — 6. Habet *deicitur*, non *deiicitur*, M. — 7. *aurariasque* M. Correxit Muretus. (*aurarias quoque* coniecturae iam ab Ernestio dubitanter propositae, cui favere videtur Doederlein, hic locus non est.) — 8. *inr.* M: *irr.* B. — 10. *inm.* M: *imm.* B. — *inl.* M: *ill.* B. — 11. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *inl.* M: *ill.* B.

ponio Secundo cfr. 5, 8. — *adflixerat*] damnarat, ut opibus eorum potiretur. — *pater*] Pompeius Macer, *cui Augustus ordinandas bibliothecas delegaverat.* Suet. Iul. 56., dein procurator Asiae. V. mox Strabonis locum. (Ovid. Amor. 2, 18.) — *frater*] Pompeius Macer, qui in praetura Tiberium offendit. 1, 72. — *Theophanen*] M. Pompeius Theophanes. Strabo 13. p. 617: *Οὗτος δὲ (Θεοφάνης) καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε καὶ Πομπηίῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος, μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτήν, καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις. — — Καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν, υἱόν τε ἀπέλιπε Μάκρον Πομπήιον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός. Καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων.* LIPS. De Theophane, Pompeii amico, vide e Cicerone congesta in Clave (imprimis pro Archia 10.) Burm. ad Vell. 2, 18. et Ryckium ad h. l., qui de suspicione Freinsh. ad 1, 72. *avum* legendum putat: nam Theophanis filium fuisse Pompeium illum apud Strabonem, huius hos duos, si Strabo non fallit, verum est. ERN. Opposito modo Viscontius Strabonem cum Tacito conciliare conatus est, legens *υἱωνόν τε.* Sed alterutrum errasse satius est statuere quam quidquam velle corrigere. — Adde Theophanem hunc composuisse commentarios de Pompeii rebus gestis.

19. *Sex. Marius*] Cfr. Dio 58, 22. Nescio an hic idem ille Marius, qui ante annos aliquot postulatus. 4, 36. LIPS. — *aurarias*] De Hispaniae aurariis cfr. Plin. 33, 21. — *Publicare* h. l. non est *für den öffentlichen Schatz einziehen*, ut nostrates volunt, quasi venditae sint et pecuniae inde paratae in aerarium latae, sed *für Staatsgut erklären*, ut publice administrarentur et reditus publici essent. WALTH. *Sibimet* tamen *seposuit* significat eas non aerario, sed principis fisco vindicatas esse. — *inritatus*] Significat crudelitatem eius non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures. GRON. Hinc eum cum Aiace furente comparat Iuvenalis de caede Seiani et asseclarum eius loquens 10, 83: *Quam timeo, victus ne poenas exigat Aiax, ut male defensus.* — *inmensa strages*] Plurimos necatos esse testis etiam Dio 58, 14—16. Quomodo una die tunc saevitum sit, refert Suet. Tib. 61: *Viginti una die abiecti tractique, inter eos pueri et feminae;* unde nolim cum aliis putare contradicere sibi Tacitum et Suetonium. — *visere diutius*] quam in transeundo; nam sicubi consistere volebant, illico abigebantur. — *sortis humanae commercium*] Non iam vi-

et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia aut ripis adpulsa non cremare quisquam, non contingere. interciderat sortis humanae commercium vi metus; quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.

(20) Sub idem tempus C. Caesar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam, M. Silani filiam, coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit, neque meliorem umquam servum neque deteriorem dominum fuisse.

Non omiserim praesagium Tiberii de Servio Galba tum consule; quem accitum et diversis sermonibus pertentatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus «et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,» seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldaeorum artis, cuius

1. *ads.* M: *ass.* B. — 2. Habet *Tiberim*, non *Tyberim* Beroaldi, M. — *adp.* M. *app.* B. — 5. *C.* M: *Gaius* B. — 6. *M.* M: *Marci* B. — 7. *exilio* M. — 8. *hau* M. — 9. *percrebruit* M: *percrebuit* B. — 10. *umq.* M: *unq.* B. — 11. Habet *Servio* omnibus litteris M. — 12. *pertemptatum* M. — 13. *hac* M.

cissim inter se participes esse audebant naturalis illius doloris, quo afficimur, ubi insigne aliquod infelicis sortis humanae exemplum videmus, praesertim in propinquis et amicis, sed eum prorsus premebant luctumque omnem occultabant. Quadrat huc Terentianum illud: *Homo sum; humani nihil a me alienum puto.* — («Quod alteri acciderat, ab altero accipiebatur, tamquam ad se non pertineret.» Walth.)

20. *M. Silani*] Cfr. 2, 59. 3, 24. et 57. A Caligula interfectus est. Hist. 4, 48. Agric. 4. Iuniam Claudillam vocat Suet. Cal. 12., quod caput totum cum hoc conferendum est. — *immanem animum - tegens*] Cfr. Suet. Cal. 10. — *fratrum*] Unus Nero in exsilium actus erat, alter, Drusus, in ima Palatii parte tum custodiebatur, quasi exsul, scilicet domo principali. Walth. Atque, ut omnibus manifestum erat, vel exsilio vel etiam neci erat destinatus. — *rupta voce*] exquisitius quam «prorumpens in vocem quasi invitus»; sic Graeci *ῥῆξαι φωνήν*. — *qualem diem*] Locum ante Gronovium misere sollicitatum ipse egregie sic explanavit in Obss. 1, 2: «Qualem habitum, animum vultumque quovis die *induisset*, sumpsisset vel gessisset Tiberius, sive laetum sive tristem, ambiguum, severum, crudelem, benignum, voluntarium, negotiosum, otiosum, talem et ipse induens ac prae se ferens. *Dies* enim accipitur pro fortuna quam fert, et pro varietate illa vitae et humanorum propositorum, quae indit dies mutatque. Notum illud Homeri Odyss. *σ*, 136: *τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.* (*On dirait bien en français, en parlant de l'humeur du prince, c'est son bon jour, c'est son mauvais jour, c'est son jour d'orage, de mélancolie, de gaité; or, par où en juge-t-on? par l'extérieur qu'il revêt, pour ainsi dire, et de cette idée à* induere diem *il n'y a plus loin.* Burn.) — *Passieni*] Erat is C. Passienus Crispus, Neronis vitricus (Suet. Ner. 6.) saepe memoratus Senecae patri, ut Contr. exc. 3. et Quintiliano, qui *iucunditatis insignem* vocat 12, 10, 11. Ceterum impunitum mansit acerbum illud dictum; nam Claudii temporibus mortuus est. Suet. l. l. — *praesagium Tiberii*] Pugnat Suetonius, qui non Tiberio sed Augusto hoc tribuit, et de puero Galba, non (ut hic Tiberius) de consule. Galb. 4: *Constat Augusto puero adhuc, salutanti se inter aequales, apprehensa buccula dixisse: Καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.* A Tacito stant Iosephus 18, 6. et Dio 57, 19. Lips. Talibus in narratiunculis quasi per manus traditis variare saepe scriptores nemo nunc est, qui miretur aut ab alterutro fidem violatam esse lamentetur. Sane multo

apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasullum habuit, peritiam eius hoc modo expertus: (21) quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani exsisteret. igitur Thrasullus isdem rupibus inductus postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet. ille positus siderum ac spatia dimensus, haerere primo, dein pavescere, et quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur; quaeque dixerat, oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

(22) Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. quippe sa-

1. *aput* M. — Habet *Thrasullum*, non *Thrasyllum*, M. — 2. *super tali*] *superta* M. Mutavit Pichena. (*quotiens reperto negotio* Seyffert.) — 7. *existeret* M. — 8. *solerter* M. — 10. *spacia* M. — 11. *pavescente* M. Correxit Beroaldus. (*pavescens* Iac. Gronovius.) — 15. *vici* M.

mirabilius erat, si tale praesagium de puero iam Augustus fecerat, unde factum, ut hoc Suetonii auctor praeferret. (Ceterum adv. *quandoque* (hoc est, quandocunque) *seram* potentiam, v. *degustabis* brevem Tiberius significavit. Frustra ad hunc locum haesit Ernestius. Ritter.) — *Thrasullum*] Qui etiam de re medica libros composuisse videtur laudante Plinio plus uno loco. Lips. Videlicet utraque ars et astrologia et medicina facile tum coniungi poterat, praesertim apud Tiberium, senem libidinibus confectum. Ceterum cfr. Dio 55, 11. et Schol. Iuven. ad 6, 576. Imprimis memorabile est Iuliani testimonium in Ep. ad Themistium p. 265. Spanh.: *Θράσυλλος, Τιβερίῳ πικρῷ καὶ φύσει χαλεπῷ τυράννῳ ξυγγενόμενος, εἰ μὴ διὰ τῶν καταλειφθέντων ὑπ' αὐτοῦ λόγων ἀπελογίσατο, δείξας ὅστις ἦν, ὤφειλεν ἂν εἰς τέλος αἰσχύνην ἀναπάλλακτον· οὕτως αὐτὸν οὐδὲν ὤνησεν ἡ πολιτεία.*' Ad hunc autem Taciti locum cfr. Suet. Tib. 14.

21. *super tali negotio*] quod eiusmodi illi videretur, ut de eo mathematici consultandi essent. Suum inventum *quotiens reperto negotio* ita interpretatur Seyffert: «quotiens incidit cogitatione in negotium, quod propter dubia et incerta casuum animum angeret aptumque videretur ad experiendos eos, qui Chaldaeorum artem apud ipsum professi erant.» At coniectura haec per se est parum probabilis et sententia nimis infinita atque obscura manet, etsi comparat 13, 44: *reperta spe ditioris coniugis*. — *imminet*] Ernestio cum primum magis placeret *imminebat*, se ipse revocavit haec annotans: «Sed exstabat etiamtunc» (cum scriberet Tacitus) «et ostendebatur ac visebatur peregrinantibus, ut fit.» — *commoverat*] laetitia quidem affecerat, etsi minus probabilis videri debebat praedictionis exitus, etiamtunc viventibus L. et C. Caesaribus; unde diffidebat mathematico, antequam sequens experimentum fecisset. — *pavescere*] Cod. mendum *pavescente* ortum est ex seq. *et*, et multo praestat Beroaldi emendatio ei, quam proposuit Iac. Gronovius, *pavescens*. Ceterum in Thrasyllo facile agnosces callidissimum veteratorem, utpote qui probe nosset, quot mathematici Tiberio suspecti de rupibus illis iam ante praecipitati essent. — *praescium*] *βραχυλογία* pro «praescium esse periculorum exclamat atque ideo incolumem fore gratatur.»

22. *sapientissimos veterum*] Epicureos. Cfr. cum Tacito imprimis Plinium Hist. N.

pientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae; ideo creberrime tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. contra alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. neque mala vel bona quae vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos, at plerosque quamquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur; sed quaedam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. quippe a filio eiusdem Thrasulli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

(23) Isdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium, sponte vel necessitate, incertum habebatur.

1. *reperias* pr. M. Correxit eadem manus. — 3. *creberrima et tristia* M. Correxit Freinshemius. — 8. Habet *at* M. Ante Bekkerum edebant *ac*. — 11. *distinentur* M. — 15. M habet *incepto*, non *incoepto* Beroaldi. — *aberrem* Heinsius. — 17. *haudubium* M.

2. Cap. 7. Sect. 5, 22. — *creberrime tristia - - esse*] Non erat, cur in hac indubitabili Freinshemii correctione haereret Walther; exquisitius, mutata etiam, ut solet, constructione *in - - apud*, dictum est pro simplici *creberrime tristia bonis - - accidere*. — *contra alii*] Stoici. Cfr. Cic. de N. D. 2, 30., et ad h. l. imprimis Chrysippus apud Gell. 6, 2. Seneca Nat. Q. 2, 35. 36. Id. de Benef. 4, 7: *Hunc eundem deum et fatum si dixeris, non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent.* — Atque de tota antiquorum de fato doctrina praeter Ciceronis reliquias et Plutarchi libellum *περὶ εἱμαρμένης* v. Alexandrum Aphrodisiensem patruelis mei, Io. Conr. Orellii. Turici 1824. — *non e*] *βραχυλογία* pro «non e vagis stellis pendere, verum esse earum regimen apud principia cet.» — *apud principia*] Quidquid enim accidit, ex immutabili causarum cohaerentium serie fatalique quadam necessitate proficiscitur, ea tamen principio ita constituta, ut cum *προνοίᾳ* (providentia divina) plane consentiat. Bach. — *tamen electionem*] Quo liberum arbitrium, cuius nobis non conscii esse non possumus, cum fati necessitate, quam aeque agnoscere debemus, concilient. Liberi autem arbitrii auctoribus Stoicis summa in eo versatur, ut naturae convenienter vivas. Bach. — *quam*] manifesto refertur ad *vitam;* quod cur durius visum sit Ernestio, parum intelligo. — *prospera*] Apparet esse ablativum ad v. *fortunam;* non accusativum plur., uti ratus est Ernestius, qua antiquiore v. *uti* constructione nunquam utitur Tacitus. — Ceterum cfr. Solon apud Herod. 1, 32: *πολλοὶ μὲν γὰρ ζάπλουτοι ἀνθρώπων ἀνόλβιοί εἰσι· πολλοὶ δὲ μετρίως ἔχοντες βίου, εὐτυχέες.* — *eximitur*] opinio, persuasio. — *fallaciis*] fraude mathematicorum ea praedicentium, quae ipsi ignorent. — *fidem artis*] cui quidem ipse Tacitus non multum fidebat. Cfr. Hist. 1, 22. — *memorabitur*] Et memoratum est, non ut editores asseverant omnes, in libris deperditis, sed 14, 9., suppresso quidem filii Thrasylli nomine. Dobd. — Etiam Dio 61, 2. tacet mathematici a Nerone consulti nomen.

23. *Asinii Galli*] Quem eodem die et convivam Tiberii fuisse et eo subornante damnatum narrat Dio 58, 3. in actis a. 783. Cfr. eundem 58, 23. Est ille, qui filius Pollionis Asinii librum edidit, quo

consultusque Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere, ultroque incusare casus qui reum abstulissent, antequam coram convinceretur. scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano tentarentur, extractum custodiae iuvenem (nam in Palatio attinebatur) ducem populo imponere. mox quia rumor incedebat fore ut nuru ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam paenitentiam maluit. (24) quin et invectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in suos, infensum rei publicae animum obiecit, recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit, quo non aliud atrocius visum. adstitisse tot per annos qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans quasi per dementiam funesta Tiberio, mox ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras im-

6. *praescriptum* M, non *descriptum* Rhenani. — *temptarentur* M. — 7. *exstractum* M. — Habet *custodiae* M. Ante Bekkerum edebant *custodia*, id quod restituerunt Ritter et Doederlein. — 8. *nuru* M, ut 2, 30.: *nurui* cum Lipsio B. — 12. *aliut* M. — 14. *Attii* M: *Actii* cum ceteris Edd. B. — 15. *dedymi* M. — 18. Vv. *alienationem mentis simulans* auctore Bahrdtio seclusit B.

patrem Ciceroni comparavit, cui rescripsit imperator Claudius. Suet. 41. Plinius Epp. 7, 4. Gellius 17, 1. Hieronymus in Chron. (p. 418. Roncall.) refert, Asinium Gallum diris suppliciis mactatum anno ante T. Livii mortem. Lips. Stemma Asiniorum ad h. l. dedit Ryckius. — *non erubuit*] Impudentia inest partim in eo, quod iustam sepulturam Asinio concessit tamquam gratiam a generoso animo profectam, partim in illa casus incusatione; utraque autem manifesta erat simulatio, qua, quem non iamdiu depudulsset, abstinere sane debebat. — *medio triennio*] id est, toto triennio, quod a tempore accusationis ad mortem eius praeterierat. Ern. — *tot consularium*] Nam habuit liberos Asinium Saloninum, de quo 3, 75.; Asinium Gallum, de quo Suet. Cl. 12. Dio 55, 3.; Asinium Pollionem, qui consul a. u. 776., de quo Plin. 33, 8. et Fasti; Asinium Agrippam, de quo Ann. 4, 34.; Asinium Celerem, quem consularem Plinius nominat 9, 31. et ponit sub principe Gaio. Lips. ad 3, 75. — *tomento*] Plin. 27, 10. *Gnaphalium (plante cotonneuse* auctore Burnouf) *alii chamaezelum vocant, cuius foliis albis mollibusque pro tomento (Flockwerk, Polsterung, bourre, borra) utuntur.* Suet. Tib. 54: *Druso autem adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere.*

24. *invectus*] in litteris ad senatum de Drusi morte missis. — *probra corporis*] impudicitiam, quam *mollitiam corporis* vocat 11, 2. — *exitiabilem in suos*] Cfr. mox *funesta Tiberio* cet. atque imprimis de atroci eius animo 4, 60. — *descripta*] usu singulari pro *descriptione*, quasi commentarios, *Tagebuch*. — *nisi quod*] Supple cogitatione: «id quod fidem tantae atrocitati faciebat.» — *exterruerat*] exempli causa, gladio in eum stricto necem minitatus; cfr. mox: *inter servorum ictus.* — *alienationem mentis*] quam per totum diem simulabat, ea interdum *quasi per demen-*

precabatur, ut quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. obturbabant quidem patres specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio callidum olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse, ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

(25) Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor, et postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate exstinctam, nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum, eiusque morte ad taedium vitae conpulsam. sed Agrippina aequi inpatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id prodendum addidit Caesar, iactavitque quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret. actae ob id grates decretumque, ut quintumdecimum kal. Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

3. *dedestandi* M. — 4. *degendis* M. — 9. *sustentatam vitam produxisse* Seyffert. — 10. *sev.* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 13. *conp.* M: *comp.* B. — 14. *inp.* M: *imp.* B. — 16. *lactavitque* M. — 17. *gratis* M. — 18. *K.* cum lin. M: *calendas* B. — 19. *oms* cum lin. M. item mox.

tiam, per repentinum paroxysmum initio itidem simulatum in funestas imprecationes prorumpebat. Sic ubi acceperis, nihil inest in his supervacanei, ut opinatus est Bahrdtius, quem secuti sunt etiam Bekker et Ritter. Burnouf: «*qui, dans un faux délire, s'étoit livré d'abord contre Tibère aux emportemens d'une raison égarée.*» — *nepotes*] Intellige *interfecerit*, quod latet in seqq. *domum caedibus complevisset*. Ern. — *obturbabant*] per adulationem simulato horrore talia audiendi obstrepunt clamoresque tollunt, ne talibus diutius aures suas polluant. — *dimotis*] quasi disiectis ac sublatis.

25. *provixisse*] nunc est ἅπαξ λεγόμενον; *porro vixisse*, quod nonnemini in mentem venit, languere mihi videtur, cum dicere licuisset *vitam produxisse*, ut 3, 24. 6, 48., vel *prolatavisse*, ut 11, 37.; verum Seyfferti illud *spe sustentatam vitam produxisse* mihi saltem probabile haud videtur. — *exstinctam*] in Pandataria insula maris Tyrrheni ad Latii oram, quo relegata erat. 14, 63. Suet. Tib. 53. (Hodie *Isola Vandotina.*) — *criminationibus*] dativus, «ad criminationes.» — *aequi inpatiens*] quae omnibus superior esse volebat, parem cum ceteris gradum fastidiebat. 2, 42: *Regibus aequa, nedum iniqua insolita.* Stat. Theb. 3, 602: *Capaneus superum contemptor et aequi Impatiens.* — *feminarum vitia*] a libidinibus semper prorsus aliena fuerat, ut Agr. 9. *avaritiam exuerat.* — *grates*] non dis, sed sibi. Suet. Tib. 53: *Pro tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiae agerentur.* — *quintumdecimum*] Ursinus supplere tentabat *A. D.* Sed ut hic, seriore quidem ex usu, Hist. 1, 18: *quartum Idus Ianuarias.* Ad rem ipsam commode Ryckius notat, in Fastis Rom. ex aevo Constantii imperatoris editis a Lambecio, ad XV. Kal. Nov. legi *Iovi liberatori.* Exstant in Thes. Graev. T. VIII. Oberl.

(26) Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principis, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlaeso, moriendi consilium cepit. quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. aversatus sermonem Nerva, abstinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse.

Ceterum Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. nupta olim Cn. Pisoni et palam laeta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat. ut odium et gratia desiere, ius valuit; petitaque criminibus haud ignotis, sua manu sera magis quam inmerita supplicia persolvit.

(27) Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant. extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Suriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. genus illi decorum, vivida

2. *inl.* M: *ill.* B. — 3. *ads.* M: *ass.* B. — 4. *pces* cum lin. M. — 8. *intemptatus* M. — 9. *permities* (sic) M. — 10. *CN.* M: *Gnaeo* B. — 11. *praecibus* M. — 13. *inm.* M: *imm.* B.

26. *Cocceius Nerva*] *cui legum peritia* 4, 58., ut et filio eius M. Cocceio Nervae, qui Nervae imperatoris pater, Neroni familiarissimus et praetor fuit (15, 72.), item librum de usucapionibus scripsit. Consul fuit pater cum Vibio Rufino a. 775. Aliter quidem rem narrat Dio 58, 21., quasi Nerva mortem sibi conscisset ante *refectam fidem*, de qua Tacitus loquitur Cap. 17.: *Ὁ Νερούας μηκέτι τὴν συνουσίαν αὐτοῦ φέρων ἀπεκαρτέρησε διά τε τἆλλα* (v. c. propter renovatas Caesaris leges *περὶ τῶν συμβολαίων*) *καὶ πολλά γε Τιβερίου παρακαλοῦντος, ὅπως τι ἂν φαίη, οὐδ' ἀποκρίνασθαί τι ἠθέλησε.* — *continuus principis*] idem ac mox *proximus amicorum*, et quidem inde a diuturno tempore sine ulla interruptione. — *coniunxit*] inediae ante Caesaris sermonem coeptae, id est, continuavit. DOED. — *intentatus*] a delatoribus. — *precibus Augustae*] 3, 17.

27. *Neronis*] Germanici filii. 3, 29. — *denupsit*] infra nobilitatem gentis nupsit, ut 15, 37. sane ita iubente Tiberio, quo hanc quoque fratris filiam eiusque spiritus deprimeret. Iulia autem haec a Messalina interfecta a. 795. Cfr. 13, 32. — *cuius avum Tiburtem*] At pater eius tamen consularis, de quo 3, 51: *Solus Lepido e consularibus Blandus assensit.* Consul suffectus a. 771. LIPS. Ryckius illum ipsum consularem hic intelligi putat; minus utique probabiliter statuens equitem Tiburtem (quomodo hic non sine despicientia quadam vocatur) ad consulatum evectum esse; filio sane id facilius obtingere poterat. — *Lamiae*] Est L. Aelius Lamia cos. a. 756., ad quem sunt Horatii C. 1, 26. et 3, 17. De *funere censorio* v. 4, 15. — *imagine*] Nunquam enim provinciam adire ei permiserat Tiberius, de quo miro eius more v. 1, 80. — *urbi praefuerat*] successor L. Pisonis. (C. 10.) Cfr. Dio 58, 19: *Λούκιον ἀντὶ τοῦ Πείσωνος Λαμίαν ἀνθείλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ στρατιᾷ (Συρίᾳ* Casaub. ad Suet. Tib. 63.) *προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ.* — *dignationem*] quatenus homines suspicabantur propter arcanas aliquas causas, veluti propter metum, ne talis vir tamque gratus militibus descisceret a Tiberio, eum in urbe retentum esse. — *Flacco Pomponio*] Suetonii

senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. exin Flacco Pomponio Suriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. obiit eodem anno et M. Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis conlocavi. neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

(28) Paulo Fabio L. Vitellio consulibus post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit, praebuitque materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi. de quibus congruunt, et plura ambigua sed cognitu non absurda, promere libet. sacrum soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum consentiunt qui formam eius definiere. de numero annorum varia traduntur. maxime vulgatum quingentorum spatium: sunt qui adseverent

2. *Syriae* h. l. M. — 3. *exercitubus* M. — 4. *necessititudine* M. — 6. *M.* M: *Marcus* B. — 7. *conl.* M: *coll.* B. (*satis multa collocavi* Seyffert.) — 9. *inl.* M: *ill.* B. — 11. *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lin. M. — 13. *grec.* M. — 16. *effinere* (sic) M. Correxit Beroaldus. — 17. *ads.* M: *ass.* B.

Tib. 42. locum de eo v. supra ad C. 11. Est is, qui XV. ante annis Moesiae praefuerat. 2, 66. — *Arruntium*] Cfr. Hist. 2, 65: *L. Arruntium Tiberius ob metum retinebat.* — *prioribus libris*] veluti 1, 13. 4, 20. — *conlocavi*] minus usitate quasi de monumento in eius honorem posito pro vulgari «scripsi, dixi.» Walther confert nostrum *ich habe beigebracht.* Comparant item, etsi non satis apte, Cic. de Legg. 2, 3: *Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio.* de Finn. 2, 26: *Posuisti etiam dicere alios.* Prorsus arbitraria est Seyfferti suspicio: *satis multa collocavi*, ac supervacanea, cum idem prorsus significet codicis scriptura. — *corruptis moribus*] quotquot ex illa familia mali cives fuere, velut M. Lepidus cos. a. 676., cuius *turbidae rogationes* memorantur 3, 27., huiusque filius M. Lepidus triumvir.

28. *Paulo Fabio*] Persico, cuius impuritatem notat Seneca de Benef. 4, 31. et Iuven. 8, 13. — Plinius 10, 2., ex eoque Solinus 33. Dio 58, 27. biennio posterius phoenicem venisse volunt, Q. Plautio, Sex. Papinio coss. Vereor, ut stare sententia Taciti possit contra tot testes. Lips. Ceterum de his coss. Dio 58, 24: *τὴν δεκαετηρίδα τὴν δευτέραν (Τιβερίου) ἑώρτασαν· (οὕτω γὰρ αὐτήν, ἀλλ' οὐκ εἰκοσετηρίδα ὠνόμαζον) ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις αὐτῷ κατὰ τὸν Αὔγουστον διδόντες. τήν τε οὖν ἑορτὴν ἅμα ἐποίουν καὶ ἐκολάζοντο.* Qua de saevitia Tiberii nihil prorsus memorat Tacitus; unde iam Muretus negavit coss. hos interfectos esse; certe Vitellius, imperatoris pater, Caligula et Claudio imperantibus vixit. Suet. Vit. 2. — *avis phoenix*] Post tot funera ac supplicia memorata in amoena digressione aliquatenus requiescere voluit Tacitus. — *ore*] Plin. 10, 2: *cristis faciem caputque plumeo apice cohonestantibus.* Lactant. Phoen. 135: *Albicat insignis mixto viridante smaragdo Et puro cornu gemmea cuspis hiat, Ingentes oculi; credas geminos hyacinthos Quorum de medio lucida flamma micat. Aequatur toto capiti radiata corona Phoebei referens verticis alta decus. Crura tegunt squamae flavo distincta metallo; Ast ungues roseus pingit honore color.* — *quingentorum*] Consentiunt Herod. 2, 73.

mille quadringentos sexaginta unum interici, prioresque alites Sesoside primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui Heliopolis nomen advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. unde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quae vetus memoria firmavit. confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri; et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato murrhae pondere tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque solis aram perferre atque adolere. haec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

(29) At Romae caede continua, Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas venas sanguinem effudit; aemulataque est coniunx Paxaea. nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. sed Caesar missis ad senatum litteris disseruit morem fuisse maio-

1. *aliter esse soside* M. Correxit Iac. Gronovius ex Diodor. 1, 53. Ante Bekkerum edebant *Sesostride*, cum Rhenano. — 2. *ptolemeo* M. — 5. *ptolemeum* M. — 9. *adf.* M: *aff.* B. — 11. *murrae* M. — *temptatoque* M. — 16. *recluli* M. — 20. *diseruit* M.

Seneca Ep. 42. Mela 3, 8. — *M. CCCC. LXI.*] Plurimi cum Salmasio Exercc. Solin. p. 388. b. in eo consentiunt, hunc numerum pertinere ad annum magnum canicularem Aegyptiorum. Eundemque numerum anno magno tribuunt Censorinus 18. Dio 43, 26. Firmicus Mathes. 1. init.: *quantis etiam conversionibus maior ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has stellas, lunam etiam ac solem locis suis originibusque restituit* (vocabant *ἀποκατάστασιν τοῦ ζωδιακοῦ·*), *qui M. CCCC. LXI. annorum circuitu terminatur*. Accuratius Guigniautium secutus rem exponit Burnouf in annotatione pro nostro consilio nimis longa; sed Salmasius iam verum vidit. *Sesoside*] Diodoro *Σεσόωσις*. — *tertius*] Euergetes, a. Chr. 247. — *minus CC. L.*] proprie *CC. XXXVI.* — *annorum*] suorum sive D. sive M. CCCC. LXI. — *suis in terris*] in Arabia, nusquam alibi. — *tentato*] scil. pondere vel ponderis gestatu. Lege omnino Herodot. l. l. — *subire*] ut Virg. Aen. 4, 599: *quem subiisse humeris confectum aetate parentem*. Hor. Sat. 1, 9, 21: *cum gravius dorso subiit onus*. Artemidorus Oneir. 4, 49. dicit eum, qui phoenicem a se pingi somniarit, eo paupertatis venturum, ut parentis cadaver more phoenicis suis humeris efferre cogatur.

29. *rettuli*] 4, 47. Dio 58, 24: *τῆς τε Μυσίας ποτὲ ὀκτὼ ἔτεσι μετὰ τὴν στρατηγίαν ἄρξας καὶ δώρων μετὰ τῆς γυναικὸς γραφεὶς ἐθελοντὴς σὺν αὐτῇ διεφθάρη.* — *sepultura*] Suet. Tib. 61: *Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent*. Itemque: *Nemo punitorum non in Gemonias abiectus uncoque tractus*. — *manebant*] Dio 57, 22: *ἀπεῖπε δὲ ὁ Τιβέριος τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι.* Quae lex mansit. Digest. 28, 1, 8. *Caius: Si cui aqua et igni interdictum sit, eius nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id, quod postea fecerit.* — *pretium*] Dio 58, 15: *οἱ δὲ δὴ αἰτιαθέντες πλείους αὐτοὶ ἑαυτοὺς πρὶν ἁλῶναι διέφθειραν. ἐποίουν δὲ τοῦτο μάλιστα μὲν τῷ μήτε τὴν ὕβριν μήτε τὴν αἰκίαν φέρειν· - - ἤδη δὲ καὶ ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτοὺς κληρονο-*

ribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone, atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus. nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus qui in Tiberium flecterentur. verum ab Servilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteit, hortante Sextia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit. (30) ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis adficiebantur, ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt. et Abudius Ruso functus aedilitate dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate

3. *administrate provintiae* M. — 9. *ab*] *ad* M. — 11. *hortantes exitia* (sic) M. Correxit Lipsius. — 13. *adf.* M: *aff.* B. — 16. *Ruso* M: *Rufo* B. (sic Sal. Iug. 104. legendum est *Cn. Octavio Rusone*, non *Rufone* (Codd. plerique. Victorius), nec *Rufo* (Gerlach, Kritz). — 16. Habet *Gaetulico* M, non *Getulico* Beroaldi. — 17. *isse lani* M. Correxit Beroaldus.

μῶσιν. — *morem*] cfr. 2, 70. — *criminum urgebatur*] Insolite dictum pro «criminum obiectatione, criminibus,» ut simpliciter est Hist. 4, 43: *crimine - - Eprium urgebat*; nisi leg. *arguebatur.* — *culpam*] suam, *invidia* Caesaris, id est, etsi noxium, tamen quasi innocentem se interfecisse, ut eius rei invidia in Caesarem recideret. — *conterrita*] Quo ipsa quoque sibi mortem consclsceret ob damnationis metum. — *periculi expertem*] «quam tamen ego,» inquit, «nunquam damnaturus fuissem.» — *Scaurus rursum*] Vide C. 9. — *probrosus*] Seneca de Benef. 4, 31. Tertullian. de Pall. 5: *Dabo catharticum impuritati Scauri et aleae Curii et vinolentiae Antonii.* — *tragoediae*] Dio 58, 24: *Ἀτρεὺς μὲν τὸ ποίημα ἦν· παρῄνει δὲ τῶν ἀρχομένων τινὶ ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὸν Εὐριπίδην, ἵνα τὴν τοῦ κρατοῦντος ἀβουλίαν φέρῃ. μαθὼν οὖν τοῦτο ὁ Τιβέριος, ἐφ' ἑαυτῷ τόδε τὸ ἔπος εἰρῆσθαι ἔφη, Ἀτρεὺς διὰ τὴν μιαιφονίαν εἶναι προσποιησάμενος· καὶ ὑπειπὼν ὅτι Καὶ ἐγὼ οὖν Αἴαντα αὐτὸν ποιήσω, ἀνάγκην οἱ προσήγαγεν αὐτοεντεὶ ἀπολέσθαι.* Cfr. etiam Exc. Mall. Sturz IX. p. 88. (Versiculus ille ex Eur. Phoen. 396: *Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών*, iam olim adhibitus a Cic. ad Att. 2, 25.) — *Cornelio*] Seneca Suas. 2: *Tuscus ille, qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exstincta est, maiestatis reum fecerat, homo quam improbi animi, tam infelicis ingenii.* — *magorum*] quos consultasset de principis vita vel etiam de sua spe; id quod capital erat, ut 2, 27. Doed.

30. *Vario Ligure*] Aquiliae adultero. 4, 42. — *Abudius*] Corruptum hoc nomen nonnullis visum est; verum apud Muratorium quattuor reperies *Abudios.* — *Lentulo*] Is consul a. 779. 4, 46. De lascivis eius epigrammatis cfr. Plin. Epp. 5, 10. Martial. Praef. Lib. 1. Sidon. Apoll. Epp. 2, 10: *saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Caesennia cum Gaetulico* cet. — *ultro*] non solum non perfecit, ut Gaetulicus damnaretur, sed *ultro*, insuper, *(noch obendrein)* ipse damnatur. Cfr. 6, 31:

superioris Germaniae legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat; effusae clementiae, modicus severitate, et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus. unde fama constans ausum mittere ad Caesarem litteras, adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte sed consilio Tiberii coeptam; perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. sibi fidem integram et, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse provinciam retineret. haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Seiani adfinium incolumis multaque gratia mansit, reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

(31) G. Cestio M. Servilio consulibus nobiles Parthi in urbem venere, ignaro rege Artabano. is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis, quae secunda adversum circumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens, avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacen liberorum suorum veterrimum inposuit, addita con-

1. *ads.* M: *ass.* B. — 3. *L.* M: *Lucium* B. — 4. *adf.* M: *aff.* B. — *hau* M. — 9. *prouintiam* M. — 10. *adf.* M: *aff.* B. — 12. *vi stare*] *uisiare* M. Correxit Beroaldus. — 13. *G.* M: *Gaio* B. — *M.* M: *Marco* B. — *cos.* cum lin. M. — 16. *execreuerat* M. Emendavit Beroaldus. — 18. *inp.* M: *imp.* B.

ultroque potentiam habet. — *effusae*] longe clementissimus erat; ubi tamen necesse videbatur, severus, sed semper cum moderatione. — *proximo*] Germaniae inferioris. — *L. Apronium*] Cfr. inter alios Taciti locos imprimis 1, 56. 4, 73. 11, 19. — *indicium mortis*] sibi ultro sumendae, nisi mallet condemnari atque necari a principe. Prorsus sic C. 40: *signum mortis intellexere et exsecuti sunt.* — *haec*] Haenischio auctore Bachius distinxit: *haec mira, quamquam fidem ex eo trahebant.* Non sequor. — *extremam*] annorum iam LXXVI.

31. *G. Cestio*] Gallo. C. 7. Dio 58, 24. — *M. Servilio*] Noniano, qui historicus fuit et orator. 14, 19. Or. 23. Plin. Epp. 1, 13, 3. Quintil. 10, 1, 102. Suet. in vita Persii. — *Artabano*] huius nominis tertio. Cfr. 2, 3., et ad ea, quae hic narrantur, Dio 58, 26. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 98 — 102. Unum eius nunc exstat tetradrachmum cum inscr. *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΣΑΚΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.* — *ut inermem*] propter extremam senectutem neque promptum iam neque aptum ad bellum gerendum; nec vero ductum exercitus tam magni, quam ad hanc expeditionem requirebatur, facile alii commissurus fuisset, propter metum, ne is deinde ab ipso defecturus foret. Cfr. C. 32. Accedit, ut suspicatur Iac. Gronovius, quod legiones tum minus integrae fuisse magnamque partem ex provectioris aetatis veteranis videntur constitisse. Etenim propter diuturnam pacem novi milites raro scribebantur; multi autem veterani in stativis suis otio frui malebant, quam ut *uligines paludum aut inculta montium* (1, 17.) in Italia sibi assignarentur. Praeterea Tiberius post Germanici mortem carebat duce aeque perito. — *Artaxia*] cui Germanicus diadema imposuerat. 2, 56. — *contumelia*] in Tiberium. Suet. Tib. 66: *Quin et Artabani Parthorum regis laceratus est litteris, parricidia et caedes et ignaviam et luxuriam obiicientis monentisque, ut voluntaria morte maximo iustissimoque civium odio quam primum satisfaceret.* Quam tamen epistolam Viscontius *Icon. gr.* III. p. 100. missam censet post regnum ab Artabano recuperatum. — *Vonone*] 2, 1. 4, 58. 68. Suet. Tib. 49. — *veteres* - -

tumelia et missis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent; simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat, sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis. non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet. ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei inponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phrahaten regis Phrahatis filium Roma poscebant: nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur. cupitum id Tiberio. (32) ornat Phrahaten accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere. et barbaris cunctatio servilis, statim exsequi regium videtur. valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. et Phrahates apud Syriam dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, insti-

1. *Syria* h. l. M: *Suria* B. — *ciliaque* M. — 3. *icyro* M, in quo Baitero iudice fort. latet *primum Cyro*. — 8. *inp.* M: *imp.* B. — *artano* M. — 9. *phraaten regis phraatis* M. — 10. *arsaces* M. — 11. *cubitum* M. — 12. *asatu* M. — 15. *exequi* M. — 16. *spetie* M. — *inl.* M: *ill.* B. — 17. *phraates* M. — 18. *Syriam* h. l. M: *Suriam* B.

terminos] scil. «non sine iactatione sibi vindicabat,» id quod eliciendum ex seqq. — *perinde opibus*] insignis. Quintil. 8, 3, 82: *Brevitas est pulcherrima, cum plura paucis complectitur, quale Salustii est: Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. Hoc male imitantes sequitur obscuritas*; id quod de Taciti loco aeque claro ac Salustiano haud valet. — *non despectum*] Ex instituto Cyri apud Xenoph. 7, 5., qui sui corporis custodiam curamque solis commisit eunuchis et intimam aulam ex hoc semiviro genere constituit quasi fidissimo. Ita deinceps in honore. Lips. Verum iam sub Pharaonibus memorantur eunuchi, ut Genes. 39, 1: *ἐκτήσατο (Ἰωσήφ) Πετεφρῆς, ὁ εὐνοῦχος Φαραώ, ὁ ἀρχιμάγειρος*· ubi eadem dissensio inter interpretes ac mox de Aethiope. — *ultroque potentiam*] Cfr. Act. App. 8, 27: *ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος, δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων*, ubi de Wette facit cum iis, qui vertunt *spadonem*; alii per *δυσωπίαν* quandam, *aulicum*, *cubicularium*. — *filium*] et Vononis fratrem. Cfr. 2, 1, 2. Strabo 16. p. 748: *ὁ Φραάτης - - καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον, τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας, τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρησεν ὅμηρα αὐτῷ, Σερασπαδάνην καὶ Ῥωδάσπην καὶ Φραάτην καὶ Βονώνην καὶ γυναῖκας τούτων δύο καὶ υἱεῖς τέτταρας, δεδιὼς τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ.* — Verbo *nomine* respondet *genus Arsacis*, v. *auctore*, *sponte*.

32. *ornat*] comitibus, equis, vestitu, pecunia. — *accingitque*] diademate imposito. — *destinata retinens*] consilia iampridem capta etiamtunc servans. — *modo*] duplex *modo* requirebant Muretus et Acidalius. Verum uno contentus fuit etiam 4, 50: *hostis clamore turbido, modo per vastum silentium incertos obsessores effecerat.* — *inligaret*] ut dicitur *implicare morbo*: «eum quasi vinculo irretiret, ut ne quidquam iam incipere, nedum exsequi posset.» Sic Hercules Sophocleus in versione Latina Cic. Tusc. 2, 8: *Ipse illigatus (χειρωθεὶς) peste interimor textili*, de veste venenata. Doederlein explicat: «ut proficisci Romam ne posset.» Sed aulici hi nunquam ea de profectione cogitarant;

tuta Parthorum insumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. sed non Tiberius omisit incepta. Tiridaten sanguinis eiusdem aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Iberum Mithridaten deligit, conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat; et cunctis quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari, ceterum regendis provinciis prisca virtute egit. unde regressus, et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus, exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis, et bona iuventae senectus flagitiosa oblitteravit. (33) at ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit dolo et vi conatus suos iuvare, repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt. simul Iberi magnis copiis Armeniam inrumpunt, et urbe Artaxata potiuntur. quae postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat;

1. *adsumptus* M. — 2. Habet *incepta*, non Beroaldi *incoepta*, M. — *tiridatem* M. — 3. Habet *Hiberum* hic et C. 33. *Hiberis*, ut B ubique, sed Lib. 11, 8 et 9. rectius *Iberis* et *Ibero*, quod praetuli. — *Mithridaten*] *mithridanten* M, *Mithridatem* B. — *diligit* M. — 5. *L.* M: *Lucium* B. — *hausum* M. — 7. *C.* M: *Gai* B. — 8. *aput* M. — 10. *obliteravit* M. — 11. Habet *Pharasmanem* M. Ante Bekkerum edebant *Pharasmanen*. — 13. *haberi* (sic) M. — *inr.* M: *irr.* B.

immo alios *secretos nuntios* Romam miserant. V. supra. — *insumit*] non tam insolitum hoc v. pro *assumit*, ut rati sunt interpretes. Cfr. 14, 44: *animum insumpsisse*. — *Tiridaten*] Phrahatis IV. nepotem (C. 37.) filium igitur aut Seraspadanis aut Rhodaspis, quos genuerat Phrahates. — *Iberum Mithridatem*] Dio 58, 26: *Τηριδάτην, ἐκ τοῦ βασιλικοῦ καὶ αὐτὸν γένος ὄντα, ἔπεμψε. καὶ ὅμως γε ὡς ῥᾷστα τὴν βασιλείαν παραλάβῃ, ἔγραψε Μιθριδάτῃ τῷ Ἴβηρι ἐς τὴν Ἀρμενίαν ἐσβαλεῖν, ἵνα ὁ Ἀρτάβανος τῷ υἱεῖ βοηθῶν, ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀπάρῃ· καὶ ἔσχεν οὕτως· οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ πολὺ ὁ Τηριδάτης ἐβασίλευσεν· ὁ γὰρ Ἀρτάβανος Σκύθας προσλαβών, οὐ χαλεπῶς αὐτὸν ἐξήλασε· — — τὴν δ' Ἀρμενίαν ὁ Μιθριδάτης, ὁ Μιθριδάτου μὲν τοῦ Ἴβηρος, ὡς ἔοικε, παῖς, Φαρασμάνου δὲ τοῦ μετ' αὐτὸν τῶν Ἰβήρων βασιλεύσαντος ἀδελφός, ἔλαβε.* His respondent Taciti vv. *conciliat fratri Pharasmani* cet. — *gentile*] Iberorum. — *L. Vitellium*] qui proximo superiore anno cos. fuerat. — *exemplar*] Suet. Vit. 2: *Miri in adulando ingenii primus C. Caesarem adorare ut deum instituit.* De eius et vilissima adulatione et rebus fortiter gestis consule Dionem 59, 27.

33. *ad scelus cogunt*] ad interficiendum veneno Arsacen inducunt. — *Artaxata*] Cfr. 2, 56. — *Oroden*] Res has Parthicas et Armeniacas breviter tangit etiam Iosephus Antiq. 18, 2, 4. — *mittit*] Nullam difficultatem hic video, quam, ut opinabatur, expediit Seyffert, improbabiliter coniectans *promittit*. Scilicet *dat* filio validam Parthorum manum, praeterea *mittit* ministros cum pecuniis, qui alibi auxilia quaererent. At vero quid attinebat hoc *promittere* dumtaxat nec statim exsequi? Insuper *dare* et *mittere*, quae ille homonyma putat, pro certo admodum differunt. Neque vero assentior Ernestio et Oberlino; quorum ille haec adscripsit: «In copulis aliquid hic turbatum credo. An scripsit Tacitus: *dat Parthorumque copias et qui* cet. — ? Certe illud *mittit* cum per se friget, tum quia est sine copula;» hic: «Fortasse leg. *mittitque, qui*. Copula ob sequens pronomen potest excidisse.» Melius Duebner. — *auxilia - facerent*] compararent, ut dicebant *exercitum facere*. Cfr. Cort. ad Sal. Fr. p. 998. Bach. — *sceptuchi*] Sic Xenophon aliquoties, v. c. Exped. Cyri 1, 6, 11., eos vocat, qui summis muneribus in Persarum aula regia fungebantur, *grands dignitaires*, *Grosswürdenträger*; h. autem l. sunt *δυνάσται* (Strabo 11. p. 495.), sive *ἡγεμόνες* (ibid.) principes, *chefs*, *Häuptlinge*. Strabo 11. p. 496. de Bosporanis:

dat Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. contra Pharasmanes adiungere Albanos, accire Sarmatas, quorum sceptuchi utrimque donis acceptis, more gentico, diversa induere. sed Iberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. at qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum montes, aestas impediret, quia flatibus Etesiarum implentur vada: hibernus auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto brevia litorum nudantur. (34) interim Oroden sociorum inopem auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula; ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. atque illis sola in equite vis: Pharasmanes et pedite valebat. nam Iberi Albanique saltuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere. feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso, post avectam Medeam genitosque ex ea

1. *dat Parthorum* Duebner: *dat Parthorumque* M, *datque Parthorum* cum Beroaldo B. — 2. *promittit* Seyffert. — *accipere* M. Correxit I. Fr. Gronovius. — *utrimque* M: *utrinque* B. — 4. *effunt* (sic) M. — 8. *litorum* M: *littorum* B. — *nudanter* pr. M. — *Oroden* M: *Orodem* B. — 10. *in* deest in M. Inseri iussit Muretus. — *proel.* M: *prael.* B.

Δυναστεύονται καὶ οὗτοι ὑπὸ τῶν καλουμένων σκηπτούχων· καὶ αὐτοὶ δὲ οὗτοι ὑπὸ τυράννοις ἢ βασιλεῦσίν εἰσιν. — *diversa induere*] diversam mentem, ita ut alteri auxiliari statuerent Pharasmani, alii Orodi. — *Caspia via*] Sunt *Caspiae portae* (1, 2) Suetonii Ner. 19. Dicenda erat *via Caucasia* potius. Pylae scil. Caucasiae Sarmatis per Iberos in Armeniam transitum dabant. Procop. B. Goth. 4, 3. Vide S. Croix *Mém. sur les pays situés entre la mer noire et la mer caspienne* p. 139. *Portas Caucasias multis Caspias dictas* iam notavit Plin. 6, 12. — *mare*] Caspium. — *Etesiarum*] Intelliguntur *ἐτησίαι βορέαι*, de quibus Herod. 2, 20. Plin. 2, 47. Colum. 11, 2, 56: *Kal. Augusti Etesiae.* De iisdem locis scribit Curtius 6, 4, 19: *A septentrione ingens in litus mare incumbit longeque agit fluctus et magna parte exaestuans stagnat. Idem alio caeli statu recipit in se fretum eodemque impetu, quo effusum est, relabens, terram naturae suae reddit.* Walth. — *hibernus - - nudantur*] Non pendent haec, ut recte Ritter adnotavit, a part. *quia*; sed status maris hibernus opponitur vadis per aestatem impletis. — *introrsus*] in altum mare. — *brevia nudantur*] tum demum apparet, ubi vada sint, per quae, ubi rupes adiacentes nimis praeruptae viam non offerunt, exercitus incedere queat; *brevia* substant. ut *τὰ βράχεα*.

34. *infensare pabula*] pabulatores identidem aggrediens ac proturbans eos impediebat. — *sola*] una, ut 4, 39: *sola necessitudinis gloria usurum.* Exquisitius hoc quoque quam *solo in equite.* — *feruntque*] Perantiquas, certe Alexandro M. antiquiores, si fides Iustino 42, 3., fuisse has *παραδόσεις* atque caerimonias cum iis connexas, testantur monumenta a Strabone memorata 1. p. 45: *καὶ ἔστιν ὑπομνήματα τῆς ἀμφοῖν (Φρίξου καὶ Ἰάσονος) στρατείας, τό τε Φρίξιον, τὸ ἐν τοῖς μεθορίοις τῆς τε Κολχίδος καὶ τῆς Ἰβηρίας, καὶ τὰ Ἰασόνεια πολλαχοῦ τῆς Ἀρμενίας καὶ τῆς Μηδίας κτλ.* Adde Lib. 11. p. 503. Taciti locus propter brevitatem haud satis intelligi potest nisi collata Iustini narratione l. l.: *Iason Argonautas cum magnis rebus gestis incolumes reduxisset, rursus a Peliae filiis Thessalia magna vi pulsus cum ingenti multitudine, quae ad famam virtutis eius ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exsilii rursum receperat, et Medio, privigno ab Aegeo, rege Atheniensium, genito, Colchos repetivit socerumque Aeetam regno pulsum restituit. Magna deinde bella cum finitimis gessit, captasque civi-*

liberos, inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. multaque de nomine eius, et oraclum Phrixi celebrant; nec quisquam ariete sacrificaverit credito vexisse Phrixum, sive id animal seu navis insigne fuit. ceterum directa utrimque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Iberum mercenario milite disserebat; Pharasmanes integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos. simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere. (35) enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas inirent: impetu et comminus praeveniendum. variae hinc bellantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret, Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent; modo equestris proelii more, frontis et tergi vices; aliquando, ut conserta acies corporibus et pulsu armorum pellerent pellerentur. Iamque et Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem

2. Male Oberlinus, Walther, Ritter, Doederlein *Phryxi* - - *Phryxum*. Rectam scripturam dant M et B. — 4. *utrimque* M: *utrinque* B. — 5. *mercennario* M. — 10. *sinerent* M. Correxit Beroaldus. — 11. *spelies* M. — 14. *equites tres* M. Correxit Rhenanus. — *proel.* M: *prael.* B. — 15. *conserta* M: *conferta* Ernestio auctore B. Illud restituerunt Walther, Ritter, Doederlein.

tates partim regno soceri ad abolendam superioris militiae iniuriam, qua et filiam eius Medeam abduxerat et filium Aegialeum (qui aliis Absyrtus) *interfecerat, adiunxit; partim populis, quos secum adduxerat, assignavit. - - Cum Albanis foedus percussit, qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone exstincto armenta eius per Italiam duceret, secuti dicuntur; quique memores Italicae originis exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico, fratres, salutavere.* In his quidem ultimis facile agnoscas recens commentum Albanorum ipsorum, quo Pompeii victoris benevolentium captabant, nisi vero tota res dumtaxat a Romanis conficta est. Cfr. imprimis Müller *Orchomenos* p. 281. — *inanem*] liberis, qui succedere parenti possent, *vacuos*, quia rege ac domino carebant, ut 12, 50: *vacua Armenia*. 2, 76. *vacua provincia*, quae praesidem non habet; 2, 46: *vacuas legiones*, duce privatas. — Ceterum in his alios auctores secutus est, quam quos consuluit Trogus. — *multa de nomine eius*] scil. nominata, loca vel templa. Strabo 11. p. 503: *Λέγεται δ' Ἰάσονα μετὰ Ἀρμένου τοῦ Θετταλοῦ κατὰ τὸν πλοῦν τὸν ἐπὶ τοὺς Κόλχους ὁρμῆσαι μέχρι τῆς Κασπίας θαλάττης καὶ τήν τε Ἰβηρίαν καὶ τὴν Ἀλβανίαν ἐπελθεῖν, καὶ πολλὰ τῆς Ἀρμενίας καὶ τῆς Μηδίας· ὡς μαρτυρεῖ τά τε Ἰασόνια καὶ ἄλλα ὑπομνήματα πλείω.* Iustin. l. l.: *Iasoni totus ferme Oriens ut conditori divinos honores templaque constituit.* — *ariete*] Strabo L. 11. p. 498., ubi Colchidem describit: *Ὑπέρκειται δὲ τῶν λεχθέντων ποταμῶν (Γλαύκου καὶ Ἵππου) ἐν τῇ Μοσχικῇ τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερόν, Φρίξου ἵδρυμα, καὶ μαντεῖον ἐκείνου, ὅπου κριὸς οὐ θύεται.* — *mercenario milite*] ablat. absol. «propter id ipsum, quod eius exercitus e mercenariis constaret.» Cur Ernestius vanam Acidalii suspicionem *mercenarium militem* probarit, non video. — *disserebat*] ut Hist. 4, 69: *At Iulius Auspex vim Romanam pacisque bona dissertabat*, multus fuit in eis exponendis. Cfr. 1, 4: *bona libertatis - disserere*. 2, 27.

35. *distraheret turmas*] non Sarmatarum, sed suas ipse. Plutarch. in Crasso C. 24. de Parthorum pugnandi ratione: *ἀνῆγον ὀπίσω καὶ σκίδνασθαι δοκοῦντες ἅμα καὶ διαλύειν τὴν τάξιν, ἐλάμβανον ἐν κύκλῳ περιβάλλοντες τὸ πλινθίον αὐτῶν.* — *quo brevius valent*] minus quam Parthi, maxime quod ad spatium pertinebat; hi enim teste Plutarcho l. l. pugna-

pugnam hostibus facere, quos super eques, et propioribus vulneribus pedites adflictabant. inter quae Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore telis equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit. nec iterare valuit, praelatus equo, et fortissimis satellitum protegentibus saucium. fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos, victoriamque concessere. (36) mox Artabanus tota mole regni ultum iit. peritia locorum ab Iberis melius pugnatum. nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius, et subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. tum omissa Armenia versaeque Artabani res, inliciente Vitellio, desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum. igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagesen aliosque occultos consilii, et tunc continuis cladibus promptiores, ad defectionem trahit, adfluentibus paulatim qui metu magis quam benivolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum.

1. *et propioribus* M: *et a propioribus* ex errore typogr. Ed. Gronovianae 1672. B, Ritter, Doederlein. — 2. *adfl.* M: *affl.* B. — *interque* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 5. *valiut* M. — 6. *saucim* M. — 7. *ultimi id* M. Correxit Lipsius. — 8. *ab*] *ad* M. — 9. *subdidorum* (sic) *ore* M. — 11. *inl.* M: *ill.* B. — 12. *proel.* M: *prael.* B. — 13. *abdagaesen* M. — *consilit* (sic) M. Emendavit Faërnus. (*consulit* praefert Doederlein.) — 14. *adfl.* M: *affl.* B. — 15. *beniv.* M: *benev.* B.

bant *εὐτόνους τὰς πληγὰς καὶ βιαίους διδόντες ἀπὸ τόξων κραταιῶν καὶ μεγάλων καὶ τῇ σκολιότητι τῆς καμπῆς τὸ βέλος ἠναγκασμένον ἀποστελλόντων.* (Cfr. Dio 40, 22.) Unde consentaneum est longius etiam spatium permeasse Parthorum sagittas quam Sarmatarum, quorum arcus multo minores fuisse constat. — *tergi vices*] Comparant Salustii Fragm. p. 237. Ed. Gerl. min.: *More equestris proelii sumptis tergis atque redditis.* Sensus est: «modo a fronte hostes aggrediebantur; modo terga iis dabant, statim rursus in eosdem conversi.» — *conserta*] Melius hoc quam Ernestii *conferta* opponitur equestri illi proelio. «Est: in qua non frontis et tergi vices; in qua vir viro, arma armis conserta sunt. Curt. 3, 2, 13. et 3, 11, 4: *conserti et quasi cohaerentes.*» Walth. (Posteriore tamen Curtii loco Mützell e Codd. aliq. *conferti.*) — *quos super*] Parthos desuper Albanorum equitatus affligtabat. Alii explicant «insuper», sed requiritur antitheton ad sequens membrum. *Super* ergo h. l. *ὑψόθεν*, *von oben her*, ut Virg. Aen. 9, 168: *Haec super e vallo prospectant Troes.* Lucan. 6, 291: *Cum super e totis emisit collibus agmen.* — «Mox praepos. *a* aut delenda est cum Walthero, aut in *iam* mutanda.» Doed. Alii compararunt 16, 9. *a centurione cadit;* alii interpretati sunt: «quantum attinebat ad propiora vulnera viro a viro prope stante, equo non interposito, inflicta.» Sed, ut dixi, *a propioribus* est merus error operarum Gronovianarum, nimis diu propagatus. — *praelatus*] pro «praeterlatus, praevectus», ut *praefluere* pro «praeterfluere» Horat. Carm. 4, 3, 10. — *falso*] «per errorem»; neque vero opus Lipsii *didita.* Iosephum 18, 2, 4. huic falso rumori fidem tribuisse dicit Lipsius; sed necem alius Orodis a coniuratis in venatione patratam ille narrat; de hoc vero Cap. extr.: *τὴν δὲ Ἀρμενίαν Ὀρώδῃ δίδωσιν Ἀρτάβανος, ἑνὶ τῶν ἑαυτοῦ παίδων.*

36. *tota mole*] a. u. 789. Cap. 38. — *memoravi*] C. 31. 32. — *occultos consilii*] pro vulgari «clandestinos iam antea consilii participes.» Sic 4, 7: *non occultus odii.* Quod post Aldum edi coeptum est, *occultos consulit* languet, immo prorsus inutile est; praveque insuper dictum pro solito «occulte», vel etiam, cum in Tacito versemur, «occultus consulit», ut 3, 29: *qui eiusmodi preces occulti illuderent*; 4,

nec iam aliud Artabano reliquum, quam si qui externorum corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur ministri sceleribus. his adsumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat: atque interim posse Parthos absentium aequos, praesentibus mobiles, ad paenitentiam mutari. (37) at Vitellius profugo Artabano et flexis ad novum regem popularium animis, hortatus Tiridaten parata capessere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere accolae Euphraten nulla imbrium vi sponte et inmensum attolli, simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. quidam callidius interpretabantur, initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum quae terra caelove portenderentur certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum milibus in castra venit, exsul quondam et Tiberio, cum Delmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus, mox repetita amicitia regis multo apud eum honore, praefectus campis qui Euphrate et Tigre inclutis amnibus circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. neque multo post Sinnaces auget copias, et columen partium Abdageses gazam et paratus regios adicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus, monet Tiridaten primoresque, hunc, Phrahatis avi

3. *ads.* M: *ass.* B. — 5. *adf.* M: *aff.* B. — 9. *romane* M. — 10. *anni* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — 12. *prospere* M. — 13. *calldius* M. — *interpraet.* M. — 15. *omnia* M. — 17. *exul* M. — Habet *Delmaticum* M. — 22. *abdagaeses* M. — Habet *adicit* M. — *uitellelis* M. — 23. *phraatis* M.

12: *occulti laetantur;* 40: *non occulti ferunt.* — *contermina Scythiae*] ad orientem Caspii maris. — *Hyrcanis*] ad austrum eiusdem. — *Carmaniisque*] Carmania regio Persidis occidentalis, ad sinum Persicum sita, nunc *Kerman.* Forbiger *Geographie* 11. p. 550. — *absentium aequos*] in absentes; regibus expulsis facile rursus faventes.

37. *suovetaurilia*] Hist. 4, 53. Dionys. Hal. 4, 22. Cato R. R. 141: *Marti patri piaculum;* item Liv. 8, 10. h. l. ad lustrandum exercitum, non in Euphratis honorem, ut nonnulli accepere. Nimirum hoc sacrificio Vitellius demonstraturus erat et suis et Parthis, sese ad proelium, si res ita ferret, esse paratum. *Suovetaurilia* autem ex formula semel recepta vocantur in Actis Fr. Arv. Tab. 32. 41. 43., non *solitaurilia*, ut est apud Festum. — *equum*] Xenoph. Exped. Cyri 4, 5: *Καὶ ἵππον,* ὃν εἰλήφει παλαιότερον, δίδωσι (Ξενοφῶν) τῷ κωμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ Ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ. Iustinus 1, 10: *Solem unum esse deum Persae credunt et equos eidem deo sacratos ferunt.* — *amni*] Herod. 1, 138: *Πέρσαι σέβονται ποταμοὺς μάλιστα.* Ut fluviis equos Parthi, sic tauros Romani mactabant. Plut. Lucull. 24: *Ἔθυσε δὲ καὶ τῷ Εὐφράτῃ διαβατήρια.* — *albentibus*] nam diadema fascia erat alba. Sil. Ital. 16, 241. Iuba rex *Induitur chlamydem regnique insigne vetusti Gestat laeva decus; cinguntur tempora vitta Albente.* Suet. Caes. 79: *quidam e turba statuae Caesaris coronam lauream candida fascia praeligatam imposuit.* (Curtius 3, 3, 19: *Cidarim Persae vocabant regium capitis insigne; hoc caerulea fascia albo distincta circumibat.*

et altoris Caesaris, quae utrobique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos. decus quisque suum et fidem retinerent. exin cum legionibus in Syriam remeavit.

(38) Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis. non enim Tiberium, quamquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent, tempus preces satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. eo metu Fulcinius Trio ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris conposuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exsilium obiectando. quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. isdem diebus Granius Marcianus senator a G. Graccho maiestatis postulatus, vim vitae suae attulit; Tariusque Gratianus praetura functus lege eadem extremum ad supplicium damnatus. (39) nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus: nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus est. haec Tiberius non mari, ut olim, divisus, neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus

1. *et*] *ut* M. Correxit Rhenanus. — *utrubique* M. — 3. *exim* M. — *Syriam* M: *Suriam* B. — 6. *sacias* M. — 8. *hau* M. — 10. *conp.* M: *comp.* B. — *exilium* M. — 14. *Istem* M. — 15. Habet *granius* M, non *granus*, ut narratur apud Bekkerum. — *G.* M: *Gaio* B. — 16. *Tariusque* M: *Tatiusque* cum Beroaldo et ceteris Edd. B. (*TARIA* est Mur. 1470, 7.) — 17. Habet *Sextii* M.

6, 20, 4: *purpureum diadema, distinctum albo.*) — *Delmaticum bellum*] a. 742. Ovans urbem intravit a. 745. — *quae utrobique pulchra*] quae exempla imitatione digna vidisset et in avo et in educatore Augusto, apud quem obses fuerat.

38. *haud perpessus*] haud exspectans, donec accusatione peracta condemnaretur, sed inimicos principemque sanguinarium praeveniens. Dio 58, 25: plane cum Tacito consentiens: *Φουλκίνιός τις Τρίων, φίλος μὲν τοῦ Σηιανοῦ γεγονώς, σφόδρα δ' αὐτῷ διὰ τὰς συκοφαντίας κεχαρισμένος, κατηγορηθεὶς τε παρεδόθη καὶ δείσας ἑαυτὸν προαπέκτεινε.* De Fulcinio cfr. 2, 28. 5, 11. 6, 4. — *supremis tabulis*] De hac testamentorum licentia cfr. Suet. Oct. 56. — *continuo*] *βραχυλογία* pro his: «continuam cum absentiam servet, idem hoc esse ac si exsularetur.» — *G. Graccho*] 4, 13. Condemnatorum vero nulla praeterea mentio apud Tacitum, prorsus nulla apud Suetonium et Dionem, qui tacent etiam de C. Graccho. — *extremum supplicium*] ut 3, 39: *indictum reo ultimum supplicium*, strangulatio potius quam ut *more maiorum* puniretur. (2, 32. 4, 30.)

39. *Trebellieni*] illius, qui praetura functus, tutor a senatu liberis Cotyis, Thraciae regis, datus fuit. 2, 67. 3, 38. Lips. — *Paconianus*] nam paene damnatus, et indicium professus ante triennium (Cap. 3, 4.) in carcere attinebatur, donec carmina exitium illi maturavere. Id. — *per longinquos nuntios*] ex longinquo vel ad procul absentem perferendos. Ern. — *urbem iuxta*] Dio 58, 24: *εἰκοστοῦ ἔτους τῆς ἀρχῆς ἐπιστάντος, αὐτὸς μέν, καίτοι περί τε τὸ Ἀλβανὸν καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων, οὐκ ἐσῆλθεν ἐς*

carnificum. fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus, maximisque provinciis per quattuor et viginti annos inpositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

(40) Q. Plautius Sex. Papinius consules sequuntur. eo anno *** neque quod L. Aruseius morte adfecti forent, adsuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit quod Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia deprompt um sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque iam exanimis laqueo vexatae. ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. at C. Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere,

1. *poppaeius (i* puncto notatum) M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 5. *Q*] *quinius* M, *Quintus* B. — *Sex.* M: *Sextus* B. — 6. *L.* M: *Lucius* B. — *adf.* M: *aff.* B. — *ads.* M: *ass.* B. — 7. *romanos* M. — 9. *ma manibus*, sed prius *ma* in fine versus, M. — 11. *positus* M. — 12. *C.* M: *Gaius* B. — *blaesii* M. sed mox *blaesis*.

τὴν πόλιν. — *Poppaeus*] avus maternus Poppaeae Sabinae et cos. a. 762. Dio 58, 25: *Ποππαῖος δὲ Σαβῖνος, τῆς τε Μυσίας ἑκατέρας καὶ προσέτι καὶ τῆς Μακεδονίας ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου παρὰ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν τοῦ Τιβερίου ἀρχὴν ἡγεμονεύσας, ἥδιστα προαπηλλάγη πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν· καὶ αὐτὸν ὁ Ῥήγουλος ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς διεδέξατο.* — *XXIV. annos*] Muretus dubium movit ex eo, quod Tiberius tantum XXIII. annos imperavit, et Pomponius Labeo sub Tiberio VIII. annos praefuerit Moesiae. Sabinus Moesiae praepositus vivo Augusto a. u. 763.; addita est Macedonia et Achaia a. 768. Adhuc praeerat a. 779. Macedoniae et Achaiae, 4, 46., sed Moesiae Pomponius Labeo, fortasse sub Sabino; nam eius iussu legionem duxit in Thraciam item a. 782., ut patet e 5, 10. Unde iam anni XIX. efficiuntur. Quando ex istis provinciis Romam redierit, non traditur. Tacito autem credo, hoc ipso anno in provincia mortuum esse, quod probabile fit ex 1, 80. et clarum est e Dione l. l. Ern. — *neque supra erat*] neque enim eminentes virtutes sectabatur Tiberius. 1, 80. Walth.

40. *Eo anno*] Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum, qui damnati occisique. Lips. Doederlein defectum statuit post *L. Aruseius*; sed res est prorsus incerta. — *neque - - advertebatur*] nullus iam animum advertebat ad solita damnatorum supplicia; verum omnium animos perculit modus inauditus, quo Vibulenus vitam finivit. Strangulationem illam omittens mance Dio 58, 21: *Οὐιουίλιός τις Ἀγρίππας ἱππεὺς φάρμακον ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἐκ δακτυλίου ῥοφήσας ἀπέθανε.* — *laqueo vexatae*] quasi elisae, maxime, ut publicatis bonis sepultura prohiberetur; praeterea atroci hoc facto accusatores praemia sua adipiscebantur. Cfr. Cap. 29. — *Tigranes*] De hoc Tigrane diverso ab eo, qui memoratur 2, 3., haec habet Iosephus Antiq. 18, 5, 4: *Ἀλεξάνδρῳ τῷ Ἡρώδου παιδὶ τοῦ βασιλέως, τῷ ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀνῃρημένῳ, Ἀλέξανδρος καὶ Τιγράνης ἐγεγόνεισαν υἱεῖς ἐκ τῆς Ἀρχελάου τοῦ Καππαδόκων βασιλέως θυγατρός. Καὶ Τιγράνης μὲν βασιλεύων Ἀρμενίας, κατηγοριῶν αὐτοῦ ἐπὶ Ῥώμης γενομένων, ἄπαις ἐτελεύτα.* Ex Tillemontii coniectura (*Histoire des empereurs.* Paris 1720. I. p. 602.) hic Tigranes, nepos Archelai Cappadociae regis et apostata religionis Iudaicae, fuit rex Armeniae minoris. — *C. Galba*] frater est illius, qui postea princeps. Suet. Galb. 3: *Caius attritis facultatibus urbe cessit prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit.* — *convulsa*] domo, (ut 12, 1. et 65.) oppresso Seiano, cuius Iunius Blaesus fuerat avunculus 3, 35. Alter huius, cuius aliquoties mentio apud Tacitum, frater videtur; filius certe demum sub Vitellio periit. Hist. 3, 38.

Galba tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus: Blaesis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa distulerat, tunc ut vacua contulit in alios. quod signum mortis intellexere et exsecuti sunt. et Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insectata, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripitur ob servum adulterum; nec dubitabatur de flagitio. ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

(41) Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit, locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus, a Vitellio praeside Syriae cum quattuor milibus legionariorum et delectis auxiliis missus,

1. *sacerdocia* M. — 5. Habet *insectata* M. Ante Bekkerum edebant *insecuta*. — *intestabiles* M. — 9. *cietarum* M. Emendavit Lipsius. — Habet *Cappadoci* M, non *Cappadociae* Beroaldi. — 12. *M.* M: *Marcus* B. — *Syriae* M: *Suriae* B.

Ryckius quidem hosce Blaesos facit avunculi Seiani filios. — *Druso*] Germanici filio, qui periit a. 786. Cap. 23. — *rettuli*] in parte Annalium deperdita Lib. V., ubi triennii defectus. — *pater Lepidus*] mortuus paucis annis ante. Cap. 27.

41. *Clitarum natio*] ad oram maritimam Ciliciae Tracheae. Cfr. 12, 55. — *Archelao*] Quem interpretes pro Archelai Cappadocis a. 770. mortui (2, 42.) filio habent. Difficultatem quidem huius loci demonstravit nec tamen solvit Viscontius *Iconogr. gr.* II. p. 239: *Tacite paroît faire mention d'un roi Archélaüs, qui l'an 36 de l'ère vulgaire, commandoit aux Clites, montagnards du Taurus; et l'abbé Brotier ne fait aucune difficulté de reconnaître ce prince comme un fils d'Archélaüs, roi de Cappadoce, et successeur d'Ariarathe X. Néanmoins l'existence de ce personnage me paroît encore incertaine. Tacite parle à la vérité, à cette année, de la réduction des Clites à l'obéissance, peuples qui avoient été sujets d'Archélaüs; mais il ne s'ensuit pas de ce récit que les Clites fussent gouvernés par Archélaüs à l'époque dont il parle. Ce que l'historien ajoute que les troupes du roi n'avoient pu les soumettre, peut également se rapporter à un temps antérieur, et on a pu désigner par cette phrase les troupes cappadociennes autrefois à la solde de leur prince. Il paroît que la cause de la sédition de ce peuple étoit, qu'accoutumé à être gouverné par des rois, il ne vouloit pas s'assujettir au régime des provinces romaines. Enfin, si cet autre Archélaüs a réellement existé, il a pu être un prince de la même famille, sans être pour cela un fils du roi Archélaüs, mort à Rome l'an 17 de l'ère vulgaire.* — At cum Taciti verba *contra imbelles regis copias* clare comprobent illo tempore regem exstitisse Archelaum: — nequaquam enim si quae forte tum supererant reliquiae exercitus Archelai mortui XIX. ante annis, has *regis copias* appellasset sanus scriptor — : in Hiselyi Hist. Cappadociae p. 223. sententiam concedamus necesse est, qui adhibito loco Strab. 14. p. 671., ubi narratur, cur Archelaus maior ab Augusto ad Cappadociam acceperit asperam Ciliciam, maxime ut ibi praesens latrocinia, quibus illa regio continuo infestabatur, facilius coërceret, inde colligit: «Similis autem causa valere potuit, ut Cilicia aspera deinceps Archelao minori committeretur.» Iam vero, utrum hic filius, an nepos fuerit Archelai maioris, an denique alio propinquitatis gradu illum attigerit, id pro certo exputari nequit. Ceterum Tacitus docet Clitarum quoque tractum ut Cappadociam in provinciae formam redactum esse omnibus in rebus, quae ad census tributaque pertinerent, quae seditionis causa exstitit. Ex his autem vectigalibus regulo, quo aulam ac milites sustentaret, a Romanis annuam pensionem solutam esse consentaneum est.

duos collis quos barbari insederant (minori Cadra, alteri Davara nomen est) operibus circumdedit, et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coëgit.

At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam Parthica oppida recepit, certantibus gaudio qui Artabanum Scythas inter eductum ob saevitiam exsecrati come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. (42) plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, saepta muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus; sua populo vis. et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit. id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus, et quos recens aetas largius invenit; simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. mox consultans quonam die sollemnia regni capesse-

6. *parthico* M. — *arcabanum* M. — 9. *septa* M et B. — 11. *quoties* h. l. M. — *spernuntur* M. Correxit Rhenanus. — 13. *oms* cum lin. M. — 17. *materne* M. — 18. *degenere* M. — 19. *sollemnia* M : *sollennia* B.

— *ferro*] per zeugma elice ex seqq. «domuit,» aliis caesis, aliis captis. — *Nicephorium*] urbs Mesopotamiae, Alexandri M. iussu condita, ubi Bilecha fl. in Euphratem influit. — *Anthemusiada*] Plinio 6, 26: *Anthemus*, *untis*, item Mesopotamiae urbs Euphrati ad Orientem, Edessae ad Occidentem. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 628. — *Macedonibus sitae*] ut 2, 7: *aram* (a) *Druso sitam*. — *Halum*] oppidum a Tacito solo memoratur hoc Apolloniatidis regionis Assyriae. — *Artemitum*] Strabo 16. p. 744: *Ἀσσυρίας πόλις ἀξιόλογος, διέχουσα πενταχοσίους τῆς Σελευκείας σταδίους, πρὸς ἕω τὸ πλέον*. — *come*] mite et excultum educatione, qua Romae obses usus erat.

42. *in barbarum*] adverbialiter pro: in barbaros mores, *εἰς τὸ βαρβαριχὸν διεφθαρμένη, ἐκβαρβαρωθεῖσα*. (Isocr. Euag. 20.) — *retinens*] Seleuci Nicatoris non solum gratam memoriam, sed etiam mores Graecanicos. — *ex suo usu*] suum ad commodum. — *iuxta libertatem*] prope abest a libertate; *ἀριστοκρατία* vero simillior est regum dominationi omnia suo arbitratu ac pro lubitu moderantium. Thucyd. 3, 62: *ἐγγυτάτω τυράννου δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν*. — *materna origine*] De eius matre nihil constat. Cfr. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 98. Fuit procul dubio filius filiae regis megistani alicui vel sceptucho in matrimonium datae, ac postea Arsacidis paterno huius stirpis sanguine ortis ideoque ex toto legitimis aequiparatus, ut Iugurtha Adberbali atque Hiempsali, unde 2, 3. sine errore dici poterat *Arsacidarum e sanguine*. Ryckius quidem probabat Pichenae et Freinshemii coni. *paterna*. Verum ut solvas difficultatem ab illo motam: «Oppositio non satis constat, quod fuerit per matrem ex gente Arsacidarum, sed degener:» locum sic explica: «origine (etsi materna dumtaxat) Arsaciden, sed, quod ad mores attineat, prorsus degenerem.» Sic neque obest illud, quod praeterea Cod. lectioni idem opponit: «matres apud Parthos neque dabant neque auferebant nobilitatem, ut patet in Vologese ex pellice Graeca nato 12, 44.» Etenim Vologesis pater erat rex; Artabani unus dumtaxat de sceptuchis. Adde

ret, litteras Phrahatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas obtinebant, accipit, brevem moram precantium. placitumque opperiri viros praepollentis, atque interim Ctesiphon sedes imperii petita. sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit. (43) ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. nam Phrahates et Hiero, et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesen, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. isque in Hyrcanis repertus est, inluvie obsitus et alimenta arcu expediens. ac primo tamquam dolus pararetur, territus, ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevatur animum, et quae repentina mutatio exquirit. tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, neque penes Arsaciden imperium, sed inane nomen apud inbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo. (44) sensit vetus regnandi falsos in amore odia non fingere. nec ultra moratus, quam dum Scy-

1. *phraatis* M. — *praefecturis* M. — *optinebant* M. — 2. *operiri* M. — 3. *C. Tesipho* (o cum lin.) M. — 4. *exdim* (sic) M. — *adpr.* M: *appr.* B. — 5. *tiridan* M. — 6. *oms* cum lin. M. — 7. *adsidendo*] *adsitendo* M, *assidendo* B. — *paelices* M. — 8. *exsuendi* M. — *phraates* M. — 9. *haud*] *haci* M. Emendavit Pichena. — 10. *abdacaesen* (non *abdacesen*) M. — 11. *inl.* M: *ill.* B. — 15. Habet *Arsaciden* M. Ante Bekkerum edebant *Arsacidem*. — *inb.* M: *imb.* B. — 16. *abdagaesis* M. — 17. *quam tum* M, ex quo Beroaldus cum fecisset *quantum*, correxit Rhenanus.

ex Walthero: «Ceterum alia etiam sunt indicia Artabanum materna origine fuisse Arsaciden. Nam 2, 3. ipse dicitur *apud Dahas adultus*. Iam qui potuit apud Dahas adolescere, nisi matre principi viro apud Dahas matrimonio iuncta? Pono secundum locum 6, 36: Artabanus *Hyrcanis Caramaniisque per affinitatem innexus erat*. Quae affinitas nonne monstrat alienam a puris Arsacidis originem?» — *Ctesiphon*] Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 612. Ut Herodianus ait 3, 9: *ἔνθα ἦν τὰ βασίλεια τοῦ Παρθυαίου*. Ea urbs sive pagus potius vicinus Seleuciae. Strabo 16. p. 743: *Πλησίον δ' ἔστι κώμη Κτησιφῶν λεγομένη, μεγάλη. ταύτην δ' ἐποιοῦντο χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς*. Plinius 6, 30: *Ctesiphontem iuxta tertium a Seleucia lapidem in Chalonitide condidere Parthi*. Et conditorem eius Vardanem regem facit Ammianus 23, 6. Pugnat tamen iis Procopius Bell. Pers. 2, 28: *ἐν Ἀσσυρίοις, οὗ δὴ πολίσματα δύο Σελεύκειά τε καὶ Κτησιφῶν ἐστι, Μακεδόνων αὐτὰ δειμαμένων, οἳ μετὰ τὸν Φιλίππου Ἀλέξανδρον Περσῶν τε ἦρξαν καὶ τῶν ταύτῃ ἐθνῶν*. — De urbis huius situ et duplici munitissima arce lege Gregorium Naz. Orat. 4. in Iulianum. Lips. — *Surena*] Nomen dignitatis et quidem proximae a rege apud Parthos, *Grosswesir*; cuius mentio apud Strab. 16. p. 747. Plutarch. in Crasso C. 56. et 59. Zosim. 3, 15. Ammian. 24, 2: *Surena post regem apud Persas promeritae dignitatis*. coll. 30, 2: *Surena potestatis secundae post regem*. Atque haec quidem communis est opinio, quam ex Mose Chorenensi refutare conatus est St. Martin. Vide Excursum.

43. *oppressa*] *Ἀναλόγως* ad tempus v. *cadebant* hic supple *erat*; nec vero legendum cum Freinshemio prave sublata ὑποθέσει *oppressa - dubitatione omnes*. — *adsidendo*] otiose apud illud castellum tempus terendo sine oppugnatione, neque ullis machinis turribusque constructis, ut 4, 58: *moenia urbis adsidens*. — *exeundi pacta*] ut dicitur migrare leges. — *expediens*] venatu sibi parans, ut Suet. Iul. 4: *expedire pecunias*.

44. *vetus regnandi*] cfr. Cap. 12. — *falsos in amore*] eosdem, qui falsi prius

tharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum paenitentiam; neque exuerat paedorem ut vulgum miseratione adverteret. non fraus, non preces, nihil omissum quo ambiguos inliceret, prompti firmarentur. iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius, quem rursum foveant. verum Abdageses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus et quas dux Romanus misisset fortunam tentarent. ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagesen et Tiridates ignavus ad pericula erat. sed fugae specie discessum; ac principio a gente Arabum facto ceteri domos abeunt vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.

(45) Idem annus gravi igne urbem adficit, deusta parte circi quae

2. *exsuerat* M. — Habet *paedorem*, non Beroaldi *pedorem*, M. — 3. *pces* cum lin. *(praeces)* M. — *inl.* M: *ill.* B. — 4. *adventabant* M. Correxit Beroaldus. — 5. *percussus* M. Correxit Rhenanus; *percussus*, etsi non deterius videtur Doederleinio, hic locum omnino non habet. — 6. *praelium* h. l. M; aliis tantum non omnibus *proelium*. — 7. *iteneris* M. — 9. *abdagaesis* (sic) M. — 10. *elymeisque* M. — 12. *temptarent* M. — 13. *abdagaesen* M, constanter; servavi alteram scripturam *Abdageses*, propter analogiam nom. *Vologeses*. — *atpericula* M. — 14. *a gente*] *agenti* M. — 15. *in irastra* M. — *Syriam* M: *Suriam* B. — 16. *oms* cum lin. M. — 17. *adf.* M: *aff.* B.

fuissent in amore erga Tiridatem simulando, nunc re vera odio in eum exarsisse. — *paenitentiam*] iteratam defectionem. — *propinqua - adventabat*] Curtius 4, 8, 1: *Mareotin paludem - - venit.* 6, 6, 36: *Drangas pervenit.* — *coaluisse*] concordes inter se et ex animi sententia ad obsequium Artabano praestandum promptos. — *in Syriam*] provinciam Romanam, in quam exiguus tantum comitatus *(pauci)* sequi eum poterat, nequaquam vero tota priorum asseclarum multitudo; adeoque *omnes*, qui eum reliquerant, non iam proditorum loco haberi poterant atque ideo ignominia infidelitatis exsoluti erant; necessitate enim se a prosequendo rege suo impeditos esse causari poterant.

45. *gravi igne*] Idem et eodem modo tradit Dio 58, 26. Sed Suet. Tib. 48. existimatur dissentire montem Caelium nominando pro Aventino. Frustra. Tum quoque pecunias tribuit, cum Caelius deustus est. Vide 4, 64. Alteram autem hanc munificentiam Suetonius praetermisit. Ern. — *insularum*] Festus Müll. p. 111: *Insulae dictae proprie aedes, quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur; a similitudine videlicet earum terrarum, quae fluminibus ac mari eminent suntque in salo.* — *Augusto*] Cfr. Vellei. 2, 130. Dio 57, 10: *αὐτὸς οὐδὲν τὸ παράπαν ἐκ καινῆς πλὴν τοῦ Αὐγουστείου κατεσκευάσατο.* Suet. Tib. 47. Cal. 21., qui leviter dissentit. Ille enim semiperfecta opera fuisse ait, quae Tacitus perfecta. Lips. (Neque tamen *dedicata*; qui ritus ad perfectionem requiri visus esse videtur Suetonio.) — *contemptu ambitionis*] H. l. est fluxus ille et caducus favor popularis, splendida illa dedicationis caerimonia conciliatus; contra C. 46: *illi non perinde curae gratia praesentium quam in posterum ambitio*, est studium perpetuae apud posteritatem gloriae; nulla igitur inter hos locos contradictio, ut rati sunt nonnulli. —

Aventino contigua, ipsoque Aventino. quod damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis. milies sestertium ea munificentia conlocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus. ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta, contemptu ambitionis an per senectutem, haud dedicavit. sed aestimando cuiusque detrimento quattuor progeneri Caesaris, Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque nominatione consulum P. Petronius. et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in principem honores. quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem. neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius C. Pontius, magistratum occepere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris numquam sibi neglectam acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei rettuli, uxorem suam Enniam imitando amore iuvenem inlicere pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. nam etsi commotus

2. *pciis* cum lin. M. — *ea*] *in* M. Sed *ea* mg M. antiqua manu, quae voluisse videtur: *ea in munificentia*. Ceterum *ea munificentia* iam Beroaldus. — 3. *conl.* M: *coll.* B. — 6. *hau* M. — 7. *CN.* (sic) M: *Gnaeus* B. — 8. *M.* M: *Marcus* B. — *rurellius* M. — 9. *P.* M: *Publius* B. — *cuius* M. Correxit Beroaldus. — 10. *omiserat* M. — 11. *consulis* M. — *CN.* M: *Gnaeus* B. — 12. *C.* M: *Gaius* B. — 13. *C.* M: *Gai* B. — *numquam* M: *nunquam* B. — 15. Habet *imitando* M, sed *immittendo* mg. M, ut ante Bekkerum omnes edebant. — *amore* cum lin. *(amorem)* M. — *inl.* M: *ill.* B. — *pactoque* *M.* *patrimonii* M. (sic: non, ut traditur apud Bekkerum, *pactoque m. patrimonio.)* — *vincere* M. Correxit Beroaldus.

quattuor progeneri] Ex his Blandus Iuliae Drusi filiae, Tiberii neptis coniux, solus fuit natura progener, ceteri adoptionis iure; Domitius Agrippinam, Longinus Drusillam, Vinicius Iuliam sive Livillam Germanici filias uxores duxerant. Brot. — *P. Petronius*] 3, 49. — *post mortem Claudiae*] Iuniam Claudillam, M. Silani filiam vocat Suet. Cal. 12. eamque decessisse ex partu narrat. Philo Legat. ad Caium 9: *ὠκυμόρου τῆς θυγατρὸς* (Silani) *ἀποθανούσης*. Contra Dio 59, 8: *τὴν θυγατέρα* (Silani) *ἐκβαλὼν ἔγημε Κορνελίαν Ὀρεστίναν*. — *rettuli*] Cap. 20. — *imitando*] simulando, ut 1, 24: *quamquam maestitiam imitarentur*. Magnas olim turbas excitarat falsissima marg. lectio *immittendo*, temere excogitata propter Medicei lect. *amore* cum lineola. — *pactoque*] Culpam uni Macronis coniugi tribuit Philo Legat. ad Caium 6: *Ὁ Μάκρων τὴν διαφθορὰν μὲν τοῦ γάμου καὶ τῆς οἰκίας ἀγνοῶν, τὴν δὲ κολακείαν τῆς γυναικὸς εὔνοιαν ἀκραιφνεστάτην εἶναι νομίζων, ἀπατᾶται καὶ λανθάνει τοῖς στρατηγήμασι τοὺς ἐχθίστους ὡς φιλτάτους προσιέμενος*. Neque abhorret Suet. Cal. 12: *Enniam Naeviam, Macronis uxorem - -, sollicitavit ad stuprum, pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisset, deque ea re et iure iurando et chirographis cavit*. Contra cum Tacito facit Dio 58, 28. et Excerpta Mali Vol. IX. Sturz. p. 90: *Μάκρων ἐς ἔρωτα τὸν Γάϊον τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς Ἐννίας Θρασύλλης προϋπῆκτο. ὅπερ καὶ ὁ Τιβέριος ὑποπτεύσας ποτέ, Εὖ γε, ἔφη, ποιεῖς τὸν δυόμενον καταλιμπάνων καὶ πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα τρέχων*. (A. u. 791. Caligula teste Dione 59, 10: *τὸν Μάκρωνα μετὰ τῆς Ἐννίας, μήτε τοῦ ταύτης ἔρωτος, μήτε τῶν ἐκείνου εὐεργετημάτων, δι' ὧν τά τε ἄλλα καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῷ μόνῳ συγκατέπραξε, μνησθεὶς, ἐς ἑκουσίου δὴ θανάτου ἀνάγκην κατέστησε*.) — *commotus*] Ut 1, 33: *Agrippina paullo commo-*

ingenio simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. (46) gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda re publica primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus, Germanici filio robur iuventae, vulgi studia, eaque apud avum odii causa. etiam de Claudio agitanti, quod is conposita aetate bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit. sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat. quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit, iactis tamen vocibus per quas intellegeretur providus futurorum. namque Macroni, non abdita ambage, occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit. et C. Caesari forte orto sermone L. Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit. simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus conplexus, truci alterius vultu, «occides hunc tu» inquit, «et te alius.» sed gravescente valitudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans, solitusque eludere medicorum artes atque eos qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

(47) Interim Romae futuris etiam post Tiberium caedibus semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, maie-

5. *aput* M. — *conp.* M: *comp.* B. — 6. *arcium* M. — 13. *C.* M: *Gaio* B. — *L.* M: *Lucium* B. — *inr.* M: *irr.* B. — 15. *conpl.* M: *compl.* B. — 16. *inquid* M. — 22. *laetius* M. — *P.* M: *Publii* B. — *uxorim* M.

tior. Cic. Brut. 34: *patronus paullo fervidior atque commotior.* Ac similiter Caligula Hist. 4, 48. vocatur *turbidus animi.*

46. *gnarum hoc*] consilia et artes intelligit Gaii et Macronis. — *Druso genitus*] Tiberius. 2, 84. Dio 58, 23. — *conposita aetate*] eadem significatione Graeci *ἡ καθεστηκυῖα ἡλικία* (Thucyd. 2, 36.), *das gesetzte, mittlere Alter.* Cic. de Sen. 20, 76: *constans aetas, quae media dicitur.* Erat autem tunc XXXII. annos natus. — *occidentem*] Verba Dionis supra attulimus. Gloria acuti dicti penes Pompeium, qui, cum Sulla ei triumphum abnegaret, *ἐννοεῖν ἐκέλευεν αὐτόν, ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δυνόμενον προσκυνοῦσιν, ὡς αὐτῷ μὲν αὐξανομένης, μειουμένης δὲ καὶ μαραινομένης ἐκείνῳ τῆς δυνάμεως.* Plut. Pomp. 14. Lips. — *occides*] Dio l. l. et Exc. Maii Vol. IX. p. 89: *Διαπληκτιζομένου ποτὲ Γαΐου καὶ Τιβερίου τοῦ ἐκγόνου ἔφη πρὸς τὸν Γάϊον ὁ πάππος Τιβέριος, Τί σπουδάζεις; καὶ σὺ τοῦτον φονεύσεις, καὶ σὲ ἄλλοι.* (De utriusque caede v. imprimis Philonem in Leg. ad Caium 4. et 5., tum Suet. Cal. 23. et 58. Tiberium Caius interfici iussit iam primo imperii anno.) — *in patientia*] dolores fortiter celans. «Dum valetudinem sive morbum patitur vel mediis in doloribus valere se simulat.» Simplicissima haec est *patientiae* notio, quamquam rarissima; nam plerumque admixta est *constantiae* significatio, qua quis mala non *patitur* solum, *πάσχει*, sed etiam *perpetitur*, *τολμᾷ*. Sen. Ep. 78: *Tolerabilis est morbi patientia, si contempseris id quod extremum minatur.* Et 82: *Devorata unius mali patientia.* Dorb. ex Rothio ad Agr. p. 120. (Non debebant tamen huc trahere Ann. 6, 1: *multiplici patientia*, cuius sensus est mere obscoenus.) — *eludere*] Cfr. Suet. Tib. 68. Plut. de San. Praec. 24: *Ἤκουσα Τι-*

statis postulaverat; qua damnata cum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei intercessit. unde illis odia, mox Othoni exsilium. dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur inpietatis in principem; connectebantur ut conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. de claritudine Domitii supra memoravi: Marsus quoque vetustis honoribus et inlustris studiis erat. sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspicionem dabant invalido ac fortasse ignaro ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium. (48) igitur Domitius defensionem meditans, Marsus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam. Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis, non eadem omnibus decora respondit. sibi satis aetatis, neque aliud paenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed ut flagitiorum inpatiens. sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? an, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora

2. *ortho* (sic, non, ut est apud Bekkerum, *artho*) M. Mox *othoni*, non *athoni*, ut est apud Bekkerum. — 3. *exil.* M. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — 5. *conect.* M. — *Cn.*] *C. N.* M, *Gnaeus* B. — 6. *L.* M: *Lucius* B. — 7. *inl.* M: *ill.* B. — 8. *praesidiis se* M. — 9. *suspitionem* M. — 12. *inaediam* M. — 15. *periculria* M teste Baitero, non *pericularia*, ut narrat Pichena. — 17. *inp.* M: *imp.* B. — *supma* (sic) cum lin. M. — 19. *C.* M: *Gaium* B.

βέριόν ποτε Καίσαρα εἰπεῖν, ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, καὶ προτείνων ἰατρῷ χεῖρα, καταγέλαστός ἐστιν· ut talia dicta variari solent.

47. *Acutiam*] Heinsius corruptum putabat nomen; sed Acutii et Acutiae complures sunt apud Gruterum atque Muratorium. — *P. Vitellii*] 1, 70.: Pisonis accusator 2, 74. Se ipse interfecit 5, 8. — *illis odia*] id est, ipsis inter sese; quae Balbus exsecutus est accusando et damnando Othonem. Gron. — *Satrio Secundo*] Ille idem est, qui 4, 34. cliens Seiani, et nunc, ut apparet, eius eversor. Lips. Ryckius ad C. 8. suspicatur ab eo coniurationem Antoniae patefactam, quod ipse aut nollet aut non posset principem adire. Ern. Sic bene se habet, quod Iosephus A. 18, 6. scribit per Antoniam indicium factum. Ob. — *et adulteri*] «id est, etiam adulteri» explicant inde a Walthero. Atqui ita significaretur hos tres reapse fuisse Acutiae adulteros. At vero fictum erat crimen, manifesto certe in L. Arruntio; quocirca simpliciter explicarim «adulterique.» Veri enumerantur Cap. extr. — *Vibius Marsus*] 2, 74. 79. 4, 56. Syriae legatus 11, 10. — *L. Arruntius*] 1, 13. 4, 7. — *supra*] 4, 75. — *studiis*] eloquentiae. — *praesedisse*] Macro testes interrogabat, servos tormentis afficiebat non ex senatus auctoritate, sed e sua et Tiberii voluntate. Quae extorserat et testimonia illa ad senatum mittebantur in commentariis designata, quasi re satis explorata et ad sententiam ferendam praeparata. Dio 58, 24: *ἀφείϑη μὲν γὰρ τῶν αἰτιαϑέντων τότε οὐδείς, πάντες δ' ἡλίσκοντο, οἱ μὲν πλείους ἐκ τῶν τοῦ Τιβερίου γραμμάτων καὶ ἐκ τῶν τοῦ Μάκρωνος βασάνων κτλ.* Walth. Iniquissimum hunc procedendi modum indignatur Tacitus.

48. *convulsus*] prorsus abalienatus ab

capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus, plura per scelera rem publicam conflictavisset. prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia. haec vatis in modum dictitans venas resolvit. documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu a semet vulnerata, iussu senatus in carcerem fertur. stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur, id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

(49) Isdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, iacto in praeceps corpore. causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea quorum effugium nonnisi morte inveniret. igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, luctumque communem et magis inbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

(50) Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat. idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quaesita interdum

1. *capesit*. M. — 5. *inr*. M: *irr*. B. — *a*] *ac* M. — 6. *grasidius* M. Emendavit Ernestius. — *pret*. M. — 7. *deportatur* M. — 8. *aedem paene* M. — 11. *Sex*. M: *Sextus* B. — 13. *ads*. M: *ass*. B. — 15. *patris* M. Correxit Rhenanus; frustra defendit Doederlein. — 16. *inb*. M: *imb*. B. — 17. *ducem* M. — 18. *iuvente* M. — 19. *tiberum* M.

honestate ac virtute et penitus corruptus. — *Carsidius*] 4, 13.

49. *consulari familia*] filius igitur fuit Sex. Papinii Allieni, qui cos. anno superiore. C. 40.; neque vero in Fastis ullus alius Papinius memoratur. — *informem*] ignominiosum, ut eorum, qui suspendio se perimebant aut in profluentem sese praecipitabant; honesti vero exitus ferro, venis resolutis, veneno, inedia. — *in praeceps*] Haud dubie e cubiculo per fenestram, ut 4, 22. Silvanus Aproniam. — *repudiata*] iam diu relecta a filio casto, ac tamen identidem eum sollicitans, et ad incestum *perpellens*, tantum non cogens, donec sibi mortem consciceret. — *patrum*] Optime sic correxit Rhenanus Cod. *patris*, Sex. Papinii; quid enim, quaeso, eam iuvisset venia a coniuge solo impetrata? Tam mitis autem fuit poena huic feminae imposita partim quia crimen illud illecebrae ad incestum pro certo probari nequibat, partim quia tota res principem non attingebat. — *Luctus communis* est, quem omnes parentes in liberorum morte capiunt; sequitur dein de praecipuo feminarum et matrum. Ern. (Iusta igitur defensione omissa, miserationem dumtaxat movere conabatur.) — Mox *alia in eundem dolorem* dicta, ut 11, 3: *verba in eandem clementiam*. Ern. — *diu ferret*] «multis verbis proferret»; verbum simplex pro vulgari composito, ut saepe apud Tacitum. 15, 46: *vetera mala rumoribus ferente populo*. 16, 2: *populus tulere*. Vana igitur est Lipsii suspicio *differret*, vana Boxhornii atque Heinsii *dissereret*. — *minor filius*] ut Ryckio videtur, *Sex. Papinius, cui pater erat consularis*, a Caligula cum aliis senatoribus et equitibus Romanis animi causa flagellis caesus. Seneca de Ira 3, 18. — *lubricum iuventae*] corruptioni obnoxiam iuventam, ut 13, 2: *lubrica aetas*.

50. *villa*] De qua Plut. in Mario 34. Ed. Sint.: *ἣν περὶ Μισήνους τῷ Μαρίῳ πολυτελὴς οἰκία τρυφὰς ἔχουσα καὶ διαίτας θηλυ-*

comitate quamvis manifestam defectionem tegebat. mutatisque saepius locis tandem apud promontorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare supremis tali modo compertum: erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valitudines principis solitus, consilii tamen copiam praebere. is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii, manum complexus pulsum venarum attigit. neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet, discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. inde cuncta conloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. XVII. kal. Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse. et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandae defectioni cibum adferrent. pavor hinc in omnes; et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere; Caesar in silentium fixus a summa spe novissima exspectabat. Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet, discedique ab limine. sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo aetatis anno. (51) pater ei Nero, et utrimque origo gentis Claudiae, quamquam mater in Liviam et

1. *manifestum* M. — *sepius* M. — 2. *promunturium* M. — *L.* M: *Lucius* B. — 3. *adpr.* M: *appr.* B. — 11. *conl.* M: *coll.* B. — *pres.* M. — *nunciis* M. — 12. *XVII. kal.* M: *septimo decimo calendas* B. — 13. *gratantum* M: *gratantium* B. — *C.* M: *Gaius* B. — 14. 15. *adf.* M: *aff.* B. — 16. *nescium* primâ litterâ evanidâ M. — 20. *utrimque* M: *utrinque* B.

τέρας ἢ κατ' ἄνδρα πολέμων τοσούτων καὶ στρατειῶν αὐτουργόν. Ταύτην λέγεται μυριάδων ἑπτὰ ἡμίσους Κορνηλία πρίασθαι· χρόνου δ' οὐ πάνυ πολλοῦ γενομένου, Λεύκιος Λεύκολλος ὠνεῖται πεντήκοντα καὶ διακοσίων κτλ. Cfr. Phaedr. Fab. 2, 36. — *Charicles*] De hoc Galenus de comp. med. 9, 2. — *regere valitudines*] Suet. Tib. 68: *Valetudine prosperrima usus est . . ., quamvis a tricesimo aetatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adiumento consilioque medicorum.* — *officii*] Rem ita narrat Suet. Tib. 72: *Chariclem medicum, quod commeatu abfuturus, e convivio egrediens, manum sibi osculandi causa apprehendisset, existimans tentatas ab eo venas, remanere ac recumbere hortatus est coenamque protraxit.* — *neque fefellit*] latuit, nam Tiberius eius consilium perspexerat. Cfr. 4, 45. de Pisonis interfectore: *neque diu fefellit.* — *XVII. Kal. Aprilis*] Consentit Suet. Tib. 73. At Dio 58, 28: *μετήλλαξε τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ*, id est, VII. Kal. April. — *mortalitatem explevisse*] «necessarium hominum mortalium fatum obisse,» posterioris Latinitatis euphemismus, cuius similes complures ex ICtis collegit Dirksen in Manuali v. *Mortalitas.* — *novissima*] ultimum supplicium. — *finivit*] Suet. Tib. 73: *Seneca eum scribit, intellecta defectione, exemptum anulum digito et compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem; subito vocatis ministris ac nemine respondente, consurrexisse nec procul a lectulo, deficientibus viribus, concidisse.* Cfr. praeterea Suet. Cal. 12. — *octavo et septuagesimo*] Natus erat XVI. Kal. Decembr. a. 712. (Suet. Tib. 5.) Aurel. Victor. Epit. 2: *obiit post septuagesimum octavum annum et mensem quartum.* Dio l. l.: *ἐβίω ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας τέσσαρας καὶ ἡμέρας ἐννέα*, ex sua scilicet ratione.

51. *mater in Liviam*] Non quod ipsa adoptata sit, sed quod pater. Et tamen

mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. casus prima ab infantia ancipites. nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Gaius Luciusque Caesares viguere. etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. sed maxime in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia, inpudicitiam uxoris tolerans aut declinans. dein Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti obtinuit. morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.

1. *transierat* malebat Ernestius. — 2. *exsul* h. l. M. — 4. Habet h. l. *Gaius Luciusque* omnibus litteris M. — 6. *indicitiam* M. Correxit Beroaldus. (*impudicitiam* B.) — *dein* M: *deinde* cum Oberlino Bekkerus, Ritter, Doederlein. — 7. *principes* M. — 9. *qua ad* M. — 12. *obiectis* M.

transisse in Liviam gentem dici potest, ut Tiberius apud Suet. Cap. 3. insertus ei dicitur. Cfr. Ann. 5, 1. Ern. — *proscriptum patrem*] a. u. 714. Cfr. 5, 1. Velleius 2, 75. — *tolerans*] Romae; declinavit, cum Rhodum secessit. Lips. — *vacuos principis penates*] mortuis Marcello, Agrippa, L. et C. Caesaribus; ut *inanis regia* C. 34. — *tribus ferme et viginti*] Sueton. l. l.: *obiit tertio et vicesimo imperii.* Dio l. l.: ἔτη μὲν δύο καὶ εἴκοσι, μῆνας δὲ ἑπτὰ καὶ ἡμέρας ἑπτὰ ἐμονάρχησε· ad quem l. v. Reimarum. — *egregium*] Vv. *egregium*, *occultum*, *subdolum* commode atque eleganter referri ad v. *tempus* docuimus Observv. 1, 2. Gron. (Scilicet Pichena voluerat *egregius* cet., Acidalius *egregio* cet.) — *Drusus*] Tiberii filius. — *intestabilis*] idem fere ac detestabilis, ut C. 40. et 15, 55. ex consuetudine iam Sallustiana in Orat. Lepidi p. 157. Ed. meae: *si peior atque intestabilior* (Sulla) *metu vestro fuerit.*

[illegible] Aug. 28. 1858.

EXCURSUS BURNOUFII
AD CAPUT XLII.

Surena patrio more cet.] *Tous les modernes ont cru, sur la foi de Zosime, que Suréna étoit un nom de dignité. M. Saint-Martin, dans ses savantes notes sur Le Beau (Histoire du bas empire) T. III. p. 79. réfute victorieusement cette erreur, et prouve, par le témoignage des auteurs arméniens, que c'étoit un nom propre. «Moïse de Khoren, dit-il, nous apprend L. II. c. 27. et 65.,* *) *qu'il existait en*

*) Ed. Whistonorum. Londini 1736. p. 129: C. 27. *Storia di Mosè Corenese, versione italiana illustrata dai monaci armeni Mechitaristi, ritoccata quanto allo stile da N. Tommaséo. Venezia 1841. p. 151: Abgaro, (re d'Armenia ai tempi d'Augusto) persuade i figliuoli d'Arsaviro (re di Persia) facciano pace, e segna il patto così: regnerebbe Ardasese co' posteri suoi siccome intendeva, e i fratelli di lui chiamerebbersi Bahlav dal*

Perse, du temps des Arsacides, une race puissante, qui n'était elle-même qu'une branche de la famille royale. Elle s'appelait Sourénienne, parce qu'elle descendait d'un certain Souren, frère du roi Ardaschès, qui n'est autre que l'Artaban III. des Grecs et des Romains. Il avait été réglé que cette famille tiendrait le premier rang dans l'état, après la branche royale et la famille Carénienne, autre division des Arsacides . . . . Il est donc clair qu'un nom de famille a été pris pour un titre. Cette erreur était d'autant plus facile à commettre que cette race possédait, à ce qu'il paraît, le droit héréditaire de couronner les rois, et que ses membres aimaient à prendre le nom de Souréna ou Souren. On confondit ainsi trois choses bien distinctes, la charge, la famille et l'individu. Les auteurs anciens nous font connaître quatre personnages de ce nom. Le premier, le plus illustre de tous, est le célèbre général des Parthes, qui, sous le règne d'Orodes, vainquit Crassus dans les plaines de Carrhes. **) *Il était, comme nous l'apprend Plutarque (in Vita Crassi) le premier après le roi par ses richesses, par sa naissance et par ses dignités . . . . Tacite nous fait connaître le second personnage du nom de Suréna: celui-ci en l'an 36 de J.-C., couronna roi des Parthes, selon l'usage de sa patrie, Tiridate, fils de Phrahates IV, compétiteur d'Artaban III. Pour les deux autres, ce sont ceux dont j'ai parlé d'après Ammien Marcellin et Zosime. Je remarquerai encore que la chronique de Malala et celle d'Alexandrie parlent toutes deux du premier de ces personnages, de manière à ne laisser aucun doute que Suréna ne fût son nom propre: ἕνα τῶν μεγιστάνων, ὀνόματι Σουῤῥαειναν, dit la première. L'autre s'exprime à peu près de la même façon: τινὰ τῶν μεγιστάνων, ὀνόματι Σουρέναν.» M. Saint-Martin ajoute que les auteurs arméniens nous donnent des renseignemens sur dix princes appelés Souren, qui tous étaient issus de la race des Arsacides, et en conséquence joignaient à leur nom celui de Balhav* (sic), *destiné à rappeler la commune origine des Arsacides, venus tous de Balh ou Balkh, dans la Bactriane.*

At, vere ut dicam, tota ista S. Martini ratio, qua Graecorum Romanorumque de Surenis testimonia conciliare vel potius artificiose permiscere cum Mosis narratione conatus est, haud nimis placet. Etenim cur tandem tertia gentis Arsacidarum familia, Sureniana, dignationem *potestatis secundae post regem* habuerit, ac non potius secunda, Gareniana? Atque Moses nihil prorsus de excelsiore Surenianorum gradu memorat. Nec vero multum tribuerim Burnoufii opinioni illius Surenae, qui Crassum oppressit, hoc nomen fuisse proprium, posteriorum, quos novimus, familiae potius sive stirpis.

---

nome della città loro, e dell' ampio e fertile lor paese, talchè la satrapia loro sia la più nobile e prima delle satrapie tutte di Persia, come di stirpe regia vera. Con patti e giuramenti è fermato che, estinta la linea maschile d'Ardasese, i fratelli di lui salirebbero al regno. E dopo la regnante stirpe d'Ardasese, i fratelli suoi son distinti in tre stirpi chiamate, la stirpe di Gareno Bahlav, di Sureno Bahlav e della sorella Gosm la stirpe Asbahabied Bahlav, così detta dal nome della signoria del marito.

**) *L'existence d'un Suréna, vainqueur de Crassus, ne contredit pas l'assertion de Moïse de Khoren, qui donne le frère d'Artaban III. pour l'auteur de la race Sourénienne qui florissait de son temps. Le premier pouvait très bien porter le même nom sans être de la même famille.* BURNOUF.

ANNALIUM

LIBER UNDECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. 3. Valerius Asiaticus a Suillio et Sosibio accusatus fraude Messallinae et Vitellii evertitur, et hilare moritur. 4. Somnium saevitiae causa. 5. In perfidiam advocatorum lex Cincia flagitatur. 6. 7. Praemiis pro patrocinio modus ponitur a principe.

8. Parthi discordant. Gotarzes pulsus vires reparat. 9. Pacem init cum Bardane. 10. Hic victor a suis caeditur.

11. Ludi saeculares. Domitius Nero destinatur imperio. 12. Messalina Silium deperit. 13. Claudius aliud agit. Leges fert. Novas litterarum formas vulgat. 14. De litterarum inventoribus. 15. Claudius haruspices firmat.

16. Italicus rex Cheruscis petentibus datur. 17. Mox de eo discordia gentis et bellum. 18. Rebellantes Chaucos Corbulo reprimit. Is severe agit in milites. 19. Frisios componit. Gannascum caedit. 20. Ardor eius a Claudio repressus. Fossam inter Mosam et Rhenum ducit. Insignia triumphi ei indulta. 21. Sic et Curtio Rufo. 22. Nonius perit. De spectaculo gladiatorum et quaestoribus.

23. 24. Galli civitatem plenam affectant et principe patrocinante 25. impetrant, et primo quidem Aedui. Patricii suppleti. Lustrum conditum.

26. Messalina amore vecors 27. Silio palam nubit. 28. Turbantur aulici. 29. 30. Narcissus per pellices rem defert. 31. Claudius trepidat. Messalina bacchatur. 32. Preces per Vestalem parat. 33. Narcissus principem nutantem incitat. 34. Preces amolitur. 35. 36. Sontium, in his Mnesteris, supplicium urget. 37. 38. Messalinam languente principe, dein ignaro, caedi curat.

Haec gesta annis fere duobus, C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messala; A. Vitellio, L. Vipstano coss.

** nam Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quondam adulterum eius credidit; pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillium accusandis utrisque immittit. ad-

Versamur iam in Med. altero. — 2. *ortis* M. — Habet *coeptos* M. (*emptos* mg. Cod. Harlei.) — 3. Habet *extollebat* M. (*excolebat* Puteol. et Rhen.) — Habet *Suillium* M. (*Suilium* Lips. Walth., sed duplici *l* est etiam Grut. 104, 6.)

1. ** *nam*] Desunt res annis circiter decem gestae et in his C. Caesaris (Caligulae) principatus in universum et primores anni sex Claudii. Quae primis Capp. XXII. traduntur, gesta sunt a. u. 800., quo consules fuere Ti. Claudius Caesar IV. L. Vitellius III. Cfr. Cap. 11.: *isdem consulibus*. Cfr. Suet. Claud. 14. ibique Oudend. et Ryckium ad h. l. — *Valerium Asiaticum*] Cfr. Dio 60, 27., ex quo tamen v. *nam* cuinam rei demonstrandae inservierit, conicere non licet. Doed. Ceterum is praetorianos Caligula interfecto tumultuantes compescuerat. Dio 59, 30. — *bis*] cos. suff. anni incerti sub Caio et cos. 799. Cfr. Baiteri Fastos. — *eius*] Poppaeae Sabinae, de qua 13, 43. 45. Filia fuit Poppaei Sabini, cuius mentio fit 6, 39., eademque mater Poppaeae Othonis et Neronis. — *credidit*] Messalina, Claudii uxor. — *coeptos*] *angelegt*. Plut. in Luc. 39: καὶ νῦν, ἐπίδοσιν τοιαύτης τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. Eorum maxime causa occisum esse Asiaticum testatur etiam Dio 60, 31. — *extollebat*] insigniores reddebat, ornabat. Sic 13, 21: *Baiarum suarum piscinas extollebat*. — *insignem* autem *magnificentiam* intellige potissimum de statuis, porticibus, gestationibus cet. — *Suillium*] Germanici fuerat quaestor 4, 31.; tandem in Baleares

iungitur Sosibius Britannici educator, qui per speciem benivolentiae moneret Claudium cavere vim atque opes principibus infensas; praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi Caesaris, non extimuisse contionem populi Romani, fateri, gloriamque facinoris ultro petere; clarum ex eo in urbe, didita per provincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennae multisque et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. at Claudius nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum praetorii praefectum misit; a quo repertus est apud Baias, vinclisque inditis in urbem raptus. (2) neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messalina coram, et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omni flagitio obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, ac postre-

1. *brittannici* M. — *beniv.* M: *benev.* B. — 2. *caueri* M. Emendatum est iam in Guelf. — 3. *cesaris* M. Malim *C. Caesaris*. — *contionem*, non *concione*, M: *concionem* B. — 5. Habet *didita*, non *dedita* (Spir.) M. — 6. Habet *quando* M. — *uienne* M. — 7. *habere* .,. (sic) M. (Emendatum in Guelf.) — *nichil* M. — 8. *tamquam* (ubique) M: *tanquam* B. — 11. Habet *Messalina* M, non *Messallina* Guelf. Walther. — 12. *poppe* M.

insulas pulsus est. 13, 43. — *Sosibius*] paedagogus libertus vel servus etiamtunc; interfectus postea ab Agrippina. Dio 60, 32. Cfr. 14, 3: *Anicetus libertus* - - (prius) *pueritiae Neronis educator*, quem *Neronis paedagogum* vocat Suet. Ner. 35. — *cavere*] Prorsus ut 13, 13: Neronem *orabant cavere insidias mulieris*. Cod. Med. scriptura *caveri* defendi non debebat; significaret enim simpliciter quasi per narrationem «alios nescio quos cavere sibi a vi cet.», neque ullo modo comparari poterat 16, 25: *placuit pertentari animum cohortis*. — *vim*] potentiam, ut 2, 60: *vi Parthorum*. Dio 60, 27: *ὁ δ' Ἀσιατικὸς ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλούτου, ὑφ' οὗπερ καὶ ἀπέθανεν*. — *praecipuum auctorem*] Manifesta exaggeratione utitur Sosibius, collato etiam Iosepho Ant. 19, 1, 20., qui minime dicit, ut vult Ernestius, Valerium inter coniuratos fuisse, sed ut Dio (vide infra) illum facinus perpetratum approbasse. Totam autem Chaereae coniurationem caedemque tyranni ibi fuse, immo verbosissime narrat scriptor Iudaeus, qui conferendus etiam est Bell. Iud. 2, 11. — *contionem populi Romani*] Invidiose hoc dictum de plebe tumultuante ac praetorianos circumstante, ut Hist. 3, 68. Dio 59, 30: *ἐπεὶ δὲ τὸ δορυφορικὸν ἐταράττετο καὶ διαθέοντες ἐπυνθάνοντο, τίς Γάϊον ἔσφαξεν, Οὐαλέριος Ἀσιατικός, ἀνὴρ ὑπατευκώς, θαυμαστὸν δή τινα τρόπον αὐτοὺς ἡσύχασεν ἀνελθὼν ἐς περιφανές τι χωρίον καὶ ἐκβοήσας, Εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν!* — *fateri*] «audere prae se ferre a se tunc habitam esse contionem quasi liberi rursus populi Romani.» — *gloriam facinoris*] coniurationis factae; siquidem caedem ipsam patraverat Chaerea contumelia, qua Caligula eum affecerat, acriter offensus: *Ille primus inter coniuratos manum sustulit; ille cervicem mediam uno ictu decidit*, ait Seneca de Const. 18., ubi haec item digna lectu de Asiatico: *Asiaticum Valerium in primis amicis habebat* (Caius), *ferocem virum et vix aequo animo alienas contumelias laturum. Huic in convivio, id est, in contione, voce clarissima, qualis in concubitu esset uxor eius, obiecit. Di boni, hoc virum audere, principem scire, et usque eo licentiam pervenisse, ut non dico consulari, non dico amico, sed tantum marito princeps et adulterium suum narret et fastidium! — didita*] Virg. Aen. 8, 132: *tua terris didita fama*, ut saepe Virgilianarum *φράσεων* memor est Tacitus. — *gentiles nationes*] facile et fere, ope necessitudinum, quae ei cum Viennensibus, popularibus suis, intercederent, et Gallos et vicinos Germanos ad defectionem sollicitare. — *Crispinum*] Vide de hoc 12, 42.

2. *neque data senatus copia*] Edd. ante Ern., item Walther et Ruperti haec pro ablat. absol. habent. Rectius distinxit Ernestius. — *Suillio*] Cfr. 4, 31. — *in omni flagitio*] quod Asiaticus commisisset vel

mum mollitiam corporis obiectante. ad quod victo silentio prorupit reus, et «interroga» inquit, «Suilli, filios tuos: virum esse me fatebuntur.» ingressusque defensionem, commoto maiorem in modum Claudio, Messalinae quoque lacrimas excivit. quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum sineret. ipsa ad perniciem Poppaeae festinat, subditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur cur sine uxore discubuisset, atque ille functam fato responderet. (3) sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius, commemorata vetustate amicitiae utque Antoniam principis matrem pariter observavissent, dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae

1. Habet *victo* M, non *indicto* librorum Lipsii. — 2. Habet *virum esse me* M, non *virum me esse* Bud. Spir. — 3. *maiore* M. — *messaline* M. — 5. *poppee* M. — 6. *subditos* M, Walther, Doederlein. Correctum est in Gueif. et a Puteol. Cfr. Ann. 4, 59. — 8. *percontaretur* M: *percunctaretur* B. — Habet *atque - - responderet* M. (*ad quod - - responderit* Heinsio auctore Oberlin.) — 9. Habet *consultanti* M, non *consultante* Harlei. Oberl. — 11. Habet *observavissent* M, non *observassent* (Spir.). — *percuri* M. Emendatum ceteris in Codd. et Spir. — *puplicam* M. — Habet *officiis* M, non *beneficiis* Puteol. — 12. *brittanniam* M. — *queque* M.

commissurus fuisset, h. e. in omnis flagitii occasione. Walth. Comparant 15, 14: *in crimine convicti*. 13, 36: *in contumelia detenti*. Plaut. Cas. 2, 8, 71: *tenere in noxa*. *In omne flagitium* volebat Rhenanus, quod significaret militum, non Asiatici, flagitia, quem Suillius insimulat pecunia et stupro illorum silentium redemisse. — *mollitiam corporis*] ut 15, 49., item 6, 24: *probra corporis*, de impudicitia, *unnatürliche Lüste*, quo item sensu Caligula Chaeream ut *mollem et effeminatum* deriserat. Suet. Cal. 56. — *victo silentio*] Destinatum fuerat Asiatico silentio ferre, quae obiectarentur. Silebat igitur et silentio vincebat cupiditatem respondendi. At postremo summa indignatione propter hoc mollitiae probrum exardescens prorupit in amarissimum illud dictum in Suillium huiusque filios a se constupratos aliquando, uti significat. Dureau de Lamalle: *ils te diront, si je suis une femme.* Cfr. 4, 8: *victo gemitu*. — *Vitellium*] imperatoris patrem. 6, 32. — *festinat, subditis*] *festinat subditos* cum M. Walther: sed *festinare* cum accusativo de rebus dicitur, non de personis. Ritter. — *Scipionem*] Publium, 3, 74. 12, 53. Consul fuit a. u. 810. 13, 25. — *sine uxore*] Discis hinc, uxores principum virorum ad imperatorum etiam convivia adhiberi solitas. Corn. Nepos in Praef.: *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* — *responderet*] Cum hoc quoque imprimis pertineat ad Claudii stupidam vecordiam rerumque ignorationem demonstrandam, quod ne hoc quidem Scipionis responsum eum exciverit ad veram causam, ob quam Poppaea periisset, investigandam, rectissime usus est coniunctivo. Aliter Walther: «Exspectares *respondit* (ut volebat Ern.), quia Scipionis responsum non erat effectus inscientiae Claudii. At solent scriptores in iis rebus enarrandis, quas explicandi causa adnectunt, semel coeptam structuram continuare, licet res non eadem plane ratione cohaereant. Cfr. 1, 49. 14, 47. 15, 16.»

3. *Antoniam*] De qua lapis Romae: *ANTONIAI AVGVSTAI DRVSI SACERDOTI DIAI AVGVSTI MATRI. TI. CLAVDI CAISARIS. AVG. P. P.* Grut. 236, 9. Inscr. m. L. N. 650. — *consultanti - - ei permisit*] βραχυλογία παρὰ προσδοκίαν: «Claudio suasit, ut Asiatico permitteret mortis liberam optionem;» ut 14, 8: *Centurioni ferrum destringenti - - exclamavit*. 2, 76: *Quid agendum consultanti M. Piso - - censebat*. In ἀνακολούθῳ autem eo minus offendimus, quod tot verba inter *consultanti* et *ei* interposita sunt. Cfr. Dio 60, 29: τοῦ Κλαυ-

misericordiae videbantur, liberum mortis arbitrium ei permisit; et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam. hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait; et usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se honestius calliditate Tiberii vel impetu G. Caesaris periturum dixisset quam quod fraude muliebri et inpudico Vitellii ore caderet, venas exsolvit, viso tamen ante rogo, iussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur. tantum illi securitatis novissimae fuit. (4) vocantur post haec patres, pergitque Suillius addere reos equites Romanos illustres, quibus Petra cognomentum. at causa necis ex eo quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent. verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tamquam vidisset Claudium

1. Habet *mortis arbitrium ei* M, non *ei mortis arbitrium* Spir. et ceteri ante Waltherum et Bekkerum. — 4. *hilare* M, non *hilarem*, ut narratur apud Bekkerum. — 5. *G.* M: *Gai* B. — 6. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *nouissime* M. (Recepit hoc Walther.) — 10. Habet *Petra* M. — Habet *at* M, non *ac*, ut tradit Pichena. — Habet *ex eo* M, quae vv. omittunt Guelf. Put. ceteri ante Walth. et Bekk. Cfr. Ann. 16, 15: *causa festinandi ex eo oriebatur.* — 11. *nesteris* M, *mnesteris* vel *in nesteris* Bud., *Valerii* ex mera interpolatione mg. Bud. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Ies. Ed. Spir. ipseque Walther. — Habet *praebuissent* M, non *praebuisset* Guelf. Oxon.

δίου ἀπολύειν αὐτὸν μέλλοντος, ὁ Βιτέλλιος τῇ Μεσσαλίνῃ χαριζόμενος, παρακεκλῆσθαι ἔφη ὑπ' αὐτοῦ, ἵν' ὅπως ἂν βουληθῇ ἀποθάνῃ κτλ. — *in eandem clementiam*] ut 6, 49: *quamquam alia in eundem dolorem maesta - - ferret*; id est, «eandem videlicet clementiam referentia», amaram per *εἰρωνείαν*. Ceterum acre odium in Asiaticum diu servavit Claudius; nam in oratione Lugdunensi Tab. 2. ita in eum acerbissime invehitur: *Ut dirum nomen latronis taceam; et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua* (Vienna) *solidum civitatis Romanae beneficium consecuta est.* — *hortantibus - - inediam*] Sic Cic. ad Att. 7, 14: *Pacem quidem hortari non desino.* ad Q. Fr. 1, 1: *quid ego te haec hortor?* Sic *παραινεῖν τι.* Est autem dictum pro *inediae lenem exitum*, certe sine sanguine, si non sine angore ac doloribus. — *periturum*] fuisse, ut 15, 16: *relicturos.* — *inpudico ore*] sensu sane obscoeno, non, ut alii volunt, de foeda in loquendo licentia. — *arborum*] in viridario sive quam silvam vocabant prope domum. — *securitatis novissimae*] vacuitatis a timore, tranquillitatis, cum iamiam mors ei instaret. Sic 16, 11: *ne vitam novissimo servitio foedaret.* Codicis *novissime* parum apte significaret ante extremum tempus eandem constantiam ei defuisse.

4. *addere*] Poppaeae et Asiatico. — *illustres*] Equites illustres iam liberae rei publicae temporibus occurrunt apud Ciceronem Verr. 3, 24. Sed ibi opponuntur obscuris, et sic dicuntur etiam apud Livium 30, 18., ubi vide Dukerum. Sub imperatoribus autem dicti, qui censum senatorium haberent et lato clavo permissu imperatoris uterentur, idque institutum ab Augusto dictique etiam *equites laticlavii.* V. Ryckium ad 2, 59. Ern. Ubi vide, quae nos adnotavimus. Inspice etiam Iosephi memorabilem de equitibus Ro. locum Ant. 19, 1, 1. Dio 60, 11. de Claudio: *ἐκ τῶν ἱππέων τινὰς ἐς τὰς δημαρχίας ἐσεδέχετο· τοὺς δ' ἄλλους καὶ πάνυ πάντας ἐπηνάγκαζεν ἐς τὸ βουλευτήριον, ὁσάκις ἂν ἐπαγγελθῇ σφίσι, συμφοιτᾶν.* — *quibus Petra cognomentum*] Mire sic loquitur, quasi ignorasset nomen eorum gentile; id quod facile fieri potuit, si locus hic desumptus erat non ex Actis senatus, sed vel ex diurnis vel ex privati alicuius hominis commentariis. — *causa*] vera, sed ab accusatoribus occultata, quia ad damnandos eos vix suffecisset; multo speciosius certe alterum crimen erat. — *Mnesteris*] pantomimi tunc celebratissimi, quem perdite amabat etiam Messalina et iam

spicea corona evinctum, spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae dixisset. quidam pampineam coronam albentibus foliis visam atque ita interpretatum tradidere, vergente auctumno mortem principis ostendi. illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem allatam. sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio, quod Britannicum praeceptis, Claudium consiliis iuvaret. rogatus sententiam et Scipio, «cum idem» inquit «de admissis Poppaeae sentiam quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes,» eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.

(5) Continuus inde et saevus accusandis reis Suillius, multique audaciae eius aemuli. nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps materiam praedandi patefecerat. nec quicquam publicae mercis tam venale fuit quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius, insignis eques Romanus, quadringentis nummorum milibus Suillio datis et cognita praevaricatione ferro in domo eius incubuerit. igitur incipiente G. Silio consule designato, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres, legemque Cinciam flagitant, qua cavetur anti-

3. Habet *vergente* M, non *vertente* Farnes. — *autumno* M. — 4. *aud* M. — *qualicumque* M: *qualicunque* B. — 5. *allatam* M: *adlatam* B. — 6. *uitelliû* (*Vitellium*) M. — *brittannicum* M. — 8. *Poppaeae sentiam quod* Puteolanus et exinde editores omnes. Sed *poppe assen* (in versus fine) *essentiam* M, *poppaeae sententiam* Guelf., *poppaeae assentiam* Bud., *Poppaeae tacens sentiam* Doederleinii suspicio. Verum non tacuit, sed sententiam quamvis breviter dixit. — *oms* cum lin. M. — 9. *os* cum lin. M. — 10. *senetoriam* M. — 11. *seuus* M. — *audacia* superscr. *e* M. — 12. Habet *munia* M, non *nece* ut Farnes. — 13. Habet *quicquam*, non *quidquam*, M. — 14. *Samius*] nomen videtur corruptum pro *Sammius*. — 17. *G.* (nota tamen inter *C* et *G* ambigua) M: *Gaio* B. — *et* om. M. Suppletum est in Guelf. — 18. *ciciam* M.

ante Caligula. Cfr. Cap. 28. et 36. Dio 60, 22. 28. Suet. Cal. 36. 55. 57. Temere levi Cod. Med. corruptelae *nesteris* Codd. vulgares substituerunt *Valerii*. — *spicea corona*] Quae Cereris propria et fratrum item arvalium, ut Plinius notat 18, 2. Corona ea per se non infelix omen triste habuit, quod spicis esset retro conversis, sicut quod ante pugnam Philippensem corona adversa Cassio imposita. Plut. Brut. 56. Lips. — *gravitatem annonae*] ut Plaut. Stich. 4, 2, 52: *Vides, ut annona est gravis.* — *dixisset*] *βραχυλογία* pro «significari praedicique dixisset.» — *pampineam*] Artemidorus 1, 77. p. 110. Reiff: *Στέφανος ἀμπέλου καὶ κισσοῦ μόνοις τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις συμφέρει· τοῖς δὲ ἄλλοις δεσμὰ σημαίνει διὰ τὰς ἕλικας καὶ τὰς προσπλοκὰς τοῦ κισσοῦ, ἢ νόσον διὰ ταὐτά.* Ceterum hic mortis significatio inest in *albentibus foliis.* — *interpretatum*] masculinum est, scil. Petram, non Suillium: non tam somnium crimini dabatur quam interpretatio somnii. — *insignia praeturae*] Idem postea *consularibus insignibus donatus* 16, 17., ubi narrat, a Nerone damnatum, ipsum sibi mortem conscivisse. — *eleganti temperamento*] *einen feinen Mittelweg einschlagend (mit feiner Wendung* Gutmann). Etenim haec duplicem sensum habent; alterum dignum amore coniugali: «nemo credit vera esse, quae Poppaeae obiecta sunt, nec ego»: alterum periculo vitando aptum: «credo, quae obiecta sunt, et eadem, quae ceteri senatores, decerno.» Ern.

5. *perfidia*] in praevaricando. — *Samius*] *Sammios* duplici *m* reperis complures apud Grut. et Mur. — *memorabo*] Cap. 12. et 35. — *Cinciam*] muneralem, latam a M. Cincio Alimento tr. pl. a. u. 550. (Cic. de Or. 2, 71. Liv. 34, 4: *Quid legem*

quitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. (6) deinde obstrepentibus iis quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima. alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. quodsi in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore: nunc inimicitias accusationes odia et iniurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. meminissent Gaii Asinii et Messalae ac recentiorum Arruntii et Aesernini: ad summa provectos incorrupta vita et facundia. talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia qua lege repetundarum tenerentur, cum Suillius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium, quippe in manifestos, sed poenam statui videbant, circumsistunt Caesarem, ante acta deprecantes. (7) et postquam annuit, agere incipiunt: quem illum tanta superbia esse ut aeter-

1. Ante v. *orandam* in M littera est erasa. — 2. *obstrep. iis* Orellius: *obstrep. si his* M, *obstrep. his* B. — *sillus* M, in quo *i* et *l* distingui vix possunt. — 3. *famam ad posteros* mg. M, *famam in posteros* vulgo ante Waltherum et Bekkerum. Ut nos, M, B. — 4. *cogitabissent* M. — 5. *fedari* M. — Habet *ne* M, non *nec* Bud. — 6. *spectectetur* M. — *nullius in* Acidalius, mero, ut videtur, casu. — 7. *negotia eant*] *negotiant* erasa post *t* finale littera aliqua M, *negotia tueantur* Guelf., mg. Bodl., Walther, frustra probante Doederleinio, qui passive accipit. Correxit I. Fr. Gronovius. — 8. *ptia* cum lin., id est, *praetia* M. — 9. *gali* M testibus Iac. Gronovio et Baitero, id quod aliud in hoc Cod. non est quam *gaii* (*galbae* falso hic sibi videre visus est Victorius): *Gai* B. — *et* om. M. Ut nos, Lipsius. — *Messalae* M: *Messallae* B. (*M. Messalae* Heinsius.) — 10. *arūtii* M. — *praevectos* (per compendium) pr. M, *provectos* (item per comp.) corr. M. — 11. Habet *consentientibus*, M, non *consentibus* Guelf. Oxon. — 13. *in ma* (incipit nova columna) *manifestos* M. — 14. *caesarem* superscr. gl. *claudium* M. — *depcantes* M. — 15. *annuit* M: *adnuit* B. — *tacere* M, *tacens* Puteol., *iacere* Freinshemius, prob. Ryckio et Doederleinio, *facere* Iac. Gronovius. (*agere* habet Cod. Ryckii.) — Habet *illum* M, non *ullum* Guelf.

Cinciam excitavit, nisi quia vectigalis iam et stipendiaria plebes esse senatui coeperat?) relatam et novo S. C. firmatam ab Augusto. Ann. 13, 42. Dio 54, 18: *Καὶ τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον, ὅσον ἂν λάβωσιν, ἐκτίνειν ἐκέλευσε.* Cfr. Rudorff de L. Cincia. Berolini 1825. et Savigny in *Zeitschrift* cet. IV. 1.

6. *discors Suillio*] Diversa Silii sententia, quamquam per se honesta videri poterat, tamen orta erat ex odiis privatis. — *et bonarum*] «In copulatione ex affirmatione et negatione mixta pro *et - neque* dixit *et - ne quidem*. Absurdum sit *etiam*; aptissime statim significatur non unum esse incommodum.» MADVIG ad Cic. Fin. p. 806. — *principem*] Dial. de Or. 32: *eloquentiam, quae olim omnium artium domina fuit.* — *sordidis*] *βαναύσοις*, quippe pecunia emptis. Ovid. Am. 1, 10, 39: *Turpe reos empta miseros defendere lingua.* — *negotia eant*] pro frequentiore *cedant*. 5, 11: *itura in perniciem odia.* Ad falsam lectionem *tueantur* Walther cogitatione supplet *senatores*. — *Gaii Asinii*] Pollionis et Messalae, Tibulli fautoris, illustrium oratorum, qui circiter LXXX. ante annos floruerant. — *Messalae*] Haud opus Heinsii *M. Messalae*; nam plerumque primo alicui nomini addit praenomen Tacitus, ad alterum nomen omittit praenomen. — *Aeserníni*] Marcelli 3, 11. Nepos fuit Asinii Pollionis. Suet. Oct. 43. Cl. 13. — *Cossutianus*] Capito, Tigellini gener, repetundarum damnatus a. 810. Ann. 13, 33., *promptus ad scelus* 16, 26., Thraseae accusator 16, 28. cet. Iuven. 8, 93: *quam fulmine iusto Et Capito et Numitor ruerint.*

7. *agere*] Freinshemius *iacere*; sed sequitur iusta oratio, de qua *iacere* non dicitur. ERN. Med. *tacere* ortum ex litt. *t* praeced. — *quem illum*] ut 12, 36: *avebant visere, quis ille tot per annos opes nostras*

nitatem famae spe praesumat? usui et rebus subsidium praeparari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. facile Asinium et Messalam, inter Antonium et Augustum bellorum praemiis refertos, aut ditium familiarum heredes Aeserninos et Arruntios, magnum animum induisse. prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut G. Curio contionari soliti sint. se modicos senatores, qui quieta re publica nulla nisi pacis emolumenta peterent. cogitaret plebem, quae toga enitesceret. sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. ut minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis

1. *fame* M. — *praeparare* M. Correctum iam in Guelf. — 2. Habet *potentibus* M. Ante Waltherum et Bekkerum auctore Puteolano edebant *potentioribus*. — *tamen*] *talem* Doederlein. — 3. *familiares* M: *familiaris* B. — Habet *ut quis se* M, non *ut qui se* Guelf. Agr. — 4. *tollerare* pr. M. — 5. *nichil* M. — *providerit* (per comp.) M: *praeviderit* eum Pichena B. Ante me illud restituerunt Walther, Ritter, Doederlein. — 6. *Messalam* M: *Messallam* B. — Habet *refertos* M, non *refectos* Bud. — 7. *eserninos* M. — *arrūtios* M. — 8. *P.* M: *Publius* B. — *G.* M: *Gaius* B. — 9. *cont.* M: *conc.* B. — *senatores, qui quieta - - peterent* Halm: *senatores qui et a - - peterent* M, Walther; *senatores quieta - - petere* Pichena auctore B. (Doederlein mavult: *senatores et qui a - - peterent.*) — 10. *qua* M. Emendavit I. Fr. Gronovius; corruptelam restituit Walther. — 11. *ptiis* M.

sprevisset. — *usui et rebus*] *zum Nutzen und fürs Wesentliche* Gutmann; *selon eux l'éloquence a un objet plus utile et plus réel.* Burnouf. Derident vana gloriae somnia. — *se - - intendat*] pro vulgari *animum intendat.* — *exercendo agros*] Poëticum est, e Virgilio sumptum Aen. 7, 798: *qui Rutulos exercent vomere colles.* Dixit tamen etiam Columella 8, 1: *exercere rus.* Tacitus iterum Germ. 29. et alii (Palladius praesertim), ut plura alia a poëtis ducta. Ern. — *ante providerit*] ita ut hos fructus se adepturum prope certus sit, omnibus iis paratis, quibus percipi possint. Similiter Cic. Planc. 22: *providentem autem ante et praecaventem.* Caesar B. G. 5, 33: *qui nihil ante providisset.* Aliorum *ante praeviderit* pleonasmus h. l. certe est perquam supervacaneus. — *P. Clodius*] Pseudocic. de Harusp. resp. 20: *A Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur.* — *G. Curio*] Suet. Caes. 20: *Aemilium Paulum Caiumque Curionem violentissimum tribunorum ingenti mercede defensores paravit.* — *modicos senatores*] sc. esse. Hi opponuntur *ditium familiarum heredibus*; *quieta res publica*, in qua nemo iam possit bellicis expeditionibus divitias parare, *bellorum praemiis refertis.* — *cogitaret plebem*] «Ne oblivisceretur homines e medio populo forensi tantummodo eloquentia, non imperatoria virtute honores atque opes acquirere posse, atque debitam huius generis civium rationem haberet.» (Subiectum v. *cogitaret* manifesto est Claudius, non Silius, ut opinatur Bötticher.) Plin. Epp. 1, 22: *T. Aristo in toga negotiisque versatur; multos advocatione, plures consilio iuvat.* (Walther *qua* tenuit et explicavit: «*Cogitaret qua* (h. e. qua via, quomodo) *togâ* (pacis artibus et eloquentia forensi) *enitesceret.*» Sed vehementer reprehendendus esset scriptor, si voces, quas formae aequalitas coniungi iubet, disiungi a legentibus voluisset. Ritter. Aliquanto minus prave Bach Cod. *qua* interpretatus est sic: «Cogitaret, quibus pacis artibus homines plebeii enitescerent:» *quâ togâ* coniungens. Verum manifesto errore scriptor librarius rectum *quae* perperam accommodavit ad seq. v. *togâ.* — *haud frustra*] non temere, non sine idonea ratione. — *dena sestertia*] Similiter sub Traiano: v. Plin. Epp. 5, 22: *Peractis tamen negotiis permittebatur pecunias, dumtaxat decem milium, dare.* (Cfr. etiam Ern. ad Suet. Ner. 17.)

pecuniis * modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

(8) Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis *** Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. is rex Iberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat discordare Parthos, summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi. nam inter Gotarzis pleraque saeva, qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius praeparaverat, unde metus eius in ceteros, accivere Vardanen. ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria milia stadiorum invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat; neque cunctatur quin proximas praefecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem

1. *pecuniis modum* M: *pecuniis posuit modum* suppleverunt Edd. Poterant inserere etiam *statuit*. — *quae* cum lin. a recentiore, ut videtur, manu ducta, adeo ut dubium maneat, utrum sit *quae* Beroaldi, an *quem* Pichenae. — *repetundarum* superscr. gl. *lege* M. — 3. *mitridates* M. — *armeniis cesaris* (sic) pr. M. Ut nos, cum defectus signis Walther, Ritter, Doederlein: *Armenii et ad praesentiam Caesaris* ex pravo supplemento corr. M, Guelf. B. — 4. *vinctum* M et iidem tres Editores: *vocatum* ex Bipontinorum interpolatione B. — 5. *farasmanis* M. — *Hiberis* M, B. Corrigenda igitur quae dicta sunt ad 6, 32. — *mitridatis* M. — 7. *gotharzes* (sic) M. Vulgatam scripturam *Gotarzis* retinui, quia apud Graecos, qui litteras ϑ et τ accurate distinguunt, est *Γοτάρζης* (Ioseph. Antiq. 20, 3, 4.) sicque in seqq. etiam M. — *seua* M. — 8. *praeparaberat* pr. M. — *ceteros et acciuere* M, mera *ἀβλεψίᾳ*, in qua nihil reconditi quaerendum est. — *bardanen* h. l. M. Idem mox per litteram *V* et Graecis est *Οὐαρδάνης* (Ioseph. l. l.). — 11. *dominationes*, litteris *es* superscr. ẽ M.

8. *Armeniis*] Post hoc v. Doederlein supplet *mox iussu*. Dio 58, 26. 60, 8: *Τὸν Μιϑριδάτην τὸν Ἴβηρα, ὅν ὁ Γάϊος μεταπεμψάμενος ἐδεδέκει, οἴκαδε πρὸς ἀνάληψιν τῆς ἀρχῆς ἀπέπεμψεν.* Seneca de Tranq. 11: *Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridatem inter Caianas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est* (Mithridates scilicet); *alter, ut meliori fide mitteretur, optabat.* De hoc Mithridate cfr. 6, 32. 33. — *memoravi*] in libris deperditis, quibus descriptae res Caii. — *Gotarzis*] sive Arsacis XXI. In nummo apud Viscontium *Icon. gr.* III. p. 106. est *ΓΟΤΕΡΖΗΣ*. — *Artabano*] diverso a rege Artabano III. sive Arsace XIX. — *praeparaverat*] per ministros, non aperta vi, ut videtur. Ceterum compositum est pro simplici; cfr. *vim parare* Hist. 2, 85. — *Vardanen*] Arsacen XX., Artabani III. filium. Historiam eius Longuerueum secutus Viscontius *Icon. gr.* III. p. 102. composuit ex Tacito, Iosepho Ant. 20, 3, 4: *Μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον* (post recuperatum regnum) *Ἀρτάβανος τελευτᾷ, τὴν βασιλείαν τῷ παιδὶ Οὐαρδάνῃ καταλιπών. — — Μαϑόντες δὲ οἱ Πάρϑοι τὴν διάνοιαν Οὐαρδάνου, ὡς ἐπὶ Ῥωμαίων στρατεύειν ἔκρινεν, αὐτὸν μὲν ἀναιροῦσι, τὴν ἀρχὴν δὲ τῷ ἀδελφῷ Γοτάρζῃ παρέδοσαν·* atque Philostrato Vit. Apoll. 1, 21. seqq. — *tria milia*] Est ingens cursus in biduo; sed noctes haud dubie assumptae. Faciunt CCCLXXV. milliaria Romana. Idem de Hannibalis fuga post pugnam ad Zamam tradit Appianus Pun. 47: *σταδίους ἀνύσας ἐς τρισχιλίους δύο νυξί τε καὶ ἡμέραις, ἧκεν ἐς Ἀδρυμητόν.* Lips. *(Plus de 140 lieues de 2000 toises.* Burnouf. Simile exemplum est Tiberii, qui teste Plinio 7, 20: *nocte ac die longissimum iter emensus est festinans ad Drusum fratrem aegrotum in Germania; in eo fuerunt CC. M. passuum.)* «*Tria milia stadiorum* de trium milium stadiorum spatio quod Vardanes cum suis militibus in plura agmina divisis amplexus est, intelligendum existimo. Cfr. 2, 18: *Quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum* (hoc est, decem milium passnum ambitum) *cadaveribus atque armis opplevere.*» Ritter. Quae quidem explicatio vix probabilis videtur. — *praefecturas*] Plin. 6, 9: *Armenia dividitur, quod certum est, in CXX. praefecturas, quas στρατηγίας vocant; quaedam*

eius abnuentibus. in quos, ut patris sui quoque defectores, ira magis quam ex usu praesenti accensus, inplicatur obsidione urbis validae et munimentis obiecti amnis muroque et commeatibus firmatae. interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumque opibus auctus bellum renovat; coactusque Vardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit. (9) tunc distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simul Ibero exercitu campos persultante. nec enim resistere Armenii, fuso, qui praelium ausus erat, Demonacte praefecto. paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein litteris Caesaris coërcitus, et cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem quam novo regno conduceret. at Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente iaciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; congressique primo cunctanter, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere. potiorque Vardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid aemulationis exsisteret, penitus

2. *inpl.* M: *impl.* B. — 4. *deharum* M. — *auctos* M. — 6. *viribus*] *copiis* Bud. ex interpolatione. — 7. *datus est*] *datue* cum duabus lineolis super litt. *e* M. — 8. *Hib.* M, B. — 9. Habet *resistere* M; *restitere* Guelf. Beroaldus. — 10. *paululum* M: *paullulum* B. — 11. Habet *dein* M, non *deinde* Guelf. Puteol. aliique. — 12. *Mithridaten* M: *Mithridatem* B. — *fluxere quam atrociorem quam novo* M. — 13. *iaciunt* M: *iciunt* cum Agr. B. — 14. *cotarzes* M. — *patefecit* M, Walther, Ritter, Doederlein: *patefecerat* cum Bud., Rhenano, cett. B. — *cunctanter* M, B: *cunctantur* ex Reg. et Spir. Walther, Ritter, Doederlein. — 15. *deum*] *dm* cum lin. M. — 17. *existeret* M.

ex iis vel singula regna quondam barbaris nominibus. — *ut patris, sui quoque*] distinguit Doederlein, ut *sui* personale pronomen sit, non possessivum. Ex ceterorum ratione hoc dicit: «utpote qui non solum a Vardane, sed iam ante a patre Artabano descivissent;» qua quidem interpretatione tantae irae causa melius indicari videtur. — *obiecti amnis*] Tigridis. — *Daharum*] quibuscum prisca intercedebat Parthorum necessitudo propter communem, ut veri simile est, originem. Cfr. Strabo 11, 10. p. 515. Ann. 2, 3. 6, 44. (h. *Dahistan.*) — *Hyrcanorum*] h. *Gurkan*, ad oram occidentalem Caspii maris, *Mazanderan* et *Corcan*; *Bactria*, *die grosse Bucharei*, *das Land der Usbeken*.

9. Vv. *ad excidenda* pendent ex omisso *militis Romani* epitheto, *idonei*, ut Ann. 1, 51: *Incessit itineri et proelio.* Hist. 1, 85: *Ea oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos.* Dord. — *Cotys*] Dio 59, 12: *Κότυι τήν τε Ἀρμενίαν τὴν σμικροτέραν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τῆς Ἀραβίας τινὰ ἐχαρίσατο* Caligula a. u. 792. — *imperatores*] Vardanes et Gotarzes. — *iaciunt*] verba repente iniiciunt de foedere sanciendo, sermones spargunt de foedere. Cfr. 15, 50: *Scelera principis iaciunt.* Similis sunt 4, 7. et 68. 3, 66. 6, 4. Contra *iciunt*, quod ex Ms. Agr. ediderunt, confusam narrandi rationem Tacito obtrudit. Scilicet primum foedus necopinato iaciunt, tum cunctantur, denique apud altaria pepigerunt. Walth. Accedit, quod *iciunt* ab ipsa forma dubitationem habet. Cfr. Synonym. Lat. V. p. 62. Dord.; ubi docet nunc certe huius v. non reperiri nec futurum neque coniunctiv. praes. nec prim. sing. et tert. plur. praes. indicativi. — *Gotarzes fratri*] Ut in loco Iosephi supra allato *τῷ ἀδελφῷ Γοτάρζῃ*, etsi Gotarzes proprie Arsacis filius, Artabani nepos fuit. Cur tamen neuter scriptor insimulandus sit, patet ex eius nummo apud Viscontium *Icon. gr.*

in Hyrcaniam abiit. regressoque Vardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tam diu eluserat. (10) exin validissimas praefecturas invisit. et recuperare Armeniam † habeat ni a Vibio Marso Syriae legato, bellum minitante, cohibitus foret. atque interim Gotarzes paenitentia concessi regni, et vocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. et huic contra itum ad amnem Erinden; in cuius transgressu multum certato pervicit Vardanes, prosperisque praeliis medias nationes subegit ad flumen Sinden, quod Dahas Ariosque disterminat. ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi quamquam victores longinquam militiam aspernabantur. igitur exstructis monimentis, quibus opes suas testabatur nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur ingens gloria, atque eo ferocior et subiectis intolerantior; qui dolo ante

1. Ante v. *abiit* littera erasa in M. — *vardane* M. Emendavit Lipsius. — 2. *tandiu* M. — 3. *invisit* M, Walther, Ritter, Doederlein: *invasit* cum Guelf. et Puteol. B. « Sed hoc significat, validissimas praefecturas etiamtunc hostiliter egisse adversus Bardanem, quod non est veri simile, nam Parthi eum in regnum acciverant.» Walther. — Habet *recuperare*, non *reciperare* Waltheri, M. — 4. *Armeniam habeat* (sic, non *habebat)* M: *Armeniam* deleto cum Rhenano verbo corrupto B, *Armeniam parabat* Harl. Bodl. Ies. Guelf., *Armeniam avebat* Heinsio auctore Oberlinus, Walther, Ritter, Doederlein; *Armeniam in animo habebat* Agr., qui igitur a litt. *meniam* absorpta esse vv. *in animo* putabat. — *Syriae* M: *Suriae* B. — 5. *penitentia* M. — 6. Habet *vocante* M; *revocante* cum Guelf. volgo ante Bekkerum. — 7. *et hinc* M, Spir. Emendavit Puteolanus. — Habet M *Erinden*, non *Erindem* (Bud.), neque *Eridem* (Spir.). Ryckius volebat *Charindam* ex Ptolem. 6, 2. Ammian. Marc. 23, 6. — *transgressum* corr. M. — 8. *bardanes* pr. M. — 9. Habet M *Sinden*, non *Gynden* (Puteol.). — 11. *aspernebantur* M. — *estructis* M. — *munimentis* M. Correxit Lipsius. — 12. *cuiqua* M. — *illis degentibus* M. — *parata* M. Emendatum in corr. Bud. et ab Aldo. — 13. *intollerantior* M.

III. p. 102. Mionnet *Médailles* V. p. 666: *ΓΟΤΕΡΖΗς ΒΑΣΛΙΕ* (sic) *ΑΡσάκου ΤΟΣ* (sic) *ΚΕΚΑΛΟΥΠΕΝΟΣ* (sic) *ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ*. Igitur ab Artabano quodam modo adoptatus, Vardanis frater vulgo appellabatur. Ad hanc autem adoptionem referendi videntur nummi, qui Artabano III. et Gotarzae communiter tribuuntur a Mionneto *Supplément* VIII. p. 447. — *cunctanter*] *βραχυλογία* pro: «quamquam primo non sine mutua diffidentia congressi erant cet.» Facilius autem adverb. in verbum mutari poterat quam contra, et illud multo est *ἐναργέστερον*. — *complexi dextras*] illo haud dubie ritu, qui narratur 12, 47.

10. *invisit*] Plerique edunt *invasit*: sed hoc significaret validissimas praefecturas etiamtunc hostiliter egisse contra Vardanen, quod non est veri simile. Nam Parthi illum in regnum acciverant. At suspecti erant satrapae quidam, et cognoverat Vardanes per fratrem insidias populariam. Hinc *invisit* illas praefecturas, id est, percucurrit, ut cognosceret et ordinaret res, quae sine cura haberi viderentur, atque coërceret satrapas, quorum dubia fides innotuisset. Sic *Aethiopiam invisere* apud Curt. 4, 8, 2. et 8. Gr. *ἐπισκοπεῖν*. Walth. — *habeat*] Admodum probabilis est Heinsii coni. *avebat;* multi olim scribebant *havebat*. — *Erinden*] «Nusquam quod sciam exstat fluminis huius mentio, praeterquam hoc loco. Unde suspecta mihi scriptura legendumque fortasse *Charindam*. Nam Charinda a Ptolemaeo 6, 2. ponitur inter Mediam et Hyrcaniam terminus, eiusque ostia sub longitudine gr. 93, 40, 30., qui locus satis convenit pro belli sede et proelii loco inter Vardanen et Gotarzen. Meminit Charindae etiam Ammian. Marc. 23, 6. Ryck. Novi nihil afferre potuit de *Erinde* Forbiger *Geographie* II. p. 570., ubi de *Charinda* agit. — *Sinden*] Puteolani *Gynden* est ex Herod. 1, 189. et 5, 52. De *Sinde* nihil Forbiger. *intolerantior*] magis intolerandus, ut 3, 45.

conposito incautum venationique intentum interfecere, primam intra iuventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset. nece Vardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdaten prolem Phrahatis, obsidio nobis datum. dein praevaluit Gotarzes. potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant.

(11) Isdem consulibus ludi seculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. utriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani composui. nam is quoque edidit ludos seculares, iisque intentius affui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor. quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum. sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus, et L. Domitius adoptione mox in inperium et cognomentum Neronis adscitus,

1. *conp.* M : *comp.* B. — *incautu* M. — *iuventa* M. — 2. *inter se umregum* (sic) M. — 3. *bardanis* M. — 4. *res*] *rex* M. — *in regno* M. Correxit Lipsius. (*quis regno* Bach, *quis iam regno* mavolt Doederlein. Vides per totum hunc locum notam litterae *m* finalis in M aliquoties omissam vel absorptam esse.) — 5. *a* (sic) *gordazen* M. — *prahatis* M. — 6. *positusque* M. — *sevitiam* M. (Ante Waltherum et Bekkerum inde a Lipsio edebant *saevitiem.*) — 8. *p̄ces* M. — 9. *saec.* h. l. ut Bekkerus, mox *sec.* M. — *post roma condita* M. — 10. *agustus* M. — *exspectati*, erasa syll. *ex*, M. — 12. *nam his* M. — 13. *hisque*, eraso *h*, M. — *affuit* M. — *pretor* M. — 14. *quindecem* (sic) *uirum* M. — 15. *exeq.* M. — *cerim.* M. — 17. *Brittannicus* M. — 18. *L.* M : *Lucius* B. — *inp.* M : *imp.* B.

— *interfecere*] Postquam sex septemve annos regnavit: scilicet a. u. 794. in vivis adhuc erat Artabanus. Ioseph. Ant. 20, 2, 4. Ita Viscontius. Contra Audiffret eum regnasse existimat quadriennium dumtaxat, a. post Chr. 43—47. — *Meherdaten*] cfr. 12, 10—14. (Nomen ex diversa dialecto idem dicunt significare atque *Mithridatem*, id est, «a Mithra datum.») — *prolem*] non filium, sed nepotem ex Vonone. — *obsidio*] eadem significatione qua posteriorem formam *obsidatus* usurpavit Ammianus Marc. 16, 12: *pater eius diu obsidatus pignore tentus in Galliis.* — *permitti*] ut potestatem daret eundi in patriam regnique capessendi.

11. *octingentesimo*] Demonstrat hic locus Tacitum ubique secutum esse aeram quam dicunt Varronianam. — De ludis secularibus vide Interpretes ad Horat. Carm. sec. Ideler *Chronologie* II. p. 82. Memorabile est, quod narrat Plinius 7, 48, 49: *Summulam quoque centum annis vixisse auctor est Asconius Pedianus. Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltasse, et Divi Augusti et quos Claudius Caesar consulatu suo quarto fecit, quando LXIII. non amplius anni interfuere, quamquam et postea diu vixit.* (Annos solidos numerat Plinius; nec vero repugnat Tacito.) — *quarto et sexagesimo*] Censorinus 17: *Quintos ludos C. Furnio C. Iunio Silano coss. anno DCCXXXVII.* (Varr.) *Caesar Augustus et Agrippa fecerunt; sextos autem fecit Ti. Claudius Caesar se IV. et L. Vitellio III. coss. anno DCCC.*; *septimos Domitianus se XIV. et L. Minucio Rufo coss. anno DCCCXLI.; octavos imperatores Septimius et M. Aurelius Antoninus Cilone et Libone coss. DCCCCLVII.* (adde: nonos et ultimos Philippus imperator incertum utrum anno M., an MI.) — *satis narratas*] nobis vero, quia hi libri perierunt, satis dubias; cfr. tamen Suet. Claud. 21. Domit. 4. et ex recentiori-

favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est. vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimulata: nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est. (12) verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua suboles virilis; et matri Agrippinae miseratio augebatur ob saevitiam Messalinae, quae semper infesta et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore distinebatur. nam in G. Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero poteretur. neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo, si abnueret, exitio et nonnulla fallendi spe, simul magnis praemiis, opperiri futura et praesentibus frui pro solatio habebat. illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes, honores. postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud adulterum visebantur.

(13) At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria usurpans,

1. *fabor* pr. M. — *acriori. domitium* M. — 2. *adf.* M: *aff.* B. — Habet *infantiae eius* M. (Omittunt *eius* cum Guelf. Ern. Oberl.) — 3. *adsimilata* M, *assimulata* B. — *detractator* Burmannus ad Ovid. Met. 5, 246. — 8. *distinebatur* M: *detinebatur* cum Bud. B. et ceteri post Ernestium editores. Illud tamen rectius videtur: «tantummodo hoc amore retinebatur, impediebatur, quo minus inimicae crimina strueret.» — 9. *G.* M: *Gaium* B. — 10. Habet *adultero* M, non *adulterio* Guelf. Oxon. Spir. — 11. Habet *poteretur* M, non *potiretur*. — 12. *operiri* M. — 14. *adher.* M. — 16. *alterum* (superscripta gl. *filium*) M. Correxit Puteolanus. — 17. *censioria* M.

bus autem Sanclementium de vulgaris aerae emendatione. Romae 1793. p. 95. — *quindecimvirali*] Ideo Horatius Carm. sec. 70: *Quindecim Diana preces virorum curet.* — *magistratus*] pertinet ad vv. *tum praetor*; duplici igitur in illis ludis functus erat munere Tacitus. — *sedente*] praesidente. — *ludicrum Troiae*] Serv. ad Aen. 5, 545. Suet. Iul. 39. Octav. 43: *Troiae lusum edidit frequentissime, maiorum minorumque puerorum dilectu.* Dio 43, 28. de Iulio Caesare: *τὴν ἱππασίαν τὴν Τροίαν καλουμένην οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐποιήσαντο· καὶ ἐφ' ἁρμάτων οἱ νεανίσκοι οἱ ὁμότιμοι αὐτοῖς ἡμιλλήσαντο.* Dignus est, qui de hoc Troiae lusu legatur, Morcellius Opp. epigr. Patavii 1819. I. p. 377. — *dracones*] Cfr. Dio 61, 2. Variat fabulam Suet. Ner. 6. — *custodum*] Genios enim specie anguium apparere opinio erat. Vide Heins. et Drak. ad Sil. 2, 585.

12. *supererat*] remanebat ei veluti hereditas. — *suboles*] nepos. — *Agrippinae*] minoris, (4, 75.) feminae libidinosissimae, viduae Cn. Domitii, *hominis omni parte vitae detestabilis* (Suet. Ner. 5.) et Crispi Passieni (Ib. 6.), denique Claudio nuptae a. u. 802. — *G. Silium*] filium eius, de quo 4, 18., supra C. 5. Iuven. 10, 331: *optimus hic et formosissimus idem Gentis patriciae rapitur miser exstinguendus Messalinae oculis* cet. De *Iunia Silana* v. 13, 19. — *vacuo*] *erledigt*. — *fallendi*] ut 3, 10. 13, 13., latendi. Cfr. Hor. Epp. 1, 18, 103: *fallentis semita vitae.* — *paratus*] aurum et argentum factum, supellectilem, ut C. 30: *domum, servitia et ceteros fortunae paratus.* Cfr. Dio 60, 31: *οἰκίαν αὐτῷ βασιλικὴν ἐχαρίσατο, πάντα τὰ τιμιώτατα τοῦ Κλαυδίου τῶν κειμηλίων συμφορήσασα ἐς αὐτήν.*

13. *matrimonii*] ignarus, quam perfida in ipsum esset mulier sua. — *censoria*] Suet. Claud. 16: *Gessit et censuram intermissam diu post Paullum Plancumque cen-*

theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in Publium Pomponium consularem (is carmina scenae dabat) inque feminas illustres probra iecerat. et lege lata saevitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent. fontesque aquarum ab Simbruinis collibus deductos urbi intulit. ac novas litterarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque. (14) primi per figuras animalium Aegyptii sensus

1. Habet *edictis* M. (*dictis* Lipsii operae.) — *Publium* h. l. omnibus litteris M. — 2. *is*] *his*, eraso *h*, M. — *inque*] *inquit* pr. M, ut videtur. — *ill.* h. l. M. — 3. *morte* M. Correxit Lipsius. — 4. *aquarum sub Inbruinis* M, *aquarum Simbruinis* cum Rhenano Walther; Bekkerus cum Rittero ac Doederleinio, quos secutus sum, praetulit Iac. Gronovii atque Ernestii rationem. — 5. *urbis* pr. M, ut videtur; ultima scil. litt. erasa est. — 6. *quoque graecum* M. Correxit Lipsius. — 7. *ceptam* M.

sores. (a. u. 731.) Dio 59, 29. Scilicet Augustus et Tiberius iustae censurae vice receperant *morum legumque regimen perpetuum*. Suet. Oct. 27. Dio 53, 18. Et ceteri quidem imperatores sine collega; Claudius vero collegam assumpsit Vitellium. 12, 4. Plin. H. N. 10, 2: *Claudii principis censura a. u. DCCC.* Per quinquennium hanc dignitatem gessit. Cfr. 12, 5. Quanta autem industria ac φιλαυτίᾳ in ea versatus sit, ipse prodit in Oratione Lugd. extr. — *Publium Pomponium*] Incertum est eius praenomen; nam 12, 27. appellatur *Lucius*, a Dione 59, 6. *Quintus* (vide Lipsium ad h. l.). — *consularem*] cos. suffectum a. u. 782., ut demonstratum ivit post Panvinium Pighius Ann. III. p. 557., qui consulatus tamen in Baiteri Fastis non memoratur. Certum contra est eum cos. suffectum fuisse a. u. 794., quo interfectus est Caligula. Cfr. Iosephus Bell. Iud. 2, 11. — *carmina scenae*] Cfr. Dial. 13. Quintil. 10, 1, 98: *Eorum, quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes quidem parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.* Plin. Epp. 7, 17, 11: *Pomponius Secundus (hic scriptor tragoediarum) si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat: Ad populum provoco.* Tanti eum fecit Plinius maior, ut vitam eius scripserit. H. N. 14, 6. Plin. Epp. 3, 5, 3. — *lege*] Est senatus consultum Macedonianum. Cfr. Schmidt *Verfall der Volksrechte* p. 57. Ulpianus in Digest. 14, 6, 1: *Verba senatus consulti Macedoniani haec sunt: Cum inter ceteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset et saepe materiam peccandi malis moribus praestaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet, placere, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur, ut scirent, qui pessimo exemplo fenerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen exspectata patris morte fieri.* Eandem Claudii legem rettulit Vespasianus. Suet. 11: *ne filiorumfamilias feneratoribus exigendi crediti ius unquam esset, ne post patrum quidem mortem.* — *Simbruinis*] Cfr. 14, 22. Hi colles oppido Sublaqueo (hodie *Subiaco*) vicini XXXVIII. M. P. ab urbe orientem versus distant. Inde Claudius aquarum fontes Curtium atque Caeruleum Romam perduxit. Opus inchoaverat iam Caligula, perfecit autem magnificentissime Claudius dedicavitque a. u. 805. (Varr.) teste Frontino de Aquaed. 14. Grut. p. 176, 1. Inscr. m. Lat. N. 54. Plinius 36, 15, 24: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Caesare et peracti a Claudio; quippe a lapide quadragesimo* (XXXVIII. Frontin.) *ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Caeruleus fontes et Anien novus. Erogatum in id opus sestertium quinquagies quinquies et quingenties. Quodsi quis diligentius aestimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* — *litteraturam*] alphabetum. Explica e Cic. Oratt. Partt. 7, 26: *litteratura constat ex notis litterarum et ex eo, in quo imprimuntur illae notae.* Secundam significationem reperies apud

mentis effingebant — ea antiquissima monimenta memoriae humanae inpressa saxis cernuntur —, et litterarum semet inventores perhibent; inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tamquam reppererint quae acceperant. quippe fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse. quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios ac praecipuum Simoniden ceteras repperisse. at in Italia Etrusci

1. *ea*] *et* M, quod correxit Lipsius. — 2. *inpr.* M: *impr.* B. — 3. Habet *quia* M, non *qui* Spir. — *greciae* M. — 5. *fenicum* M. — *grec.* M. — 8. *Simoniden* M: *Simonidem* B.

Senecam Epp. 88, 18: *prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur;* tertiam apud Quintil. 6, 1, 4: *grammatice* (nobis *Philologie*)*; quam in Latinam transferentes litteraturam vocaverunt.*

14. *figuras animalium*] notas hieroglyphicas. — *saxis*] Obeliscos intelligit. — *et* (etiam) *litterarum*] Herod. 2, 36: *διφασίοισι δὲ γράμμασι χρέωνται, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱρά, τὰ δὲ δημοτικὰ καλέεται.* Clem. Alex. Strom. 5, 4. p. 657: *οἱ παρ' Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην, δευτέραν δὲ τὴν ἱερατικήν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς, ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν τὴν ἱερογλυφικήν.* — *Phoenicas*] Herod. 5, 58: *Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι - - ἄλλα τε πολλὰ ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέειν· - - χρεώμενοι δὲ ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι.* Quo testimonio utitur Clemens Al. Strom. 1, 16, 74. Plin. 7, 56: *litteras utique in Graeciam attulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero, quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor hac figura ΘΞΦΧ, totidem post Simonidem melicum, ΖΗΨΩ.* Cfr. Zoëga de orig. et usu Obeliscorum p. 550. seqq. Hitzig *die Erfindung des Alphabetes. Zürich* 1840. p. 5. — *Cecropem*] Huic scriptorum, qui nunc exstant, nullus, quod sciam, praeter Tacitum litterarum inventionem tribuit. Ceterum qui haec de Cecrope, Lino, Palamede commenti sunt, totum repertum Graecis vindicare volebant. — *Linum*] De hoc locus est primarius apud Diod. 3, 67. collato Suida in v. *Λίνος.* — *Palamedem*] Vetus fabula, de qua testimonia collegit Casaubonus ad Suet. Claud. 41. ex Cedreno, Ioanne Tzetze et Schol. ad Eurip. Orest. 432: *οὗτος ὁ Παλαμήδης λέγεται εὑρηκέναι ιζ' γράμματα μήπω τότε ὄντα.* At vero antiquissima eius sedes est in Stesichori Fragm. 33. Bergk, tum in Euripidis Palamede Fragm. II. Dind.: *Τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνος Ἄφωνα καὶ φωνοῦντα, συλλαβάς τε θείς, Ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι.* Ipse de se Palamedes in Pseudogorgiae Palam. p. 118. Reiskii: *εὑρὼν γράμματα, μνήμης ὄργανον, μέτρα τε καὶ σταθμά.* Cfr. Iahnii *Palamedes.* Hamburgi 1836. — *Etrusci*] Müller *Etrusker* II. p. 290. seqq. cum iis facit, qui Etruscos a Graecis, non a Phoenicibus, litteras accepisse existimant. Idem in Ersch *Encycl.* II. VII. 1830. p. 284. rem brevi sic complectitur: *Seit man die ältere griechische Schrift genauer kennen gelernt, unterliegt es keinem Zweifel, dass die etruskische nur eine Abart derselben ist, obgleich beide in weiterem Kreise aus Phönikien stammen. Auch macht die Angabe, welche den Bakchiaden Demaratos als Ueberbringer nennt, die Schrift in Etrurien wenigstens nicht viel älter, als sie schon deswegen gewesen sein muss, weil die in Griechenland zeitig abgekommene Schreibung von der Rechten zur Linken in Etrurien fast durchweg fest gehalten worden ist.* (Cfr. imprimis Rose Inscrr. Graecae vetustissimae. Cantabrigiae 1825. Boeckhii Inscr. Gr. I. initio. Franzii Elementa epigraphices Graecae. Berolini 1840. p. 14.)

ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt; et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum. sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae sunt. quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quae usui imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. (15) rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas; primoresque Etruriae sponte, aut patrum Romanorum inpulsu, retinuisse scientiam et in familias propagasse; quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia, et quia externae superstitiones valescant: et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur. factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices quae retinenda firmandaque haruspicum.

1. *Demarato* M: *Damarato* B. Cfr. Alschefski ad Liv. 1, 34. — *aboriginib;* (sic) *arcades* M. — 2. *formas* M. Emendatum iam in Bud. Guelf. — *grec.* M. — 4. *obliteratae* M. — 5. *publico. dis plebiscitis* M, *publicandis plebi SCtis* Grotius probb. Ryckio, Ernestio, Walthero. — 6. *retulit* M. — 7. *sepe* M. — 8. *accitis* M. Emendatum in libro (?) Ursini; recepit Freinshemius. — *cer.* M. — 10. *inp.* M: *imp.* B. — 12. Habet *valescant* M, non *invalescant* Guelf. et Puteolani. — 14. *obliter.* M.

— *Demarato*] Plinius 35, 43: *Demaratum ex eadem urbe* (Corintho) *profugum, qui in Etruria Tarquinium Priscum regem populi Romani genuit, comitatos* (tradunt) *fictores Euchira et Eugrammon* (nomina sunt mythica): *ab iis Italiae traditam plasticen.* Müller *Etrusker* I. p. 194. II. p. 260. — *Aborigines*] Cfr. Müller *Etrusker* I. p. 5. et 16. An haec ex Catonis Originibus? — *ab Euandro*] Mythico colore detracto nihil aliud significat nisi Latinos quoque a Graecis didicisse litteras; atque idem sibi vult Hygini Fab. 277. narratio: *Graecas litteras Mercurius in Aegyptum primus detulisse dicitur, ex Aegypto Cadmus in Graeciam, quas Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit, quas mater eius Carmenta in Latinas commutavit, numero XV.* — *forma*] Supple *est*, non, ut alii voluerunt, *erat.* — *veterrimis*] Plin. 7, 58: *veteres litteras Graecas fuisse easdem paene, quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in Palatio dono principum Minervae dicata in bibliotheca*; quo de loco v. Boeckhii Inscr. Gr. I. p. 6. Raoul-Rochette *deux lettres à d'Aberdeen* p. 66. Rossignol in *Revue de philologie* I. 2. p. 109. (Müller *Etrusker* II. p. 312) — *nobis quoque paucae*] Latinis primum non nisi XVI. litterae. Kappa Sallustius ludimagister invenit; gamma Spurius Carvilius. (Plutarch. Qu. Rom. 55. p. 277. D.); litteram X. aetas Augusti. Lips. — *tres litteras*] Fuere novae litterae Aeolicum digamma inversa figura Ⅎ, scilicet ut V consona discerneretur a V vocali, ut in ⅎVLGVS, SERⅎVS, deinde antisigma ↃC pro *bs* vel *ps*, denique Ͱ (iota affectum appellare licet, ut sonus inter *i* et *u* ambiguus proferatur, qualis audiebatur in MAXͰMVS, OPTͰMVS. Cfr. Quintil. 1, 7, 27: *Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat.* Priscianus 1. p. 545. 558. Velius Longus p. 2235, P. Taylor ad Marm. Sandvic. p. 46. Seyfert *Lat. Gramm.* I. p. 99. Ritter. Solum digamma nunc exstat in Claudii titulis. Cfr. Inscr. m. Lat. N. 650. 710. 711. 2275. Suet. Claud. 41: *Novas etiam commentus est litteras tres ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit; de quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, actis diurnis titulisque operum.* Usitata vero scriptura servata est in Claudii illa oratione Lugduni reperta, in aliisque eius titulis et urbicis (Inscr. m. L. N. 54. 2652.)

(16) Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus. paternum huic genus e Flavo fratre Arminii, mater ex Catumero principe Chattorum erat; ipse forma decorus, et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. igitur Caesar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere: illum primum Romae ortum, nec obsidem sed civem, ire externum ad imperium. ac primo laetus Germanis adventus, atque eo, quod nullis discordiis inbutus pari in omnes studio ageret, celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. iamque apud proximos, iam lon-

1. *romae* M. Emendavit Rhenanus. — *ammissis* M. — 3. *italus* M h. l., infra non. — *Flavo* M et Spir: *Flavio* B. Cfr. Ann. 2, 9. — 4. *armenii* M. — *Catumero* infra M: *Actumero* h. l. M, *Cattumero* cum Guelf. Puteol. cet. B. Ceterum inde a Lipsio eundem hunc falso existimant cum illo, de quo Strabo 7. p. 292: *Ῥαμίς, Οὐκρομύρου* (sic) *θυγάτηρ ἡγεμόνος Βάττων* (non *Χάττων*). — *Chattorum* Ritter: *Cattorum* M, B. «Ego Medicei prioris scripturam dedi, quam alibi etiam alter praebet.» RITTER. — 6. *auctum*] *augustus* (*s* finale ex correct.) M. — 8. *eo, quod* M, Spir. Walther: *eo magis quod* ex interpol. Guelf. Puteol. cet. B, Ritter, Doederlein. — 9. *inb.* M: *imb.* B. — 10. *invisa* M, id quod probat Doederlein. Mihi vel casu vel ex seq. *grata* ortum videtur, et magis Taciti stylum redolet variatio quam aequalitas constructionis. — *vinulentiam* superscr. *o* M.

et provincialibus. (N. 648. 708. 713.) — *plebiscitis*] Atqui sub Claudio comitia haberi ac plebiscita fieri dudum desierant. Aut abusus est Tacitus prisco vocabulo ad significandam legem quoquo modo latam, aut scripsit, quod Grotius suspicatur, *publicandis plebi SCtis*. DOED. Minus mihi quam aliis placet haec Grotii coniectura. Cur enim soli *plebi*, non *populo Romano publicata* fuerint senatus consulta? Equidem credo fieri potuisse, ut Claudius, ineptus antiquitatis affectator, inanem quandam plebiscitorum revocaverit umbram. (De plebiscito sub Augusto facto vide Excursum ad hunc locum.) Nunquam videlicet oblivisci debemus, quae de singulari hac Claudii stultitia tradit Suetonius Cl. 21: *Spectacula complura · edidit, non usitata modo ac solitis locis, sed et commenticia et ex antiquitate repetita et ubi praeterea nemo ante eum.*

15. *collegio haruspicum*] Collegium LX. haruspicum sub imperatoribus inde a Claudii temporibus fuisse constat ex Inscr. m. Lat. N. 2291—2295. — *vetustissima*] quippe ipsa urbe Roma antiquior. — *disciplina*] de qua vide Müller *Etrusker* II. p. 1. et per epitomen in Ersch *Encyclopaedie* II. VII. p. 271. — *accitos*] Pseudocic. Harusp. 12: *Si examen apum ludis in scenam venisset, haruspices ex Etruria acciendos putaremus.* — *primores Etruriae*] Locus primarius, sed admodum controversus est Cic. de Legg. 2, 9: *Etruria principes disciplinam doceto*, ubi *principes* intellige principum Etruscorum filios, non Romanorum, et sic etiam de Divin. 1, 41. V. Bake. — *externae superstitiones*] Iudaeorum imprimis atque Aegyptiorum. — *ne*] neutiquam finale est, *ἵνα μή*, sed pro *ut non* positum, ut 12, 48: *Visui tamen consuluit, ne coram interficeret.* DOED. Cfr. Cic. Div. Caec. 10: *Ne qua deductio fieret, tua potestas erat.* Verr. 5, 2: *Crassi consilio factum, ne transire possent.* Caes. B. C. 1, 19: *Id ne fieri posset, obsidione fiebat.* — *inter ambigua*] in rebus dubiis. — *quae*] supple cogitatione *instituta*.

16. *Cheruscorum gens*] Fortasse huc pertinent, quae de Germanorum legatis narrat Suet. Claud. 25. — *Roma*] Ablativum unice verum esse demonstrat 12, 14: *Barbaros malle Roma petere reges quam habere.* — *apud urbem*] non prope Romam, ut male nonnulli, sed in ipsa urbe. — *gentile decus*] dignitatem, quae proprie pertineret ad eius gentem sive familiam, ut *gentile imperium* 6, 32. — *civem*] Cfr. Göttling *Thusnelda* p. 14. — *vinolentiam*]

gius clarescere, cum potentiam eius suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere. adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur? frustra Arminium praescribi: cuius si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. at si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac deos penates quam parentem eius exercuisse. (17) his atque talibus magnas copias coëgere. nec pauciores Italicum sequebantur. non enim irrupisse ad invitos, sed accitum memorabant. quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero praeberet. nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam numquam omisisset. falso libertatis vocabulum obtendi ab iis qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant. adstrepebat huic alacre vulgus; et magno inter barbaros praelio victor rex, dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per laeta per adversa res Cheruscas afflictabat.

(18) Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incur-

4. Habet *principem* M. (*principis* ex interpol. Bud. Guelf. Edd. ante Pichenam.) — *Flavi* dedi ut supra: *flabii* M, *Flavii* B. — 5. *super* M per notam quidem, quam imitari nequeo, et Spir. Ceteri ante Bekkerum *supra*. — 6. *venisse posse. Testimesci* M. Ut nunc, fortasse corrupte, editur, primus dedit Beroaldus. — 7. Habet *alimonio* M, non *alimonia* Guelf. — *ac* M in contextu, in mg. *at*. — 9. *parentẽs* M. (*parentem* ex Spir. Ernestius.) — 12. *Catumero* M: *Cattumero* B. — 14. *numquam* M: *nunquam* B. — 15. *his* M. — *nichil* M. — 16. *alecre* M. — *vulgus* M, ut in his semper: *volgus* B. — 18. Habet *Langobardorum* M. — 20. *nulla*] *milia* M. — 21. *alacrex* superscr. *s* M.

Cfr. Germ. 22: *Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae ut inter vinolentos rixae.* — *frustra - praescribi*] Immerito aiunt, cum iactatione caussantur Italici fautores eius patruum fuisse Arminium adeoque spem fore, ut is tam nobile exemplum imitaturus sit. Prorsus sic 4, 52: *frustra Pulchram praescribi*, obtentui sumi. — *filius*] Thumelicus. — *omnibus externis*] quae omnia externa sint. — *non alium*] ideoque timendum esse, ne Italicus ex Flavi potius exemplo in Germanos saeviturus sit.

17. *inter barbaros*] idem quod Lipsius coni. sua volebat: *ut inter barbaros;* magnum utique proelium videbatur, quatenus magnae dicuntur apud barbaros pugnae nequaquam comparandae Cannensi, Pharsalicae, Philippensi, Actiacae cet. (Aliter Doederlein: «Ideo haec addita, ne quis putet Romanos, ut Italico faverent, ita proelio etiam interfuisse.» — At vero dumtaxat *stipatores* (probabiliter ipsos quoque Germanos) ei *addiderant*, non militares copias, nec post Sanquinii mortem ante Corbulonis adventum, de ulla in Cheruscorum regionem expeditione cogitare poterant Romani. Iam significare id, quod omnino fieri non poterat, quorsum, quaeso, attinebat?) — *per laeta*] *refectus*, et *per adversa*, *prolapsus* cum esset *pulsusque*, damnis atque detrimentis populares suos aeque afficiebat.

18. *Chauci*] Germ. 35. — *Sanquinii*] Maximi, inferioris Germaniae praefecti, de quo 6, 4. — *Corbulo*] primum memoratur 3, 31.; occisus est a Nerone. Hist. 2, 76. — *Canninefas*] 4, 73. Hist. 4, 15. — *auxiliaris et diu meritus*] Sensus huius

savere duce Gannasco, qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga, levibus navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et inbelles esse. at Corbulo provinciam ingressus magna cum cura, et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quaeque habiles, per aestuaria et fossas adegit; lintribusque hostium depressis et exturbato Gannasco, ubi praesentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignaras, populationibus laetantes, veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet, nec pugnam nisi iussus iniret. stationes, vigiliae, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur. feruntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. quae nimia, et incertum an falso iacta, originem tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur. (19) ceterum is terror milites hostesque in diversum affecit. nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. et natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii coeptam infensa aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. idem senatum, magistratus, leges

1. *caninefas* M, ut Velleius 2, 105. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 102. — *auxiliare ex diu meritis (ex* tamen ex correct.) M. Ut nos, iam Puteolanus. *(auxiliare aes diu meritus* cum Mercero et Iac. Gronovio Ruperti, *auxiliare stipendium meritus* Bachius ex Ann. 2, 52: *in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus.* Verum hic quoque requireretur numerus pluralis. «Suspicor: *auxiliaris, ex diu meritis.*» Doederlein.) — 3. *inb.* M: *imb.* B. — 5. *reni* M. — *queque* M. — *estuaria* M. — 6. *luntribusque* M. — 7. *ignauas* M, Spir. Ut nos, cum Puteolano ac seqq. B. — 10. Habet M *munia*, non *minia*, uti narrat Victorius. — *milites* pr. M, *militē* corr. M. — 12. Habet *nimia* M. — *acta* M. Correxit Rhenanus. — 13. *tracxere* (c puncto notatum) M. — *delectis* M. — 15. *aucximus* (c punctis notatum) M. — 16. Habet *post* M, non *per* Guelf. Puteol. — 17. *L.* M: *Lucii* B. — *ceptam* M. — 18. *corbolone* M. — *senatus* M. Spir. Mutavit Puteolanus: pluralis ortus ex vicinia v. *magistratus.*

lectionis a Puteolano excogitatae, sed non prorsus certae, hic est: «auxiliaris et quidem multorum stipendiorum, unde tanto maior transfugii culpa.» — *cui principium*] Referendum hoc ad *gloriam*, non ad Corbulonem, pro *cuius gloriae principium.* Ern. — *aestuaria et fossas*] per Drusianam fossam et lacus, qui plures tunc, in unum meridionalem *(Zuyder-Zee)* coiverunt. Lips. — *ignaras*] ut 2, 43: *obsequii ignarum;* insuetas, utpote quae diu in Germania inferiore iamdudum pacata degissent. Doederlein probans Med. lect. *ignavas* comparat 14, 33: *laeti praeda et aliorum segnes.* 1, 87: *militiae impiger.* Sed, uti rectissime dixisset *laboris segnes*, sic pro certo minus apte *laboris ignavos.* — *non accinctus*] ex disciplina militari erat cum gladio opus facere. Vegetius 3, 8: *milites gladio cincti fossam aperiunt.* Lips. — *pugione*] Ioseph. Bell. Iud. 3, 5, 5: *οἱ πεζοὶ ὁδεύουσι μαχαιροφοροῦντες ἀμφοτέρωθεν· μακρότερον δὲ αὐτῶν τὸ λαιὸν ξίφος πολλῷ, τὸ γὰρ κατὰ δεξιὸν* (pugio) *σπιθαμῆς οὐ πλέον ἔχει μῆκος.* — *iacta*] famâ divulgata, ut 3, 8: *si vera essent, quae iacerentur.* Cod. lectio *acta* defendi non potest ex Agr. 39: *Hunc rerum cursum - nulla verborum iactantia epistolis Agricolae actum*, id est, «expositum, descriptum;» nec ex Cic. Deiot. 7: *acta res criminose est*, «aliquid ita re vera actum est, ut crimini etsi iniusto locum praeberet.»

19. *L. Apronii*] 4, 73. — *senatum*] Qui praeferunt Med. *senatus*, Walther, Bach, Doederlein, ita defendunt: «Plures senatus haud dubie instituit in pluribus pagis.»

inposuit. ac ne iussa exuerent, praesidium immunivit, missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo aggrederentur. nec irritae aut degeneres insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. sed caede eius motae Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis praebebat, ut laeta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama. cur hostem conciret? adversa in rem publicam casura: sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo principi praegravem. igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit ut referri praesidia cis Rhenum iuberet. (20) iam castra in hostili solo molienti Corbuloni eae litterae redduntur. ille re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex inperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur. insignia tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

1. *inp.* M: *imp.* B. — *immunibit* M. — 2. *cauchos* M. — 4. *caucorum* M. — 5. *insinistra* iunctim M, *in sinistra* Spir., quod probat Doederlein, conferens Hist. 3, 13: *Ubi totis castris in fama proditio.* At syllaba ista *in* mera est geminatio praecedentis litt. *m.* — 6. *re puplica* (sic) M. — *casuras inprospere* (sic) M. — 7. *ignabo* M. — 10. *littere* M. — 11. *offundarentur* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 12. *nichil* M. — Habet *prolocutus* M, non Alciati *perlocutus.* — *quosdam* M. Correxit Lipsius. — 13. *ut*] *ui* M, in mg. *ne.* Correctum est in Cod. Reg. et Ed. Spir. — 14 *p̄duxit*, id est, *praeduxit*, M. Correctum in Guelf. et Spir. — 15. Habet *vetarentur* M, non Guelf. *uectarentur.* — *insigni* M.

Verum senatus unus uni nationi suffecisse videtur atque pagorum singulorum singula concilia publica senatuum nomine vix dignatus esset. — *immunivit*] ibidem, in eorum finibus munivit; ut *ἐντειχίζειν φρούρια* Xenoph. Cyrop. 3, 1, 27. — *Chaucos*] Plin. 16, 1: *Chaucorum, qui maiores minoresque appellantur.* Illi sedes habebant inter Visurgim et Albim, hi inter Amisiam et Visurgim. Ukert *Germanien* p. 375. — *degeneres*] non indignae nomine Romano aut ipso Corbulone; quippe in transfugam et militiae desertorem. Hoc enim est, quod *fidei violatorem* dicit, id est, sacramenti. Lips. — *formidolosum paci*] timendum esse, ne Corbulo animos maiores sumpturus a Claudio desciscat, praesertim cum iam nunc tam ignavo principi suspectus ac formidolosus sit.

20. *offunderentur*] ut 1, 68: *offundebantur multa simul*; repente obversabantur eius animo. — *beatos*] Est exclamatio, ut ita dicam, obliqua; directa utitur Dio 60, 30: *τοσοῦτον μόνον ἀναβοήσας, Ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες· ἐς δήλωσιν ὅτι τοῖς μὲν ἀκινδύνως ἀνδραγαθίζεσθαι ἐξῆν, αὐτὸς δ' ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος διὰ τὸν φθόνον ἐνεποδίσθη.* — *incerta Oceani vetarentur*] arcerentur aestuaria. Sen. Herc. Oct. 1624: *Stat vasta late quercus et Phoebum vetat.* Dio l. l.: *διετάφρευσε διὰ τῶν στρατιωτῶν πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα· ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ Ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναῤῥέοντες πελαγίζωσιν.* Cluverio auctore fossa Corbulonis ad Rhenum coepit a capite rivi Lugdunensis, cui nomen *de Vliet.* (Exacte haec sententia congruit spatio, quod huic fossae a Tacito et Dione tribuitur. Pars eius prope Lugdunum Batavorum etiamnunc vocatur *Vliet* et rudera castelli a Claudio exstructi in distantia DC. passuum a vico *Katwyk* latent sub maris fluctibus. Ruperti.) — *Mattiaco*] 1, 56. Hist. 4, 37. Germ. 29. in ducatu Nassaviensi. *Aquae Mattiacae* memoratae a Plinio 31, 17., nunc *Wiesbaden.* — *cum damno*] non legionum sed aerarii Po. Ro., quoniam

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit, at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum, precantium imperatorem ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. (21) de origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim et vera exsequi pudet. postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox «tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.» tali omine in spem sublatus digressusque in urbem, et largitione amicorum, simul acri ingenio, quaesturam, et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio assequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset, «Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.» longa post haec senecta, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium,

2. *mathiaco* M. — *quer.* M. — 3. *et fodere* M. Correxit Lipsius; illud reposuere Walther, Ritter, Doederlein. — 4. *rivos*, sed *v* in rasura, M. — 6. *p̄cantium* M. — 9. *exequi* M. — 10. *opt.* M. — 13. *spe* M. — *degressusque* M. Correctum in Gueif. et a Puteolano; illud praetulit Walther. — *urbe* M. — 17. *ex se*] *exe* post *x* superscr. *s*, M.

maiores impensae quam fructus. — *rivos*] fossas, quibus aquarum rivi e metallis deducerentur. (Manifesto autem haec referuntur ad opera, quae sub Curtii cura propter venas argenti perficiebantur in agro Mattiaco, non, ut nonnemo ratus est, ad Corbulonis fossam supra memoratam.) — *gravia*] nimis difficilia. — *humum infra*] per fossas concameratas, *Tunnels*. — *subactus*] molestiis vexatus et confectus. — *triumphalia ante*] ne triumphalium consequendorum causa militibus molestias crearent, quales Corbulo et Rufus creassent. Ern. Idem narrat Suet. Claud. 24: *Epistola communi legionum nomine exstitit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quaererent.* Ceterum inest amara ironia prorsus ex facetiarum militarium genere.

21. *Curtii Rufi*] Memoratur etiam a Plinio Epp. 7, 27. Dubitatur inter criticos, utrum huic Q. Curtio Rufo tribuenda sit vita Alexandri, an illi Q. Curtio Rufo, cuius pertenuis memoria superest in Indice libri Suetonii de rhetoribus. Mützell in Praefat. ad Curtium p. LXXXIV. in rhetorem potius inclinat. At tertia quoque opinio haud prorsus improbabilis haec est, ut historicus, Suetonii rhetor, Taciti ac Plinii praeses Africae unus idemque sit. Atque hanc sagaciter defendit Klotz *Lat. Litteraturgeschichte. Leipzig* 1846. I. p. 38. — *vera - pudet*] quia Curtii origo, etsi fortasse eius pater gladiator non fuerat, tamen, ut Tacito videbatur, nimis obscura ac vilis erat. A *sordida origine* etiam Cassii Severi similiter abhorret Tacitus Ann. 4, 21. equestris suae dignitatis avitae, dein senatoriae semper memor. — *sectator*] quaestus causa. Confirmat Plinius l. l.: *tenuis adhuc et obscurus obtinenti Africam comes haeserat.* — *Adrumeto*] capite Byzacii, nunc, ut opinantur, *Herkla*. — *oblata*] Idem miraculum narrat Plinius. — *ex se natus*] Est ambiguitas in verbis. Nam *ex se nati* dicuntur, qui maiores ciere non possunt, obscuri homines genere; verum etiam, qui ipsi sibi nomen peperere, non a maioribus accepere. Ergo indicavit Ti-

triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit; atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

(22) Interea Romae, nullis palam neque cognitis mox causis, Gn. Nonius eques Romanus ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem. nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non infitiatus conscios non edidit, incertum an occultans.

Isdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt; quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. mansitque consulibus potestas deligendi,

3. *Gn.*] *G. N.* M, *Gnaeus* B. — 4. *Roman'* (sic, duabus litteris erasis) M. — *repperitur* M. — *caetu* M. — *salutantum* M: *salutantium* B. — 5. *noni* (lacuna tredecim litterarum) *conscios* M. Supplementum qualecumque est, debetur Iac. Gronovio. — 7. *cos* cum lin. M. — *P.* M: *Publius* B. — *censui* M. — 8. *quest.* M. — Habet *adipiscerentur* M, non *apiscerentur*, ut est in lemmate Ernestii. — 9. *id*] *sit* M. — 11. *quin*] *qui in* M. — *et* M: *ac* B. — 13. *L.* M: *Lucio* B.

berius Rufum obscuro quidem loco natum, sed et sibi aliquid nominis peperisse. Ern. Cic. Phil. 6, 6. de semet ipso: *Quem vos a se ortum hominibus nobilissimis omnibus honoribus praetulistis.* Cfr. de Finn. 2, 24. Walther.

22. *reperitur*] Nam Claudius, teste Suet. 35: *salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus et acerbissimos.* Quos tamen Vespasianus rursus sustulit, Suet. 12. — *nam*] refertur ad *neque cognitis m. c.* — *non infitiatus*] Hanc lectionem tutatur quodammodo Livii locus 24, 5: *de se ipso haud cunctanter fassus, conscios celabat.* — *P. Dolabella*] 4, 23. et 66. — *adipiscerentur*] adipisci vellent et a principe designati essent, cui notum esset, utrum eorum facultates ad edendos ludos sufficerent necne; adeo is honor non iam virtuti sed opibus tribuebatur, sive ut infra acerbe dicit, *venum dabatur.* — *ne aetas quidem*] Ut postea factum legibus annalibus, Villia (a. u. 573.) et Pinaria (anni incerti.) Vide Baiteri Ind. legum. — *lex curiata*] in curiis lata de imperio et potestate regum. Repetita est a Bruto, ut consulibus eadem potestas esset, quae regibus fuisset. Cfr. Niebuhr *R. G.* I. p. 373. et 380. Cic. de Rep. 2, 13: *Numa, ut huc venit, quamquam populus curiatis eum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit.* — *LXIII. anno*] a. u. 308., igitur paullo post XII. tabulas perlatas et decemviros e re publica sublatos. Hanc narrationem sequitur Göttling *Röm. Staatsverfassung* S. 320: «*Es ist aus Tacitus Angabe nicht zu zweifeln, dass seit den Gesetzen der XII. Tafeln die Quaestur, oder die Aufsicht über das Aerarium, ein* s t ä n d i g e s *Amt wird, welches durch die Comitien der Tribus das Volk an zwei Patricier vertheilte, nicht durch die Centurien.*» Iam magna difficultas oritur ex eo, quod Plutarchus in Poplic. 12. de hoc tradit: *ταμίας τῷ δήμῳ δύο τῶν νέων ἔδωκεν ἀποδεῖξαι· καὶ ἀπεδείχθησαν οἱ πρῶτοι Πούπλιος Οὐετούριος καὶ Μινούκιος Μάκρος καὶ χρήματα συνήχθη πολλά.* Rursus Livius 2, 41. ad a. u. 268. Varr.: *Invenio apud quosdam* Sp. Cassio *a quaestoribus K. Fabio et L. Valerio diem dictam perduellionis;* quocum consentit Dionysius Hal. 8, 77. Rem sic extricare conatus est Niebuhrius, ut contenderet confusos esse a Dionysio ac Tacito *ταμίας*, *quaestores classicos* quos nominat ex Io. Lydo 1, 27., cum *quaestoribus parricidii* (*ἐφέταις*). Cfr. *Röm. Gesch.* Ed. IV. Vol. I. p. 550. Ed. III. Vol. II. p. 190. 368. 433. 483. Sed haec ratio admodum incerta est. Cfr. etiam Zeiss *Röm. Alterthumskunde* p. 181. — *duo additi*] Actum est, ut praeter duos urbanos quaestores duo consulibus ad mi-

donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus, sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent. mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus. post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

(23) A. Vitellio L. Vipstano consulibus cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae quae Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor. et studiis diversis apud

2. *potus* M. Correxit Lipsius. — *sexagesimo tertio* M: *tertio et sexagesimo* B. — 5. *legē*, id est, *legem* M. Item Spir., quod praetulit Walther. Correctum est in Guelf. et Ed. Puteol. — *suillae* M. — 7. *receperavissent* M. — 10. *A.* M: *Aulo* B. — *L.* M: *Lucio* B. — *uipsana* (sic) M. (*Vipstano* Rupertus Epist. 48. ad Reinesium.) — *cos.* M. — 13. *eas* pr. M, ut videtur. Nunc littera tertia erasa est.

nisteria belli praesto essent. (a. u. 333. Varr.) Liv. 4, 43. Ibid. 54. (a. u. 345.): *tunc primum plebeiis quaestoribus creatis, in quattuor creandis uni patricio relictus est locus.* Taciti verba cum priore Livii loco pugnare videntur, nisi statuas sic esse interpretanda: «ita ut duo semper quaestores urbani Romae negotia sua curarent.» — *duplicatus*] Liv. Epit. 15: *Quaestorum numerus ampliatus est, ut octo essent.* (a. u. 489.) — *viginti*] uti a Caesare dictatore quadraginta eadem, ni fallor, causa. Dio 43, 47. Cfr. Göttling *Urkunden* p. 7. — *supplendo senatui*] nam quaestorii fiebant senatores. — *facilitate tribuentium*] libera re publica comitiorum tributorum (Cic. ad Fam. 7, 30.), postea principum specie senatus. Iam in tribuendo praesertim hoc inferiore magistratu viris circiter XXVII—XXX. annos natis non semper sola dignitas spectabatur, sed multum valebat etiam populi vel principis in singulos favor. — *gratuito*] ita ut propterea nulli sumptus eis imponerentur.

23. *A. Vitellio*] qui postea imperator factus. — *de supplendo senatu*] Pertinebat hoc ad censurae munera, quam Claudius eo tempore singulari studio gessit. Iam cum eius in senatu legendo severitate (C. 25.) plures senatu moti essent, primorum Galliae comatae studia excitabantur, qui hanc opportunitatem vacuas in curia sedes occupandi cupide arriperent. Zell. — *primores*] ex antiqua Gallorum nobilitate, penes quos etiamtunc singularum civitatum magistratus erant. Hi sibi solis, non ceteris popularibus tenuiore loco ortis, ius honorum petebant. — *comata*] Transalpina, praeter Narbonensem, sive *bracatam*, de qua cfr. 12, 23. — *foedera*] qualia memorantur etiam Hist. 4, 67. — *pridem*] Quo quidem tempore non liquido constat, nisi quod Strabo ostendit Cavaros Salyesque civitate donatos Lib. 4. p. 186: *πάντας οὕτω προσαγορεύουσι* (Cavarorum nomine) *τοὺς ταύτῃ βαρβάρους, οὐδὲ βαρβάρους ἔτι ὄντας, ἀλλὰ μετακειμένους τὸ πλέον εἰς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ.* Donatos tamen non dubium est ab Augusto: tuncne, cum Italiam ad Alpes promovit? an potius in diuturna illa peregrinatione, cum ad res Galliae constituendas biennium continuum illic egit? (a. u. 739—741.) Quod obiter suadere Dio videtur, qui 54, 25. Augustum in ea peregrinatione libertatem et ius civitatis aliis dedisse ait, aliis ademisse. Lips. Suet. Oct. 47. At vero, ut recte notavit Zellius, cautius certe Spanhemius in Orbe Romano p. 93. Ed. Heinecc.: «Comatae Galliae primoribus, sed adhuc sine suffragio (et iure honorum) datam sub Augusto, cum Galliam peragra-

principem certabatur, asseverantium non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec paenitere veteris rei publicae. quin adhuc memorari exempla quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. an parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator, fore? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint. recentia haec. quid si memoria eorum oreretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis * * * fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent. (24) his atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est: «maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis rem publicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. neque enim ignoro

2. *consanguines* M. — 3. *penit.* M. — 5. *inr.* M: *irr.* B. — 6. *uelud* M. — 7. *foret* solito in his infinitivis errore M, quem praefert Doederlein. Correxit Acidalius. — 10. *oreretur* Baiter: *moreretur* gemin. *m* M B. (*inoriretur* Puteol., vix Latine, *moveretur* Iac. Gronovius.) — 11. *satis*] Manca haec a nemine adhuc probabiliter suppleta sunt. (In M lacuna non est. Conatus tamen duos communicabo cum Interpretibus; Fr. Iacobii: *Quid, si memoria eorum inoriretur, qui in Capitolio et ara Romana manibus eorundem perissent? Fruerentur* cet. — Seyfferti: *Quid, si memoria eorum oriretur, qui Capitolio et ara Romana obsessa manibus eorundem per domus trucidati? Fruerentur* cet. Memorabilis autem imprimis Heinsii coniectura: *arce Romana.*) — 15. Habet *Clausus* M. (*Claudius* Spir. Correxit iam Puteolanus.) — 16. *rem* (sic) *publica* (sic) *capessenda* M. — 17. *usqua* M.

vit, vel ante sub Iulio nonnullis, qui de nomine Romae bene erant meriti, civitatem, non vero universis illius gentis oppidis, licet omnino statuere.» — *suffecisse*] «olim (certe ante bellum sociale) ad senatum explendum ac rem Romanam sustentandam *indigenas*, id est, origine cives Romanos, *consanguineis populis*, id est, populis, qui eiusdem cum Romanis sanguinis ac stirpis essent.» Hi opponuntur Gallis externae originis. Hoc igitur sibi volunt: «Si olim indigenae ad senatum complendum suffecerunt, ut eo ordine excluderentur Latini, Sabini, Marsi ceterique socii Italici, quamquam Romanis consanguinei, quomodo ferri poterit aut quae tandem necessitas erit, ut hodie Galli, gens externa, recipiantur?» Lucem affundunt vv. C. 24: *Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos.* Sic recte difficiliorem locum explanavit Walther. — *captivitas*] «velut captivorum turba introducatur in senatum.» Satis invidiose cum dicunt *coetum alienigenarum*, invidiam etiam augent, eosdem insuper *captivos*, armis omnes a Romanis devictos, vocantes. — *residuis*] quia complures familiae veteris rei publicae tunc aut exstinctae erant aut ita opibus destitutae, ut ad senatum adspirare non possent. — *Alesiam*] Mandubiorum oppidum, hodie *Alise.* De hac obsidione v. Caes. B. G. 7, 79.

24. *statim*] Cum illius petitionis Gallorum adversarii in Palatio dissuaderent, ne eis satisfaceret. — *exorsus est*] Pars huius orationis exstat adhuc Lugduni aeri incisa. Optime hanc orationem edidit atque interpretatus est C. Zell. Friburgi Br. 1833. 4. Nos autem in huius libri fine eam exscribendam curavimus, quia «hoc exemplo clare elucet, quam rationem Tacitus in orationibus, quas operibus suis inclusit, componendis secutus sit; videlicet eam, quae omnino antiquis rerum scriptoribus placuit, tabularum et monumentorum parum curiosis, et qui orationes potius ad

Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? at conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. advenae in nos regnaverunt. libertinorum filiis magistratus mandari non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. at cum Senonibus pugnavimus. scilicet Volsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere. capti a Gallis sumus. sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subiimus. attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio quam adversus Gallos confectum. continua inde ac fida

1. Habet *Coruncanios* M, non *Coruncanos*, ut Edd. vett. inde a Spir. usque ad Lipsianam primam. — 6. *provincilium* M. — 7. Habet *num* M. Sed Guelf. Bud. et Edd. Gronovianae vitiose *non*. — *pen*. M. — 9. *lacedem*. M. — 10. *quanquam* h. l. M, ut B. — 11. *nostri* M, Guelf. Spir. cet. Walther: *noster* cum Lipsio B. Comparat Doederlein Ann. 6, 22: *initia nostri*. — 12. *dein*] *eodem* Bud. — 13. *mandaret*, non *mandarent*, M. Emendavit Lipsius. — 14. Habet *repens* M. (*recens* Guelf. Puteol., ceteri usque ad Pichenam.) — 15. *uulsi* (sic) M. — *nunquam* h. l. M, ut B. — 17. *subiimus* nos: *subinus* M, *subivimus* cum ceteris Edd. B.

elegantiae sensum et ex convenientiae iudicio libere effingerent (proprioque suo dicendi generi accommodarent), quam accuratam in conquirendo et describendo diligentiam adhiberent.» Zell. — *Clausus*] 4, 9. Liv. 2, 16. Suet. Tib. 1. — *Camerio*] Cicero Planc. 8. Tusculanos facit, item pro Sulla 7. In quibus locis nihil movendum bene monet Perizonius An. hist. p. 193., quod in rebus tam antiquis varios auctores sequi potuerint Cicero et Tacitus. Ern. — *Etruria*] Paullo durius hic omissum est *quosdam* vel *alios*. — *ipsam*] non civitatem Romanam, ut volebat Pichena, sed Italiam; nam prius Galliae nomine utebantur regiones sub Alpibus sitae circa Padum. — *deductarum*] in colonias; iisque mixti e provincialibus semper aliqui eodem iure. Lips. — *Balbos*] Cornelios Balbos Gaditanos. Vide Cic. per Balbianam totam. — *insignes viros*] In oratione ipsa Claudius: *Ex Viennensium colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo*. — *advenae*] In oratione memorat Numam, Priscum Tarquinium, Ser. Tullium. — *libertinorum filiis*] Hoc illud est, quod notat Suetonius in Claudio 24: *Appium Caecum censorem, proauctorem generis sui, libertinorum filios in senatum allegisse docuit; ignarus temporibus Appii et deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos*. — *priori populo*] Non antiquius quam a Caesare. Primus ille libertorum filios allegit in senatum et magistratibus ornavit. Dio 43, 47: *καὶ παμπληθεῖς μὲν ἐπὶ τὴν γερουσίαν μηδὲν διακρίνων, μήτ' εἴ τις στρατιώτης μήτ' εἴ τις ἀπελευθέρου παῖς ἦν, ἐσέγραψεν.* Hic tamen *priorem populum* vocare videtur eum, qui fuit ante Augustum, ut 1, 1: *veterem populum Romanum*. — *Tuscis*] Porsennae. — *breviore spatio*] Nam Gallia Comata, de qua hic agitur, decimo demum anno a Caesare perdomita est.

pax. iam moribus artibus affinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant. omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere. plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos. inveterascet hoc quoque; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.» (25) orationem principis secuto patrum consulto, primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.

Isdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere. laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur. famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam, quam ex severitate prisca, rationem adhibuit, monendo, secum quisque de se consultaret, peteret-

2. *pc.* cum lin. M. — 7. *faederi* M. — 8. *PR.* cum lin. M. — *usurpabant* Bud. — 9. *ascivit* M: *adscivit* B. — 11. *L.* M: *Lucius* B. — 12. Habet *app.*M. — *dictor* M. — 13. *senia* M. Correxit Lipsius. — *RP.* cum lin. M. — 15. Habet *quam ex sev.* M.

25. *primi Aedui*] «Ex ratione grammatica locum duplici modo intelligi posse patet. Aut enim hoc Tacitus sibi vult: tunc quidem ius honorum nonnisi Aeduorum primores adeptos esse neque vero reliquos Galliae Comatae primores; hosque posteriore demum tempore aliquando hoc ius obtinuisse. Aut ita dicit: omnes Galliae Comatae primores ius honorum, quod expetiverint, consecutos, sed primos inter eos Aeduos enumeratos esse. Ac mihi quidem haec posterior sententia placet. Non enim solis Aeduis hoc ius oratione sua a senatu petivit, sed omnibus Galliae Comatae primoribus, neque usquam a Tacito significatur aut rei ratio suadet, senatus consultum quidquam contra principis orationem statuisse.» Zell. Recte puto. Post deliberatum videtur, quo ordine ceteris pro singulorum meritis illud ius honorum tribueretur. — *fraternitatis*] Cic. ad Fam. 7, 10: *fratres nostri Aedui* (hic quidem iocabundus). Caes. B. G. 1, 33: *Aeduos, fratres consanguineosque saepe numero a senatu appellatos.* Eumen. Paneg. 2. (Supposititius est titulus, quem hic afferunt ex Grut. 499, 13: *GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES. ROM. IMP.*) — *Romulus maiorum*] Discrepat Tacitus a ceteris antiquis auctoribus, quorum testimonia haec sunt: Cic. de Re publ. 2, 20: *L. Tarquinius principio duplicavit pristinum patrum numerum; et antiquos patres maiorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat; a se adscitos, minores.* Liv. 1, 35: *Tarquinius centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati.* Quae exscripsit Aur. Victor de viris ill. 6. Dionys. Hal. 3, 67: *ἐπιλέξας ἄνδρας ἑκατὸν — — πατρικίους ἐποίησε καὶ κατέταξεν εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμόν.* Propius ad Tacitum accedunt, quae narrat Livius 2, 1: *Brutus caedibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit; traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres quique conscripti essent.* Serv. ad Aen. 1, 426: *Legitur apud quosdam Brutum eos, qui se in eiiciendis regibus iuvissent, lectos in consilium, eum ordinem senatum appellatum, quod una sensissent (senuissent?); quod patricii essent, patres conscriptos. Alii patres a plebe in consilium senatus separatos tradunt, et conscriptos, qui post a Servio Tullio e plebe electi sunt.* Recentiorum hac de re opiniones hic enumerare nihil attinet. — *exhaustis*] Zumpt *über den Stand der Bevölkerung S.* 64: *«Dass alle die, welche*

que ius exuendi ordinis. facilem eius rei veniam. et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti ignominiam mollirent. ob ea Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscuum patris patriae cognomentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda. sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem. condiditque lustrum, quo censa sunt civium quinquaginta novem centena octoginta quattuor milia septuaginta duo. isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

(26) Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urguebat. quippe non eo ventum ut senectam principis opperirentur.

1. *exeundi* M. *Exuendi* auctore Lipsio primus recepit Ryckius; illud reposuit Walther. — 3. *uipsanius* M. Emendavit Ryckius. — 4. Habet *promiscuum* h. l. M. — 6. *ads.* M: *ass.* B. — 7. *LVIIII. LXXXIIII. LXXII.* M. — 11. *Iam*] «Malim *nam.*» Bekk. — *adulterorum* M. Ex Spir. correxit Ernestius; illud reposuit Walther. — 12. *abrupi* M. — 14. *urguebat*, non *arguebat*, M: *urgebat* B. — *senecta principis opperiretur* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano.

der Dictator Caesar im J. 46. vor Chr., und Augustus zwei Mahl, im J. 33. und im J. 29. vor Chr. in Folge von Senatsbeschlüssen, gewiss nicht allzu sparsam, allegirt hatten, unter Claudius im J. 48. nach Chr., d. h. 80 bis 90 Jahre nachher, schon wieder e r s c h ö p f t *waren (wie Tacitus sagt) oder grösstentheils untergegangen waren (wie sich Dio Cassius ausdrückt) verdient sehr beachtet zu werden. — Tacitus übergeht bei Augustus die wahrscheinlich kleinere Ergänzung, die im J. 33. statt fand, s. Dio 49, 43., wogegen Dio von der andern mit den Worten ἐπειδὴ τό γε πλεῖστον ἀπολώλει σφῶν spricht. Man kann die Tyrannei zweier Kaiser, des Tiberius und Caligula anklagen, jedoch wird die Sache dadurch nicht erklärt, da die Verfolgung meist Männer in demjenigen Alter traf, wo sie schon Nachkommen haben mussten, und die Kinder in der Regel verschont wurden. Ich halte für richtiger was Sadler (Law of population. Book IV. ch. 23.) an der Englischen Geschichte beweist, dass hoher Rang und Ueberfluss gerade am wenigsten die Dauer der Familien verbürgt. — lege Cassia*] De lege hac nominatim nusquam traditur. Rem tradit Suet. Caes. 41: *patricios allegit*; sed id fecit potestate, quam lex Cassia dederat. Ern. Probabiliter Caesaris iussu in usum praesentem dicis causa ea lata est a C. Cassio, illius tunc amico, postea interfectore, ut olim a Sullae assecla lex Valeria. — *lege Saenia*] Dio 52, 42. hunc patriciorum dilectum confert in a. u. 725: *τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε, τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι.* Legibus tunc nomina a consulibus; et consul suffectus prioris anni L. Saenius in monumentis. Lips. In Monum. Ancyr. T. II.: *Patriciorum numerum auxi consul quintum* (a. u. 725.) *iussu populi et senatus. — recens repertam*] ab Augusto. Dio 52, 42. Suet. Oct. 35. — *exuendi*] ut 3, 17: *exuta dignitate.* Hist. 2, 86: *senatorium ordinem exuerat.* Ad lect. Cod. *exeundi* vindicandam conferri non debebat a Bachio 6, 49: *donec filius lubricum aetatis exiret. — senatu*] De hac senatus lectione cfr. 12, 4. et 52. Zell Claud. p. 31. — *quinquaginta* cet.] 5,984072., sed auctore Hieronymo in Chron. p. 430. Roncall. 6,844009., apud Syncellum 6,941000. V. Zumpt l. l. p. 63. Cassiodori locus in Ed. Roncall. p. 193. mancus est.

26. *non eo ventum*] «non adeo se inopes esse ad obtinendum finem suum publici matrimonii contrahendi, ut necesse

insontibus innoxia consilia, flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum. adesse conscios paria metuentes. se caelibem, orbum, nuptiis et adoptando Britannico paratum. mansuram eandem Messalinae potentiam, addita securitate, si praevenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita irae properum. segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram, scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret. nomen tamen matrimonii concupivit ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. nec ultra exspectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia celebrat. (27) haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam audisse auspicum verba, † subisse, sacrificasse apud deos; discubitum

2. *patriâ* (sic) M. — 3. *brittannico* M. — *messaline potentia* M. — 4. *incautu* M. — 6 *maritu* M. — Habet *summa* M, non *summam* Bud. Guelf. — 7. *p̄tiis* M. — *estimaret* M. — 8. *magnitudine* M. — 9. *ult exp.* (syllaba *ex* corr.) M. — 10. *hostiam* M. — *sollemnia* M: *solennia* B. — 11. *tanto nullis* M. — 12. *nichil* M. — 15. Ante v. *subisse* vel post hoc excidisse nonnullis aliquid videtur. Lipsius suspicatus est *iugum* ex Servio ad Aen. 4, 16., Heinsius *templa*. Quidni *suffisse*? Or. — *discubitu* M.

sibi foret Claudii mortem exspectare, quae, quamvis senex ille esset, nimis tamen tarde accidere posset.» Nihil sunt Waltheri suspiciones *opperiretur* vel *opperirentur*. — *insontibus*] «iis tantum, qui insontes essent, nullum periculum imminere, si lente agerent et prudentibus consiliis se tutarentur.» — *paria metuentes*] «quique propterea, ut semet ipsos servarent, flagitium proditurì essent.» — *infamiae*] Comparant Senecae Ep. 123: *Nolunt solita peccare, quibus peccandi praemium infamia est.* — *prodigos*] Ex v. *infamiae* eliciendum est *famae*; «qui bonam existimationem susque deque habent;» ut Vell. 2, 48: *pudicitiae prodigus*; nec simpliciter significat ἀσώτους, *roués*. — *sacrificii*] Immo rei frumentariae gratia, ait Dio 60, 31., *animi et pellicum causa* Aurelius Victor de Caess. 4. Sed sacrificium credo a Claudio institutum rei frumentariae causa in Castorum aede. Id enim numen ibi cultum ventorum marisque causa. Ita lego apud Ammianum 19, 10. in summa inopia frumenti Tertullum, praef. annonae, *apud Ostiam in aede Castorum sacrificasse tranquillitatemque mare mollivisse*. Id sacrum perpetuum fuit, et suspicor a Claudio institutum, qui portum illum celebrem et forum Ostiae exstruxit. Celebrabatur sollemni quadam laetitia mense Maio; ideoque post secula Maiuma dictum. Cfr. Iulianus in Antioch. p. 362. Suidas in Μαϊουμᾶς. Lips.

27. *nedum consulem designatum*] Personae eius eminentiam respicit, in qua nihil esse poterat obscurum. — *obsignarent*] Intellige tabulas dotis sive, ut C. 30. vocat, *tabulas nuptiales*. Suet. Cl. 26: *Dote inter auspices consignata.* (Taciti narrationi de Claudii itinere Ostiensi repugnare utique videtur id, quod Suet. Cl. 29. dubie narrat: *Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit; inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quaedam ostenta portenderetur.* — *suscipiendorum*] Ea formula in nuptiis sollemnis. Augustin. de C. D. 14, 18: *Quid concubitus coniugalis, qui secundum matrimonialium praescripta tabularum procreandorum fit causa liberorum?* Cfr. Suet. Iul. 52. Interpretes ad Horat. Epp. 1, 2, 42: *Quaeritur argentum puerisque beata creandis Uxor.* — *auspicum*]

inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentia coniugali. sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam. (28) igitur domus principis inhorruerat; maximeque quos penes potentia et, si res verterentur, formido, non iam secretis colloquiis, sed aperte fremere, dum histrio cubiculum principis † exultabero, dedecus quidem illatum, sed exscidium procul afuisse: nunc iuvenem nobilem, dignitate formae, vi mentis ac propinquo consulatu, maiorem ad spem adcingi; nec enim occultum quid post tale matrimonium superesset. subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum, multasque mortes iussu Messalinae patratas. rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream. sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam confitenti forent. (29) ac primo Callistus, iam mihi circa necem C. Caesaris narratus, et Appianae caedis

2. *nichil* M. — 4. *verterentur* Bud. Guelf., Walther, Ritter, Doederlein: *ueterentur* (sic) M, *verterent* Lipsio auctore B. — 5. *histruo* M. — *exultabero* corrupte M: *exsultaverit* Salmasio et I. Fr. Gronovio auctoribus B, *insultaverit* cum Bipontinis Oberlinus, *cubiculo principis exulaverit* Seyffert. Ad sensum aptum foret: *cubiculum principis expugnaverit*, «quasi vi illicita occuparit.» — 6. *sed et scidium* M, non *sed discidium*, uti visum est Victorio. — *afuisse* nos: *affuisse* M, *abfuisse* B. — 7. *forma* M. Correxit Lipsius. — 8. *adc.* M: *acc.* B. — 10. *devinctu* M. — 12. *damnata* M. — 14. Habet *Callistus* M, non *Calistus* Edd. vett. — *mi* M. — *C.* vel *Gai* (B.) abest a M. Supplevere Faërnus aliique. — *appiane cedis* M.

nuptiarum, *qui re* (auspicio) *omissa nomen tantum tenent*. Cic. de Div. 1, 16. Hi ex parte viri nuptiis intererant, ut *pronubae* ex parte uxoris. De iisdem Messalinae nuptiis Iuvenalis 10, 336: *veniet cum signatoribus auspex*. — *subisse*] Vel verbum est corruptum vel excidit aliud, ut Heinsius *templa* addere volebat. Alii cogitarunt de ritu memorato a solo Servio, auctore haud nimis locuplete, ad Aen. 4, 16: *Iugum imponebatur matrimonio coniungendis*, *unde et Iuno* Iugalis *dicitur*. Equidem malim *suffisse*, quod apte coit cum vv. *sacrificasse apud deos*, in quibus bella inesset κλῖμαξ. — *discubitum*] ab iis esse more nuptiali, ita ut nova nupta in gremio mariti iaceret. Iuven. 2, 119: *Signatae tabulae; dictum FELICITER! ingens Coena sedet*; *gremio iacuit nova nupta mariti*. — *licentia*] Cogita etiam de versibus Fescenninis tunc decantatis. — *senioribus*] Cfr. 3, 16. — *tradam*] et quae iam rettuli et quae postea evenere, ut similiter 13, 20. Hist. 3, 51: *haud absurde memorabimus*.

28. *quos penes potentia*] Callistus, Narcissus imprimisque Pallas. — *verterentur*] ut 5, 4: *summa verti posse*. Vel maioris elegantiae gratia vel mero casu Lipsius ac plerique post eum contra Med. fidem *verterent*, ut 2, 20: *in perniciem ipsis vertebat*. — *histrio*] Mnester, de quo C. 36. — *exultabero*] Gronovius *exultaverit*, suam post Salmasium coni., quae inter ceteras adhuc optima est, explicavit ex Gr. ἐξορχεῖσθαι, καταπαίζειν, καταισχύνειν, ut idem fere sit ac *polluerit*; idem v., si vere correctum sit, Doederlein significare putat *saltando expugnare;* utrumque sane sine exemplo, ac posterior ratio historiae dignitati haud nimis convenit. — *utque*] «timendumque, ne etiamsi Messalina ipsa flagitium confiteretur, nihilominus hebes ille Claudius ei ignosceret.» Scilicet in v. *discrimen* inest metuendi notio.

29. *Callistus*] Caligulae necis conscius particepsque fuit hic libertus. Cfr. Seneca Ep. 47. Ioseph. Ant. 19, 1, 10. quo teste οὐδὲν ἄλλο ἢ ἰσοτύραννον εἶχε τὴν δύναμιν. Dio 59, 19. — *Appianae*] Cfr. Dio 60, 14. Suet. Claud. 37: *Pari modo oppressum ferunt Appium Silanum, quem cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito patroni cubiculum irrupit affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admirationem*

molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, num Messalinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes. dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiae peritus, et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi; perstitit Narcissus, et solum id immutans, ne quo sermone praesciam criminis et accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Caesaris mora, duas pellices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, et uxore deiecta plus potentiae ostentando, perpulit delationem subire. (30) exin Calpurnia (id pellici nomen), ubi datum secretum, genibus Caesaris provoluta nupsisse Messalinam Silio exclamat. simul Cleopatram, quae idem opperiens adstabat, an comperisset interrogat, atque illa annuente cieri Narcissum postulat. is veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vettios, cis Plautios dissimulavisset, nec nunc adulteria obiecturum

3. *dein* M: *deinde* B. — *ultra* M et Spir. Correxit Puteolanus. — 5. *habere* pr. M, ut videtur. — 6. *et solum*] *ut solum* M, *solum* Agr. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — *accusatores* M. — 7. *hostiam cesaris* M. — 8. *pelices* M. — *corpori* M: *corporibus* cum Bud. Spir., Ernestio B, correctione minime necessaria. — 9. *potentia eos tēptando* M. — *perculit* M et Spir. Correxit Puteolanus. — 10. *exim* pr. M. — *pelici* M. — *genibus Caesaris* M: *Caesaris genibus* cum Edd. omnibus B. — 12. *quae opperiens adstabat*, *idem an c.* suspicatur Doederlein, *quae id* vel *id ipsum opperiens* Halm. — 13. *ann.* M: *adn.* B. — 14. *ei cis uetticis plautio* M. (*ei Titios, Vectios, Plautios* Brotierius prob. Handio Turs. II. p. 76. et Halmio.) Secutus sum cum B I. Fr. Gronovium, sed scripsi *Vettios* pro *Vectios* B. — *dimulavisset* M.

firmata sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obversari rettulit. Nec multo post ex composito Appius irrumpere nuntiatus, cui pridie, ad id temporis ut adesset, praeceptum erat, quasi plane repraesentaretur somnii fides, arcessi ac mori iussus est. — *flagrantissima*] *leidenschaftlichst begünstigt;* cfr. 13, 14: *flagrantissimus in amicitia eius.* — *cuncta alia*] adulteria et flagitia, memorata C. 12. extr. — *corpori*] Putide mutarunt in *corporibus;* videlicet maiorem despicientiam habet Med. num. singularis, significans Claudium propter formam dumtaxat harum muliercularum consuetudine usum neque propterea magnopere se ab eis deleniri aut decipi passum esse.

30. *idem*] ut ipsa quoque indicium faceret, quo Calpurniae (libertae sine dubio) fides augeretur. — *cis Vettios*] «*cis* idem vult quod *intra.* Sic Plaut. Most. 1, 1, 17: *cis paucas tempestates.* Mox 12, 22: *vis Agrippinae citra ultima stetit.* «Veniam peto, Caesar, inquit,» quod tacui, dum Vettiis, dum Plautiis moechis contenta fuit Messalina, dum intra hos et horum similes libidinem stitit.» Gron. Plures autem neminem Latinorum sic locutum esse contendentes praetulerunt Brotierii rationem: *quod ei Titios, Vettios, Plautios dissimulavisset*, quae ducta est ex Cod. Agric. *quod ei Cicios, Vettios, Plautios d.*, huc arcessito *Titio* ex C. 35. At parum animadverterunt, quam prava esset ista quoque lectio. Quodsi enim Narcissus hosce adulteros hactenus dissimulaverat, tam brevis eorum significatio ad indicium adulteriorum faciendum minime profecto sufficiebat; immo manifestum est hos minores Messalinae moechos iamdudum apud principem delatos esse. Sin autem huius coni. defensores dicent: «non quidem a Narcisso, sed ab aliis:» reputent necesse est, etiam hoc si factum esset, Claudium certe nihilo minus de iis libertinum intimum interrogaturum fuisse, qui tunc circa eos dissimulare nequaquam potuisset. Quocirca, etsi Lipsii Gronoviique *cis* non praestamus, similem tamen sententiam requirimus Gronovianae illi, sic tamen clarius enuntiandam: «Ignosce, Caesar,» inquit, «quod ante substiti in Vettiis Plautiisque ad te deferendis nec progressus sum usque ad Silium, virum multo ampliorem et consu-

ait, ne domum servitia et ceteros fortunae paratus reposceret. frueretur immo his, et redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales. «an discidium» inquit «tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus et senatus et miles; ac ni propere agis, tenet urbem maritus.» (31) tum potissimum *quemque* amicorum vocat; primumque rei frumentariae praefectum Turranium, post Lusium Getam praetorianis inpositum percunctatur. quis fatentibus certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitati ante quam vindictae consuleret. satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret an ipse imperii potens, an Silius privatus esset. at Messalina non alias solutior luxu, adulto auctumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat. urgeri praela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchae; ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci

1. *ne - - reposceret* M, quod restituere Walther, Ritter, Doederlein: *nec - - reposcere* cum Acidalio et Freinshemio B. — *domum servitia* distinguunt plerique, etiam Walther, Ritter, Doederlein. Recte, puto, Seyffert arte iungit *domum reposceret*. — 2. *his et* M: *iis: sed* Ernestio auctore B. — Habet *discidium*, non *dissidium*, M. — 4. *potissimum quemque*] Cum Walthero, Rittero, Doederleinio ascivi supplementum Cod. Agr.: *potissimum* M, *potissimos* B. — 6. *inpostum* M, *impositum* B. — *quis* superscripta gl. *quibus* M, quam tenent omnes editiones ante B. — 7. Habet *fatentibus* M, non *facientibus*, ut narratur apud B. (*tacentibus* Lipsii libri et ed. Spir.) — *certium* M, *tum certatim* Puteol. (*tum* recte expunctum ab Ernestio.) — 11. Habet *celebrabat* M, non *celebrat* Spir. Beroald. — 13. *fuso* Oxon. — 14. *coturnos* M. — *capud* M.

lem nunc designatum, eiusdem culpae affinem: etenim ad hunc iam amandum processit uxoris tuae temeritas.» Ceterum de Vettio praeter C. 35. cfr. Plinium de medicis 29, 4: *Exortus mox est Vettius Valens, adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus*; de Plautio 13, 11. — *ne*] nedum. Sal. Cat. 11: *Quippe secundae res sapientium animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.* — *rumperetque*] Iuven. 9, 75: *tabulas quoque ruperat, et iam Signabat* (alias): *tota vix haec ego nocte redemi.* Sic *rumpere testamentum.*

31. *potissimum*] sine *quemque* Walther explicat τὸ κράτιστον τῶν ἑταίρων, comparans 15, 61: *quod erat saevienti principi intimum consiliorum*, de Poppaea et Tigellino. Conferre non debebat Germ. 35: *plurimum virorum equorumque*, id quod vulgare est. — *Turranium*] 1, 7. — *Lusium Getam*] 12, 42. — *fatentibus*] reapse Messalinam nupsisse Silio; hi cum confirmassent, ceteri minores principis amici circumstrepere audent. Inepta est lectio Mss. Lipsii et Ed. Spir. *tacentibus*, probata tamen Acidalio. — *adulto auctumno*] medio fere auctumno sive mense Octobri. Cfr. 2, 23. — *simulacrum*] intellige vites cum uvis suis ex vinea aliqua suburbana in Silianae domus hortos ad hoc transportatas esse. — *vindemiae*] In Kalendario rustico Farnesiano Inscr. m. Lat. II. p. 381: *MENSIS OCTOBER - - VINDEMIAE SACRVM LIBERO.* Capitol. in Antonino Pio 11: *Vindemias privati modo cum amicis agebat.* Perdiu hic mos remansit. Gregor. Tur. 5, 31. ad a. post Chr. 578.: *procedente Tiberio Caesare ad villam, ut iuxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur* cet. — *lacus*] mustum fluebat in lacus vinarios picatos. Cat. R. R. 25. — *pellibus*] damarum, quibus Bacchae cingebantur. Quod Guelf. Oxon. habent *nebridibus*, merum est glossema docti alicuius Itali Sec. XV., ductum fortasse e Statii Theb. 2, 664: *Nebridas et fragiles thyrsos portare putastis Imbellem ad sonitum?* — *Silius*] ut Antonius apud Vell. 2, 82: *cum novum se Liberum Patrem appellari iussisset, cum redimitus hedera coronaque velatus aurea et thyrsum tenens cothurnisque succinctus curru velut Liber Pater vectus esset Alexandriae:*

choro. ferunt Vettium Valentem lascivia in praealtam arborem connisum, interrogantibus quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive coeperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit. (32) non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni afferrent. igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu ad munia fori digrediuntur. ceteris passim dilabentibus adfuere centuriones, inditaque sunt vincla, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit, iussitque, ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent. et Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. atque interim, tribus omnino comitantibus — id repente solitudinis erat — spatium urbis pedibus emensa, vehiculo quo purgamenta hortorum † eripiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat. (33) trepidabatur nihilo minus a Caesare: quippe Getae praetorii praefecto haud satis fidebant, ad honesta seu prava iuxta levi. ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum. ac ne, dum

1. *Vettium* M: *Vectium* B. (Utroque modo scriptum reperitur nomen in titulis.) — 2. *hostia* M. — 3. *coeperat* M: *ceperat* Guelf. et Lipsio auctore B. — *lassa* M. — 5. *fucilianos* M. Correxit Beroaldus. — 6. Habet *metu* M, non *metum* Bud. — 7. *adf.* M: *aff.* B. — Habet *vincla* M. Ante Waltherum edebant *vincula*. — *repper.* M. — 8. *quanquam* h. l. M, sicut B. — 9. *eximirent* superscr. *e* M. — 10. *misique* (sic, non *missique*, ut traditur apud B) M. Correctus est error iam in Edd. vett. — *britt.* M. — 12. *pontifici* M. — *audire* pr. M. — 14. Habet *eripiuntur* M. (*excipiuntur* vel *egeruntur* malebat Heinsius; prius praestat.) — 15. *hostiensem* M. — *cuiusq;* id est, *cuiusque* M. Emendavit Puteol. — 17. *fidebant* M: *fidebat* B. — 18. *ads.* M: *ass.* B.

(ubi *succinctus* intellige de fasciis et fibulis, quibus suris subnectebantur cothurni, neque necessarium Ruhnkenii *subnixus* a Kritzio receptum.) — *sive coeperat ea species*] sive re vera imminentis tempestatis species aliqua ab eo adspici coeperat.

32. *nuntii*] certi opponuntur vago rumori. — *incedunt*] superveniunt unus post alterum. — *Lucullianos*] quibus inhians Asiaticum perdiderat. Vide C. 1. Dio 60, 31. — *eximerent*] non concederent, ut probe consideratum aliquod et certum consilium caperet, temere prope, nihilque melius excogitans Claudio obviam ire statuit. Cfr. 1, 32: *eximere constantiam*. — *iussitque, ut*] Cfr. Drak. ad Liv. 23, 21. 32, 16. Non tamen inest in hac constructione *iubeo*, *ut* id quod Walther opinatur, ut ea ipsa significetur Britannicum et Octaviam praesentes non fuisse sed imperasse Messalinam servis, ut eosdem monerent pergere in complexum patris. — *virginum Vestalium*] interventu propter summam sacerdotii sanctitatem saepius utebantur homines Romani. Hist. 3, 81. Cic. Font. 7. Suet. Iul. 1. Princeps collegii vocabatur *virgo Vestalis maxima*, quae, plerumque certe, eadem erat natu maxima. — *spatium urbis*] totam urbis longitudinem a colle Hortulorum, in quo horti Luculliani, usque ad portam Ostiensem. Ryck. — *eripiuntur*] Hoc sane corruptum ac feliciter Heinsius *excipiuntur*. Cogita de homine, qui certa pro mercede, quandocunque opus est, statis, puto, diebus hortos praetervehitur et ramos exputatos, malas herbas exstirpatas, folia quae deciderunt, in carrum excipit atque aliquo asportat.

33. *nihilo minus*] Alii explicant: »quam-

in urbem vehitur, ad paenitentiam a L. Vitellio et P. Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque. (34) crebra post haec fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium quam «o facinus! o scelus!» instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet, exemploque eius Largus Caecina uteretur. et iam erat in aspectu Messalina, clamitabatque audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstrepere accusator, Silium et nuptias referens. simul codicillos libidinum indices tradidit, quis visus Caesaris averteret. nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret ne indefensa coniux exitio daretur. igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim virgo et sacra capesseret. (35) mirum inter haec silentium Claudii, Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem iubet. ac primum in vestibulo effigiem patris Silii

1. *in urbem refertur uehitur* M. (sic; non *in u. referatur v.*, ut traditur apud B.) *in urbem separatus vehitur* suspicatur Fr. Iacobus. Equidem puto Tacitum scripsisse: *in urbem revehitur*, scriptorem autem librarium per errorem cum scripsisset *in urbem refertur*, eo animadverso statim *vehitur* subiunxisse, noluisse vero deturpare codicem deletis falsis syllabis *fertur*. — *L.* M: *Lucio* B. — *et* om. M. Insertum est auctore Brotierio. — *P.* M: *Publio* B. — 2. *assumitque* M. (Error ortus ex praeced. *assumptis*; correctus est in Guelf. Bud. Reg. Spir.; *assumiturque* Waltheri coni. probat Doederlein.) — 8. *et iam*] *etiam* M. — 9. *obstreperet* M. Emendavit Acidalio auctore Ernestius. — 11. *quis* (per compendium) M: *quibus* B. — 13. *quid multa?* (sic) M. Emendatum in Guelf. Spir. — 14. *coniux* pr. M: *coniunx* B cum corr. M. — 15. *respondit*] *R* cum arcu M. — *capesceret* pr. M. — 16. *claudi iulius* M.

vis nihil iam timendum esset»; alii: «aeque atque a Messalina,» cui sane interpretationi favet Cod. Med. *fidebant*, Caesar eiusque comites. — *ius militum*] ius in praetorianos. Sic Hist. 2, 92: *iura libertorum*. — *P. Largo*] qui nusquam praeterea memoratur a Tacito; silet etiam Dio; putant fratrem fuisse C. Caecinae Largi cos. a. 795. Dio 60, 10. (v. Ryckium:), quem in consulatu interfectum narrat Lipsius confundens cum Largo Caecinam Paetum. Ἀσύνδετον autem Cod. Med. *et* omittentis sollemne est in consulum paribus nominandis, vix tamen tali in narratione tolerandum. — *gestamine*] curru, non sella gestatoria, ut Lipsio videtur; primo propter quattuor loca, quae vix in sella ab hominibus portari solita dari possunt; dein propter tempus brevius huic itineri impensum, quam ut ab hominibus portari potuerit sella; denique quoniam de hoc gestamine usurpatur v. *vehitur*. Ryck. — *sumitque*] Hoc multo melius describit liberti arrogantiam, qua patroni permissum ultro praevenit, quam languidum illud Waltheri *assumiturque*.

34. *o facinus*] *Ambages* has vocat Narcissus, quia iis vel Messalinae discidium vel liberti delationem significare poterat Vitellius, in unam alteramve partem interpretaturus, prout Messalina aut Narcissus superior ex hoc certamine discessisset. Doed.

35. *ignaro propior*] Simulabat se rem non prorsus compertam habere. — *effigiem*] In atrio sive in vestibulo aedium imagines maiorum, uti hic Silii patris. Sed enim Silius legatus olim superioris Germaniae damnatus crimine maiestatis cum uxore Sosia Galla 4, 19.; ideoque et imagines

consulto senatus abolitam demonstrat, tum, quicquid avitum Neronibus et Drusis, in pretium probri cessisse. incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata contione militum; apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit: nam etsi iustum dolorem pudor impediebat. continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium; admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras tentavit, precatus, ut mors acceleraretur. eadem constantia et illustres equites Romanos cupidos maturae necis fecit. Titium Proculum custodem a Silio Messalinae datum, et indicium offerentem, Vettium Valentem confessum et Pompeium Urbicum ac Saufeium Trogum ex consciis tradi ad supplicium iubet. Decrius quoque Calpurnianus vigilum praefectus, Sulpicius Rufus ludi procurator, Iuncus Vergilianus senator eadem poena affecti. (36) solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis qua se obnoxium iussis Messalinae dedisset. aliis largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam; nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Si-

1. *habitum* M. Correxere Faërnus et Chiffletius. — 2. *p̄tium* M. — 3. Habet *erumpentem* M; ante Ernestium edebant cum Puteol. *prorumpentem.* — *cont.* M: *conc.* B. — 5. *continuus dehinc cohortium clamor* (hoc ordine) M. Ante Ern. *cohortium clamor dehinc continuus,* ut Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. — *paenas* M. — 7. *templavit* M. — *p̄catus* M. — 8. *romani cupido mature necis fuit. et titium* M. Emendata haec iam in ceteris Codd. et Edd. vett. — Habet M *custodem a Silio Messalinae,* non, ut cum Spir. ante Pichenam edebant, *custodem Silio ac Messalinae.* — 9. Distinxi cum Seyfferto, ut vv. *et indicium offerentem* ad Titium, non, ut vulgo, ad Vettium referantur. — *Vettium* M: *Vectium* B. — 10. *Saufeium* Lipsius: *saufelum* M, in quo litterae *i* et *l* sunt simillimae; *Saufellum* B. — 11. *tradi* M: *trahi* cum Rhenano B. — *Decrius* M: *Decius* cum Beroaldo B. (*Decrius* est 3, 20. Grut. 241. Col. 1.) — *vigilium* M. (corr. in Guelf.) — 12. *Vergilianus* Beroaldus: *ugilianus* M cum lineola super litt. *u*, qua nota sane significatur *ver.*, *Virgilianus* B. — 13. *paena* M. — Habet *Mnester* M, non *menester* Guelf., nec *minister* Spir. — 16. *cuiqua* M.

abolitae, quas tamen filius restituerat. Criminatur ergo id libertus. Lips. — *avitum*] Cap. 12. et 30. — *Romanos*] Cod. lectio ut iustum sensum praebeat, interpunge post *Romani* et repete *eadem* ante v. *cupido.* Sed vulgata vera sunt. Walther. Non igitur, ut ait Doederlein, illam tuetur, sed aspernatur. — *custodem*] vel, serio si explices, quia Silius ipse tot Messalinae libidinum exemplis monitus ei diffidebat, vel etiam observare ac praenoscere volebat facile illius fastidium, quod ipsum pervertisset; vel, ut I. Fr. Gronovius malitiose ac facete interpretatur: «Sine dubio illa castas imitata, per blanditias hunc ἀοιδὸν a marito novo ipsa exegit. Martialis 10, 69: *Custodes das, Polla, viro, non accipis ipsa.* Talis ille, qui *dominam nec vir nec femina* servabat adversus Nasonem Am. 2, 3, 1. Iuvenalis 6, 347: *quis custodiat ipsos custodes?*» — *indicium*] ait in Ter. Eun. 5, 7, 13. Donatus, *proprie est eius, qui una peccaverit.* Pseudasconius Divin. in Caec. 11: *Index est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita.* — *tradi ad supplicium*] Correctione *trahi* neutiquam egebat. Nepos Phoc. 4: *undecimviris ad supplicium - - publice damnati tradi solent.* Suet. Vit. 14: *quendam supplicio traditum.* — *ludi procurator*] cuius cura ludorum publicorum. Cfr. 13, 22. Suet. Cal. 27. *procurator munerum.* Inscr. m. Lat. N. 1085: *procurator ludi magni et procurator ludi matutini.*

36. *verberum*] quibus ipsum Messalina caedi iussisset, quoties huius libidinem non ita satiaret, ut requirebat illa, de qua Iuvenalis 6, 130: *Et lassata viris necdum satiata recessit* e lupanari. — *vocis*] Dio

lius rerum poteretur. commotum his et pronum ad misericordiam Caesarem perpulere liberti, ne tot illustribus viris interfectis histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. is modesta iuventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suillio Caesonino et Plautio Laterano mors remittitur, huic ob patrui egregium meritum: Caesoninus vitiis protectus est, tamquam in illo foedissimo coetu passus muliebria. (37) interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira: tantum inter extrema superbia egebat. ac ni caedem eius Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. nam Claudius domum regressus et tempestivis epulis delenitus, ubi vino incaluit, iri iubet nuntiarique miserae (hoc enim verbo usum ferunt) dicendam ad causam postera die adesset. quod ubi auditum et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox et uxorii cubiculi memoria timebantur, prorumpit Narcissus, denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderant, exsequi caedem: ita imperatorem iubere. custos et exactor e libertis Euodus datur. isque raptim in hortos praegressus repperit fusam humi,

1. Habet *poteretur* M, non *potiretur*. — 3. *nichil* M. — 6. Habet *fastidia* M, non *fastidio* Spir. — *Suillio*, ut 4, 31. nos: *Suilio* M B. — 7. Habet *Plautio* M, non *Plaucio* Spir., nec *Plantio* Puteol. — *gregium* M. — 9. *lucilianis* M. Emendavit Alciatus. — *ortis* M. — 10. *p̄ces* M. — *tantum* - - *egebat* M: *tanta* - - *agebat* cum Guelf. et Puteol. B. — 12. Habet *pernicies* M, non *perniciem* Guelf. — 13. Habet *delenitus* M, non *delinitus*, ut vulgo ante Walth. et B. — 16. Habet *prorumpit* M, non *prorupit*, ut Edd. ante Pichenam. — 17. *aderat* M, quod praetulit Walther. Ut nos, Guelf. Puteol. — 18. *exequi cedem* M. — Habet M *et*, quod omittit Beroaldus. — *exauctor* M. -- 19. *datur* M: *datus* cum Edd. post Spir. B. — *ortos* M. — *p̄gressus* (lineola videtur a correctore), qui leg. significavit *praegressus*, ut dedit Puteol. Beroald. et cum recentioribus B., *progressus* Guelf. Rhen.

60: 22: *Καὶ οὕτως εἰπόντος αὐτῷ τοῦ Κλαυδίου, πάνθ' ὅσα ἂν προστάττηται ὑπὸ τῆς Μεσσαλίνης ποιεῖν, συνῆν αὐτῇ, ὡς καὶ τοῦθ' ὑπ' ἐκείνου κεκελευσμένος.* — *patrui*] A. Plautii, suspicor, qui Britanniam Claudio subegit. Cfr. Agric. 14. Lips. — *passus muliebria*] Simile illorum inventum in Suet. Dom. 10: *qui se, quo facilius expertes culpae ostenderent, impudicos probaverant*; cinaedi enim virilitatis expertes habebantur. 6, 5.

37. *tantum* - - *egebat*] Cum variis animi perturbationibus, interdum etiam impotenti ira, agitaretur, tantummodo prior superbia atque insolentia eam deseruerat, quae, si tunc quoque in ea apparuisset, magnanimitatis speciem saltem aliquam praebere potuisset. *Tantum*, in quo haesit Doederlein *quantum* relativum desiderans, est *μόνον*, *nur*, *seulement*, ut 3, 57: *adulationis tantum infamia usurus*. Speciosae correctioni *tanta* - - *agebat* repugnant *preces* illae. — *verterat*] ut haud raro apud Tacitum (2, 20. 4, 31. 6, 19. 13, 37. 14, 31. cet.), intransitive. — *ubi*] primum cum aoristo, *auditum* est, dein cum infinitivis historicis, postremo cum imperfecto structum. Doed. Sane est *βραχυλογία*, pro qua facile alius dixisset: *ubi* - - *redire amorem animadvertebant*. — *Euodus*] *Euhodus* scribitur apud Grut. 611, 12. — *praegressus*] Narcissi voluntate perspecta festinat Euodus, ne fortasse novo Claudii iussu *meretricis Augustae*, ut eam vocat Iuvenalis l. l., supplicium revocetur; cum autem in illa aula tanta esset libertorum potentia, nemini ne tribuno quidem centurionibusque offensioni esse poterat huiusce sortis hominem ipsos praecedere. Otiosum est Guelf. *progressus*. —

assidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concors supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat, suadebatque ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud quam morti decus quaerendum. sed animo per libidines corrupto nihil honestum inerat; lacrimaeque et questus irriti ducebantur, cum impetu venientium pulsae fores, astititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis et servilibus probris. (38) tunc primum fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra iugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transigitur. corpus matri concessum. nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu. nec ille quaesivit, poposcitque poculum et solita convivio celebravit. ne secutis quidem diebus odii, gaudii, irae, tristitiae, ullius denique humani affectus signa dedit, non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios maerentes. iuvitque oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidii eius, cum supra Pallantem et Callistum ageret . . . honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur, tristitiis multis * * *

1. *que* M. — *supremis eius eius necessitatibus* M. — 3. Habet *morti* M, non *morte* Rhen. — 4. *nichil* M. — *lacrimeque* M. — 5. Habet *astititque* M, non *astitit* Put. — 6. Habet *at* M, non *ac* Guelf. Bud. Spir. — Habet *et* M, non *ac* Guelf. — 8. Habet *aut* M, non *ac* Guelf. Edd. ante B. — Habet *transigitur* M, non *transfigitur*, ut Edd. ante B. — 12. Habet *aff.* M, non *adf.* — 13. *merentes* M. — 14. Habet *ac* M, non *et* Guelf. — 16. Habet *fastidii* M, non *fastigii* Guelf. et alii Codd. — *supra*] *s* cum cauda M, quam notam *super* explicat Ryckius, uti sane est supra c. 28. in v. *superesset* et infra 12, 9.; *secundum* satis pro arbitratu Guelf. Harl. Bodl. Ies. Spir. Beroaldus cet. — *ageret . honesta* M. — 17. *quis* (per compendium) M : *quibus* B. — Habet *orerentur* M. — Habet *tristitiis multis* M, non *tristitiis inultis* Bud., nec *flagitiis multis* Puteol. — *multis. Cornelii Taciti Liber undecim; Exp.* (cum lineola) *Incip* (cum lin.) *XII.* M.

matre Lepida] Ryckius intelligit filiam M. Lepidi, de quo 1, 13. Hic enim habuit filiam nubilem a. 774., cuius nomine inter alias causas proconsulatum Africae excusavit 3, 35. Haec videtur primo matrimonio uxor data M. Valerii Messalae Barbati cos. a. 742. filio, e quo matrimonio nata Messalina. Aliter Lipsius, qui eam vocat Domitiam Lepidam, filiam L. Domitii et Antoniae maioris, amitam Neronis. — *ducebantur*] quo mortem aliquantulum differret. — *pulsae*] celeriter, apertae aliquanto minus violenter, quam si vi effractae essent. Seneca Nat. Quaest. 4. Praef.: *amica si ostium impulit, grata est: gratior, si effregit.*

38. *nomen*] Cfr. Grut. 113, 1. Inscr. m. Lat. N. 709.: *PRO SALVTE TI. CLAVDI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. COS. IIII. IMP. XV. P. P. CENSORIS. . . . . LIBERORVMQVE . . . . . EX VOTO SVSCEPTO. C. IVLIVS. SEX. F. COR*(nelia tribu). *POSTVMVS. PRAEF. AEGYPTI. TI. CLAVDI. CAESARIS AVG. GERMANICI. EX AVRI P. XVI.* (Romae.), ubi post v. *CENSORIS* haec erasa sunt *ET IVLIAE MESSALINAE AVG.* ac post v. *LIBERORVMQVE*, *EORVM*. — *effigies*] Supersunt in gemmis apud Mongez *Iconogr. rom.* p. 214. — *fastidii*] «Tantum erat fastidium, tanta arrogantia, qua in omnes abutebatur, ut hoc honoris insigne prorsus insolitum alias in liberto, ei in tam ingenti potentia res omnium levissima videretur.» Similiter de Pallante Plin. Epp. 8, 6: *Placuit aere signare omnes honores fastidiosissimi mancipii;* idemque Paneg. 55. iungit *fastidium et superbiam*. Multis blanditur coniectura, quam praebet Bud., *fastigii*, id est, potentiae, ut 3, 29: *ac tamen initia fastigii Caesaribus erant.* Verum Med. lectio (*der geringste Gegenstand (Grund) seines Uebermuthes* Walther:) multo est significantior atque exquisitior. — Ultima vero ita mutila sunt, ut neque explicari nec sanari queant.

EXCURSUS I. AD LIB. XI. C. XIV.

In aere publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo] Fieri potuit, ut Claudius imitaretur Augusti exemplum, qui hoc etiam inter arcana imperii servavit, ut in rebus praesertim levioribus sanciendis veterum plebiscitorum formula uteretur. Erat sane haec inter ceteras astutias, quibus hominum vulgo persuadere conabatur liberae rei publicae instituta a se abolita non esse. Exstat autem huius rei praeclarum monumentum apud Frontinum de Aquaeduct. Urb. Rom. Cap. 129. p. 218. Ed. Poleni. Patavii 1722. p. 195. Ed. Adler. Altonae 1792. p. 126. Ed. Rondelet. Paris. 1820., unicum plebiscitum, quod integrum nobis servatum sit,[1] quapropter hic exhibendum censui. Quaecunque inclinatis litteris excudenda curavi, ex supplementis sunt maxime Iocundi et Poleni.

T. QVINCTIVS. CRISPINVS.[2] COS. POPVLVM. IVRE. ROGAVIT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT.. IN FORO. PRO. ROSTRIS.[3] AEDIS. DIVI. IVLII. A. D. PR . .[4] IVLIAS. TRIBVS. SERGIA.[5] PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV . . . . .[6] SEX. L. F. VARRO.

QVICVNQVE. POST. HANC. LEGEM. ROGATAM. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA. LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. DVCVNTVR. SCIENS. DOLO. MALO. FORAVERIT. RVPERIT. FORANDA. RVMPENDAVE. CVRAVERIT. PEIOREMVE. FECERIT. QVOMINVS. EAE. AQVAE. EARVMVE. QVA.[7] IN. VRBEM. ROMAM. IRE. CADERE. FLVERE. PERVENIRE. DVCI. *POSSINT.*[8] QVOVE. MINVS. IN. VRBE. ROMA. ET· IN. IIS. AEDIFICIIS. QVAE. VRBI. CONTINENTIA. SVNT. ERVNT. IN. HIS. HORTIS. PRAEDIIS. LOCIS. QVORVM. HORTORVM. PRAEDIORVM. LOCORVM. DOMINIS. POSSESSORIBVSVE. AQVA. DATA. VEL. ADTRIBVTA. EST. VEL. ERIT. SALIAT. DISTRIBVATVR. DIVIDATVR. IN. CASTELLA. LACVS. IMMITTATVR. IS. POPVLO. ROMANO. C.[9] MILIA. DARE. DAMNAS. ESTO. ET. QVI. CLAM. QVID. EORVM. ITA. FECERIT. ID. OMNE. SARCIRE. REFICERE. RESTITVERE. AEDIFICARE. PONERE. ET. CELERE.[10] DEMOLIRE.[11] DAMNAS. ESTO. SINE. DOLO. MALO. ATQVE. OMNIA. ITA. VT. QVICVNQVE. CVRATOR. AQVARVM. EST. ERIT. SI.[12] CVRATOR. AQVARVM. NEMO. ERIT. TVM. IS. PRAETOR. QVI. INTER. CIVES. ET. PEREGRINOS. IVS. DICIT. MVLTA.[13] PIGNORIBVS. COGITO. COERCITO.[14] EIQVE. CVRATORI. AVT. SI. CVRATOR. NON. ERIT. TVM. EI. PRAETORI. EO. NOMINE. COGENDI. COERCENDI. MVLTAE. DICENDAE. [SIVE.] PIGNORIS.[15] CAPIENDI. IVS. POTESTASQVE. ESTO. SI. QVID. EORVM. SERVVS. FECERIT. DOMINVS. EIVS. HS. CENTVM. MILIA. POPVLO. DET.

---

1) Cfr. Göttling *Fünfzehn römische Urkunden. Halle* 1845. p. 3. — 2) Cos. a. u. c. 745. Varr. — 3) Intellige Rostra nova pro aede D. Iulii. Suet. Oct. 100. — 4) *Ante diem pridie;* excidit dies ipse, *KAL.* vel *NON.* vel *IDVS.* — 5) Polenus *TRIBV. SERGIAE.*, sed cfr. Lib. 9, 38: *Faucia curia fuit principium.* — 6) Excidit *PRIMVS. SCIVIT.* post *TRIBV* vel post *VARRO.* Nam in legis carmine haec vv. cogitatione suppleri posse, Adlero non credo. — 7) aliqua. — 8) Verbum suppletum iam in Ed. principe Romana. — 9) Fortasse ante *C.* excidit HS. — 10) Nota ἀρχαϊσμόν. — 11) Ἀρχαϊσμός, ut infra *NE MACERIAE. DEMOLIRENTVR.* — 12) *SI*] Sic Cod. Cassinensis et Iocundus. Supervacaneum est Brissonii supplementum *AVT SI*, servatum a Poleno. — 13) *MVLTAM* Codd. et Ed. ante Brissonium, qui correxit. — 14) Ἀρχαϊσμός, nisi merus est error. — 15) Cod. *MVLTA. DICENDA. SVNT. PIGNORIS.* Correxit Iocundus; equidem praefero ἀσύνδετον, quocirca *SIVE* seclusi.

SI. QVIS. CIRCA. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA. LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. ROMAM. DVCVNTVR. ET. DVCENTVR. TERMINATVS. [16]) STETERIT. NEQVE. QVIS. IN. EO. LOCO. [17]) POST. HANC. LEGEM. ROGATAM. QVID. OPPONIT. MOLIT. [18]) OBSEPIT. FIGIT. STATVIT. PONIT. COLLOCAT. ARAT. SERIT. NEVE. IN. EVM. [*LOCVM.* [19])] QVID. IMMITTIT. PRAETERQVAM. EORVM. [20]) FACIENDORVM. REPONENDORVM. CAVSSA. PRAETERQVAM. QVOD. HAC. LEGE. LICEBIT. OPORTEBIT.

QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. [ET.] ADVERSVS. EVM. SIREMPS. LEX. IVS. CAVSSAQVE. OMNIVM. RERVM. OMNIBVS[QVE.] ESTO. VTIQVE. VTI. [21]) ESSET. ESSEQVE. OPORTERET. SI. IS. ADVERSVS. HANC. LEGEM. RIVVM. SPECVM. RVPISSET. FORASSETVE. QVOMINVS. IN. EO. LOCO. PASCERE. HERBAM. FENVM. SECARE. . . . . CVRATORES. [22]) AQVARVM. QVI. NVNC. SVNT. QVIQVE. ERVNT. CIRCA. FONTES. ET. FORNICES. ET. MVROS. [23]) ET. RIVOS. ET. SPECVS. TERMINATVS. ARBORES. VITES. VEPRES. SENTES. RIPAE. MACERIA. SALICTA. ARVNDINETA. TOLLANTVR. EXCIDANTVR. EFFODIANTVR. EXCODICENTVR. [24]) VTIQVE. RECTE. FACTVM. ESSE. VOLET. EOQVE. NOMINE IIS. PIGNORIS. CAPTIO. MVLTAE. DICTIO. *COERCITIOQVE.* ESTO. [25]) IDQVE. IIS. SINE. FRAVDE. SVA. FACERE. LICEAT. IVS. POTESTASQVE. ESTO . . . . QVOMINVS. VITES. ARBORES. QVAE. VILLIS. AEDIFICIIS. MACERIISVE. INCLVSAE. SVNT. MACERIAE. QVAS. CVRATORES. AQVARVM. CAVSSA. COGNITA. NE. DEMOLIRENTVR. DOMINIS. PERMISERVNT. QVIBVS. INSCRIPTA. INSCVLPTAQVE. ESSENT. IPSORVM. QVI. PERMISISSENT. CVRATORVM. NOMINA. MANEANT. HAC. LEGE. NIHI-

---

16) pro v. *terminus.* — 17) in eo spatio stantibus terminis definito. Pol. — 18) Nota versus. Sic Cod. Cassin., sed Urbinas *MOLITVR.* — 19) *LOCVM* supplevit Iocundus; prorsus necessarium haud est. — 20) *praeterquam eorum* rivorum, specuum cet. *faciendorum.* Pol. — 21) Codd. Cassin. et Urbin. corrupte: *QVI. ADVERSVS. EA. QVID. FECERIT. ET. ADVERSVS. EVM. SI. REMP. (QVI. REMP.* Urbin.) *EX. IVSSV. CAVSSAQVE. OMNIVM. RERVM. OMNIBVSQVE. ESTO. ATQVE. VTI.* Ut nos, praeeunte Scaligero ad Festum Ed. Amst. 1699. p. 512. edidit Polenus, ita explicans: «Si quis fecerit aliquid adversus ea, quae in hac parte legis sunt constituta, etiam adversus eum esto omnibus, ad quos debeat pertinere, similis re ipsa (nam *siremps* teste Festo significat *similis re ipsa*) lex, simile ius similisque caussa omnium rerum, utique eodem modo, ac lex, ius caussaque esset et oporteret esse, si adversus hanc legem rivum, specum rupisset forassetve.» Ipse quidem Scaliger sic volebat: *Qui adversus ea quid fecerit, sirempse lex, ius caussaque omnium rerum omnibus esto, utique atque uti esset.* At de vv. *ADVERSVS EVM* dubitari non licet. Delendum contra videtur praecedens *ET*, quod ut *QVE* in *OMNIBVSQVE* seclusi. (Göttling *Urkunden* p. 10: *Ueber das Wort* siremps *s. ausser* Lindemann *zu* Plaut. Amphitr. Prol. 73, Pott *Etymol. Forsch.* II. *p.* 41. *und* Doederlein (*Handbuch d. lat. Etymol.* p. 172.) Hermann *erklärt es wohl am leichtesten als ein Wort*, *welches (etwa wie* dumtaxat, igitur) *aus mehreren entstanden sei aus* si rem ipsam (spectas); Hand *aus dem Demonstrativum* si (sic *entstanden aus* si-ce) rem *oder* re *und dem Pronomen* se, *aus welchem* pse (sirempse Plaut. l. l.) *entstanden sei; daher heisse es wörtlich: der Sache nach dasselbe.)* — 22) Polenus haec ita fere supplenda existimat: *quominus in eo loco pascere herbam, fenum secare possint nisi ii, quibus permiserint curatores* cet. — 23) Sic Polenus. Codd. *FORTVNI . . . ET MVRORVM.* — 24) *EXCORTICENTVR* male Ed. princeps. — 25) Sic e vestigiis Codd. partim mancorum, partim corruptissimorum Polenus probabiliter locum constituit.

LVM. ROGATOR. QVOMINVS. EX. IIS. FONTIBVS. RIVIS. SPECVBVS. FORNICIBVS. AQVAM. SVMERE. HAVRIRE. IIS. QVIBVSCVNQVE. CVRATORES. AQVARVM. PERMISERINT. PRAETERQVAM. ROTA. CALICE.[26]) MACHINA. LICEAT. DVM. NEQVE. PVTEVS. NEQVE. FORAMEN. NOVVM. FIAT. EIVS. HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATOR.

[26]) Frontinus C. 36: *Est autem calix modulus aeneus, qui rivo vel castello induitur.*

EXCURSUS II. AD CAPUT XXIV.

CLAUDII IMPERATORIS ORATIONIS QUAE SUPERSUNT.

TABULA I.

mae rerum nostr . . . . sii . . . . Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae in quot formas statusque res publica nostra diducta sit. Quondam reges hanc tenuere urbem; nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit. Supervenere alieni et quidam externi, ut Numa Romulo successerit ex Sabinis veniens, vicinus quidem sed tunc externus; ut Anco Marcio Priscus Tarquinius; [1]) propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa sed inopi — ut quae tali marito necesse habuerit succumbere — cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est. Huic quoque et filio nepotive eius — nam et hoc inter auctores discrepat — insertus Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia; si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes. Postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitatus, mutatoque nomine — nam Tusce Mastarna ei nomen erat — ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei p. (*sic*) utilitate optinuit. (*sic*) Deinde postquam Tarquinii Superbi mores invisi civitati nostrae esse coeperunt qua ipsius qua filiorum eius, nempe pertaesum est mentes regni et ad consules, annuos magistratus, administratio reip. (*sic*) translata est. Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros, quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur; aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? Quid a consulibus ad decemviros translatum imperium solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum? Quid inter pluris distributum consulare imperium tribunos*que* militum consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearentur? Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperi (*sic*) solum sed sacerdotiorum quoque? Iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri et quo processerimus, vereor, ne nimis insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperii (*sic*) ultra Oceanum. Sed illuc potius revertar; civitatem * * *

TABULA II.

. . . . sane . . . . novo . . . . divus Aug . . . . : no . . . . lus et patruus Ti. Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum bonorum scilicet virorum et locupletium in hac curia esse voluit. Quid ergo?

[1]) Fortasse post litteras *IVS*, quae sunt in versus fine, excidit *HS*.

Non Italicus senator provinciali potior est? Iam vobis cum hanc partem censurae meae approbare coepero, quid de ea re sentiam rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem, si modo ornare curiam poterint (*sic*), reiiciendos puto. Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert! Ex qua colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo. Cuius liberi fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu, postmodo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Ut dirum nomen latronis [2]) taceam, et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Romanae beneficium consecuta est. Idem de fratre eius possum dicere miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis senator esse non possit.

Tempus [3]) est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua; iam enim ad extremos fines Galliae Narbonensis venisti.

Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores, quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere. Quodsi haec ita esse consentitis, quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Luguduno (*sic*) habere nos nostri ordinis viros non paenitet. Timide quidem, P. C., egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum; sed destricte iam Comatae Galliae causa agenda est. In qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt divom (*sic*) Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam (*sic*) expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum a census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum advocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notae sint facultates nostrae, exquiratur, nimis magno experimento agnoscimus.

---

[2]) *latronis*] Valerii Asiatici. Tac. Ann. 11, 1. Frater eius aliunde notus non est. — [3]) *Tempus*] Prorsus miram hanc interpellationem «a senatu vere factam et in actis eius consignatam esse» existimat Zellius. Iam etsi Suetonio teste Claud. 15. Claudius *passim et palam contemptui esset*, tamen tam apertam derisionem, omni adulatione quamvis ironica destitutam, in ipsa curia Romana principi acclamatam, aeri deinde incisam esse mihi persuaderi non potest. Immo Claudius ipse, ut fuit homo ineptus atque absurdus, hac allocutione semet ipse a longa digressione ad rem, qua de agitur, revocat. Probe videlicet noverat rhetorum praeceptum: *Ἀποστροφὴ mire movet.* (Quintil. 9, 2, 38.)

ANNALIUM

LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. Claudius de matrimonio cum libertis deliberat. 3. Agrippina, Germanici fratris eius filia, aliis praelata, L. Silano, cui desponsa Octavia, insidias struit, 4. administro Vitellio, 5. — 7. cuius artibus inducti senatus populusque incestas nuptias probant. 8. Silanus mortem sibi consciscit. Seneca ab exsilio redux studiis Neronis praeest. 9. Cui despondetur Octavia.

10. Parthi regem Roma petunt Meherdatem. 11. Quem missum a Claudio Cassius in regnum ducere conatur. 12. 13. Obstat fraus Acbari et Izatis. 14. Victus Meherdates Gotarzi traditur. Hoc mortuo regnum in Vononem, dein Vologesem transfertur. 15. Mithridati, regnum Ponti reciperare niso, Romani resistunt et Cotys et Eunones. 16. Uspe urbe capta, 17. 18. Zorsines deserit Mithridaten, qui supplex Eunoni, 19. — 21. per eum a principe veniam impetrat Romamque perducitur.

22. Agrippinae artibus Lollia cedere Italia iubetur, Calpurnia pervertitur. 23. Salutis augurium. Pomoerium urbis prolatum. 24. Memorantur, qui olim protulerint. 25. Nero Domitius a Claudio adoptatur auctoritate Pallantis. 26. Britannicus depressus. 27. 28. Colonia in Ubios deducta. Chatti latrocinia agitantes vincuntur. 29. 30. Vannius Suevorum rex a suis pulsus.

31. In Britannia turbantes reprimit Ostorius Icenos, 32. Cangos, Brigantes. 33. — 35. Silurum regem Caractacum vincit. 36. Is Romam perductus. 37. Mascule Caesarem alloquitur et veniam impetrat. 38. 39. Britanni vires reparant. Ostorius obtentis triumphi insignibus obit. 40. Ei Didius suffectus. Bellum intestinum Venutii et Cartismanduae.

41. Neroni virilis toga maturatur, posthabito Britannico. 42. Burrus praetorio praefectus. Agrippinae arrogantia. Vitellio favet. 43. Prodigia Romae. Caritas annonae.

44. — 47. Bellum Armenios inter et Iberos. Rhadamistus Pharasmanis filius Iberus specie foederis Mithridatem invadit, vinclis onerat, interimit. 48. Quadratus Syriae praeses de ultione deliberat. 49. Pelignus Rhadamistum temere regium insigne sumere hortatur. 50. Parthi Armeniam invadunt. 51. Rhadamistus a suis pellitur. Zenobia coniux ab eo vulnerata aegre servatur.

52. Furius Scribonianus relegatus. SC. de mathematicis. 53. SC. Claudianum de feminis quae servis coniungerentur. Adulatio in Pallantem. 54. Felix et Ventidius turbant Iudaeam. Quadratus quietem reddit. 55. Motus in Cilicia sedat rex Antiochus.

56. 57. Lacus Fucinus emissus et in eo navale spectaculum et convivium cum periculo. 58. Nero ducit Octaviam. 59. Statilius Taurus eversus. 60. Procuratorum in provinciis auctóritas aucta. 61. Cois concessa immunitas. 62. 63. Byzantiis tributum ad tempus remissum. Eius urbis situs.

64. Prodigia Claudianae necis. 65. Lepidae mors indicta. Narcissi liberae voces. 66. 67. Claudium Agrippina veneno tollit. 68. Nero primordia imperii capit. 69. Funus et consecratio Claudii.

Gesta haec annis sex, C. Pompeio, Q. Veranio; C. Antistio, M. Suillio Rufo; Ti. Claudio V., Ser. Cornelio Orfito; P. Cornelio Sulla, L. Salvio Othone; D. Iunio Silano, Q. Haterio; M. Asinio Marcello, M'. Acilio Aviola coss.

(1) Caede Messalinae convulsa principis domus, orto apud libertos certamine quis deligeret uxorem Claudio, caelibis vitae intoleranti et con-

1. *Cede* M. — 2. Habet *caelibis* M, non *caelibi* Guelf. — *intonanti* M. Correxit Pichena.

1. *Caede*] «Temere ab illis, qui Taciti Annales in libros dissecandos curavere» (iam in Med.) «res gestas eius anni, quo A. Vitellius et L. Vipstanus consules fuere, inter duos libros (11, 23. 12, 4.) diviserunt; novi enim anni res et novi anni consules demum 12, 5. producuntur. Falluntur editores, qui cum hoc libro novum annum

iugum imperiis obnoxio. nec minore ambitu feminae exarserant: suam quaeque nobilitatem formam opes contendere ac digna tanto matrimonio ostentare. sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paulinam M. Lollii consularis, et Iuliam Agrippinam Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus fautores aderant. at Aelia Paetina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur. ipse huc modo modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus, discordantes in consilium vocat, ac promere sententiam et adicere rationes iubet. (2) Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Paetina erat), nihil in penatibus eius novum disserebat, si sueta coniux rediret, haudquaquam novercalibus odiis visura Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora. Callistus improbatam longo discidio, ac si rursum assumeretur, eo ipso superbam; longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam aemulatione et privignis parentis loco futuram. at Pallas id maxime in Agrippina

1. *imperatoriis* M. — 2. *queque* M. — *contenderet* M. — *dignā (dignam)* M. Mutavit Lipsius; I. Fr. Gronovius malebat *dignas*. — 3. *ostentaret* M. — *M.* M: *Marci* B. — 4. *germinico* M. — *calistus* M. — 5. *Paetina* M: *Petina* B, unde sic dedi etiam v. 9. — 6. Habet *huc modo* M. Ante Waltherum et B. edebant *modo huc*. — *quenque* M. — 8. Habet *adicere* M. — *familiam*] *filiam* Muretus. — 9. *nichil impenalibus* (sic) M. — 10. *coniux* pr. M: *coniunx* B cum corr. M. — Habet *visura* M, non *usura in* Puteol. — 11. *et* om. M. Scilicet *britannicum* est in paginae fine. — *octabiam* M. — *inpr.* M: *impr.* B. — 12. *dissidio* M. Emendatum in Agr. Reg. Spir. — *rursum* M: *rursus* B. — 13. *lollia* M.

et inde a 12, 5. rursus novum inducunt. Cfr. Bachius in Museo Rhenano a. 1833. p. 353.» Ritter. — *contendere*] arroganter cum aemularum nobilitate cet. comparare. Sic 13, 3: *vetera et praesentia contendere.* — *digna*] propria bona, nobilitatem, formam. Qui favent lect. *dignam*, supplere coguntur *se*, id quod sane durissimum est. — *M. Lollii*] Non Lollii illius, qui memoratur ab Horatio Carm. 4, 9. et consul fuit a. 733., postea moderator, sed praeposterus, C. Caesari, Augusti filio adoptivo, datus, sed filii eius, qui quo anno consul suffectus fuerit, non constat. De Lolliae, Caligulae aliquando uxoris (Suet. Cal. 25.), incredibili luxu cfr. Plin. H. N. 9, 58., qui eam clare neptem prioris illius Lollii dicit. Et de eadem vide infra C. 22. — *Paetina*] sic etiam Cod. Salmas. Suet. Claud. 27. et sic Inscrr. — *promptus*] ita sese gerebat ac loquebatur, ut quisque suadentium arbitraretur fore, ut suum consilium sine dubio principi probaret. Supervacanea est Mureti suspicio *pronus*.

2. *vetus matrimonium*] Suet. Cl. 26: *Uxores duxit Plautiam Urgulanillam triumphali et mox Aeliam Paetinam consulari patre. Cum utraque divortium fecit; sed cum Paetina ex levibus offensis.* Mox *familiam* nota h. l. de una filia dici, quocirca Muretus voluit *filiam*. Narcisso tamen hoc tribuere videtur Tacitus: «cogitaret princeps Antoniam arto rursus familiae vinculo coniuncturam fore utrumque parentem.» Aliter interpretatur Walther: «Antonia iam fuerat collocata Cn. Pompeio Magno (cfr. Dio 60, 5.) et post eius caedem Fausto Sullae (Suet. Cl. 27. Zonar. p. 563.); hinc ipsa cum marito liberisque apte dici potuit communis Claudio Paetinaeque familia:» vix ex usu moreque Romano. — *Antonia*] Cfr. 13, 23. 15, 53. Suet. Claud. 12. *sponsalia filiae* cet. — *visura*] in hoc quoque δεινότης inest, prae qua admodum languet *usura in* (Puteol.) vel *usuram in Britannicum* (cum Mss. Brotierii Oberl.). Horat. Epod. 5, 9: *Quid ut noverca me intueris?* «Non», inquit Narcissus, «quotidianus Britannici et Octaviae aspectus in Aelia novercalia odia excitabit, immo patienter eum tolerabit, quia ipsa perspiciet maxime in his Claudii liberis domus principalis fundamenta inniti, atque se ipsam quoque uno hoc adminiculo tutam fore.» Ad v. *visura* comparant Hist. 4, 42: *praetorium et consularem visuri sumus?* — *Britannicum et Octaviam*] Si in *Octavia* inesset κλῖμαξ adversus *Britan-*

laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna: stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros † coniungeret; ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret. (3) praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris, quae ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut praelata ceteris, et nondum uxor, potentia uxoria iam uteretur. nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere maiora, nuptiasque Domitii, quem ex Gn. Aenobarbo genuerat, et Octaviae Caesaris filiae moliri; quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Caesar, iuvenemque et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi. sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat nisi indita et iussa. (4) igitur Vitellius, nomine censoris serviles fallacias obtegens ingruentiumque dominationum provisor, quo gra-

1. *dignam* cum Cod. Agr. Oberlinus. Criticorum de h. l. hariolationes quaere apud Waltherum. Doederlein suspicatur: *stirpemque nobilem et familiae Claudiae posteros coniungeret.* Equidem simpliciter pro *coniungeret* suspicor *contingeret*. V. Adnotatt. — 3. Habet *ne* M, non *nec* Reg. — *experta* M. Emendatum ex Agr. a Ryckio. — 5. *inl.* M: *ill.* B. — *quae* om. M. Suppletum est in Spir. — 6. *pontentia* M. — 8. *Gn.* M: *Gnaeo* B. — *henobarbo* M. Recta scriptura est in Guelf. — 9. *L.* M: *Lucio* B. — Habet *Silano* M, non *Sillano* Spir., nec *Syllano* Guelf. — 10. *alias* dumtaxat ex recenti corr. M. (*alia* recte pr. M et Vatic.) — 12. *nichil* M.

nicum, tolerari posset Cod. Med. ἀσύνδετον, sed hic tantummodo e paginae fine ortum est. — *suis*] Antoniae, quam genuisset, et aliis fortasse liberis, quos ex Claudio conceptura esset. — *discidio*] Male cum Puteolano plerique olim edebant *dissidio*. Vide Madvig ad Cic. de Finn. p. 812: «*Demonstratur*, dissidium *non esse Latinam vocem semperque scribendum* discidium.» Cfr. infra C. 40. — *nepotem*] quem ex Domitio priore marito genuerat; qui fuit postea Nero imperator. — *imperatoria fortuna*] non de ipso imperio intelligendum, sed de dignitate eorum, qui in Caesaris familiam asciti sunt. Non enim conveniens videtur, Pallantem destinare Neronem imperatorem. Doed. — *stirpem nobilem*] non Agrippinam, ut vult Burnouf, sed Domitium Neronem. (Scilicet in his omnibus per Pallantem loquitur iam mater Agrippina.) Sequentia corrupta sunt nec probabilem concedunt interpretationem; quamquam sic extricare conantur, ut sit vel dignum esse Domitium, qui ad par prope fastigium evehatur ac Claudii liberi, vel etiam, dignum, qui aliquando Octaviam in matrimonium ducat. Malim equidem: *contingeret, (berühre)* stirpem nobilem, quae prope accederet ad Claudiae gentis amplitudinem, ita ut v. *familia* pro proprio v. *gentis* positum sit, quemadmodum alibi quoque apud Tacitum, veluti de ipsa Claudia gente 1, 4: *insita Claudiae familiae superbia.* (4, 68: *modico usu Sabinum contingebat.* Seneca in Ludo p. 853. Gron.: *cum D. Claudius D. Augustum sanguine contingat.*) — *ne femina*] metuendum et cavendum esse, ne alioqui cet., ut C. 66. — *Caesarum*] Quippe Agrippina proneptis Augusti erat.

3. *per speciem necessitudinis*] Suet. Claud. 26. — *Aenobarbo*] Domitio. 4, 75. — *alia clarum*] νεανίσκον τά τ' ἄλλα λαμπρόν. Horat. C. 4, 2, 60: *Cetera fulvus.* Bachius recepit falsam correctionem in Med. *alias;* quo v. Tacitus nunquam utitur pro *alioquin, insuper*. Clarus autem *alia*, praesertim quia adnepos erat Augusti. Abnepotem vocat Seneca in Ludo p. 854. Gron. — *insigni*] substant., ut 4, 23: *triumphalium insigni*, non ut alii volunt adiect. iungendum cum v. *magnificentia*. Usitatior sane est num. plur. *triumphalia insignia* 1, 72. — *indita*] quae ab aliis clam suggerebantur; *iussa* imprimis a libertis praepotentibus.

4. *censoris*] Vide ad Lib. 11, 13. — *provisor*] Horat. A. P. 164: *Utilium tar-*

tiam Agrippinae pararet, consiliis eius implicari, ferre crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror, Iunia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat. hinc initium accusationis; fratrumque non incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. et praebebat Caesar aures, accipiendis adversus generum suspicionibus caritate filiae promptior. at Silanus insidiarum nescius, ac forte eo anno praetor, repente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu lustroque condito. simul affinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus eiurare magistratum, et reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.

(5) C. Pompeio Q. Veranio consulibus pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium iam fama, iam amore illicito firmabatur; necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae. quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. nec ante omissa cunctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. percunctatusque Caesarem an iussis populi, an auctoritati senatus cederet, ubi ille unum se civium

1. *ferre* M: *serere* cum Puteolano B. — 2. *galvina* M. — 3. *frmq;* cum lin. M. — 5. *adversus* M: *adversum* B. — 7. *quanquam* M B. — 9. *e iurare* divise M. — *magistratu* M. — *praeture* M. — 11. *C.* M: *Gaio* B. — *Q.* M: *Quinto* B. — *Veranio* Fasti, Spir. Puteol. Walther, ut 2, 56. 74. 3, 10. 13. 17. et apud Gruterum constanter: *uerania* M, *Verannio* B. — *cos.* cum lin. M. — 12. *agrippina* M. — 13. *sollempnia* M, *sollennia* B. — *deductae* (sic) - - *filia* M, unde Codd. plerique et Edd. ante Pichenam *deducta* - - *filia*.

dus provisor. — *ferre crimina*] proferre coram Claudio eiusque libertis; dictum autem ut 6, 49: *quamquam maesta* - - *diu ferret*, id est, afferret, proferret. Quod Puteolanus desumpsit fortasse ex Liv. 24, 23: *iuvenes militares* - - *crimina serebant in senatum*: *serere crimina* esset «spargere in vulgus,» id quod h. l. minus aptum videtur. — *procax*] aliquanto mitius dictum pro *lasciva*. — *fratrumque*] fratris et sororis. Paullus in Dig. 10, 2, 38: *Lucius et Titia fratres emancipati.* Nonius p. 557. M.: *Amitini*, *fratrum maris et feminae filii.* — *Vitellii nurus*] Alteri filiorum eius nupta, L. Vitellio, qui hoc anno consul suffectus teste Suet. Vit. 3. Nam ne Aulo, qui postea imperavit, suspicemur, facit Suetonii silentium. Ryck. *incustoditum*] parum cautum circumspectumque. Plin. Epp. 6, 29: *Tuitus sum Iulium Bassum, ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum.* — *amorem*] Seneca in Ludo p. 851. Gronov.: *L. Silanum generum suum occidit. Oro propter quid? Sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare.* — *accipiendis*] quae offerebantur. — *edictum*] quod, tali sane sub principe, ut censor conscribere poterat. Cfr. Liv. 43, 16. Plin. 14, 16. — *ordine senatorio*] A senatu quoque decretum legimus 6, 48., ut aliquis *amitteret ordinem senatorium*, et 13, 11. 32., ut aliquis ei redderetur. — *lustro condito*] Cfr. 11, 25. — *affinitatem*] matrimonium cum Octavia. — *eiurare*] abdicare, sed formula e prisca re publica repetita. — *Eprium Marcellum*] famosum delatorem (Hist. 2, 53.), cuius mores describuntur in Dial. de Or. 5. 8. 13. Cfr. Suet. Claud. 29., qui abdicationem dicit factam *ante quartum Kal. Ian.*, iuxta quod duo dies erant reliqui. Ryck. Ludibrium videtur talis praetura; sic tamen *vir praetorius* mansit Eprius.

5. *C. Pompeio*] nepote fortasse Sex. Pompeii, cos. a. 767. — *Q. Veranius*] videtur esse idem, qui a. 771. Cappadociae a Germanico praepositus (2, 56.,) et deinceps Britanniae praefectus (14, 29.) in-

et consensui imparem respondit, opperiri intra palatium iubet. ipse curiam ingreditur, summamque rem publicam agi obtestans veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque gravissimos principis labores, quis orbem terrae capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat. quod porro honestius censoriae mentis levamentum quam assumere coniugem, prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus obtemperavisset. (6) postquam haec favorabili oratione praemisit multaque patrum assentatio sequebatur, capto rursus initio, quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate puerperiis sanctimonia insignem. nec diu anquirendum quin Agrippina claritudine generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum, et congruere artes honestas. id vero egregium, quod provisu deum vidua iungeretur principi sua tantum matrimonia experto. audivisse a parentibus, vidisse ipsos arripi coniuges ad libita Caesarum: procul id a praesenti modestia. statueretur immo

1. Habet *consensui* M, non *consensu* Puteol. — 2. *summamque. R.* (cum lin.) *P.* M., unde *summamque rei publicae* Guelf. Edd. vett. — 4. *capescat* pr. M. — 5. *levamentum quam* Petersen (ut 1, 8. 17. 30. 3, 28. et 34: *uxorium levamentum.* 4, 66. Hist. 2, 44.): *levamen unquam* M (non *levamen unquam et*, ut narratur apud B.), *levamen quam* B., quae forma alibi apud Tacitum non reperitur. — 6. Habet *dubiisque* M, non *dubiis* Guelf. — 7. Habet *luxui* M, non *luxu* Oxon. — *ads.* M: *ass.* B. — 12. Habet *anquirendum* M, non *inquirendum* Guelf. Bud. Harl. Bodl. Vat. Edd. ante Pichenam.

traque annum ibi exstinctus. Huic Veranio Onosander s. Onesander Strategicum suum inscripsit. Ryck. Cfr. Dio 60, 31. — *deductae*] Memento nuptiarum die laeta pompa deductam sponsam in sponsi domum. — *incestum*] Claudius haud erat intacti superstitione animi. Immo, quo mente commotior, eo paullo infirmior unus multorum, eo superstitiosior. Docetque id etiam Suet. Cl. 22. Semper autem incesta in prodigiis habita, in expiandis et procurandis, in iis, quibus iram deorum putabant denuntiari. Gron. — *sperneretur*] pro levis momenti re haberetur. Duebn. — *imparem*] necessario se civium consensui parere debere. — *summamque rem publicam*] vulgari errore *rei p.* Cod. Guelf. et Edd. ante Ryck. Optimus interpres Suet. Cl. 26: *illecebris Agrippinae per ius osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem subornavit in proximo senatu, qui censerent cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi rei publicae maxime interesset* cet. — *capessat*] ut 11, 34., complectatur atque curet. — *censoriae*] Censoriam Claudio, tunc censori, adulator tribuit mentem, id est, gravitate insignem maximisque semper curis occupatam. Plin. Epp. 3, 20: *Audiebat senatus gravitate censoria.*

6. *anquirendum, quin*] eadem constr., qua dicitur *dubitare, quin.* Sensus est enim: «cum dubitari nequeat, quin cet., ideo neque anquirendum esse.» — *vidua*] Vidua Agrippina, mortuo sub initio imperii Claudiani Crispo Passieno, cui post Domitium nupserat. Lips. De hoc Crispo Schol. Iuven. 4, 81: *periit per fraudem Agrippinae, quam heredem reliquerat.* — *audivisse*] de Livia, quam Augustus Ti. Neroni abduxisset; *vidisse* principe Gaio. Suet. Cal. 24: *Drusillam sororem L. Cassio Longino consulari collocatam abduxit et in modum iustae uxoris propalam habuit.* Id. 25: *Liviam Orestillam, C. Pisoni nubentem, cum ad officium venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit.* — *statueretur*] Non omnes interpretes Germanici perspexerunt, hoc imperativi sensu dici; sed male nonnulli vertunt: *Es würde*

documentum, quo uxorem imperator * * * acciperet. at enim nova nobis in fratrum filias coniugia. sed aliis gentibus sollemnia, neque lege ulla prohibita. et sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebuisse. morem accommodari prout conducat, et fore hoc quoque in iis quae mox usurpentur. (7) haud defuere qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi acturos testificantes erumperent curia. conglobatur promisca multitudo, populumque Romanum eadem orare clamitat. nec Claudius ultra exspectato obvius apud forum praebet se gratantibus, senatumque ingressus decretum postulat quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. nec tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia inpulsum ferebant. versa ex eo civitas, et cuncta feminae obedie-

1. *imperator* . . . . . . *acciperet* cum spatio vacuo M: *imperator acciperet* B. Videtur re vera excidisse aliquid, velut *a re publica*. — 2. *frm* cum lin. M. — *sollempnia* M, *sollennia* B. — *neque* M: *nec* B. — 3. Habet *percrebuisse* M, non *percrebruisse* Beroaldi. — 4. *in his* M. Emendatum in Guelf. — 5. Habet *vi* M, non *vim* Guelf. — 6. *promisca* pr. M: *promiscua* corr. M et B. — 7. *expectato* M. — Habet *obvius* M; ante Bekkerum edebant *obvium*. — 9. *frmque* cum lin. M. — 10. *nec* M: *neque* B. — *recepturus* M. (non *receptus*, ut traditur apud B.) In marg. *repertus*. — 11. *T. Alledius*] *talledius* M, *Titus Alledius* B. — 12. *inp*. M: *imp*. B.

ein Beispiel aufgestellt werden. — *documentum, quo*] exquisitius hoc dictum quam, quod Lipsius volebat, *quomodo*. Hoc dicit: «statueretur documentum sive exemplum, quod respicientes quôque admoniti secuturi principes discerent, quemadmodum matronam introduci in Penates deceat ab imperatore.» Post v. *imperator* quod excidit, commode suppleveris *a re publica*, (*A. R. P.* archetypi cum non intelligeret scriptor librarius, omittere maluit.) — *acciperet*] ex arbitrio vel consensu senatus. — *sobrinarum*] *Sobrini* proprie sunt, *qui ex fratribus patruelibus aut consobrinis aut amitinis propagantur*. Fr. 3. de grad. et adfin. 38, 10. et Gallus Aelius apud Festum p. 297. Müll. Hic Lipsius positum esse vult pro *consobrinis*, natis ex fratre vel sorore parentis alterius. Dirksen *Manuale* in h. v. Cfr. Klenze *Familienrecht der Cognaten und Affinen* p. 19. — *tempore addito*] procedente tempore. Plutarch. Quaest. Rom. 6: *Ἀνὴρ χρημάτων ἐνδεής, τὰ δὲ ἄλλα χρηστὸς καὶ παρ' ὁντιναοῦν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων ἀρέσκων, ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε καὶ πλουτεῖν ἀπ' αὐτῆς· ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτοῦ κατηγορίας, ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν, ἔλυσε τὸ ἔγκλημα, ψηφισάμενος πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι.* Hoc quando coeperit, non dicit: satis vetus esse ex Livio discas, apud quem 42, 34. ita loquitur Sp. Ligustinus: *Cum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit:* immo quasi in laudem hoc recenset. Sic inter illustres M. Marcellus Iuliam Augusti F. duxit, sibi sobrinam. Lips.

7. *decretum*] Zonaras 11, 10: *Ψήφισμα ἐποιήσαντο ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι.* Ait Tacitus fratrum filias; et stricte capias; non enim licuit sororum. Quod notavit accurate Cuiacius Obss. 13, 16. Domitianus imitatus exemplum est, qui Iuliam habuit filiam Titi. Lips. Cfr. Reimarus ad Dionem 68, 2. — *repertus*] Suet. Cl. 26: *Vix uno interposito die confecit nuptias; non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam et altero primipilari* (hoc Taciti equite), *cuius officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.* — *adductum*] severius, ut 14, 4: *et rursus adductus, quasi seria consociaret.* Hist. 3, 7: *adductius imperitabat.* Germ. 43: *Gothones regnantur paullo iam adductius*, metaphora ducta ab habenis *adductis*, quae *laxis* opponuntur apud Cic. Lael. 43. — *nihil domi impudicum*] Attamen Cap. 25. Pallas *stupro*

bant non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis illudenti. adductum et quasi virile servitium: palam severitas, ac saepius superbia; nihil domi inpudicum, nisi dominationi expediret. cupido auri inmensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. (8) die nuptiarum Silanus mortem sibi conscivit, sive eo usque spem vitae produxerat, seu delecto die augendam ad invidiam. Calvina soror eius Italia pulsa est. addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, irridentibus cunctis, quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur. at Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis eiusdem ad spem dominationis uterentur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus Claudio dolore iniuriae credebatur. (9) placitum dehinc

1. Habet *Messalina* M, non *Messalinae* Reg. Harl. Bodl. — *adultum* suspicatur Ritter. — 2. Habet *virile* M, non *vile* Puteol. Beroald. — *nichil* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — *inm.* M: *imm.* B. — 9. *ad agrippinae* M. — 10. *exilii* M. — *anneo* M. — *praetura* M. — 13. *uterentur* M: *uteretur* cum Spir. B.

eius inligatus dicitur; sed hoc quoque adulterium dominationi expediebat; nam libertus ille summa potentia apud Claudium fruebatur. — *nisi dominationi expediret*] Pertinet huc etiam Dio 60, 32: *τούς τινα Κλαυδίου εὔνοιαν ἔχοντας τὰ μὲν φόβῳ, τὰ δὲ εὐεργεσίαις ᾠκειώσατο.* — *obtentum*] praetextum, speciem, *πρόσχημα.* — *regno*] dominationi magis magisque stabiliendae.

8. *Silanus*] Suet. Cl. 29: *Silanus abdicare se praetura ante IV. Kal. Ian. morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum.* Dio 60, 31: *τὸν Σιλανὸν ὡς ἐπιβουλεύοντά οἱ ἀπέκτεινεν.* — *Calvina*] Fortasse illa, quae vitam produxit ad Vespasiani imperium, de qua Suet. Vesp. 23: *Cum Mausoleum repente patuisset - -, ad Iuniam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat.* Nam Silani isti inter abnepotes Augusti fuerunt. Lips. — *sacra*] Lipsius intellexit de iis, quibus Tullus in Horatio sororiam caedem luit expiavitque. Liv. 1, 26. Sed quemadmodum magna differentia inter necem sororis et incestum, ita diversa pariter sacra ad horum facinorum expiationem adhibita videntur. Ryck. Dicamus igitur potius ignotas nunc esse hasce Tulli leges et sacra in iis instituta. In his quoque, ut solebat, prisca quaedam et arcana sectatus est Claudius. — Dianae autem ut castimoniae deae hoc piaculum factum videtur. — *piacula - - danda*] in Actis Fr. Arv. T. 23. et alibi proprium v. est *piaculum facere.* — *lucum Dianae*] Referunt ad eum, de quo Plin. 16, 44: *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianae sacratus a' Latio (Tatio* Heinsius). Sed quidni cogitemus de luco Nemorensi prope Ariciam? Ceterum in his quoque vides vestigia eruditae illius curiositatis, qua Claudius inusitatas iam caerimonias restaurare affectabat. — *incesti*] cuius Silius cum sorore Calvina insimulatus erat. — *exsilii*] Relegatus enim Seneca post quaesturam a Claudio in Corsicam insulam, ob suspicionem adulterii cum Iulia Germanici filia, Vinicii uxore; cuius criminis scena a Messalina fuit. Lips. Cfr. Dio 60, 8. Voluntarius ei comes in exilium fuit Caesonius Maximus, ut huic postmodum sub Nerone Ovidius, amicus Martialis. V. Epigr. 7, 44. et 45. Post triennium ille revocatus est, teste Schol. Iuven. 5, 109. Immo post octennium, nam a. 794. relegatus est, si fides Dioni 60, 8. — *uterentur*] et mater et filius; nam hic quoque Claudio blandiri iamiam addiscere debebat.

non ultra cunctari, sed designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius despondere Octaviam Domitio; quod aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius censet; despondeturque Octavia, ac super priorem necessitudinem sponsus iam et gener Domitius aequari Britannico studiis matris, arte eorum quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

(10) Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut rettuli, Meherdaten missi senatum ingrediuntur, mandataque in hunc modum incipiunt: non se foederis ignaros nec defectione a familia Arsacidarum venire; sed et filium Vononis, nepotem Phrahatis accedere adversus dominationem Gotarzis nobilitati plebique iuxta intolerandam. iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos; adici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat. veterem sibi ac publice coeptam nobiscum amicitiam, et subveniendum sociis virium aemulis cedentibusque per reverentiam. ideo regum obsides liberos dari ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus assuefactus rex melior adscisceretur. (11) ubi haec atque talia dissertavere, incipit orationem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis: seque divo Augusto adaequabat,

2. Habet *inducunt* M, non *inducit* Reg. Corb. Vatic. 1864. — 5. *super*] *s* cum cauda M. — 7. *quis ob*] *qui sub* (*qui* per comp.) M. — *uitio* M. — 8. *retuli* M. — 10. *federis* M. — 11. *sed et filium* M: *sed filium* B. — *praatis* M. — 12. *intolleranda* (sic) M. — 12. *adici* M: *adiici* B. — 14. *socros* (sed *socors* in marg. ab eadem manu) M. — Habet *bellis* M, non *bellisque* Spir. — 15. *sevitia* M. — 20. *aug.* cum lin. M. — *adequabat* M.

Restitui autem Med. lectionem, quia *uteretur* (Agrippina sola) haud prorsus necessarium videbatur. *Ad spem dominationis* per *βραχυλογίαν* pro: «ad dominationem, quam sperabant, adipiscendam.»

9. *designatum consulem*] in partem huius anni, cuius coss. suffecti L. Memmius Pollio, Q. Allius Maximus. — *inducunt*] Agrippina cum suis. Hic quoque, ut paullo ante, Codd. Vatic. 1864. Reg. Corb. Ed. Spir. praetulerunt singul. *inducit*. — *maiora patefacturum*] facultatem maiorum perficiendorum, aditum ad maiora daturum. Ern. — *priorem necessitudinem*] prius fuerat privignus dumtaxat, nunc etiam gener.

10. *ut rettuli*] 11, 10. — *sed et filium*] «sed praeter alios, Arsacidis non cognatos, filium quoque Vononis accedere, qui et ipse Arsacida esset.» Doed. *Accedere* igitur h. l. idem fere ac totius consilii participem esse. (Minus recte alii explicant: «sese accedere ad filium Vononis, ad hunc se convertere.») — *tegat*] ut recte Doederlein, «tueatur, defendat ignaviam, in eos saeviendo, qui regem, uti mereretur propter ipsam illam ignaviam, regno spoliare possent.» Sic v. *tegere* usurpat 2, 18. 6, 2. cet. et tralaticium est *tegere latus alicui*. Minus apte interpretes nonnulli accepere pro *occultet*, ut Burnouf: *qui voulait faire oublier sa lâcheté par ses barbaries*. — *cedentibus*] Romanae potentiae, sed ultro propter reverentiam, qua eam colerent; qua in oratione arrogantia quaedam cum modestia callide miscetur. — *obsides liberos dari*] Strabo 16, 1. extr. Phrahatem obsides liberos dedisse ait *δεδιότα τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ· ᾔδει γὰρ μηδένα ἰσχύσοντα καθ' ἑαυτόν, ἂν μή τινα ὑπολάβῃ τοῦ Ἀρσακίου γένους, διὰ τὸ εἶναι σφόδρα φιλαρσάκας τοὺς Παρθυαίους*.

11. *obsequiis*] veluti cum Phrahates a. u. 734. signa Crasso ablata captivosque

petitum ab eo regem referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat. addidit praecepta (etenim aderat Meherdates), ut non dominationem et servos sed rectorem et cives cogitaret, clementiamque ac iustitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret. hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae: ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. rem Romanam huc satietate gloriae provectam ut externis quoque gentibus quietem velit. datum posthac G. Cassio, qui Suriae praeerat, deducere iuvenem ripam ad Euphratis. (12) ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum: nam militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. ac tamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia * * * per illas quoque gentes celebrata. igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam illustres Parthi rexque Arabum Acbarus

1. *quanquam* M B. — 3. *domitionem* pr. M. — *concitaret* M. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 4. *ignata (sic)* M. Correctum in Spir. — Habet *toleratiora* M, non *tolerantiora* Guelf. Harl. Bodl. Ies. — *capesceret* M. — 8. *posthac G.* M: *post haec Gaio* B. — Habet *Suriae* M. — 9. *eufratis* M. — Habet *ceteros praeminebat* M, non *ceteros praeeminebat* Guelf. Puteol., nec *ceteris praeerat* Reg. Vatic. Spir. — 10. *ignote* M. — 11. Habet *ac tamen* M, non *attamen* Spir. Walther. — 14. *Cassia . . . . per* M cum lacuna; *ratus* superscr. a recentiore manu, et sic: *Cassia ratus per* Guelf. Puteol. Walther. Defectum non significat B. — 15. *peritus* M. Corr. in Spir. — 16. Habet *Acbarus* M. (*Abgarus* e nummis et inscriptt. Ryck. Brot. Inscr. m. L. 921: *ABGAR. PRAHATES.* (sic) *FILIVS. REX* cet.)

Romanos Augusto remiserat cet. — *miserat*] et quidem tres miserat, Vononem, Phrahatem, Tiridatem. 2, 1. 6, 32. — *cogitaret*] *rectorem* sese esse ac manere debere, non dominum, *cives* autem esse, non mancipia, Parthos. — *ignara*] passive, ut 2, 13. 15, 62. Ex Med. *ignata* Doederlein suspicatur *ignota*, uti re vera iam Codd. Farnes. et Corb.; sed illud multo exquisitius. — *toleratiora*] tanto facilius gratiusque laturos esse Parthos nec unquam a rege clementi defecturos. Cfr. Gronov. Obss. 1, 14. — *alumnum urbis*] ut 1, 44: *legionum alumnus*. — *ad id*] temporis, non ut nonnulli voluerunt, «praeterea, insuper.» — *ac tamen*] si vel maxime aliquando durius aliquid statueret, hoc nihilominus ferendum esse. — *ingenia*] *Eigenheiten* vertit Gutmann, ac sane prope accedit ad varias in dies dominantium voluntates, *Launen, caprices*. — *datum*] mandatum, ut res ipsi honorifica. — *G. Cassio*] Vide ad 6, 15.

12. *pax in aequo tenet*] facit, ut par sit eorum inter populares existimatio. — *familia*] pro gente, ut Tacitus aliquoties. — *celebrata*] Cfr. Vellei. 2, 46: *Reliquias legionum* (Crassi) *C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quaestor, conservavit Syriamque adeo in populi Romani potestate retinuit, ut transgressos in eum Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet.* Ioseph. 14, 12. Dio 40, 28. — *Cassia*] Sane excidit *ratus*, *arbitratus* cet. — *Zeugma*] oppidum transitu Euphratis nobile. Plin. H. N. 5, 24. Nunc *Tscheschme* sive *Zima*. Forbiger *Geographie* II. p. 653. — *Arabum*] Osrhoënorum in Mesopotamiae parte australi. — *Acbarus*] scribitur et Ἄγβαρος et in nummis constanter ΑΒΓΑΡΟΣ, sollemne illis regibus nomen perpetua stirpe deducta usque ad Gordianum Pium. Cfr. Bayeri Hist. Osrhoën. et Edess. Petropoli 1734. p. 125., cui est quintus decimus Osrhoënae rex, nomine *Maanu bar Abgar*. —

advenerat, monet Meherdaten barbarorum impetus acres cunctatione languescere aut in perfidiam mutari: ita urgueret coepta. quod spretum fraude Acbari, qui iuvenem ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. et vocante Carene promptasque res ostentante, si citi advenissent, non comminus Mesopotamiam sed flexu Armeniam petunt, id temporis inportunam, quia hiems occipiebat. (13) exin nivibus et montibus fessi, postquam campos propinquabant, copiis Carenis adiunguntur, tramissoque amne Tigri permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat. sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum praelio Persarum illic opes conciderant. interea Gotarzes, apud montem cui nomen Sanbulos, vota dis loci suscipiebat, praecipua religione Herculi; qui tempore stato per quietem monet sacerdotes ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant. equi ubi

2. Habet *ita* M. Vulgo ante B. *itaque.* — *urgueret* M: *urgeret* B. — *cepta* M. — 3. *ratu* M. — 4. Habet h. l. *Carene* M. *(Carrhene* Walther.) — 6. *petiuit* M (sed *i* in M nunquam cum puncto scribitur.), et sic: *petivit* edebant ante Lipsium; quem errorem praetulit Bachius. — *inp.* M: *imp.* B. — *hiemps* M. — Habet *occipiebat* M, non *occupabat* Reg. Agr. Vatic. 1863. et 1864. — 7. *exim* M. — Habet *campos* M, non *campis* Guelf. Bud. — 8. *carrenis* h. l. M. — *tramissoque* pr. M: *transmissoque* B et corr. M. — 9. *iuliates* M. Emendavit Lipsius ex Iosepho 20, 2, 3. — *societate* M. — 11. *castello* pr. M, *castellum* corr. M, [*et Arbela*] *castellum* Agr., B. An *Assyriae cum castello insigni*? Or. — 12. *Darium* M: *Dareum* B. — 13. *gortarzes* M. — *Sanbulos* M: *Sambulos* B. — 14. *praecipuae* M, etsi apud B. ei tribuitur *praecipue.* — Habet *Herculi* M, non *Herculis* Spir. — Habet *stato* M, non *statuto* Guelf. Harl. Bodl. Ies.

ita] pro *itaque*, ut 4, 15. Hist. 1, 45. — *urgueret*] propterea celeriter aggrederetur adversarios; alioquin enim metuendum esse, ne ipsius asseclae fidem exuerent. Sed ille fraudulentis Acbari consiliis obtemperare maluit itaque rem suam perdidit. *Fraudem* autem Acbaro tribuit per πρόληψιν, quoniam is mox a Meherdate descivit. (Aliter haec omnia interpretatur Doederlein, cui tamen accedere nequeo: «*ita urgueret*] H. e. cunctanter. Sensus est: urgueret quidem coepta, non alia tamen ratione quam monuisset Cassius, ut lente festinaret. — *fraude*] culpa et inertia, non dolo: nondum enim proditor erat. Vide C. 14.») — *Edessam*] Osrhoënes urbem, CCCC. stadia a Zeugmate distantem. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 628. — *vocante Carene*] quamvis hic, unus megistanum Parthorum, Meherdatem excitaret, ut sine mora in Parthos pergeret, malo tamen consilio usus Armeniam petivit. — *comminus*] statim, quo iter brevius erat. Affert Doederlein Virg. Ge. 1, 104: *iacto qui semine comminus* (sic Wagner) *arva Insequitur*, raro usu et, teste Servio, Gallis Cisalpinis frequentato. — *occipiebat*] Verbum saepenumero corruptum, ut h. l. Reg. Agr. Spir. *occupabat*, quod probans Oberlinus comparat Germ. 22: *apud eos plurimum hiems occupat.*

13. *campos propinquabant*] eadem constructione, qua Salustius Fragm. Lib. 4. p. 229. Gerl. Ed. min.: *Tum vero Bithyni propinquantes iam amnem Tartanium.* Sic Sophocl. Oed. Tyr. 1134: ἐπλησίαζον τόπον. — *Adiabenos*] Plin. H. N. 6, 13: *Adiabene Assyriorum initium.* — *Izates*] Sic (non *Iazates* nec *Iazetes*) nominatur etiam apud Ioseph. Ant. 20, 2. 3., ubi historia omnis explicita de origine huius regis et progressu. Narrat inter alia Iudaicae religionis sectatores eum et matrem Helenam fuisse. — *Ninos*] De Nino ne dubites, quam funditus a Cyaxare et Nabuchodonosore deletam scimus; instaurata

pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. rursum deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusae passim ferae. (14) ceterum Gotarzes, nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti, et quamquam per insectationes et nuntios ad praelium vocaretur, nectere moras, locos mutare, et missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari. ex quis Izates Adiabenus, mox Acbarus Arabum cum exercitu abscedunt, levitate gentili, et quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere. at Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare praelioque experiri statuit. nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox. concursumque magna caede et ambiguo eventu, donec Carenem profligatis obversis longius evectum integer a tergo globus circumveniret. tum omni spe perdita Meherdates, promissa Parrhacis paterni clientis secutus, dolo eius vincitur traditurque victori. atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans, auribus decisis vivere iubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones Medos tum praesidens. nulla huic prospera

1. *faretras* M. — Habet *telis onustas* M, non *telis omissis onustas* Vaticc. 1863. 1864. Spir. — 2. *faretris* M. — *rursum* M: *rursus* B. — Habet *qua* M, non *quas* Guelf. Bud. al. — *pererraberit* pr. M. — 3. *repperiunturque* M. — *fere* M. — 5. *quamquam*] *quam* pr. M. — 6. *mutaret* pr. M. — 7. *ezates* M. — *Adiabenus* M: *Adiabeno* cum I. Fr. Gronovio B. — *abbarus* M. — 9. *peteres* pr. M. — *haberet* pr. M. — 10 *unum reliquum* M: *unum* [*erat*] *reliquum* B. (*erat* inseruit Puteol.) — 13. Habet *Carenem* M. — 15. *parracis* M. — 19. Habet *Medos* M, non *Medis* Guelf. al.

post videtur, sed ut ad pristinam magnitudinem non rediret. Cfr. Cellarii G. A. II. p. 660. Insignis est locus Ammiani Marc. 23, 6: *In hac Adiabena Ninus est civitas, quae olim Persidis regna possederat, nomen Nini, potentissimi quondam regis, Semiramidis mariti, declarans, et Ecbatana et Arbela et Gaugamela, ubi Darium Alexander post discrimina varia praeliorum incitato Marte prostravit.* (Secundum Mannert *Geogr.* V. 2. p. 440. haec Ninive Adiabena alia est nec confundenda, ut fecit Tacitus, cum antiquo capite Assyriae, cuius solum effodiendum nuper curavit Botta. Cfr. nunc Forbiger *Geographie* II. p. 611.) — *castellum*] Sane, nisi potior mea suspicio, excidisse statuendum erit nomen, *Arbela*, quod suppletum est in Cod. Agr., vel *Gaugamela*, quae prope loca illud proelium fuit. Arrian. VI. p. 399., ubi refert pugnam esse factam apud Gaugamela (κώμην οὐ μεγάλην), Arbela autem, ut civitatem potiorem illius regionis, gloriam victoriae abstulisse. Sin ipse Tacitus loci nomen omisit, sane fecit ut Hist. 1, 67. de Aquis Helveticis, quas *locum amoeno salubrium aquarum usu frequentem appellat.* — *praecipua religione*] ubi ante ceteros deos praecipue Hercules colitur. Dativum, si reapse eo usus est Tacitus neque scripsit *Herculis* (Spir.), explica quasi esset *dicata Herculi*, ut Hist. 4, 40: *diversa fama* (οὔσῃ) *Demetrio.* — *per quietem*] per somnia, ut 2, 14: *nox eadem laetam Germanico quietem tulit.*

14. *Corma*] in Chalonitide, Assyriae regione. — *Adiabenus*] Contorta et minime necessaria erat Gronovii coni. *Adiabeno* (cum exercitu). — *profligatis obversis*] Multi haeserunt in duplici participio, unde Heinsius proposuit *Odrusis*, plaudentibus Bachio et Dübnero. Sed *obversis* substantivi vice fungitur. — *Medos tum praesidens*] ut 3, 39: *exercitum praesidebat;*

aut adversa quis memoraretur: brevi et inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in filium eius Vologesen translatae.

(15) At Mithridates Bosporanus amissis opibus vagus, postquam Didium ducem Romanum roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn iuventa rudem et paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano, spretis utrisque concire nationes, illicere perfugas; postremo exercitu coacto regem Dandaridarum exturbat imperioque eius potitur. quae ubi cognita et iam iamque Bosporum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines Siracorum rex hostilia resumpserat, externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eunonen, qui Adorsorum genti praecellebat. nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus. igitur pepigere, equestribus praeliis Eunones certaret, obsidia urbium Romani capesserent. (16) tunc composito agmine incedunt; cuius frontem et terga Adorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur nostris in armis. sic pulsus hostis, ventumque Sozam oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi praesidio

2. *rexque* pr. M. — *uologese* M. — 3. *mitridates bosphoranus ammissis* M. — 4. Habet *abisse* M, non *abiisse* Guelf. Beroald. — 5. *cotyn* e corr. M; fortasse fuerat *cotym*. — 8. Habet *Bosporum* h. l. M, non *Bosphorum* Edd. ante Bernegg. nec *Bosforum* Guelf. — 9. *diffisis* M. Emendavit Pichena, ante quem edebant *diffisus*. — *syracusorum* M. Correxit Lipsius. — 10. *quesivere* M. — 11. *eunone* M. — Habet *Adorsorum* M. — 14. *capescerent* M. — Habet *tunc* M, non *tum* Edd. ante Bekk. — Habet *cuius* M, non *quoius* Guelf. — 16. *dandarice* M. — 17. *mitridate* M. — *optineri* M.

contra 1, 58: *exercitui praesidebat*. — *Vologesen*] primum inter quinque huius nominis Arsacidas. Cfr. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 110.

15. *Mithridates Bosporanus*] ut distinguatur ab Armenio Mithridate, de quo 11, 8. De Bosporano Dio 60, 8: *Κλαύδιος - - ἄλλῳ τινὶ Μιϑριδάτῃ τὸ γένος ἀπ' ἐκείνου τοῦ πάνυ ἔχοντι τὸν Βόσπορον ἐχαρίσατο καὶ τῷ Πολέμωνι χώραν τινὰ ἀντ' αὐτοῦ τῆς Κιλικίας ἀντέδωκε.* Mithridatem octavum vocat Vaillant *Achaemenidarum imper.* II. p. 246. Superest eius nummus cum inscriptione *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ*; in parte aversa exhibens pharetram, arcum, clavam Herculis et pellem leonis Nemeaei, ut in nummis Archelai Cappadocis, ad significandam originem, quam affectabant, ab Hercule ductam; addito praeterea tridente, *συμβόλῳ* fortasse urbis Panticapaeae. Cfr. Visconti *Iconogr. gr.* II. p. 155. Tenebat autem regnum Bosporanum Chersonesum Tauricam et quidquid occidentali ac meridionali parti Maeoticae paludis adiacet, nunc *la Crimée et la côte occidentale et méridionale de la mer d'Azow*. Brot. — *Didium*] Aulum Didium, de quo infra C. 40. 14, 29. Agr. 14. — *Cotyn*] Mithridatis fratrem, primum huius nominis inter reges Bosporanos, cuius exstant nummi inde ab a. 342. aerae Ponticae, qui respondet a. post Chr. 46., usque ad a. Ponticum 365. sive post Chr. 69., adeo ut triennium iam ante res hic narratas regnare coeperit, ac per XXIV. annos in dominatione permanserit. — *Iulio Aquila*] cfr. C. 21. — *Dandaridarum*] Strabo 11. p. 495: *Τῶν Μαιωτῶν δ' εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σινδοὶ καὶ Δανδάριοι* (sic etiam Plutarch. in Lucullo 16. et Stephanus in h. v.) *καὶ Τορεάται καὶ Ἄγροι κτλ.*, paludis igitur Maeotidis accolae. — *habebatur*] «ab omnibus credebatur;» neutiquam vero cum Bachio explicari potest *erat*. — *Siracorum - - Adorsorum*] Strabo 11. p. 506: *οἱ μεταξὺ τῆς Μαιώτιδος καὶ τῆς Κασπίας, Ναβιανοὶ καὶ Παγξανοί· καὶ ἤδη τὰ τῶν Σιράκων*

visum. exin in Siracos pergunt, et transgressi amnem Pandam circumveniunt urbem Uspen, editam loco et moenibus ac fossis munitam, nisi quod moenia non saxo sed cratibus et vimentis ac media humo adversum irrumpentes invalida erant; eductaeque altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. ac ni praelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret. (17) postero misere legatos, veniam liberis corporibus orantes: servitii decem milia offerebant. quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius iure caderent. datumque militibus, qui scalis evaserant, signum caedis. excidio Uspensium metus ceteris iniectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque et urbes iuxta perrumperentur. igitur Zorsines, diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regr[illegible] postquam praevaluit gentilis utilitas, datis obsidibus apud saris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem victorem tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. s[illegible] dispar fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari remea[illegible] Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohorti[illegible]

1. *axim* M. — *seracos* M. — 3. *gratibus* M. — Habet *vimentis* M, non, ut narratur apud B., *vimentibus*. — 4. *educta eque* M. — 5. *dirimisset* M. — *cepta* M. — 6. *postremo* M. Emendavit Lipsius. — 9. *ut belli* M: *belli* cum Ernestio B. — 11. *nichil* M. — 12. *perrumpentur* M. Vitiosam lect. Edd. vett. *prorumperentur* correxit Rhenanus. — 13. *mitr.* M. — 16. *aufuisse* M. — 17. *litora* M: *littora* B.

καὶ Ἀόρσων φῦλα. Δοκοῦσι δ' οἱ Ἄορσοι καὶ οἱ Σίρακες φυγάδες εἶναι τῶν ἀνωτέρω καὶ προσάρκτιοι μᾶλλον Ἀόρσων. Deinde narrat Abeacum, Siracum regem, cum Pharnaces Bosporum teneret, XX. equitum milia misisse; Spadinem, Aorsorum regem, etiam ducenta; plures his Aorsos superius habitantes, ut qui terrae plus obtinerent ac fere in maximam partem orae maris Caspii dominarentur. Unde vides harum nationum opes haud contemnendas fuisse. *Siracos*, non *Siraces*, appellat etiam Plinius 4, 12, 26., sed, ut Strabo, non *Adorsos*, *Aorsos* idem quoque 6, 16, 18., et sic edidit h. l. Ryckius. Cfr. *Nouveau journal asiatique N. 1. janvier 1828. p. 48: Commentaire sur la description des pays caucasiens de Strabon, par M. Klaproth.* — *nec - in arduo*] sine difficultate eam obtinuerunt. Sic *in levi* 3, 54.

16. *nostris in armis*] Romano, non *gentico* (ut ait 3, 43.) sive barbaro more instructi armatique. — *vimentis*] pro *viminibus*, *Flechtwerk*, *branchage*, nunc videtur *ἅπαξ λεγόμενον*, formatum ut *stramentum* a *stramine*. Ceterum nota *ἓν διὰ δυοῖν*. — *media humo*] interiecta cratibus, quarum duplicem seriem cogita. — *turres*] obsidionales ac temporariae.

17. *ut belli*] Pendent haec ex vv. *aspernati sunt*, quasi dixisset, »statueruntque, decreverunt, ut cet.«; in medio posita pro parenthesi habenda sunt. Efficacius autem hoc, quam si cum Ernestio deleas *ut*. — *evaserant*] rapide ascenderant, ut Virg. Aen. 2, 458: *Evado ad summi fastigia culminis.* — *perrumperentur*] Horat. Carm. 3, 16, 10: *Aurum - - perrumpere amat saxa.* — *effigiem Caesaris*] qualis ferebatur in signo militari. 15, 24. Sed et aliae erant in castris Romanis. Suet. Cal. 14: *Artabanus - - aquilas et signa Romana, Caesarumque imagines adoravit.* Lips. — *Tanai*] miraculi hoc instar intigisse prope *extremum Tanaim.* Horat. Carm. 3, 10, 1. — *Taurorum*] Scytharum est populus, sacrificiis humanis infamis. Herod. 4, 103:

centurionum interfectis. (18) interea Mithridates, nullo in armis subsidio, consultat cuius misericordiam experiretur. frater Cotys, proditor olim, deinde hostis, metuebatur: Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa eius magni penderentur. ad Eunonen convertit, propriis odiis non infensum et recens coniuncta nobiscum amicitia validum. igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato regiam ingreditur, genibusque eius provolutus «Mithridates» inquit «terra marique Romanis per tot annos quaesitus sponte adsum. utere, ut voles, prole magni Achaemenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.» (19) at Eunones claritudine viri, mutatione rerum et prece haud degeneri permotus, adlevat supplicem, laudatque quod gentem Adorsorum, quod suam dextram petendae veniae delegerit. simul legatos litterasque ad Caesarem in hunc modum mittit, populi Romani imperatoribus, magnaionum regibus primam ex similitudine fortunae amicitiam, sibi lio etiam communionem victoriae esse. bellorum egregios fines, ignoscendo transigatur. sic Zorsini victo nihil ereptum. pro te, quando gravius mereretur, non potentiam neque rerecari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet.

1. *centurionum*] *consiliarium* M. Illud e corr. Bud. primus recepit Rhenanus. (Lipsius malebat *auxiliarium.*) — 3. Habet *id* M, non *eius* Beroaldi. — 5. *non* om. M. Insertum ex Agr. (Iac. Gronovius *inoffensum.*) — 9. *achemenis* M. — 10. *p̄re* M. — Habet *permotus* M, non *promotus* Puteol. — 11. *aduorsorum* M. — 12. Habet *dextram* M, non *dexteram*, ut edebant ante Walth. et B. — 13. *PIR* cum lin. M. — *magnarum* M: *magnarumque* cum prioribus Edd. B. — 14. *similitudo* pr. M. — 16. Habet *transigatur* M, non *transigantur* Puteol. Walth. — *nichil* M. — 17. *neque* M: *non* cum Gueif. B. — 18. *paenas* M.

Ταῦροι θύουσι τῇ παρθένῳ τούς τε ναυηγοὺς καὶ τοὺς ἂν λάβωσι Ἑλλήνων ἐπαναχθέντας. — *centurionum*] Med. *consiliarium*, quod nullo modo defendi potest, etsi Walther interpretari conatus est de viris Aquilam, Romanorum ducem, consilii causa comitantibus. Recte e corr. Bud. emendavit Rhenanus, haec addens: «magnae semper cladis signum apud historicos est multorum centurionum interitus, ut Cap. 38.» Neque vero male Pichena *classicorum* vel *classiariorum*. At Lipsius *auxiliarium*, qui minus apte copularentur cum *praefecto cohortis*. Recepit tamen hoc Bachius. — *interfectis*] non *postquam interfecti sunt*, sed, *ita, ut interfecti sint*. Walth. Immolatos autem esse probabile est.

18. *nemo id auctoritatis*] Frustra Beroaldus *eius*; dictum est adverbialiter, ut *id temporis* Cic. de Fin. 5, 1, 1. et supra C. 13., alibi *homo id aetatis* ac similia. — *non infensum*] I. Fr. Gronovius malebat *nullis offensum* ex 15, 64: *nullo proprio in Paullinam odio*. Contra Iac. Gronovii *inoffensum* et nimis affectatum neque hac significatione satis Latinum est. — *validum*] satis magna apud nos auctoritate gaudentem. — *Achaemenis*] Etenim Mithridates ille Magnus in oratione, quam ex Pompeio Trogo integram *brevitati sui operis* inseruit Iustinus 38, 7. ita gloriatur: *se paternos maiores suos a Cyro Darioque, conditoribus Persici regni, maternos a Magno Alexandro ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referre.* Achaemenes autem Cyri proavus. Herod. 7, 11.

19. *haud degeneri*] quae ipsius regium genus haud dehonestabat. — *transigatur*] absolute, ut Hist. 3, 46: *Cremonae interim transegimus.* Agr. 34: *transigite cum expeditionibus*; itaque non opus Puteolani *transigantur*, etsi Hist. 2, 38. est: *transacta sunt bella.* — *expenderet*] Cic. Tusc. 2, 10. in loco Aeschyleo de Prometheo:

(20) at Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis an repetere armis rectius foret. hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat. sed disserebatur contra suscipi bellum avio itinere, importuoso mari; ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens; tum taedium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiae, si pellerentur. quin arriperet oblata et servaret exsulem; cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. his permotus scripsit Eunoni meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exsequendum deesse: verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. nam triumphos de populis regnisque integris acquiri. (21) traditus posthac Mithridates, vectusque Romam per Iunium Cilonem procuratorem Ponti, ferocius quam pro fortuna disseruisse apud Caesarem ferebatur, elataque vox eius in vulgum hisce verbis «non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte et quaere.» vultu quoque interrito permansit, cum Rostra iuxta, custodibus circumdatus, visui populo praeberetur. consularia insignia Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur.

1. Habet *at* M, non *atque* Puteol. — *quanquam* M B. — 2. *hinc* M: *huc* auctore Lipsio B. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — Habet *ad hoc* M, non *ad haec* Puteol. — 5. *egentum* (add. ex corr. *s*) M. — Habet *pericula* M, non *periculum* Guelf. — 7. *exulem* M. — *cui*] *quin* M. Correxit Puteolanus. — 9. *mitridatē* M. — *exeq.* M. — 10. *hostem, tanta*] *hoc temptata* M. Emendavit Muretus. — 12. Habet *posthac* M, non *post haec* Puteol. Walth. — 13. *roma* M. — *colonem* M. Correxit Lipsius ex Dione 60, 33. — 18. *coloni* M.

poenasque Iovi Fato expendisse supremo. Virg. Aen. 11, 258: *scelerum poenas expendimus omnes.* Ex interpol. Farnes. et Agr. *exciperet.*

20. *hinc*] Sane magis usitatum esset Lipsii *huc;* Med. tamen *hinc* commode explices: «ab hac quidem parte Claudium impellebat dolor iniuriarum, ut violentius consilium Mithridatem armis repetendi praeferret; sed ab altera eius consiliarii disserebant cet.» Ceterum v. *vindictae* manifesto genitivus est, non, ut arbitratur Doederlein, dativus. — *vagos*] *νομάδας* ac propterea vix unquam subigendos. — *cui inopi*] Med. *quin inopi* tolerari non potest, etsi recepit Bachius. Ortum est partim ex scriptura *quoi inopi*, partim ex praecedente *quin.* — *novissima exempla*] ultimum supplicium, ut v. *exemplum* interdum de atrocioribus poenis crudelibusque facinoribus usurpatur. Liv. 29, 27: *in civitatem Karthaginiensium exempla edendi facultatem.* 42, 8: *omni ultimae crudelitatis exemplo laceratos.* — *nam triumphos*] Opponuntur *populi integri*, id est, qui prius potentes devicti sint a Romanis, regi iam ante Romanorum victoriam opibus spoliato ab aliis, veluti Mithridates regno pulsus erat a Cotye fratre.

21. *Iunium Cilonem*] de quo faceta est narratio apud Dionem 60, 33. Praefuerat Bithynis, inquit, (nam Bithynia adiuncta, ut opinor, Ponticae administrationi) et praefuerat nequiter, avare. Questi Bithyni apud Claudium sunt poposceruntque poenas. Cum parum intellexisset Claudius in turba strepituque adstantium, quid dixissent Bithyni, alios interrogat. Ibi Narcissus, pronus in Cilonem, audaci mendacio edidit gratias eos agere Ciloni. Tum ille, Praesit ergo eis alterum biennium. Lips. — *quaere*] «iterum, si potes, Romam me perduc, me terra marique per tot annos quaesitum,» ut est C. 18.

(22) Isdem consulibus atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa, quod secum de matrimonio principis certavisset, molitur crimina et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris. exin Claudius inaudita rea multa de claritudine eius apud senatum praefatus, sorore L. Volusii genitam, maiorem ei patruum Cottam Messalinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam (nam de C. Caesaris nuptiis consulto reticebat), addidit perniciosa in rem publicam consilia, et materiem sceleri detrahendam: proin publicatis bonis cederet Italia. ita quinquagies sestertium ex opibus inmensis exsuli relictum. et Calpurnia illustris femina pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone; unde

2. *mollitur* M. — 3. *obiceret* M: *obiiceret* B. — *chaldeos* M. — 4. *exim* M. — 5. *praephatus* M. — *L.* M: *Lucii* B. — *genita* M. — 6. Habet *Messalinum* M, non *Messallinam*, ut narrat Victorius apud Waltherum. — 7. *C.* M: *Gai* B. — *permitiosa* (sic) M. — 8. *celeri* pr. M. — *puplicatis* M. — 9. *inmensis* M: *immensis* B. — 10. *exuli* M.

22. *Apollinis Clarii*] Cfr. 2, 54. Schol. Apoll. ad Lib. 1, 308: *Κλάρος πόλις πλησίον Κολοφῶνος, ἱερὰ Ἀπόλλωνος, καὶ χρηστήριον τοῦ θεοῦ.* — *L. Volusii*] cfr. 13, 30.; de cuius gentis nobilitate Rutilius *de reditu* 1, 169: *Rufius, Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen Et reges Rutulos teste Marone refert.* — *Cottam*] 2, 32. 4, 20. 5, 3. 6, 5. — *Memmio*] 5, 11. 14, 47. Suet. Cal. 25. Dio 59, 12. — *Calpurnia, illustris femina*] ita distinguitur a Calpurnia, ut opinor, liberta, Claudii pellice 11, 30. Illa post decem annos ex exsilio revocata est. 14, 12. — *pervertitur*] in exilium pulsa. — *citra ultima*] necem. — *stetit*] substitit, ut Hist. 4, 67: *belli impetus stetit.* Agr. 16: *seditio sine sanguine stetit.* — *Lolliam*] Dio 60, 33. de Agrippina: *ἤδη δέ τινας καὶ τῶν ἐπιφανῶν γυναικῶν ζηλοτυπήσασα ἔφθειρε, καὶ τήν γε Παυλῖναν τὴν Λολλίαν, ἐπειδὴ ἐλπίδα τινὰ ἐς τὴν τοῦ Κλαυδίου συνοίκησιν ἔσχηκεν, ἀπέκτεινε· τήν τε κεφαλὴν αὐτῆς κομισθεῖσαν αὐτῇ μὴ γνωρίσασα τό τε στόμα αὐτῆς αὐτοχειρίᾳ ἠνέῳξε καὶ τοὺς ὀδόντας ἐσκέψατο ἰδίως πως ἔχοντας.* — *Cadius*] in senatorium locum postea restitutus. Hist. 1, 77.

23. *Galliae Narbonensi*] huius igitur primoribus ius honorum fuit diu ante, quam idem concederetur Galliae Comatae. 11, 23. — *non exquisita*] Libera re publica liberum senatoribus peregrinari etiam rei privatae causa. Id tantum excogitatum, ut dicis causa libera legatio peteretur a senatu sumereturque, quo maiore abessent cum dignitate (et commodius). Cicero saepe. At lapsa re publica in servitutem, senatoribus haec etiam adempta libertas. Augustus id instituit imperio firmando, et ne quis illustriorum commeare ad exercitus aut conciliare milites provincialesque posset. Dio 52, 42: *προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ· καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο φυλάσσεται· πλὴν γὰρ ὅτι ἔς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημῆσαι ἔξεστιν· ἐκεῖσε γὰρ διά τε τὸ σύνεγγυς καὶ διὰ τὸ ἄοπλον τό τε εἰρηναῖον τῶν ἀνθρώπων δέδοται τοῖς γέ τι κεκτημένοις αὐτόθι καὶ ἄνευ παραιτήσεως, ὁσάκις ἂν ἐθελήσωσιν, ἀπιέναι.* Suidas in *Κλαύδιος· Νόμον προὔθηκε μὴ δύνασθαι βουλευτὴν ὑπὲρ ἑπτὰ σημεῖα τῆς πόλεως ὁδεύειν χωρὶς τῆς τοῦ βασιλέως κελεύσεως.* Augustus tamen in hoc decreto suo Siciliam exceperat, sicut nunc Claudius Galliam Narbonensem, quia utraque provincia vicina et quasi suburbana. Cfr. Suet. Claud. 23: *Commeatus a senatu peti solitos sui beneficii fecit.* Lips. — *Sohaemo*] Dio de Caligula 59, 12: *Σοαίμῳ τὴν τῶν Ἰτυραίων τῶν Ἀράβων ἀρχήν, ψηφισαμένης δὴ τῆς βουλῆς, ἐχαρίσατο.* De Herodis Agrippae I., Iudaeorum regis, morte a. u. 797. post Chr. 44. vide Iosephum Ant. 19, 8, 2. cfr. Act. Apost. 11, 21. seqq.

ira Agrippinae citra ultima stetit. in Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis. (23) Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum ut senatoribus eius provinciae non exquisita principis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret. Ituraeique et Iudaei defunctis regibus, Sohaemo atque Agrippa, provinciae Suriae additi. Salutis augurium quinque et viginti annis omissum repeti ac deinde continuari placitum. et pomerium urbis auxit Caesar, more prisco, quo iis qui protulere imperium etiam terminos urbis propagare datur. nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla et divus Augustus. (24) regum in eo ambitio vel

1. *ira* Ruperti et Boetticher: *irex* M, (non ut narrat Victorius, *ivet*) *vis* cum Guelf. Puteol. cet. B, *ira ex Agrippina* Doederlein. — 3. *bithinis* M. — Habet *Narbonensi* pr. M., add. ex falsa corr. littera *s*. — 5. *itureique et iudei* M. — 6. *sohemo* M. — 7. *anguriu* M. — *viginti*] *XX*. M. — 8. Habet *pomerium urbis* M, non omisso v. *urbis* Bud. Spir. Berold. (tacente Victorio), Walther. — 9. *is* M. — 10. *quanquam* MB. — 11. *L.* M: *Lucius* B. — *silla* M. — *agustus* pr. M.

Exstat eius nummus cum inscriptione: *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ*. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 27. Eius filius Herodes Agrippa II. deinde post patrui Herodis, Berenices mariti, mortem Chalcidem ac postea tetrarchiam, quae olim fuerat Philippi, obtinuit; obiit is demum Traiani imperatoris anno tertio a. post Chr. 100. Cfr. Noldium de vita et gestis Herodum in Crenii Fasc. III. Exercitatt. phil. hist. Lugd. Bat. 1699. p. 425. seqq. — *provinciae Suriae additi*] suis tamen sub procuratoribus; nam multo maior regni pars Herodi Agrippae II. restituta non est. Procuratores autem isti, ut ait Lipsius, adspiciebant quidem legatum Syriae, sed non assidue audiebant. Rem ita significat Hist. 5, 9: *Claudius defunctis regibus aut ad modicum reductis Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit.* — *Salutis augurium*] Dio 37, 24: *τοῦτο δὲ μαντείας τις τρόπος ἐστὶ πίστιν τινὰ ἔχων, εἰ ἐπιτρέπει σφίσι ὁ θεὸς ὑγίειαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι· ὡς οὐχ ὅσιον οὐδὲ αἴτησιν αὐτῆς πρὶν συγχωρηθῆναι γενέσθαι. καὶ ἐτελεῖτο κατ' ἔτος ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ μηδὲν στρατόπεδον μήτε ἐπὶ πόλεμον ἐξῄει, μηδ' ἀντιπαρετάττετό τις μηδὲ ἐμάχετο. καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς συνεχέσι κινδύνοις καὶ μάλιστα τοῖς ἐμφυλίοις οὐκ ἐποιεῖτο.* Iam Dio 54, 2. et Suet. Oct. 31. memoriae prodiderunt, augurium Salutis inde ab a. u. 725. omissum (cfr. Dio 51, 20.), ab Augusto restitutum esse a. 741., postquam pontificatum maximum adeptus erat. Sed quoniam nulla amplius apud scriptores huius augurii fit mentio, Lipsius ex Taciti numero XXV. annorum colligit a. 777. id augurium repetitum esse a Tiberio. Bach. — *pomerium urbis auxit*] Idque testatur lapis Romae repertus. Inscr. m. Lat. N. 710: *TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COS. IIII. CENSOR. P. P. AVCTIS. POPVLI. ROMANI. FINIBVS* (per triumphos e Britannia). *POMERIVM. AMPLIAꟾIT. TERMINAꟾITQ.* Quae notae omnes conveniunt a. post Chr. 49. Cfr. Eckhel D. N. VI. p. 249. Ceterum de pomerio cfr. Müller *Etrusker* II. p. 147. — Pertinet huc imprimis locus Gellii 13, 14: *Aventinum antea extra pomerium exclusum post auctore D. Claudio receptum et intra pomerii fines observatum.* Cfr. etiam Niebuhr *Röm. Gesch.* I. p. 319. et 407. Ed. III. — *L. Sulla et D. Augustus*] Etiam Iulius Caesar auxit, interiectus inter eos duos. Gellius l. l. Dio 43, 50: *ταῦτά τε ἐποίει καὶ νόμους εἰσέφερε, τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε.* Id. 44, 49. Rem tangit Cic. ad Att. 13, 20: *De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi; id sane scire velim.* Suetonius nihil de ea re in Iulio commemorat; et fortasse concepta a Iulio res, perfecta demum ab Augusto. Nugator quidam curiosus, qui inducitur a Seneca de brev. vitae 14., tradidit: *Sullam ultimum*

gloria varie vulgata. sed initium condendi, et quod pomerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. inde certis spatiis interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi, mox *ad* curias veteres, tum ad sacellum Larundae; forumque Romanum et Capitolium non a Romulo sed a Tito Tatio additum urbi credidere. mox pro fortuna pomerium auctum. et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.

(25) G. Antistio M. Suillio consulibus adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur, qui obstrictus Agrippinae ut conciliator nuptiarum, et mox stupro eius inligatus, stimulabat Claudium consuleret rei publicae,

2. *roario* M, in marg. *b.* — 4. *ceptus* M. — 5. *palatii* M. — 6. *consii* M. — *ad curias*] om. hoc *ad* M, insertum iam in Spir. — *Larundae; forumque* Orellius: *larum deforoque* (deleta a sec. manu syllaba *de)* M: *Larum; forumque* B. Cfr. Varro p. 30. Muell. — 8. *actum* M. — Habet *tum* M, non *tunc* Guelf. Spir. Walth. — 9. *cognitū* M. — Habet *perscr.* M, non *praescr.* Puteol. — 10. *G.* M: *Gaio* B. — *M.* M: *Marco* B. — *cos.* cum lin. M. — *optio* M. Emendavit Puteolanus. — 12. *inl.* M: *ill.* B. — *publicae*] *.p.* M.

Romanorum protulisse pomerium, quod nunquam provinciali, sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit. Cfr. Vopiscum in Aureliano 21. Lips.

24. *foro boario*] In octava urbis regione inter Palatinum, Capitolinum et Aventinum montem, nunc *Campo Vaccino.* — *magnam Herculis aram*] quae frequentius *maxima* dicitur. Virg. Aen. 8, 271: *Hanc aram luco statuit* (Hercules), *quae Maxuma semper Dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.* Propert. 5, 9, 68: *Ara per has, inquit, Maxima facta manus.* — *lapides*] Sunt *cippi pomerii*, quos Varro vocat L. L. 5, 32., columellae positae pomerii designandi causa. Ern. — *aram Consi*] quem nonnulli eundem putant ac Neptunum Equestrem. Tertull. de Spectac. 5. scribit eam aram defossam esse in Circo ad primas metas cum inscriptione huiusmodi: *Consus consilio, Mars duello, Lares coillo* (sic Rigalt.) *potentes.* — *ad curias veteres*] Varro l. l.: *Curiae duorum generum, nam et ubi curarent sacerdotes res divinas, ut Curiae veteres, et ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia.* Festus: *Novae Curiae proxime compitum Fabricium aedificatae, quod parum amplae veteres a Romulo factae.* (Praep. *ad* hic non facile caremus, quia rursus sequitur *ad sacellum;* quamquam Doederlein recte eam a Med. abesse opinatur, comparans 6, 51: *in Liviam et mox Iuliam familiam.* Agr. 35: *simul in frontem, simul et latera.)* — *Larundae*] sive Larae, matris Larum Compitalium. Ovid. Fast. 2, 615. Qui *Larum* legunt, explicant de Laribus publicis.

25. *Suillio*] Sic Med. Edd. multae *Suilio.* Sed in nummo Hierapolitano apud Mionnet *Description* IV. p. 302. est *M.* ΣΥΙΛΛΙΟΣ cum capite Agrippinae. — *in Domitium*] pendet a v. *festinatur*, ut 4, 28: *mortem in se festinavit.* Suet. Ner. 7: *Undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est Annaeoque Senecae, iam tunc senatori, in disciplinam traditus*; ubi *duodecimo* legendum esse contendit Lipsius, ut uterque scriptor concordet. Cfr. Ryckium ad h. l. — *robore*] adminiculo, subsidio, munimento, ut 1, 3: *quo pluribus munimentis insisteret.* — *nepotibus*] L. et C. Caesaribus. — *privignos*] Tiberium et Drusum. — *propriam stirpem*] Drusum minorem. — *accingeret*] metaphora a gladio repetita, ut infra 44. *studiis popularium accinctum.* — *biennio*] Freinshemius corrigit *triennio* ex 13, 6. et 15.; sed in talibus annorum numeri persaepe ita notantur, ut v. c. biennium valeat etiam de anno tertio nondum expleto. Quamquam tres annos duosque menses inter Neronis et Britannici natales intercessisse notat etiam Eckhel D. N. VI. p. 260. — *patricios Claudios*] Cic. de Or. 1, 39: *Quid,*

Britannici pueritiam robore circumdaret. sic apud divum Augustum, quanquam nepotibus subnixum, viguisse privignos; a Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum. se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. his evictus biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem quem a liberto acceperat modum. adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos duravisse. (26) ceterum actae principi grates, quaesitiore in Domitium adulatione; rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. augetur et Agrippina cognomento Augustae. quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit quem non Britannici fortunae maeror affligeret. desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis, per intempestiva novercae

1. *brittanici* (sic) M. — *robor* pr. M. — *agustum* pr. M. — 3. *acgingeret* M. — *iuvenē* M. — 5. *in* om. M. Inseruit Muretus. — Post *eundem* littera una vel duae erasae in M. — 7. *repperiri* M. — Habet *Atto Clauso* M, non *Appio Claudio* Spir. — 8. *quaestiore* M. — 10. *Augustae*, tum ab eadem manu eodemque atramento corr. *augusta* in M. — 11. *brittanici* M. — *meror* M. — *affligeret* Orellius: *affigeret* M, *afficeret* B. — 12. *per intempestiva* M: *intempestiva* cum Spir. B, *perintempestiva* Ritter.

qua de re inter Marcellos (Claudios Marcellos plebeios) *et Claudios patricios centumviri iudicarunt, cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii eiusdem hominis hereditatem gente ad se redisse dicerent; nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis et gentilitatis iure dicendum?* Suet. Tib. 1: *Patricia gens Claudia (fuit enim et alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate) orta est ex Regillis*, cet. — (Atqui Tiberius Germanicum adoptavit, uti notum. Excusabant id curiosi, quod Tiberius iam e Claudiis migrarat in gentem Iuliam. Lips.) — *Atto Clauso*] Liv. 2, 16: *Attus Clausus, cui postea Appio Claudio Romae nomen fuit.* Id. 10, 8: *principem nobilitatis vestrae, seu Attum Clausum seu Appium Claudium vultis.* Ovid. Fast. 4, 305: *Claudia Quincta genus Clauso referebat ab Atto.* (Cfr. supra 4, 9.) is ex Sabinis Romam migravit a. u. 250. — *continuos*] sine adoptione alienigenae in hanc gentem.

26. *quaesitiore*] quia iam praevidebant adulatores Neronem, non Britannicum Claudio successurum. — *rogata lex*] curiata apud pontifices et XXX. lictores, ut fiebat in adrogationibus. Cfr. Hist. 1, 15. Gaius 1, 99: *Populi auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt; quae species adoptionis dicitur adrogatio* cet. Hanc legem totamque Neronis adoptionem a Britannico sperni queritur Agrippina infra C. 41. — *Augustae*] unde in omnibus eius nummis est *AGRIPPINA AVGVSTA* Akerman I. p. 158. — *affligeret*] Cfr. Cic. ad Fam. 9, 11: *eo casu, quo sum gravissime afflictus;* neque raro h. v. usurpatur de maerore, luctu, aegritudine. — *desolatus*] *μονωθείς*, spoliatus exutusque paullatim non solum honestiore comitatu, sed etiam servulis, ut 1, 30. Lips. Suet. Cal. 12: *deserta desolataque reliquis subsidiis aula.* Agrippina teste Dione 60, 32: *τὸν Βρεττανικὸν τὸν παῖδα αὐτοῦ* (Claudii) *ὡς καὶ τῶν τυχόντων τινὰ τρέφεσθαι ἐποίει. — Βρεττανικὸς δὲ οὔτε τινὰ τιμὴν οὔτε ἐπιμέλειαν εἶχεν, ἀλλ' ἡ Ἀγριππῖνα τούς τε ἄλλους τοὺς περιέποντας αὐτὸν τοὺς μὲν ἐξέβαλε, τοὺς δὲ καὶ ἀπέκτεινε, καὶ τὸν Σωσίβιον, ᾧ ἥ τε τροφὴ καὶ ἡ παιδεία αὐτοῦ προσετέτακτο, κατέσφαξεν, ὡς καὶ τῷ Νέρωνι ἐπιβουλεύοντα· κἀκ τούτου παραδοῦσα αὐτὸν οἷς ἤθελεν ἐκάκου ὅσον ἐδύνατο, καὶ οὔτε τῷ πατρὶ συνεῖναι, οὔτε ἐς τὸ δημόσιον προϊέναι εἴα, ἀλλ' ἐν ἀδέσμῳ τρόπον τινὰ φυλακῇ εἶχεν.* Zonaras p. 565: *Τὸν δὲ Βρεττανικὸν συχνοὶ μὲν οὐδ' εἰ ἔζη ἐγίνωσκον, οἱ λοιποὶ δὲ παραπλῆγα καὶ ἐπίληπτον, ταῦτα κηρυττούσης τῆς Ἀγριππίνας, ᾤοντο. — per intempestiva*] Retenta praepositione haec aliter explicari nequeunt nisi cum

officia in ludibria vertebat, intellegens falsi. neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt, sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam sine experimento. (27) sed Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum e vocabulo ipsius. ac forte acciderat ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.

Isdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Chattorum latrocinia agitantium. dein L. Pomponius legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario, † monitos ut anteirent populatores vel dilapsis inprovisi circumfunderentur. et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petiverant, recens reversos praedaque per luxum usos et somno graves circumvenere. aucta laetitia, quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant. (28) at qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti et aciem auso plus cladis faciunt, et praeda famaque onusti ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperie-

1. *intellegens* M: *intelligens* B. — 2. Habet *seu per.* M, non *sive per.* Bud. Spir. — 4. *ubi Iorum* M. — 5. Habet *e* M, non omittit, ut ait Victorius. — 6. *transgressa* M. — 8. *advectu* M. — *catthorum* M. — 9. *dein* M: *deinde* B. — *L.* M: *Lucius* B. — Habet *uangionas* M. — 10. *elario* M. — *monitos* M: *monuit* auctore Puteolano B. Sed sic quoque locus manet corruptus. (*immittit*, *monitos* Doederleinii suspicio.) — 11. Habet *dilapsis* M, non *dil.* — *inp.* M: *imp.* B. — 14. *qudragensimum* (sic) M. — *anum* M. — 17. Habet *Taunum* M, non *Taurum* Guelf.

Rupertio ac Doederleinio: «*vertebat*] Intransitive dictum, ut 6, 46: *ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent.* (Adde ad hunc v. *vertere* usum 2, 20. 4, 31.) Nam Agrippina, quo ambitiosius novercalem animum dissimularet ac simul eadem specie ministros Britannici amoveret, ea privigno officia obtrudebat, quae puerulis praestari solent, non adolescentibus ut Britannico. Id indignum simul et ridiculum, cum praesertim eundem cogeret, ut manifestam fraudem et insidias pro caritate materna accipere videretur. Ita ludibrio fuit Agrippinae et consciis, ut catenatus vincula mordens. Pluralem *ludibria* praeter Tacitum 6, 46. praetulit etiam Gell. N. A. 15, 2: *vini libidine usque ad ludibria ebriosus.*» (Pluralis significat, illum frequenter ac prope quotidie ludibrio fuisse.) «Aliter Ritter *perintempestiva* scribens, ut 4, 12: *peridoneus*; eodem opinor sensu quo Ernestius (cum Spir.) *per* delens: «Noverca volebat officiosa videri, sed id faciebat inepte; itaque Britannicus intelligens fraudem ridebat inepta officia.» «Sed neque Agrippina inepte agere consueverat nec Britannicus ad ridendum pronus erat.» DOED. *Per* si deleas, quomodo irrepserit, vix explicabis. Talia vero vv. composita, ut *perintempestivus*, nobis fingere haud licet; et, ut vel maxime hoc Latinum esset, tamen hic importunum ac nimium videretur. — *segnem*] hebetis ac tardi ingenii. — *retinuit*] inde a sua aetate usque ad tempus, quo Tacitus scripsit hunc Annalium librum, apud posteros. BACH. — *sine experimento*] quia in illa φυλακῇ ἀδέσμῳ indolem suam demonstrare non poterat.

27. *veteranos coloniamque*] id est, coloniam veteranorum, ἓν διὰ δυοῖν. — *nomen*] Colonia Claudia Agrippinensium (Grut. p. 436.) s. Agrippinensis, s. Agrippina in Itinerario Antonini. — *avus Agrippa*] quod factum credo M. Agrippa et L. Gallo coss. a. u. 717. ex Dione 48, 49. LIPS. Accuratius Zumptius *Annal.* p. 109. id factum assignat a. u. 715. Walther cogitavit etiam de a. 735. appellans Dionem 54, 11. — *in fidem*] in deditionem reciperet. — *dein*]

batur, si Chatti cupidine ulciscendi casum pugnae praeberent. illi metu, ne hinc Romanus inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere; decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.

(29) Per idem tempus Vannius Suevis a Druso Caesare inpositus pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. auctores fuere Vibillius Hermundurorum rex et Vangio ac Sido sorore Vannii geniti. nec Claudius, quanquam saepe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent. nam vis innumera Ligii aliaeque gentes adven-

1. *catthi* M. — 3. Post v. *Pomponio* in M erasa est littera. — 6. *tepus* M. — *cesare* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 8. Habet *diuturnitate* M, non *diuturnitatem* Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. — 9. Habet *uibillius* M, non *Iubillius* Harl. Bodl. Ies. Puteol. (*Vibilius* Grimm.) — 10. Habet *Vangio* M, non *Vando* Guelf. — Habet *Sido* M, non *Sidio*. — 11. *certantibus barbaris certantibus* M, unde incerta participii sedes. — 12. *P.* M: *Publio* B. — Habet *Pannoniam* M, non *Panoniae* Guelf. Bud. — *presid.* M. — 13. *componere* M. Correctum in Spir. — 14. Habet *terrorem* M, non *terrori* Bodl. Puteol. — 15. *uisi* pr. M. — *Lygii* Oberlinus ex Germ. 43.; etiam Dioni 67, 5. sunt *Λύγιοι* et sic Grimm.

non tam de consequentia temporis, sed idem fere ac *propterea*, *in Folge dessen*, *en conséquence*, ut 2, 69. Tetigit hunc usum Hand Turs. II. p. 245. Nec vero erat, cur Lipsius et Ernestius nonnulla excidisse opinarentur. — *L. Pomponius*] Cfr. 5, 8. 6, 18. Dial. 13. — *Vangionas ac Nemetas*] Duo hi populi inter se vicini fere semper iunguntur. Hist. 4, 70. Germ. 28. Plin. 4, 17, 116. Habitabant autem ad Rheni ripam sinistram. Vangionum caput Borbetomagus (*Worms*), Nemetum, Noviomagus (postea Spira, *Speier*). Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 219. Ukert *Geographie* II. 2. p. 359. — *alario*] opponitur eques *legionarius*. Cfr. 4, 73. — *populatores*] «praevenirent reditum populatorum.» Cfr. 6, 29. — *per luxum*] intellige et de temulentia et de stupris feminarum puerorumque captivorum. — *quadragesimum*] iusta computatio; clades enim illa accepta a. u. 763. Lips. Homines igitur erant circiter sexagenarii. Cfr. Sen. Ep. 72: *Variana clade quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit; alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit!*

28. *Taunum*] *die Höhe*, supra Francofurtum, Septentrionem versus. Vide 1, 56. — *aeternum*] ut 3, 26. 4, 27: *gliscebant immensum;* contra Agr. 32: *in aeternum*. — *carminum gloria*] 11, 13: *is carmina scenae dabat*, de eodem hoc L. Pomponio.

29. *Vannius*] *gentis Quadorum* 2, 63. *Vannianum regnum* memorat etiam Plinius 4, 25. — *Suevis*] intellige partem Suevorum, qui dicebantur Marcomanni, Maroboduo et Catualdae olim subiecti. — *mutans*] intransitive, ut 2, 23: *mutabat aestus*. — *Hermundurorum*] 2, 63. Germ. 41. Zeuss *die Deutschen* p. 102. — *Sido*] ille ipse, qui postea in partibus Vespasiani. Hist. 3, 5. — *P. Atellio*] Alibi non memoratur. — *Pannoniam praesidebat*] eadem constructione, ac 3, 39. 4, 5. cet. — *ripa*] Danubii. — *componeret*] Cod. *componere* praetulit Bachius, sed non satis firmavit comparato 6, 37: *hortatus - - capessere* ac similibus. — *Ligii*] Germ. 43.

tabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat. ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium; eoque castellis sese defensare bellumque ducere statuerat. (30) sed Iazyges obsidionis impatientes et proximos per campos vagi necessitudinem pugnae attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. igitur degressus castellis Vannius funditur praelio, quamquam rebus adversis, laudatus quod et pugnam manu capessiit et corpore adverso vulnera excepit. ceterum ad classem in Danubio opperientem perfugit. secuti mox clientes, et acceptis agris in Pannonia locati sunt. regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subiectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.

(31) At in Britannia P. Ostorium pro praetore turbidae res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus eo violentius quod novum ducem exercitu ignoto et coepta hieme iturum obviam non rebantur. ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit, et caesis qui restiterunt, disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur infensaque et infida pax non duci non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis cunctaque castris Antonam et Sabrinam fluvios cohibere parat. quod

3. *iazigibus* M. — 4. *iazigies* M. — 6. Habet *ingruerant* M, non *ingruebant* Bud. Rhenan. — *digressus* M. Mutavit Ernestius. — 7. *quanquam* M B. — 8. *capesciit* M. — *dauio* (sic) M. — 10. *uagio* h. l. M. — *sidio* h. l. M. — 12. *dominationes* M: *dominationis* cum amico Ryckii B. — 13. *brittania* M. — *P.* M: *Publium* B. — Habet *pro praetore* M, non *propraetorem* Bud. Edd. vett. — 14. *et fusis* M. — 15. *caepta* M. — *ghieme* M. — *obvia* M. — 17. *restiterunt* M: *restiterant* cum Spir. et Ern. B. — 19. *cinctosque* cum Puteolano Ruperti. — *Aufonam* auctore Camdeno Walther. Ceterum *ad Antonam* cum Bipontinis Oberlinus; *Aufonam contra et* cum Silligio Bachius, *Antonam inter et* mavult Ritter, prob. Doederleinio.

Multi edunt *Lygii*, ut Graecis sunt *Λύγιοι*. Cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 124. et 442. — *triginta*] proprie XXXIII. — *Iazygibus*] Zeuss p. 279. (cfr. Hist. 1, 79. 3, 5. Plin. H. N. 4, 12, 80.) Iazyges ad pontum Euxinum terminosque Russiae et Hungariae. Metanastae dicti Iazyges, qui pulsi a Roxolanis, relicta patria ad Maeotidem paludem, sedes collocarunt in montibus saltibusque supra Danubium inter Tibiscum et Grannam.

30. *clientes*] Nibelunge *nôt* 49: *sîne mâge und ander sîne man.* — *partivere*] antiquiore forma a Plauto Lucretio Salustio (Iug. 43.) usurpata. — *subiectis*] Dativus iungendus cum v. *caritate*, cari subiectis. — *suone*] Vangio ac Sido utrum suis moribus primum clementibus, deinde severis atque atrocibus meruerint primum caritatem, deinde odium, incertum esse dicit, an quia is solitus mos atque ingenium omnium omnino populorum servili imperio assuetorum, ut dominos primum ament, postea odio persequantur. — *dominationes*] Amicus Ryckii et Ernestius malebant *dominationis* ex 6, 45: *dum dominationis apisceretur*. Sed recte de duobus regibus se habet pluralis.

31. *Britannia*] Cfr. Lappenberg *Gesch. v. England* I. p. 24. — *P. Ostorium*] Vide infra C. 39. et Agr. 14., ubi *bello egregius* dicitur. — *restiterunt*] Similes aoristi 1, 53. 2, 62. 6, 31., ubi ut hic facile plusquamperf. exspectares. — *cunctaque*] qui hanc lect. Med. retinent, aliter explicare nequeunt quam «*πάντῃ*, ubique, *in allen Richtungen*»; exemplum tamen aliud vix reperietur; nam quod allatum est ex Hist. 3, 13: *mox cuncta simul erumpunt*, ibi non est ablativus. Nulla autem coniecturarum, quae adhuc factae sunt, satis placere potest. —

primi Iceni abnuere, valida gens, nec praeliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumiectae nationes locum pugnae delegere septum agresti aggere et aditu angusto, ne pervius equiti foret. ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, et distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit. tunc dato signo perfringunt aggerem suisque claustris impeditos turbant. atque illi conscientia rebellionis, et obseptis effugiis, multa et clara facinora fecere. qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit. (32) ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter et pacem dubitabant; et ductus inde Cangos exercitus. vastati agri, praedae passim actae, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. iamque ventum haud procul mari quod Hiberniam insulam aspectat, cum ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur nisi prioribus firmatis. et Brigantes quidem, paucis qui arma coeptabant interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret castrisque legionum premenda foret. id quo promptius veniret, colonia Camulodunum, valida veteranorum manu, deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, et inbuendis sociis ad officia legum. (33) itum inde in Siluras, super propriam ferociam Caractaci viribus confisos, quem multa

1. Habet *contusi* M, non *concussa* Guelf. Harl. Bodl. nec *concussi* Bud. — 4. *quanquam* M B. — 5. *aggr.* M: *adgr.* B. — 9. *M.* M: *Marcus* B. — *servatis* pr. M. — 10 *in Cangos* cum Pichena Walther. Ut nos M. — 12. *temptarent* M. — 13. *orte* M. — 14. *Brigantes* litterae *e* superscripta *a*, ab eadem, ut videtur, manu M. — 16. *ceptabant* M. (*coeptarant* cum Acidalio Ern.) — *siluarum* M. Emendavit Rhenanus. — 18. *p̄menda* M. — 20. *inb.* M: *imb.* B. — 21. *carataci* M. — *confisis* M ex accommodatione ad v. praecedens.

Antonam] Hodie *Avon* et *Severn.* Candenus Brit. p. 375. *Antonam* pro fl. *Nen* sive *Nyne* habet. — *Iceni*] ad septentrionem Trinobantum, hodie *Suffolk* et *Norfolk.* — *contusi*] debilitati atque afflicti, ut Sal. Iug. 43: *nostrae opes contusae hostiumque auctae.* Ann. 4, 46: *contusis Thracum gentibus.* — *turmas*] Construe: *turmas quoque* (equitum) *accingit* (paratas habet) *ad munia peditum* (exsequenda). Equites non uno loco apud Livium equis descendunt et munia peditum praestare iubentur. Ern. — *decus*] coronam civicam.

32. *Cangos*] Ordovicum (Cap. seq.) vicinos; habitabant in septentrionali parte hodierni principatus *Wales (Galles)*. *Cangos* autem, nisi excidit *in*, dictum ut Virg. Ecl. 1, 65: *sitientes ibimus Afros.* — *carpere*] ut Itali *azzuffarsi con qualcheduno.* — *Brigantas*] *Lankaster*, *Cumberland*, *Durham*, *York.* — *coeptabant*] imperfectum significat irritum mansisse horum inceptum, nec opus Acidalii *coeptarant.* — *Silurum*] in parte meridionali principatus *Wales*, inter Sabrinam et mare Hibernicum. — *Camulodunum*] Quod Trinobantum oppidum antea regum in eo tractu sedes. Dio 60, 21: *Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον εἷλε* (Claudius). Prima fuit Romanorum colonia in Britannia. Cfr. Inscr. m. Lat. N. 208: *CENSITOR CIVIVM ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI* (sic). Putant esse hodiernum *Maldon* prope *Colchester.* — *veteranorum*] Legionis VI. Victricis Piae Fidelis. Inscr. m. Lat. 732. 845. cet. — *inbuendis*] ut socii legibus et imperio Romanorum adsuefierent. — *officia legum*] obsequium erga leges.

33. *Caractaci*] Lappenbergio *Caradok;* huius ad a. u. 796. cum sine dubio mentio-

ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores praemineret. sed tum astu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur, sumpto ad praelium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis inportuna et suis in melius essent, tunc montibus arduis, et si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa praestruit et praefluebat amnis vado incerto, catervaeque † maiorum pro munimentis constiterant. (34) ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. enimvero Caractacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem testabatur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore. vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem Caesarem pepulissent; quorum virtute vacui a securibus et tributis, intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent. haec atque talia dicenti adstrepere vulgus; gentili quisque religione

1. *brittanorum* M. — 2. Habet *tum astu, locorum* cet, ut nos, M. (*tum astu, tum locorum* cum Guelf. Oberlinus.) — 3. *ordolucas* M. Emendavit Rhenanus. — 5. *inp.* M: *imp.* B. — *im* M. — 6. *ballis* pr. M, *vallis* corr. M. — Habet *saxa* M, non *saxis* Guelf. Oxon. Puteol. — *prestr.* M. — 7. *catervaque* M. Correxit Lipsius. — *maiorum*] *armatorum* ex Agric. 37. Freinshemius; recepit Walther; *Moniorum* vel *Maniorum* Barthius Adv. 35, 3., *meliorum* cum Bipontinis Oberlinus. Sane *maiorum* per merum errorem praeceptum est ex versu 12. Credo in eo latere non generale v. *armatorum*, quod hic multo minus aptum est quam Agr. 37., sed certum aliquod militum genus, velut *sagittariorum* vel simile quid. — 9. *accenda* M. — 10. *caratacus* M. — 11. *recuperande* M. — *eternae* M. — 14. *hec* M. — *quisque religioni* (hoc ordine) M. Emendavit Lipsius. Illud praetulere Walther et Ritter.

nem fecisset, hic breviter de eo loquitur, ita, ut paucis tantummodo verbis lectori in memoriam revocet, eiusmodi imperatorem illum fuisse, ut ceteros praemineret. Iam per v. *tum* transit ad ea, quae octo post annis ab eo gesta erant. — Ad illum annum Dio 60, 20: *Πλαύτιος πρῶτον μὲν Καταράκατον, ἔπειτα Τογόδουμνον, Κυνοβελλίνου παῖδας, ἐνίκησεν· αὐτὸς γὰρ ἐτεθνήκει.* (Ex nummo cum epigraphe *CARIC* Haymius in *Tesoro britannico* I. p. 145. eum *Carictacum* nominandum praecipit. Verum non certum esse, istum nummum Britanniae deberi, censet Eckhel D. N. I. p. 145. Oberl.) — *ambigua*] dubii exitus, utrum penes ipsum, an penes Romanos victoria fuisset, cum aequo Marte utrique discessissent; sed vel hoc gloriae duci poterat. — *astu*] iunge cum v. *transfert; στρατήγημα* in eo inerat, quod non recta via ex Silurum, sed ex Ordovicum finibus bellum Romanis intulit. — *locorum fraude*] *les pièges du terrain.* Burnouf. — Hic quoque Virgilii sui meminerat. Aen. 9, 397: *Fraude loci et noctis - - oppressum.* — *Ordovicas*] in septentrionali Wallia, ubi nunc comitatus *Montgomery*, *Merionet*, *Flint*, *Denbig.* Caput regni Conovium, hodie *Conway*, ad flumen Tisobim. Cfr. Agr. 18. — *additisque*] ex Siluribus praesertim. Sine causa nonnemo voluit *accitisque.* — *pacem nostram metuebant*] amara cum ironia: «pacem, tributis oneratam, quae reapse servitium erat», ut in Agr. 30. Calgacus: *Romani, ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.* Sine ironia Seneca de Clem. 1, 1. ex Neronis ore: *Haec tot milia gladiorum, quae pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur.* Ibid. 4: *Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget.* — *tunc*] Huic part. respondet sequens *et*, pro *modo - modo.* Explica autem: modo montibus arduis insedit, ibi copias suas locavit, modo cet. — *clementer*] ut 13, 38: *colles clementer adsurgentes.* Germ. 1: *clementer edito montis Abnobae iugo.* — *amnis*] *Temd.* — *vado incerto*] ita fluens, ut modo vadum ostenderet, modo in altum

obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. (35) obstupefecit ea alacritas ducem Romanum; simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens terrebat. sed miles praelium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare; praefectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant. tum Ostorius, circumspectis quae inpenetrabilia quaeque pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos et pleraeque caedes oriebantur. postquam facta testudine rudes et informes saxorum conpages distractae parque comminus acies, decedere barbari in iuga montium. sed eo quoque irrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina; et si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. clara ea victoria fuit, captaque uxore et filia Caractaci fratres quoque in deditionem accepti. (36) ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartismanduae

3. *nichil* M. — 4. *posceret* pr. M. — *expugnabili* M. — *praefectique et tribuni* Balterus: *praefectique tribuni* M, *praefectique ac tribuni* B. — 5. *intendebant* M: *incendebant* cum Lipsio B. — 6. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *cedes* B. — 9. *conp.* M: *comp.* B. — *distracta* M. — 11. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *brittannorum* M. — 14. Habet *spathis* M, non *spatis*. — *astis* M. — 15. *carattaci* h. l. M. — *fratresque in* M, probante Doederlein. — 16. *Cartismanduae* ut Hist. 3, 45. Lipsius: *cartimandus* M, *Cartimanduae* B.

dehisceret, saepeque eos falleret, qui amnem transgredi tentabant. — *pro munimentis*] ante munimenta, ante illas saxorum compages; ut 2, 80. et 3, 20. Cave explices *vice munimentorum*, ut est 12, 14: *flumine Corma pro munimento uti.* 14, 37: *legio angustias loci pro munimento retinens.*

34. *religione*] suae quisque gentis more iurat; nam *religio* h. l. religiosa asseveratio cum iure iurando facta. Cogita autem de singularum gentium dis ἐπιχωρίοις. Dativus vero Codicis defendi vix potest cum Walthero.

35. *intendebant*] augebant, ut Hist. 2, 53: *intendebat formidinem*, ac persaepe de aliis quoque animi affectibus Tacitus. Prorsus ingrata est iunctura *ardorem - incendebant*, quod post Lipsium in Edd. posterioribus servavit Bekkerus. — *facta testudine*] Non opus correctione a Ryckii amico (N. Heinsio) proposita *acta*, ut sane crebro dicitur (Caesar B. G. 5, 43. Sal. Iug. 94. Virg. Aen. 2, 441. 9, 505. Sil. 1, 365.) sed alterum non minus rectum. Caesar B. G. 5, 42: *testudines - - facere coeperunt.* Liv. 34, 39: *testudine facta subibant.* H. l. intellige de tecto e corio vel ex alia materia facto, sub quo milites impedimenta amolientes tuti erant, Gallis item *tortue*, nobis *Schutzdach;* alibi, ut in locis poëtarum a nobis memoratis, est συνασπισμός, *Schilddach.* — *decedere*] excedere sensim proelio, quia impares se esse sentiebant. — *ferentarius*] ut Sal. Catil. 60. Festus: *ferentarii levis armaturae pugnatores.* Veget. 1, 20: *Erant inter pedites, qui dicebantur funditores et ferentarii, qui praecipue in cornibus locabantur et a quibus pugnandi sumebatur exordium; sed hi et velocissimi et exercitatissimi legebantur. Equites* contra eos dicit Varro L. L. 6, 3, 92. — *conferto gradu*] idem ac Caesaris B. G. 1, 24: *confertissima acie.* Liv. 9, 27: *confertiores steterant.* 22, 28: *conferto agmine.* Sine causa Freinshemius volebat *conserto.* — *spathis*] *gladios maiores* interpretatur Vegetius 2, 15.

36. *Cartismanduae*] Cfr. Hist. 3, 45. —

reginae Brigantum petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. unde fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur; avebantque visere quis ille tot per annos opes nostras sprevisset. ne Romae quidem ignobile Caractaci nomen erat; et Caesar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. vocatus quippe ut ad insigne spectaculum populus. stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet. tunc incedentibus regiis clientelis phalerae torques quaeque bellis externis quaesiverat, traducta; mox fratres et coniux et filia, postremo ipse ostentatus. ceterorum preces degeneres fuere ex metu: at non Caractacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens. (37) ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est. «si, quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus inperitantem foedere pacis accipere. praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, si haec invitus amisi? nam, si vos omnibus imperitare vultis,

2. *brittannia* M. — *ceptum* M. — 5. *carataci* M. — 6. *spectalum* M. — 7. Habet *castra* M, non *castris* Vatic. Spir. — 8. Habet *tunc* M, non *tum* Ernestii. — Habet *clientelis* M, non *clientulis*, quod e ceteris Codd. et Edd. vett. ascivit Walther. — *falere* M. — *torques* Doederlein: *torquibus* M, *torquesque* cum Spir. B. — *queque* M. — 9. *coniux* M: *coniunx* B. — 10. *pces* M. — *ad* M. — *cataratacus* (sic) M. — 15. *inperitantem* M: *imperitantem* B. — *pacem* M. (*in pacem* vult Doederlein. Verum accusativus ortus dumtaxat est ex perversa accommodatione ad vv. *imperitantem* et *accipere*) — 17. *inui.tus* (littera erasa ante *t*) M. — *nam* M: *num* auctore Lipsio B, *non* Agr.

nono post anno] Immo septimo; nam coepit bellum Claudio tertium et Vitellio iterum consule, teste Dione 60, 19. Pugnant haec etiam cum iis, quae Hist. l. l. narrantur: *Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur.* Nam Claudii triumphus sexennio, Vibio Crispino, Statilio Tauro coss., anterior, neque in eo ductus iste Caractacus. Ryckius putat initium computationis ducendum a bello intestino, quod Romanos in Britanniam traxerit. Contra Crevierius censuit accuratiorem esse narrationem in Annalium cura posteriore propositam. — *evecta insulas*] propagata ultra Britanniam ceterasque insulas ei adiacentes. — *tunc*] Hanc formam cum praebeat Codex, in *tum* mutare non licet. Multa de utriusque adverbii et discrimine et *συνωνυμίᾳ* disputarunt Iahnius ad Virg. Ecl. 3, 10. Wagner Quaestt. Virg. XXV. p. 493., alii, quos enumerat Rupertius. — *clientelis*] theotisce *Ingesinde*. Dictum autem pro *clientibus*, ut 14, 61: *a clientelis et servitiis Octaviae;* et ridiculum esset h. l. *clientulis*, receptum a Walthero et Ruperlio, ut contra aptissimum est Dial. 36. extr. — *degeneres*] quae parum decebant viros tam fortes, quam prius se monstrarant illi Britanni. — *at non*] Ernestius malebat *at Caractacus non aut vultu.* Sed ordo verborum, quem praebet Med., efficacius reddit *ἀντίθετον*. — *verbis*] repete *demissis*, humilibus.

37. *locutus*] Zonaras p. 566. tradit, eum viso urbis splendore et amplitudine dixisse: *εἶτα, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κεκτημένοι, τῶν σκηναδίων ἡμῶν ἐπιθυμεῖτε;* — *claris maioribus*] patre Cynobellino. — *foedere pacis*] ut Lucr. 5, 1154: *communia foedera pacis.* Cod. *pacem* merus est *ἀβλεψίας* error, qui aliter corrigi non poterat quam *pacis.* — *informis*] dedecens, ut 6, 49: *informem exitum.* — *nam, si vos*]

sequitur ut omnes servitutem accipiant? si statim deditus traderer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset. et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero.» ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. atque illi vinclis absoluti Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. novum sane et moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a maioribus suis imperii sociam ferebat. (38) vocati posthac patres multa et magnifica super captivitate Caractaci disseruere, neque minus id clarum quam quod Syphacem P. Scipio, Persen L. Paulus, et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere. censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus eius, mox ambiguis, sive amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. praefectum castrorum et legionarias cohortes exstruendis apud Siluras praesidiis relictas circumfundunt. ac ni cito *e* vicis et castellis proximis subventum foret, copiae tum occidione obcubuissent. praefectus tamen et

2. *sequetur* auctore Lipsio Ernestius. — 5. *absoluti* M: *exsoluti* cum ceteris B. — 6. Habet *gratibusque* M, non *gratiisque* Edd. vett. — 8. *partim* M. — 9. *carataci* M. — 10. Habet *quod* erasa littera una ante hoc v. M, non *cum* Puteol. — *sifacem* M. — *P.* M: *Publius* B. — Habet *Persen* M, non *Persem*. — *L.* M: *Lucius* B. — 11. Habet *vinctos* M, non *victos* Puteol. — 12. *sibe* (sic) *amoto* M. Ante Bekkerum: *sive quod amoto*. — 13. *carataco* M. — 15. *extr.* M. — *silulas* M. — 16. *relicta* M. — *cito nuntiis* M. Ut nos, Mureto auctore B. (*citis nuntiis e castellis* suspicabatur Lipsius.) — 17. *copiarum obsidione* M. Ut nos, Mureto auctore B. — *obc.* M: *occ.* B. (*occidissent* malebat Muretus.)

Sententia abruptior, quae sine interrogatione haec esset: merito invitus meam potentiam amisi ac maerore affectus sum; *nam* propterea, quod vos imperium orbis terrarum vobis arrogatis, minime profecto aequa est postulatio, ut omnes patienter servitutem accipiant atque adeo ego quoque cum omnibus id faciam.» Aliorum *num* et *non* inutiles sunt mutationes, quibus argumentationis vis debilitatur. — *statim*] sine certamine, primo iam belli initio. — *traderer*] tunc scilicet, cum deditus sum. Sic Latini saepe, ubi nos plusquamperfecto uti solemus. Notus nunc usus huius imperfecti, ubi, ut dicunt grammatici nostri, significare illi volebant, actionem aliquam etsi praeteriti temporis etiam in praesentia continuari vimque suam exercere. Cfr. Krüger *Lat. Gr.* §. 641. 6. Nescio cur Bekkerus adscripserit: «Nonne praestat *traherer?*» Iure Doederlein demissiorem hanc vocem esse iudicat, quam pro Caractaci magnanimitate. — *sequeretur*] Reiiciendum Rhenani ac Lipsii *sequetur*. Consulto imperfecto hoc utitur, quia ipse Caractacus probe norat talem post pompam supplicium exspectandum non esse. — *absoluti*] Servavi Med. lectionem, etsi usitatius sane foret vel *soluti* vel *exsoluti*. Illud commode explicabis: «ipsius principis iussu vinclis soluti sunt.» — *praesidere*] inter signa militaria loco edito, tribunali, imperatoris modo sedere. Cfr. Suet. Tib. 6. Ern.

38. *sive hostes*] Ms. Reg. et Ed. Spir. *sive quod hostes*. Male. Non enim pari cum praecedentibus ratione haec utuntur. *Sive quod* inducit rem in facto positam; alterum *sive*, omisso *quod*, alteram addit rationem coniectura nixam. Walth. Adde morem Taciti, ex quo constructiones plerumque variat. — *e vicis*] Ut sensus aliquatenus sibi constet, sane tenenda haec Mureti correctio, quamquam Gronovius Obss. 2, 20. praefert *vicis* sine praepos. *e*. *Vicos* intellige, in quibus erant praesidia

octo centuriones ac promptissimus quisque e manipulis cecidere. nec multo post pabulantis nos ipsos missasque ad subsidium turmas profligant. (39) tum Ostorius cohortes expeditas exposuit; nec ideo fugam sistebat, ni legiones praelium excepissent. earum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit. effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc praelia, et saepius in modum latrocinii per saltus, per paludes, ut cuique sors, aut virtus; temere, proviso; ob iram, ob praedam; iussu, et aliquando ignaris ducibus. ac praecipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata inperatoris Romani vox, ut quondam Sugambri excisi aut in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus exstinguendum. igitur duas auxiliares cohortes avaritia praefectorum incautius populantes intercepere; spoliaque et captivos largiendo ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita, laetis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, etsi non praelium, at certe bellum absumpsisset. (40) at Caesar cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. is propere vectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna cui Manlius Valens praeerat, auctaque et apud hostes eius rei fama,

1. *quisque manipulus* M. Ut nos, Lipsio auctore B. (*quisque manipularis* Pichena.) — 2. *nos ipsos* M: *nostros* Puteolano auctore B. — 3. *exposuit* M: *opposuit* Lipsio auctore B, *sex opposuit* mavult Doederlein. — 7. Habet *proviso* M, non *provisu* Lipsii. — 9. *inper.* (sic omissis ceteris voc. litteris) M: *imperatoris* B. — *sygambri* M. — 10. *excisia ut* M. (*excisi*, *ut* cum Edd. ante Lipsium Walther, *excisi et* Lipsius.) — 11. *ext.* M. — *auxiliare* M. — 13. *defectiones* pr. M. (correctum eadem fortasse manu *es* in *ē*.) — 14 *uitā* M. — *tanquam* M B. — 15. *at*] *ad* M. — *adsumpsiset* (sic) M. — 16. *A.* M: *Aulum* B.

militaria. Med. *nuntiis* sic iunctum cum *castellis* explicari minime potest *per nuntios*, ut faciunt, qui *vicis* reiiciunt. — *e manipulis*] praecedente littera *e* voc. *quisque* haec Lipsii facilior est emendatio quam Pichenae *manipularis* lectionis Med. *manipulus*, quae tolerari nequit. — *nos ipsos*] Hanc Med. lectionem defendunt Walther, Bachius, Duebner explicantes: «*nos ipsos* vocat legionarios ex castris stativis et opponit turmas sociorum.» Sane fatendum est Puteolani *nostros* prope nimis facile esse, quam ut in *nos ipsos* corruptum esse arbitremur; quamquam neque hoc satis placet.

39. *exposuit*] dictum hoc prorsus, ut frequentius utique *explicare turmas* 12, 38., *ordines* Liv. 1, 27., *agmen* Id. 2, 59., *copias* Id. 4, 27., *aciem* Id. 7, 23., nec quidquam mutandum. — *pro meliore fuit*] Singulariter dictum: «existimatum est nobis rem in melius cecidisse, nos superiores fuisse.» Simile ex parte illud Sal. Iug. 22: *neque pro bono facturum populum Romanum, si* cet. — *proviso*] hoc quoque vix alibi reperies pro «re ante provisa.» Usus esse videtur ad analogiam v. iam Tulliani *improviso*. — *excisi*] non sunt exstincti, deleti, sed vastati et e sede sua deturbati, ut 2, 25: *excindit exercitum*. WALTH. — *in Gallias traiecti*] a Tiberio sub Augusto. Ann. 2, 56. Suet. Octav. 21. Tib. 9. Quae pars Sugambrorum in proximis Rheni agris inter Ubios ac Batavos collocata est, *Gubernos* (Plin. 4, 17.) sive *Gugernos* (Hist. 4, 16.) nominatos esse monstrat Zeuss *die Deutschen* p. 85.

40. *A. Didium*] 12, 15. Agr. 14: *Didius Gallus parta a maioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis.* — *Manlius Valens*] memoratur etiam Hist. 1, 64. — *auctaque*] Haec Walthero auctore cum praecedentibus ita iungenda

quo venientem ducem exterrerent, atque illo augente audita, ut maior laus compositi vel, si duravissent, venia iustior tribueretur. Silures id quodque damnum intulerant; lateque persultabant, donec adcursu Didii pellerentur. sed post captum Caractacum praecipuus scientia rei militaris Venutius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu et Romanis armis defensus, cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret, mox orto discidio et statim bello etiam adversus nos hostilia induerat. sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartismandua artibus fratrem ac propinquos Venutii intercepit. inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur. valida et lecta armis iuventus regnum eius invadunt. quod nobis praevisum; et missae auxilio cohortes acre praelium fecere, cuius initio ambiguo finis laetior fuit. neque dispari eventu pugnatum a legione cui Caesius Nasica praeerat. nam Didius senectute gravis, et multa copia honorum, per ministros agere et arcere hostem satis habebat. haec, quamquam a duobus [Ostorio Didioque] propraetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud proinde ad memoriam sui valerent. ad temporum ordinem redeo.

(41) Ti. Claudio quintum Servio Cornelio Orfito consulibus virilis toga Neroni maturata, quo capessendae rei publicae habilis videretur. et Cae-

2. *compositi* M: *compositis* auctore Lipsio B. — 3. *adc.* M: *acc.* B. — 4. *caratacum* M. — 5. *e Brigantum* cum Rudolpho Agricola prob. Lipsio B; sed M *euigantum*, Puteolanus *e Iugantum*, quos tamen nemo novit. — 6. *cartimandum* M, *Cartimanduam* B. — 8. *cartimannus* (sic) M, *Cartimandua* B. — 9. *hostis* M. — 13. *cesius* M. — 15. *quanquam* M B. — *ostrio* M. Duo haec nomina Freinshemio auctore seclusit B. — 16. *coniuxi* M. — 17. *proinde* per notam M, ut saepe in his libris: *perinde* B. — 18. *Ti.*] *T. L.* M, *Tiberio* B. — *cos.* cum lin. M. — 19. *capescendae* M. — *rei.p.* M.

videntur, ut *aucta* - - *fama* quoque, sicut *adversa* - - *pugna* sit ablat. Plerique separant a praecedd., *aucta* - - *fama* pro nominat. habentes; sed tum inconcinnum, supervacaneum certe, *atque* ante v. *illo*. — *atque*] «et simul Didius ipse (praesertim in epistolis Romam missis) augebat, quae ex fama ab hoste sparsa audiverat.» — *compositi*] plur. «si compositi, pacati ac victi essent Silures.» Neutiquam necessaria Lipsii coni. *compositis*. — *si duravissent*] si hostes in bello perseverassent nec devinci potuissent. — *supra*] in libris deperditis. Sed cfr. Hist. 3, 45., unde constat de lectione *Brigantum*. — *discidio*] ita h. l. perspicue scriptum in Mediceo. Cfr. ad Cap. 2. Nescio, cur Doederlein cum Edd. ante Ern. hic ediderit *dissidio*. — *ne feminae imperio*] Atqui 14, 35. Boudicea testatur *solitum Britannis feminarum ductu bellare*, et Agric. 16: *neque enim Britanni sexum in imperiis discernunt*. Explicat Duebner: «*ne feminae*] Post tantum ducem a femina circumventum; nam per se reginas admittebant Britanni.» — *Caesius Nasica*] nusquam praeterea memoratus. — *proinde*] Servavi Med. scripturam, ut in eodem saepe est *proinde*, ubi exspectabas *perinde*. (12, 60. 13, 21. 47. 15, 44. Hist. 1, 30. 2, 27. 35. 39. 68. 97. 3, 58. 4, 36. 72.) Sic et Zumptius codices secutus in Quintiliano aliquoties *proinde*, ubi Spaldingius dederat *perinde*.

41. *Orfito*] Memorabilem inscriptionem, in qua hi consules memorantur, praebet Fabrettus p. 472: *Ti. CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMANICO. V. SER. CORNELIO. ORFITO. COS. ISIDI. INVICTAE. ET SERAPI M. AIDIVS. SERJILIAI. AJIOLAI LIB. AMERIMNVS. EX. JISV.*, ubi rursus vides scripturam a Claudio inventam. — *maturata*] Nam expletus demum aetatis annus quartus decimus legitimum togae virilis sumendae tempus erat;

sar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret, atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet ac princeps iuventutis appellaretur. additum nomine eius donativum militi, congiarium plebei. et ludicro circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste travecti sunt. spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret. simul, qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causis, et alii per speciem honoris. etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur tali occasione. obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. quod ut discordiae initium Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quaeque censuerint patres, iusserit populus, intra penates abrogari; ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. commotus is quasi criminibus optimum quemque educatorem filii exsilio ac morte afficit, datosque a noverca custodiae eius inponit. (42) nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni praetoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta et Rufius Crispinus, quos Messalinae memores et liberis eius devinctos credebat. igitur distrahi cohortes ambitu duo-

1. Habet *libens* M, non *liberis* Harl. Bodl. Puteol. — 5. *brittannicus* M. — *triumphalium* M: *triumphali cum* Freinshemio auctore B. — 6. *travectis* pr. M. — 8. *brittannici* M. — *remotis* M. — 10. *pellitur* et supra versum litt. *d* cum lineola traversa M. — *brittannicum* M. — 15. *exilio* M. — 16. *aut morte* Petersen. — *inp.* M: *imp.* B. — 18. *exolv.* M. — *messalina ememores* M.

Nero autem inierat tunc eum annum, non expleverat. (Digni sunt, qui ad h. l. legantur de togae virilis legitimo tempore, Lipsius, Gronovius, Ryckius.) — *cessit*] Ut saepe verbum simplex pro composito, *concessit*. — *vicesimo*] Veteris rei publicae tempore lex Villia annalis finierat annum aetatis XLIII. Nero autem consulatum iniit decimo septimo aetatis anno, iam princeps. — *proconsulare imperium*] Inventum hoc quoque Augusti. Dio 53, 32: *ἡ γερουσία ἔδωκεν αὐτῷ τὴν ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐσαεὶ καθάπαξ ἔχειν κτλ.* (a. 731.) Iam Tacitus vel rei dilucidandae causa vel ex ipsa formula addidit *extra urbem*, prorsus ut Capitolinus in M. Antonino 6: (Marcus a Pio) *tribunitia potestate donatus est, imperio extra urbem proconsulari addito,* ubi Salmasio vv. *extra urbem* (quae alibi sane non adduntur) immerito suspecta erant. Initium autem hoc imperium fastigii Caesaribus, quod ea mente etiam Tiberius Germanico petierat. 1, 14. — *princeps iuventutis*] ut C. et L. Caesares ab Augusto. 1, 3. — *triumphalium*] virorum, ut Cap. 3: *insigni triumphalium*. Sic Vellei. 2, 6: *triumphalem virum*, Suet. Oct. 25. item absolute *triumphales* dixere. Supervacanea ergo Freinshemii coniectura *triumphali cum veste*, a nonnullis recepta; etsi 1, 15. est *triumphali veste*. — *Domitium*] *Aenobarbum*, ait idem referens Suet. Ner. 7. — *iusserit populus*] simulata illa lege curiata, in arrogationibus etiamtunc usitata. Cfr. c. 26. — *is*] E praecedentibus *ad maritum* supple maritus, Claudius. — *quasi criminibus*] quasi vera esset culpa despicientia illa adoptionis Neronis, cuius Britannicum insimulabat ita queribunda Agrippina, ac digni punitione corruptores eius. — *ac morte*] Concinnius sane foret Peterseniі *aut morte*, ut est 6, 9. Saepe autem *aut* et *ac* confusa. Cfr. Hand Turs. I. p. 512.

42. *gnarum tamen*] atque idcirco Agrippinae obnoxium. — *sacerdotibus*] Inde a Lipsio explicant de Vestalibus; sed obstat locus Horatii 3, 30, 8: *dum Capitolium*

rum, et si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiae militaris famae, gnarum tamen cuius sponte praeficeretur. suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam, sororem eius qui rerum potitus sit et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. inter quae praecipuus propugnator eius Vitellius, validissima gratia, aetate extrema (adeo incertae sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Iunio Lupo senatore. is crimina maiestatis et cupidinem imperii obiectabat. praebuissetque aures Caesar, nisi Agrippinae minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret. hactenus Vitellius voluerat.

(43) Multa eo anno prodigia evenere. insessum diris avibus Capitolium, crebris terrae motibus prorutae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obtriti. frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urguebant, donec militum globo infensos perrupit. quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse con-

1. *ads.* M: *ass.* B. — 2. *egregie* M. — 3. *proficeretur* per notam M. — 4. *mos*] *honos* Ursinus prob. Ernestio ac Doederleinio. — 8. *etate* M. — 15. *prorupte* (sic) M. — 16. *orte* pr. M. — 19. *urguebant* M: *urgebant* B. — Habet *infensos* M, non *infestos* Puteolani.

Scandet cum tacita virgine pontifex; ergo per pompas certe sollemnes *antiquitus* in Capitolium carpentis non vehebantur; unde quod Tacitus dicit saltem extendendum etiam ad ceteras sacerdotes feminas, flaminicas, reginam sacrorum. De Vestali utique Prudent. in Symm. 2, 1086: *innupta sacerdos Fertur per medias ut publica pompa plateas Pilento residens molli.* (Ceterum cfr. Dio 60, 22: *τῇ Μεσσαλίνῃ τὴν προεδρίαν, ἥν καὶ ἡ Λιουΐα ἐσχήκει, καὶ τὸ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν*· tum Cap. 33. de Agrippina: *καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμάς ἄλλας τε καὶ τὸ καρπεντίῳ* (sic) *ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν.*) Carpentorum figuram exhibent nummi Iuliae Augustae et Agrippinae maioris (hi cum inscriptione *S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE.* Akerman I. p. 150.), quarum carpenta tecto arcuato superne sunt clausa. V. Rasche Lex. Num. in v. *CARPENTUM.* — *sacris*] Post Lipsium plerique interpretantur de simulacris deorum, quae pompa circensi traduci in carpentis moris fuerit. Sed haec vehicula appellabantur *tensae*, non *carpenta*. Quocirca melius ex Dionis *ἐν ταῖς πανηγύρεσι* cum Duebnero explicabis: «festis diebus, quando sacra fiebant.» — *imperatore*] Nam Germanicus, postquam exercitum reduxit, imperatoris nomen auctore Tiberio accepit. 1, 58. — *sororem eius*] Caligulae. — *senatore*] simplici, nullisdum honoribus functo. — *voluerat*] Lupum puniri. Qua enim erat gratia apud Agrippinam, potuisset saevire in mortem eius; sed contentus hac quasi deportatione fuit.

43. *diris avibus*] bubonibus, parris, strigibus cet. «Unum prodigium, trinos soles (Plin. 2, 31.), omisit Tacitus.» Brot. — *latius metuitur*] processuram esse domorum ruinam. — *questus*] erant, sed plebs Claudium circumvasit cet. De his turbis cfr. omnino Suet. Claud. 18. — *quindecim dierum*] Maius isto periculum sub Gaio, cum septem aut octo certe die-

stitit; magnaque deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum. at Hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat; nec nunc infecunditate laboratur. sed Africam potius et Aegyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

(44) Eodem anno bellum inter Armenios Iberosque exortum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex pellice Graeca, concessu fratrum regnum adeptus; Iberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater eius Mithridates obtinebat opibus nostris. erat Pharasmanis filius nomine Rhadamistus, decora proceritate, vi corporis insignis, et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. is modicum Iberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat quam ut cupidinem occultaret. igitur Pharasmanes iuvenem potentiae promptae, et studio popularium accinctum, vergentibus iam annis suis metuens, aliam ad spem trahere, et Armeniam ostentare, pulsis Parthis datam Mithridati a semet memorando: sed vim differendam, et potiorem

1. *dm* cum lineola M. — 2. *subuenientum* (sic) M. — *ad herculẽ* M. — *regionibus* M. Emendavit Ernestius. — 4. *egyptum* M. — *nabibusque* M. — *P. R.* cum lin. M. — 6. *Hiberosque* M B. — Habet *exortum Parthis quoque* M, non *exortum est Parthisque* Guelf. — 8. *pelice greca* M. — 9. *Hiberos* M B. — *farasmanes* M. — *possessiones* cum puncto sub ultima litt. *s* M. — 10. *frs* (cum lineola supra versum et puncto sub litt. *s*) M. — *optinebat* M. — 11. *Pharasmanis*] *farasmanis* M, *Pharasmani* cum Puteolano B. — *radamistus* M. — 13. *hiberie* M, *Hiberiae* B. — 14. H. l. *Phar.* M. — 15. *prompte* M.

rum cibaria tantum superfuisse Seneca notat de Brev. vitae 18. Lips. — *modestia hiemis*] tranquilla a procellis hieme frumentum ex Sardinia, Sicilia, Africa, Aegypto subvectum, quod alias clauso mari fieri non poterat. — *olim Italia*] De tempore ante bellum Punicum secundum hoc interpretatur Hoeck *Röm. Gesch.* II. p. 272. Equidem libenter spatium hoc extenderim usque ad tempora circiter Gracchana. Certe infelix illa eversio possessionum rusticanarum coepit iam bello Iugurthino. Sal. Iug. 41. — *infecunditate*] Solum ipsum sterilius postea factum non est, sed desunt agricolae, strenui illi rustici Romani; divitum horti immensi fruges non ferunt, eorumque latifundia per mancipia coluntur. Horat. Carm. 2, 15, 1: *Iam pauca aratro iugera regiae Moles relinquunt.* Quintil. Declam. 13: *Quod cives pascebat, nunc divitis unius hortus est. - - Aequatae solo villae - - et latae solitudinis unitas facta est.* (Commentarii instar est Tiberii oratio 3, 54. Doed.) Cfr. Varro R. R. 2. 3: *Igitur, quod nunc intra murum fere patres familias correpserunt, relictis falce et aratro, et manus movere maluerunt in theatro ac circo, frumentum locamus qui nobis advehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia.* Post bella certe civilia et fusum tantum sanguinis, Italiae inducta vastitas. Lucani ea in re sententias operae sit legere lib. 7. passim. Lips. Vers. 402: *Urbs nos una capit; vincto fossore coluntur Hesperiae segetes; stat tectis patris avitis In nullum ruitura domus.* — *exercemus*] partim latifundia nostra, in Africa praesertim, partim incolarum agros colendos curamus. Sic 13, 54: *patrium solum exercebant.* — *casibus*] maris.

44. *Vologeses*] primus huius nominis, Arsaces autem XXIII. Triginta cum regnasset annos, obiit sub Vespasiano. Cfr. Visconti *Icon. gr.* III. p. 110., qui eius nummum edidit cum inscriptione: *βασιλεως ΒΑΣΙΛεων αρσακου ευΕΡΓετου ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟυς φιλΕΛΛΗΝος.* —

dolum, quo incautum opprimerent. ita Rhadamistus simulata adversus patrem discordia, tanquam novercae odiis impar, pergit ad patruum; multaque ab eo comitate in speciem liberum cultus primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro et ornante insuper Mithridate. (45) reconciliationis specie assumpta regressusque ad patrem, quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat, cetera armis exsequenda. interim Pharasmanes belli causas confingit: praelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum, eamque iniuriam excidio ipsius ultum iturum. simul magnas copias filio tradidit. ille irruptione subita territum exutumque campis Mithridaten compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac praesidio militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerat. nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiae maxime gnara est. ita Rhadamistus frustra vel cum damno tentatis munitionibus obsidium incipit; et cum vis neglegeretur, avaritiam praefecti emercatur, obtestante Casperio ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani scelere et pecunia verterentur. postremo quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Rhadamistus obtendebant, pactus indutias abscedit, ut nisi

1. *radamastus* (sic) M. — 2. *partem* pr. M. — 3. *cultũ* M. (*cultum* Spir.) — 4. *orante* M. Correxit Lipsius. — 5. *regressusque* M: *regressus* cum Rhenano B. — *qua* M. Emendavit Lipsius. — 6. *prompte* M. Emendavit idem. — *exeq.* M. — *far.* M. — 12. *nichil* M. — 13. Vv. *at nobis - - gnara est* seclusit Ritter. — 14. *rad.* M. — *temptatis* M. — 15. Habet *negleg.* M. 16. *P. R.* M. — 17. *pecuniã* M. — *uterentur* M, non *muterentur,* ut tradit Victorius, *mutarentur* Victorio auctore Walther. Ut nos, Agr. Bud. — 18. *rad.* M. — Habet *indutias* M, non *inducias.*

fratrum] Tiridatis (Cap. 50. 13, 34. cet.) et Pacori. (15, 2. cet.) Illi grato animo Armeniam, huic Mediam dedit. — *Mithridates*] Cfr. 6, 32. 33. 11, 9. — *patrias artes*] perite equitandi, sagittandi, venandi cet. — *detineri*] ac propterea sero sibimet cedere. — *potentiae promptae*] is, cui potentia, simulatque vult, in promptu est. Blanda sane post litteras *em* Freinshemii est coniectura *impotentiae promptae*, cupiditatis fervidae atque audacis; sed recipi neutiquam potest. — *in speciem liberum*] quasi filius esset; et erat gener, non solum fratris filius. — *ornante*] opes ei subministrante, quibus ad corrumpendos primores illos abutebatur. (Bachius intellexit de insignibus atque honoribus Mithridati tributis; sed haec corruptioni inservire non poterant.)

45. *Gorneas*] castellum Armeniae septentrionalis, nunc *Khorien* secundum d'Anville. Brot. Forbiger *Geographie* II. p. 605. — *at nobis - - est*] Insiticia haec Rittero ac Dübnero videntur; at rectissime defendit Doederlein: «Haec sententia plane necessaria est. Tanto enim obsessores obsessis numerosiores erant, ut si illi quantumvis ignari, hi autem mediocriter tantum gnari talis militiae essent, nihilo secius illi ignari expugnaturi fuerint castellum, numero militum artem belli compensantes; sic autem obsessi eiusdem artis maxime gnari erant, cuius maxime ignari obsessores. Illud vero apertum est, *astus oppugnationum* eorum quoque esse, qui *defendunt* castella ab *oppugnationibus.*» Adde, quod his deletis manca et debilis fieret clausula; atque omnino rarissime interpolatores artes suas in Tacitum exercuerunt. — *verterentur*] everterentur, perderentur. Virg. Aen. 1, 24: *Tyrias olim quae verteret urbes.* Supra 3, 54: *verti civitatem clamitabant.* Ern. (Victorii *mutarentur* probant Walther et Doederlein, explicantes «venundarentur, proderentur.» Sed tam obscure non loquitur Tacitus, et, id quod malus est, unice ortum esse apparet ex eo, quod Victorius difficilem

Pharasmanen bello absterruisset, T. Ummidium Quadratum praesidem Suriae doceret quo in statu Armeniae forent. (46) digressu centurionis velut custode exsolutus praefectus hortari Mithridaten ad sanciendum foedus, coniunctionem fratrum ac priorem aetate Pharasmanen et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet, quod ipse Rhadamisto socer esset. non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud subsidii quam castellum commeatu egenum. ne dubitaret armis incruentas condiciones malle. cunctante ad ea Mithridate, et suspectis praefecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, utque Iberi obsidio decedant expostulat. ille propalam incerta et saepius molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum obpugnationem quoquo modo celerare. augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione impellit milites, ut pacem flagitarent seque praesidium omissuros minitarentur. qua necessitate Mithridates diem locumque foederi accepit, castelloque egreditur. (47) ac primo Rhadamistus in amplexus eius effusus simulare obsequium, socerum ac parentem appellare. adicit ius iurandum, non ferro, non veneno vim allaturum. simul in lucum propinquum trahit, pro-

1. *pharasmanē* id est, *Pharasmanem* M, sed mox *Pharasmanen*. — *T. Ummidium*] *tūmidium* M, *Titum Ummidium* B. — 2. *syriae* M. — *armeniae foret* M, *Armenia foret* Spir. — *uelud* M. — 3. Habet *custode exsolutus* M. — *fedus* M. — 6. *rad.* M. — *Hib.* M B. — *qaanq.* M B. — 7. *cognita* servato accus. *perfidiam* M. — 8. *commeatū* M, unde *commeatuum* Farnes. — *dubitare* M. — *armis quā incruentas* M. Correxit Ryckius ex Ursini, qui dicitur, libro, id est, proprio iudicio. — 10. *pelicem* M. — 11. *Hib.* M B. — 12. *sepius* M. — 13. *rad.* M. — *obp.* M: *opp.* B. — 14. *inp.* M: *imp.* B. — 15. *seque praesidium omissuros* Freinshemius: *seque* (non *seqne*) *praesidiū ammis* (sic) M, *seque praesidio abituros* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. (hic a recentiore manu) Puteol. B. — 16. *necissitate* M. — *faederi* M. — 17. *faramistus* M. — 18. *adicit* M: *adiicit* B.

Cod. Langobardici scripturam haud recte legit.) — *Ummidium*] Ante Iac. Gronovium plerique *Numidium*, quod vitium sublatum nunc est etiam ex Iosepho Ant. 20, 6, 2. et Bell. Iud. 2, 12, 5., ex Plinio Epp. 6, 11. 7, 24. Cfr. Bentl. ad Hor. Sat. 1, 1, 96., Iac. Gronovium et Ern. ad h. l. — «Ceterum in inscript. apud Norisium in Epoch. Syro-Maced. Diss. 3. p. 157. Ed. Flor. praenomen *C.* tribuitur huic praesidi.» Ern. Hanc inscriptionem reperies etiam apud Fabrett. p. 673, 13. et in Inscr. meis Lat. N. 3665. In alia apud Noris. p. 158. est *SEX. VMIDIVS* simplici *M*, ut h. l. edidit Iac. Gronovius. — *Armeniae forent*] Praetuli hanc lect. vulgatam Spirensi *Armenia foret* itidem ductae ex Med. *Armeniae foret*, quia pluralem invenio etiam Hist. 2, 7: *quidquid castrorum Armeniis praetenditur*, et *minorem Armeniam* Ann. 11, 9.

46. *cognitam - perfidiam*] cogitarunt, perpenderunt. Non erat certe, cur Walther restitutam cuperet lect. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Spir. Edd. ante Lipsium *cognita - perfidia*. — *armis - - malle*] Affert Gronovius eandem constructionem ex Appul. Apol. p. 83. Pric.: *persuaserat matri suae, ut me aliis omnibus mallet.* — *praesidium omissuros*] ut 14, 33: *omissis castellis praesidiisque militarium.*

47. *provisum*] id est, iamiam paratum esse sacrificium, quod ipse, ut ministri curarent, imperasset. Noli igitur cum nonnullis haerere in *duplici participio*. — *in artus*] Servavit hanc Med. lectionem

visum illic sacrificium imperatum dictitans, ut dis testibus pax firmaretur. mos est regibus, quotiens in societatem coëant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: mox ubi sanguis in artus extremos suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt. id foedus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum. sed tunc qui ea vincla admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit; simulque concursu plurium iniciuntur catenae. ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur; moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. et erant contra qui tantam fortunae commutationem miserarentur. secutaque cum parvis liberis coniux cuncta lamentatione complebat. diversis et contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis iussa exquirerentur. illi cupido regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus. visui tamen consuluit, ne coram interficeret. et Rhadamistus, quasi iuris iurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat. filii quoque Mithridatis, quod caedibus parentum illacrimaverant, trucidati sunt. (48) at Quadratus cognoscens proditum Mithridaten et regnum ab interfectoribus obtineri, vocat consilium, docet acta, et an ulcisceretur consultat. paucis decus publicum curae; plures

1. *sacrificii paratum* speciosâ coniecturâ Seyffert. (13, 17: *proviso ante funebri paratu*. Liv. 10, 41: *ille occulti paratus sacri*.) — *diis* h. l. M. — 2. *societate* M. — 3. *perstringere* (per compendium) M. Guelf. Bud. Spir. Puteol. Mutavit Lipsius. — *sanguis in artus* M: *sanguis artus* cum N. Heinsio B. (*sanguis in artus se extr*. Iac. Gronovius, *sanguis se in artus extr*. Doederlein.) — 5. *fedus archanum* M. — 6. Habet *vincla* M; *vincula* edebant ante Bekkerum. — 7. *compedes* M. Correxit Lipsius. — 8. *mox quia* M, Spir. Walther. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 9. *econtra* (sic) M. — 10. Habet *commutationem* M, non *commotionem* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Puteol. cum ceteris Edd. ante Lipsium. — *coniux* M: *coniunx* B. — 12. *far*. M. — 13. Habet *interficeret* M. Ante Bekkerum edebant *interficerentur*. — 14. *rad*. M. — *ius iurandi* M. — 18. *optineri* M.

Duebner, *suffuderit* «neutraliter» accipiens. Mihi potior videtur I. Gronovii emendatio. — *cruorem eliciunt*] Valerius Max. 9, 11, 3: *Sariaster adversus patrem suum Tigranem Armeniae regem ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent atque eum invicem sorberent.* Lucian. Toxaris 37: *ἀφ᾽ οὗ γὰρ ἂν ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους ἐνσταλάξωμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι πίωμεν, οὐκ ἔστιν ὅ τι τὸ μετὰ τοῦτο ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν.* — *decidisse*] vincula de pollicibus, non *se*, ut cum aliis accepere Bachius et Burnouf. — *simulans*] incurvans se, ut ea tolleret. — *ac compede*] Catenae manibus inditae sunt, in quo malo nullum tamen dedecus, quia solitum hoc erat, ubi quisplam comprehenderetur; dedecus contra in compede, quo rex trahebatur, non sine violentia ducebatur. Doederleinio nescio quomodo placuit Heinsii: *ac compedes; et, quod* cet. *Compes* autem num. sing. etiam Horat. C. 4, 11, 23. Epod. 4, 4. Colum. 8, 2. Iuven. 11, 80. — *moxque*] Qui restituere Cod. *mox, quia vulgus*, Walther et Bachius, explicant ac si esset *mox vulgus, quia*, cet. Sed parum concinna foret haec transpositio neque ullo modo sensum intendit. — *probra ac verbera intentabat*] Sic Hist. 3, 31: *et primo ingerebant probra, intentabant ictus.* — *consuluit*] nec videre necem neque ipse praesens conspici voluit. Cfr. 15, 61: *voci tamen et aspectui pepercit.*

tuta disserunt. omne scelus externum cum laetitia habendum; semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes Romani eandem Armeniam, specie largitionis, turbandis barbarorum animis praebuerint. poteretur Rhadamistus male partis, dum invisus infamis, quando id magis ex usu quam si cum gloria adeptus foret. in hanc sententiam itum. ne tamen adnuisse facinori viderentur et diversa Caesar iuberet, missi ad Pharasmanen nuntii ut abscederet a finibus Armeniis filiumque abstraheret. (49) erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus, ignavi animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. is Pelignus auxiliis provincialium contractis tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes praedatur, abscessu suorum et incursantibus barbaris praesidii egens ad Rhadamistum venit; donisque eius evictus ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentique adest auctor et satelles. quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. igitur propere montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum redire in Suriam iubetur, ne initium belli adversus Parthos exsisteret. (50) nam Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus, quam a maioribus suis possessam externus rex flagitio obtineret, contrahit copias fratremque Tiridaten deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. incessu Parthorum sine acie pulsi Iberi, urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum acce-

1. *oms* cum lin. M. Correxit Lipsius. — 2. *modiorum* pr. M. — 3. Habet *poteretur* M. — 4. *rad.* M. — 6. *faramanen* (sic) M. — 8. *ignavia* Muretus, Acidalius, Doederlein. — 9. *iusta* M. — *privatis* (sic) *olim conversationes curaret iners* M. Emendavit Lipsius. Immane Cod. vitium ex falsa litterarum divisione ortum praetulerunt Rothius, Bachius, Rupertius. — 10. *is Pelignus auxiliis* M: *is auxiliis* (om. *Pelignus*) Freinshemio auctore B. — 11. *tanq.* M B. — 13. *rad.* M. — 14. *aucto* M. — 18. *rediret* M. — *siriam* M. — 19. *existeret* M. — 21. *opt.* M. — 23. *Hiberi* M B.

48. *omne scelus*] qualecunque, vel atrocissimum. Et sic ante Lipsium emendarat iam Victorius vitiosam Cod. Med. geminationem litterae *s*, *omnes*. — *semina* - - *iacienda*] Eandem fere sententiam Tacitus ipse enuntiat Germ. 33. Bach.

49. *ignavi animi*] Non puto prorsus necessariam esse Mureti correctionem utique speciosam *ignavia;* eo enim quod *ignavi animi* erat, despiciebatur, nec minus propter ridiculum corporis habitum. Recte Ernestius: «*Iuxta* indicat verbum referendum etiam ad ignaviae vitium. Atque ignaviae proprius contemptus. Suet. Domit. 15: *Clementem, patruelem suum, contemptissimae inertiae.*» — *scurrarum*] Suet. Claud. 5: *Tum demum abiecta spe dignitatis ad otium concessit, modo in hortis et suburbano, modo in Campaniae secessu delitescens atque ex contubernio sordidissimorum hominum super veterem segnitiae notam ebrietatis et aleae quoque infamiam subiit.* Tales infimi generis scurras *copreas* vocat Suet. Tib. 61. et Claud. 8. — *is Pelignus auxiliis*] V. *Pelignus* aliter sane defendi nequit, quam ut fecit Doederlein: «Praeter necessitatem hominis nomen repetitur; sed consulto tamen, cum contemptu quodam, prorsus ut 4, 10: *Quod is Lygdus aetate atque forma domino carus.* Ac sine contemptu 13, 32: *Longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia*

pere. deinde atrox hiems, seu parum provisi commeatus, et orta ex utroque tabes percellunt Vologesen omittere praesentia. vacuamque rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. atque illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt. (51) nec aliud Rhadamisto subsidium fuit quam pernicitas equorum, quis seque et coniugem abstulit. sed coniux gravida primam utcunque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit; post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. ille primo amplecti adlevare adhortari, modo virtutem admirans, modo timore aeger, ne quis relicta poteretur. postremo violentia amoris, et facinorum non rudis, destringit acinacem, vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ut corpus etiam auferretur. ipse praeceps Iberos ad patrium regnum pervadit. interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores, et dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent, cognitoque nomine et casu in urbem Artaxata ferunt; unde publica cura deducta ad Tiridaten, comiterque excepta cultu regio habita est.

(52) Fausto Sulla Salvio Othone consulibus Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur. adnectebatur crimini Iunia mater eius ut casus prioris (nam relegata erat)

1. *hiemps* M. — 3. *rad.* M. — *quanquam* M, *tanquam* B. — 4. *bellaturos* M. Correxit Rhenanus. — 5. *circũueunt* M. Emendatum in Guelf. Agr. Bud. — 6. *rad.* M. — 7. *coniux* M: *coniunx* B. — 11. *ammirans* M. — 12. *acinacen* M. — 13. *trahit*] *trait* M. — *flumine* pr. M. — 14. *Iberos* nos: *Hiberos* M B. — 16. *forme* M. — 20. *silla* M. — *cos.* cum lin. M. — 21. *exilium* M. — *chaldeos* M. — *adnectabatur* pr. M. — 22. *uiuia* (sic) M. Sane *Iunia* aeque arbitraria est correctio Puteolani quam Cod. Vatic. *Vinia*. Sunt etiam *Vivii* apud Gruterum.

fuit.» Adde infra C. 64: *perdita prius Domitia Lepida, - - quia Lepida* cet. — *coniectarentur*] ne de Peligno coniectura in alios fieret, tam viles atque ignavos esse Romanos duces omnes. Ter. Heaut. 3, 3, 13: *Ego de me coniecturam facio.* — *Helvidius*] Hist. 4, 5. Agr. 2. cet. — *mittitur*] Agrippina, puto, Burroque ita volentibus.

50. *percellunt*] Sic Med., acrius utique dictum quam Rhenani *perpellunt*, et amat hoc verbum Tacitus. — *in tempore*] *ἐν καιρῷ*, prima quaque opportuna occasione oblata, ac re vera illi cet.

51. *quati - - vibrantur*] Similis compositio 3, 26: *exui aequalitas - - et vis incedebat.* 15, 27: *adiicere et pellit.* Hist. 3, 31. Duplici autem hoc membro usus est ad augendum sensum molestiae ac dolorum, quos mulier perpessa sit. — *corpus etiam*] Haec iungenda: non solum vivam uxorem captivitate exemit, sed corpus quoque exanime invidit hostibus. — *illuvie*] est cursus fluminis ad riparum latera placide in stagni morem inundantis. FORCELL. (*in stehendem Nebenwasser*, Gutmann.) Cfr. Lucan. 7, 224: *stagna undantis Enipei.* Necessarium non est, ut cum Ryckio scribamus *eluvie* ex 13, 57.

52. *Fausto Sulla*] genero Claudii propter ductam Antoniam. 13, 23. et 47. Sueton. Claud. 27. — *Salvio Othone*] Othonis im-

inpatiens. pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat; idque ad clementiam trahebat Caesar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. neque tamen exsuli longa posthac vita fuit: morte fortuita an per venenum exstinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. de mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et irritum. laudati dehinc oratione principis qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo inpudentiam paupertati adicerent. (53) inter quae refert ad patres de poena feminarum quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem

1. *inp.* M: *imp.* B. — *patre* pr. M. — Habet *Dalmatiam* M. In prioribus libris edunt nunc *Delmatiam*. — 2. Habet *quod* M, non *qui* Puteolani et Edd. ante Pichenam. — 3. *exuli* M. — 4. *extinctus* M. — 5. *Italia*] *ita* M. Spir. Correxit Puteolanus. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *interque refert* M. (Habet *refert* M, non *refertur* Spir. et ceterarum Edd. ante Bekkerum.) — *paena* M. — 9. Habet *statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsa in servitute, sin consensisset pro libertis haberentur* M. (Erravit Pichena non *sin* sed *sui* praebere M. narrans: nihil ergo mutandum erat quam *prolapsa* in *prolapsae*. De interpolationibus vide Ern. et Walth.)

peratoris fratre. — *Camillus*] fuerat is legatus Delmatiae, delictumque suum supplicio luerat. Hist. 1, 89. 2, 75. Plin. Epp. 3, 16. Suet. Cl. 13. Dio 60, 15. — *iterum conservaret*] cum iam antea patris culpam in filio punire potuisset. — *morte - - vulgavere*] Est anacoluthon in his verbis studio brevitatis quaesitum. Plenius scripsisset: *Morte fortuita an per venenum exstinctus esset, non satis constitit; nam alii morte fortuita, alii per venenum exstinctum esse, ut quisque credidit, vulgavere.* Ut ambages vitarentur, scriptor locum contraxit. WALTH. — *irritum*] 2, 32. Hist. 1, 22. 2, 62. — *motique*] Cfr. 11, 25.

53. *ignaro domino*] Gaius Comment. 1, 84: *Ecce enim ex senatus consulto Claudiano poterat civis Romana, quae alieno servo volente domino eius coierit, ipsa ex pactione libera permanere, sed servum procreare* cet. §. 91: *Item si qua mulier civis Romana praegnas ex senatusconsulto Claudiano ancilla facta sit ob id, quod alieno servo invito et denuntiante domino eius coierit, complures distinguunt et existimant, siquidem ex iustis nuptiis conceperit, civem Romanum ex ea nasci; si vero volgo conceperit, servum nasci eius, cuius mater facta est ancilla.* Iulii Paulli Rec. Sent. 2, 21. A. 1: *De mulieribus, quae se servis alienis iunxerint, vel ad senatusconsultum Claudianum. Si mulier ingenua civisque Romana vel Latina alieno se servo coniunxerit, siquidem invito et denuntiante domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur ancilla.* §. 18: *Filia familias mortuo patre si in servi contubernio perseveraverit, pro tenore senatusconsulti Claudiani (tribus denuntiationibus) conventa efficitur ancilla.* Cfr. Ulpiani Fragm. 11, 11. Tertullian. de uxore 2, 8: *Nonne insuper censuerunt Romani servituti vindicandas, quae cum alieno servo post dominorum denuntiationem in consuetudine perseverarunt?* Suet. Vesp. 11: *Auctor senatui fuit decernendi, ut, quae se alieno servo coniunxisset, ancilla haberetur.* Etenim Vespasianus tunc videtur rettulisse senatusconsultum Claudianum, quod temporum licentia in desuetudinem abierat, pristinum tamen nomen apud posteriores ICtos retinuit. Abrogavit autem Iustinianus; v. L. Cod. 7, 24. de SCto Claudiano toll. §. 1. — *pro libertis*] id est, eo vinculo tenerentur domino contubernalis sive concubini sui, quo libertorum libertarumque genus, ut liberae quidem manerent, adnexae tamen ei domo, cuius se servo iunxissent. WALTH. Male Gravina in Orig. iur. civ. de legibus N. 31. p. 543. aliique volebant *pro liberis*. — *Pallanti*] Plin. Epp. 7, 29: *Est via Tiburtina intra primum lapidem (proxime adnotavi) monumentum Pallantis, ita inscriptum: Huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta praetoria decrevit et sestertium centies quinquagies, cuius honore contentus*

eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus. additum a Scipione Cornelio grates publice agendas quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros principis haberi sineret. adseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.

(54) At non frater eius, cognomento Felix, pari moderatione agebat, iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi inpune ratus tanta potentia subnixo. sane praebuerant Iudaei speciem motus orta seditione,

2. *cos.* M. — *sipione* M. — 5. *ads.* M: *ass.* B. — 6. *est . . . . . publico* M; in marg. suppletur *aere.* — 7. *miliens* M: *milies* B. — *antique* M. — *parsimoniae* M: *parcimoniae* B. — 10. *iam*] *tam* pr. M. — *inpune* M: *impune* B. — 11. *patientia* M. Spir. Emendatum in Ed. Puteol. — *iudaeis* M. Mox post Waltherum, Ritterum, Doederleinium significavi defectum.

fuit. Rursusque Epp. 8, 6: *Postea mihi visum est operae pretium ipsum S. C. quaerere. Inveni tam copiosum et effusum, ut ille superbissimus titulus modicus atque etiam demissus videretur.* — Plin. H. N. 35, 58: *Creta vilissima pedes venalium trans mare advectorum denotare instituerunt maiores. - - Hoc est insigne venalitiis gregibus opprobriumque insolentis fortunae, quod et nos adeo potiri rerum vidimus, ut praetoria quoque ornamenta decerni a senatu iubente Agrippina Claudii Caesaris viderimus libertis, tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.* (Pallantem autem Antoniae Claudii matri servisse scimus ex Iosepho 18, 6, 6., qui *Πάλλαντα* appellat *τὸν πιστότατον τῶν δούλων αὐτῆς.* Ab eo ergo ad Claudium pervenit, unde in titulo illo *erga patronos.* Lips.) — *Barea Soranus*] quod indignum videri possit tali viro, de quo 16, 21: *Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano;* sed necessitate extortum et excusandum. Rup. — *regibus Arcadiae*] Ridicule hoc fictum ob cognominem regem Arcadiae, Euandri proavum (Virg. Aen. 8, 54.) vel avum (Servius ibid.), de quo Pausanias 8, 3, 1. et 44, 5. — *aere publico*] cui incisum erat illud S. C. Auget hoc rei indignitatem. (Horat. Carm. 4, 8, 13: *incisa notis marmora publicis.*)

54. *Felix*] Hist. 5, 9: *Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit.* Suet. Claud. 28: *trium reginarum maritum* dicit. Cfr. Lucae Act. Apost. 23, 24. et Cap. 24, 10. Paulus ad Felicem: *Ἐκ πολλῶν ἐτῶν* (tribus quattuorve) *ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος, εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι.* Iosephus 20, 7, 1. vocat *Claudium*, quia post Antoniae mortem Claudii libertus factus erat. — *iam pridem*] Non hercle ita pridem, si Iosepho in gentili historia credendum. Praepositus enim demum Iudaeae est post damnatum Cumanum. Ioseph. B. Iud. 2, 12, 8. clare: *Μετὰ ταῦτα,* inquit, *Ἰουδαίας μὲν ἐπίτροπον Φήλικα τὸν Πάλλαντος ἀδελφὸν ἐκπέμπει τῆς τε Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας καὶ Περαίας.* Adde Euseb. H. E. 2, 19. Suidam in *Κλαύδιος.* Lips. — *potentia*] Med. *patientia* defendi nequit, etsi tentavit Bachius explicans de nimia Claudii in Felicem indulgentia, ut 4, 59: *patientiam senis et segnitiam iuvenis.* — *seditione*] Exciderunt hic verba nonnulla. Infeliciter celatur defectus a Bipontinis, quos secutus est Oberlinus: *seditione, postquam C. Caesari haud obtemperatum esset; cognita caede eius, sedata manebat metus,* cet. Rem ipsam pete ex Hist. 5, 9: *Dein iussi a C. Caesare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere; quem motum Caesaris mors diremit;* item ex Iosepho Ant. 18, 8. Bell. Iud. 2, 10., Philonis libro de legatione ad Caium.

* * * * postquam cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis principum eadem imperitaret. atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemptu regentium minus coërcitis odiis. igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, et aliquando praeliis congredi, spoliaque et praedas ad procuratores referre. hique primo laetari; mox gliscente pernicie cum arma militum interiecissent, caesi milites. arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriae rector subvenisset. nec diu adversus Iudaeos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite poenas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis ius statuendi etiam de procuratoribus dederat. sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur; damnatusque flagitiorum quae duo deliquerant Cumanus, et quies provinciae reddita.

3. *Ventidio . . . . . . cui* M, in marg. suppletur *Cumano.* — 4. *galileorum* M. — 5. *contemptuj* M. — 6. *cohercitis* M. — 7. *preliis* M. — 8. *permitie* (sic) M. — 10. *Syriae* M: *Suriae* B. — *iudeos* M. — 11. *quin*] *qui In* M. — *paenas* M. — 12. *adf.* M: *aff.* B. — 13. *iusta tuendi* M. — 15. *damnatosque* M. — 16. *cumanos* M. — *quees* pr. M. — *provincie* M.

(Anquetil sic supplevit: *orta seditione ob Caii edictum; post, cum cognita caede eius, haud obtemperatum esset, manebat metus.*) — *haud obtemperatum esset*] ut effigies illa in templo locaretur. — *intempestivis remediis*] minime aptis ad delicta coërcenda, id est, ad seditionem sedandam, quam immo *accendebat*, augebat. Clara exempla talium *remediorum* praebet Iosephus Ant. 20, 5, 4. et 6, 1. — *divisis*] Iudaeis sive provincialibus, quod inest in voc. *provinciae.* Walth. Frustra I. Fr. Gronovius volebat *divisae.* — *Felici Samaritae*] Apud Iosephum Felicis adhuc nullae partes; contraque Cumanus a Samaritis stetisse legitur. Cfr. 20. Cap. 5. et 6. Lips. Dissensus Taciti et Iosephi manifestus est. Eum sic voluerunt quidam componere, ut, cum Iosephus tradit deiecto Cumano missum Felicem, id non sic capiant, quasi Roma tum missus sit, sed e Peraea; ut Noris. Cen. Pis. 2, 16. §. 13. probante Pagio Crit. Bar. ad a. Chr. 48. Quod est nihili. Mitti simpliciter dicuntur centies, nulla Romae mentione, qui in provincias eunt. Iam proclive est dicere cum Wesselingio ad Simsoni Chron. p. 1047. in re Iudaica plus fidei habendum Iosepho. Et ego plurimum tribuo Iosepho alias. Sed hic ut pro Tacito iudicem, facit primo rei magnitudo et insolentia, quae non sinit haec ficta credere. Novum enim est duos procuratores Iudaeis esse eodem tempore, quod Tacitus sine idoneis auctoribus vix scripserit. Accedit Lucae auctoritas sive potius Pauli, qui Felicem multos annos Iudaeis praefuisse dicit, anno, postquam Cumanus damnatus est, tertio aut quarto. Id multo rectius dicetur, si Felix una cum Cumano missus est anno octavo imperii Claudiani, quem annum de Cumano edit diserte Iosephus; isque sequendus erat, non ii, quos cum alii, tum Valesius edunt ad Euseb. H. E. 2, 19. Ern. — *damnatus*] Aperte magis et distincte scriptor Iudaeus. Negat a Quadrato damnatum Cumanum, sed ipsum cum Celere tribuno missum ad Caesarem, qui de re cognosceret statueretque. Ita Cumano exsilium irrogatum; Celerem remissum Hierosolyma et vicatim discerptum. Lips. (Ioseph. 20, 6, 3: *Κέλερα δὲ τὸν χιλίαρχον ἐκέλευσεν ἄγοντας εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, πάντων ὁρώντων ἐπὶ τὴν πόλιν πᾶσαν σύραντας, οὕτως ἀποκτεῖναι.* Contra Iosephi narratio confusa et tumultuaria, immo manifesto falsa visa est Broterio.) —

(55) Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, saepe et alias commotae, tunc Troxobore duce montes asperos castris cepere; atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios audebant. obsessaque civitas Anemuriensis, et missi e Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo turbantur, quod duri circum loci peditibusque ad pugnam idonei equestre praelium haud patiebantur. dein rex eius orae Antiochus, blandimentis adversum plebem, fraude in ducem cum barbarorum copias dissociasset, Troxobore paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit.

(56) Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale praelium adornatur, ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno sed levibus navigiis et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum milia armavit, cincto ratibus

2. Habet *Troxobore* M, non *Trosobore* Bud. Puteol. Walth. — 3. *litora* M: *littora* B. — 5. *e* M: *a* Bekkeri operae. — *Syria* M: *Suria* B. — 8. *ore* M. — *adversum* M: *adversus* B. — *fraudē* M. — 9. *troxoboro* h. l. (sed erasa litt. *t*) M. — 11. *Lirim* (*liri* cum lin.) M: *Lirin* B. — 13. Hâbet *tiberim* M, non *tiberin*, ut narratur apud B.

quae duo deliquerant] Sic Papinianus l. 38. §. 4. D. Ad leg. Iul. de adulteriis: *cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur aetate.* Gron.

55. *agrestium*] Similes iis, qui Ciceroni ad Att. 5, 20, 5. ad Fam. 15, 4, 10. *Eleutherocilices.* Cfr. etiam 6, 11. — *mercatores et navicularios*] De his et eorum immunitate v. l. 5. Dig. de iure immun. — *Anemuriensis*] Anemurium, oppidum Ciliciae asperae e regione Cypri, hodie *Anemur.* Distinguebat olim Ciliciam a Pamphylia. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 275. Mela 1, 13. — *duri*] asperi, scrupulosi. — *Antiochus*] Est Antiochus IV. Epiphanes, Commagenes, cuius caput Samosata, et maritimarum Ciliciae regionum rex. Cfr. 13, 7. — A Vespasiano, quem tamen in obsidendis Hierosolymis adiuverat, propter Paeti, Syriae proconsulis, criminationes regno spoliatus, obscuram deinde vitam Romae traxit. Iosephus Bell. Iud. 7, 7. Dio 59, 8. Visconti *Icon. gr.* III. p. 11.

56. *Fucinum*] *lago di Celano*, *Lirim*, *Garigliano.* Hieronymus in Chron. ad a. post Chr. 47. p. 430. Ed. Roncall.: *Claudius circa haec tempora Fucinum lacum exsiccavit XI. annos triginta hominum milibus sine intermissione operantibus.* Plinius 36, 15, 24, 124: *Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio et operarum multitudine per tot annos* cet. Suet. Claud. 20. Dio 60, 11: *τὴν δὲ λίμνην τὴν Φουκίνην τὴν τῶν Μαρσῶν ἠθέλησε μὲν ἐς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν, ὅπως ἥ τε χώρα ἡ περὶ αὐτὴν γεωργῆται καὶ ὁ ποταμὸς ναυσίπορος μᾶλλον γίγνηται· μάτην δὲ δὴ ἐδαπανήθη.* — *magnificentia operis*] ipsa montis perruptione et praeparata lacus Fucini emissione. — *stagno*] Suet. Oct. 43: *Edidit navale proelium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Caesarum nemus est.* Ceterum de suo navalis proelii spectaculo Augustus ipse in Monum. Ancyr. Ed. Franz et Zumpt p. 34: *Navalis proeli spectaculum populo dedi* t r a n s *Tiberim, in quo loco nunc nemus est Caesarum, cavato solo in longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem pedum mille et ducentum, quo triginta rostratae naves* t r i r e m e s e t q u a d r i r e m e s, *plures autem minores inter se conflixerunt. In iis classibus pugnaverunt praeter remiges milia hominum tria circiter.* — *Claudius triremes*]

ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et praelio solita. in ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultae ballistaeque tenderentur. reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. ripas et colles *ac* montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit proximis e municipiis, et alii urbe ex ipsa, visendi cupidine aut officio in principem. ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata, praesedere. pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo; ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt. (57) sed perfecto spectaculo apertum aquarum iter. incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media. eoque, tempore interiecto, altius effossi specus, et contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. quin et convivium effluvio lacus apposi-

3. *turmeque* M. — 4. *ballisteque* M. — 5. Habet *tectis* M, non *rectis* Rhen. — *opt*. M. — *ac* om. M. Inseruit Puteolanus. Ad asyndeton Doederlein comparat Hist. 3, 43: *cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus*. — 8. *clamide* M. — *praesidere* M. Emendavit Lipsius; errorem restituit Walther. — 9. *quanq*. M B. — 10. Habet *occidioni* M. — 11. Habet *incuria* M, non *et incuria* Puteol. Walther. — 12. *eo quo* M.

Dio 60, 33: *τεῖχος περὶ τὴν λίμνην ξύλινον κατεσκεύασε καὶ ἴκρια ἔπηξεν. - - οἱ δὲ δὴ ναυμαχήσαντες, θανάτῳ δὴ καταδεδικασμένοι ἦσαν, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες.* Suet. Claud. 21. aliter: *Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulae.* At sane credibilius est ad undeviginti hominum milia recipienda requisitas esse naves centum. (*Crévier suppose, avec vraisemblance, que, pour réunir un tel nombre de condamnés, on en avait ramassé pendant un temps plus ou moins long, dans toutes les parties de l'empire.* Burnouf.) Bella est de hac naumachia narratio Suetonii l. l. — *ambitu*] Teste Fabretto ambitus lacus per lacinias sinuum et promontoriorum in eum excurrentium est XXX. M. P. et ultra; rotundatis flexuris XXVI. M. P. et paullo amplius obtinet. Brot. — *ac tamen spatium*] quamquam ratibus cincto lacu, tantum tamen spatium vacuum relinquebatur, quantum sufficeret ad vim remigii cet. libere exserendam atque omnia, quae in vero proelio fieri solent, demonstranda. — *ratibus*] h. l. proprio sensu, *Flösse, radeaux.* — *propugnaculis*] *Brustwehren, parapets,* quae in ipsis ratibus exstructa erant, non, ut plerique h. l. opinantur, in lacus ripa. — *tenderentur*] funibus, ad sternendos missilibus eos, qui fortasse effugere conarentur. — *classiarii*] damnati illi, qui depugnare debebant, ad verorum classiariorum modum vestiti atque armati. — *tectis*] sunt *νῆες τὰ καταστρώματα ἔχουσαι.* Thucyd. 7, 40. s. *κατάφρακτοι* Plut. in Pyrrho p. 391. — *aurata*] Dio l. l.: *Ὁ δὲ Κλαύδιος ὅ τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλησαν, ἥ τε Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο.* Plinius 33, 19: *Nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis proelii spectaculum, adsidentem ei, indutam paludamento, auro textili sine alia materia.*

57. *aquarum iter*] emissarium. — *vel media*] vel saltem media, ne media quidem; id quod suffecisset ad dimidiam certe lacus partem in Tiberim emittendam. (Ut par esset emissarium lacus profunditati, si non toti, certe mediae.) — *specus*] monte altius etiam perrupto. «*On eut des rochers à percer, des eaux à détourner et à élever. Aussi la montagne est-elle encore remplie, en tout sens, de galeries souterraines: on y découvre une suite de cavités verticales en forme de puits profonds, au bas desquels, on peut se rendre par des conduits qui sont pratiqués en plan incliné.*» Bur-

tum magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convolsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. simul Agrippina trepidatione principis usa ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac praedarum. nec ille reticet, inpotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

(58) D. Iunio Q. Haterio consulibus sedecim annos natus Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit. utque studiis honestis *et* eloquentiae gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta, Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus, perpetrat ut Ilienses omni publico munere solverentur. eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione; redditur Rhodiis libertas, adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant; tributumque

2. *convulsis* M. sed C. 58. idem *convolsis.* — *exterriti* M. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — 6. *D.* M: *Decimo* B. — *Q.* M: *Quinto* B. — *auterio* M. — *consuli.* M. — 7. *et* om. M. Inseruit Puteolanus. — 8. *gloriae nitesceret* M. — 9. *vera* M. E Bud. correxit Rhenanus. — 10. *exec.* M. — 11. *boniensi*, addita ex corr. syll. *no*, M. — 12. *rodiis* M.

NOUF. — «De laborioso hoc opere vide Plinium l. l., quod ante Claudium tamen conceperat D. Iulius (Suet. Iul. 44.), non inceperat, nec rite perfecit ipse Claudius, quoniam manus postea admovit ei Hadrianus. Cfr. Spartianus in eius vita 22. Lips. Cfr. Fabrettum in Descr. emissarii lacus Fucini. In Diss. de aquis et aquaeductt. vet. Romae. Romae 1680. 4. — *convivium*] coenatio et convivii apparatus, ut 15, 37: *publicis locis struere convivia.* — *convolsis - - exterritis*] Omnia haec ad res (mensas, lectos, cibos cet.) et ad homines simul referuntur, maxime v. *exterritis.* Suet. Cl. 32: *Convivatus et super emissarium Fucini lacus ac paene submersus, cum emissa impetu aqua redundasset.* — *Narcissum*] ipsi iam invisum ob Aeliae Paetinae studium. Cap. 1. — *praedarum*] insimulabat Narcissum, ab eo qualicunque modo interversam esse pecuniam a Claudio ei operi destinatam, id quod redemptorum ope facillime fieri poterat. Dio 60, 33: *Ὁ Νάρκισσος τῆς λίμνης τῆς Φουκίνης συμπεσούσης αἰτίαν ἐπ' αὐτῇ μεγάλην ἔλαβεν· ἐπεστάτει γὰρ τοῦ ἔργου καὶ ἔδοξε πολὺ ἐλάττω ὧν ἤλπιζε δαπανήσας, εἶτα ἐξεπίτηδες τὸ σύμπτωμα, ὅπως ἀνεξέλεγκτον τὸ κακούργημα αὐτοῦ γένηται, μηχανήσασθαι.*

58. *D. Iunio*] Silano. «Non concilio in hac omni narratione Tacitum cum Suetonio. Noster matrimonium cum Octavia, causarum dictiones, ad consules refert, quos posuit. Suetonius C. 7. gesta haec vult toto anno ante, Claudio quintum et Cornelio Orfito coss. Nec enim de alio Claudii consulatu intellexeris illa: *Apud patrem consulem pro Bononiensibus Latine et pro Rhodiis atque Iliensibus Graece verba fecit. Nec multo post duxit uxorem Octaviam.* At inter eum consulatum et hunc Taciti annum interiecti Faustus Sulla et Salvius Otho. Uter verior, mihi sane non liquet.» Lips. Lipsium in his falli neque contradicere Suetonium Tacito scite demonstravit Walther. — *enitesceret*] clarus fieret, ut 11, 7. Sine causa Groslotius, cum vulgo ederetur *nitesceret*, volebat *notesceret.* — *Romanum*] populum, ut Liv. 2, 27. ac saepius. — *demissum*] Est dicendi modus Virgilianus Aen. 1, 288: *Iulius, a magno demissum nomen Iulo.* — *ut Ilienses*] Confer Suet. Ner. 7., cuius verba iam supra attulimus. De tota hac re vide Excursum. — *redditur Rhodiis - - ; tributumque*] eodem interveniente Nerone, quibus beneficiis impetratis ei favorem populorum conciliare studebat Agrippina. — *Rhodiis*] adempta ante annos ab ipso Claudio, propter cives quosdam Romanos in crucem actos, ut notat Dio 60,

Apamensibus terrae motu convolsis in quinquennium remissum. (59) At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum, opibus inlustrem, hortis eius inhians pervertit accusante Tarquitio Prisco. legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat. nec ille diutius falsum accusatorem indignasque sordes perpessus, vim vitae suae attulit ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est; quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere.

(60) Eodem anno saepius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum ac si ipse statuisset. ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius. nam divus Augustus apud equestres qui Aegypto praesiderent lege agi, decretaque eorum perinde haberi iusserat ac si magistratus Romani constituissent. mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt quae olim a praetoribus noscebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut

1. *terre* M. — 2. *sev.* M. — 3. *inl.* M: *ill.* B. — 6. *caet.* M. — 7. *indigna sortes* M. Ut nos, Heinsius. (*indignasque* est iam in Reg. Agr. Spir.) *accusatorem*, *indignas artes* mavolt Seyffert. — 11. *iudicaturum* M. Correxit Rhenanus. — 13. *aug.* M. — 14. *pde* (litt. *p* caudata, id est, *prode* M. — 17. Habet *Semproniis* M, non *Sempronii* Puteolani.

24. Sed restituta, orante Nerone, cuius honori iure Epigramma illud adsero, quod nomine Antiphili legitur primo Anthologiae *εἰς νήσους* (Anthol. Pal. II. 60.): *Ὡς πάρος Ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμὶ Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων. Ἤδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτισεν ἀκτίς, Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων. Πῶς εἴπω, τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν Ἐξ ἁλός· ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν.* Lips. Quod epigramma huc refert etiam Iacobs Anthol. Gr. II. 2. p. 51. — *Apamensibus*] Videtur Apamea Cibotos, Phrygiae civitas ad Maeandrum, cui iam olim Mithridates terrae motibus quassatae centum talenta ad restitutionem dederat. Et erat praecipuum post Ephesum totius Asiae emporium. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 346.; ceteras autem urbes cognomines Bithyniae, Syriae cet. facile epitheto aliquo distinxisset; haec vero maxime nota. Vide Ryckium.

59. *At Claudius*] ab eadem ad saevitiam instigatus, quo eum semper magis invisum redderet, nec quisquam aliquando eum a coniuge interemptum doleret. — *indignasque sordes*] squalorem ceteramque miseriam rei. Dial. 12: *sordes ac lacrimas reorum.* — *curia exactus*] senatu motus; post in Neronis gratiam restitutus et proconsul factus Bithyniae, ex qua repetundarum damnatus est. 14, 46.

60. *procuratoribus*] fisci intellige, non procuratoribus Caesaris vice praesidis, quales praeerant Iudaeae, duabus Mauretaniis, Raetiae, Norico, Thra''iae. Hist. 1, 11. Illis vero fisci dumtaxat procuratoribus, qui saepe liberti erant (v. infra), traditum esse *omne ius*, id est, plenam iurisdictionem, indignatur Tacitus. Suet. Claud. 12: *ut rata essent, quae procuratores sui in iudicando statuerent, precario exegit.* — Vide Lipsii Excursum B. et cfr. 4, 15. — *prolapsus*] ne temere atque inconsulte hanc vocem fudisse videretur. — *equestres*] viros ordinis equestris, ut 13, 10: *Iulius Densus eques'er.* Ante Tacitum hunc dicendi modum nunc non reperiri monet Dukerus ad Liv. 33, 26. Ad rem cfr. 2, 59. — *Semproniis*] plur. pro singulari. C. Gracchus a. u. c. 632. lege iudiciaria lata,

rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent. sed tunc ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant. C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere condiciones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.

(61) Rettulit dein de inmunitate Cois tribuenda, multaque super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel Coeum Latonae parentem vetustissimos insulae cultores; mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, et quibus quisque aetatibus viguissent. quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum, precibusque eius dandum ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum dei ministram insulam colerent. neque dubium habetur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi. sed Claudius, facilitate solita quod uni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velavit.

3. *C.* M: *Gaius* B. — 4. *mathios* M. — 5. *nichil* M. — 8. *inm.* M: *imm.* B. — 9. *argios* M. — *Coeum*] *cum* M. Correxit Iosias Mercerus. — Habet *parentem* M, non *parente* Bud. al. — 10. *inl.* M: *ill.* B. — 12. *xenofontem* M. — 13. *p̄cibusque* M. — 14. Habet *tantum* M, non ceterorum Codd., Puteol., Lipsii *tanti*. — 15. *insilam* M. — *haberetur* M. Correxit Lipsius; illud restituit Walther. — 16. *potuisset tradidisset claudius* M. Emendavit Rhenanus. (*potuisse* iam Guelf. Bud.)

iudicia a senatu ad equites Romanos transtulit. — *Serviliae*] Una est lex lata a Q. Servilio Caepione (*patrono senatus* Val. Max. 6, 9, 13.) in consulatu a. u. c. 648., qua sanxit, ut iudicia senatui et equitibus communia essent. Vide Baiteri Ind. Leg. Cic. (L. Aurelii Cottae praetoris legem iudiciariam a. 684., qua iudicia senatui, equitibus, tribunisque aerariis communia facta sunt, Tacitus transit.) — *C. Oppius*] intimus Caesaris amicus. Suet. Iul. 52. Cic. ad Att. 5, 1. ac saepius. — *Balbus*] maior, origine Gaditanus, pro quo est Ciceronis oratio. — *condiciones pacis*] Nihil hoc quidem ad rem iudiciariam, de qua praecipue hic agit, sed generatim significat: «immo, quod maius etiam est, tanta fuit simplicium equitum Romanorum, nullis honoribus functorum, potentia, ut arbitratu suo tunc de bellis ac pacibus deciderent.» — *Matios*] Caesaris hic primum, deinceps Octaviani amicus, cuius exstat nobilissima epistola ad Ciceronem missa, ad Fam. 11, 28. Crebra eius fit apud Ciceronem mentio. V. Onomasticon meum. Adde Plin. 12, 6. Ritschl Parerga I. p. 37. — *Vedios*] Vedius Pollio, cuius luxus memoratur 1, 10.

61. *multaque*] Admirabiliter describit fatuam Claudii eruditionem atque curiositatem. — *Coeum*] Caeli et Terrae filium, de quo Hesiodus Theog. 404: *Φοίβη δ'αὖ Κοίου πολυήρατος ἦλθεν ἐς εὐνήν· Κυσαμένη δὴ ἔπειτα θεὰ θεοῦ ἐν φιλότητι Λητὼ κυανόπεπλον ἐγείνατο μείλιχον αἰεί.* Ovid. Met. 6, 185: *satam Titanida Coeo Latonam.* — *posteros eius*] Asclepiadas, inter quos celebratissimus Hippocrates. — *Xenophontem*] Cfr. 6, 67. Diog. Laërt. Xenoph. extr.: *τρίτος, ἰατρὸς Κῷος*. Cfr. Visconti *Iconogr. gr.* I. p. 296. — *ministram*] Graece dixeris *νεωκόρον*. — *sociasque victorias*] communiter partas. Cfr. Plut. Lucull. p. 493. — *facilitate solita*] Recte haec cum v. *concesserat* iunxit Doederlein, ceteri cum v. *velavit*. Reprehendit autem Tacitus nimiam ac stultam illam benignitatem, qua interdum in unum alterumve eorum utebatur, quibus favebat. — *adiumentis*] Non priscas fabulas neque Asclepiadas, sed multa Coorum in Romanos merita memorari debuisse significat.

(62) At Byzantiis data dicendi copia, cum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere, orsi a foedere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum inpositum. missas posthac copias in Antiochum Persen Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium memorabant, quaeque Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent, mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent. (63) namque artissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium in extrema Europa posuere Graeci, quibus Pythium Apollinem consulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam. ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate, peiora legissent. quippe Byzantium fertili solo, fecundo mari, quia vis piscium inmensa, Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita,

1. *ad* pr. M. — *biz.* M. — *dicenda* pr. M. — *bonerum* pr. M. — 2. *depcarentur* M. — 3. *iecerant* M. Emendatum in Bodl. Ies. — *tempesta* M. — 4. *pseudofilippi* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 5. *memorabantq; quae* M. — 8. *commeatu* M: *commeatui* B. — 9. Habet *artissimo* M, non *arctissimo* Guelf. Puteol. — 10. *biz.* M. — *extrema europae* M, *extremo Europae* Agr. Spir. Walther. — *pithium* M. — 12. *graecorum* M. Correxit Rhenanus. — 14. *bizantium* M. — 15. *inmensa*, *Pontum* Bachius et Doederlein: *in meta* (haec in versus fine) *pontũ* M, *innumera Ponto* auctore Lipsio B, *innumera Pontum* Walther, *immensa Ponto* Ritter.

62. *degeneri*] Andriscus, *ultimae sortis homo* Liv. Epit. 49., simulatus Persei filius, a. u. 605. regnum Macedoniae occupavit, sed iam a. sequente a Q. Caecilio Metello praetore victus et captus est. Florus 2, 14. — *posthac*] iunge cum v. *memorabant*, ne in temporum ordinem peccasse videatur scriptor, quasi vero Andriscus praecessisset Antiochum et Persen. Orsi sunt oratores de foedere illo, maximo suo in Romanos merito; deinde de auxiliis praebitis verba fecerunt. — *Aristonicum*] a. u. 622. Asiam paene omnem hic, Eumenis filium se ferens, occupavit, a M. Perperna debellatus a. 624. Liv. Epit. 59. — *Antonium*] filium oratoris, patrem triumviri, cui a. u. 679. imperium maritimum adversus praedones latissime patens demandatum; quo ad vexandos socios abusus, victus a Cretensibus mortuus est a. 683. Vell. 2, 31. *Κατ' εἰρωνείαν* dictus est Creticus. Plutarch. Anton. 1. — *recentia - - merita*] bello Thracio 4, 47. et Bosporano 12, 15. — *commeatu*] pro *commeatui*, ut 3, 30: *luxu* cet.

63. *Graeci*] quos alii scriptores Megarenses, alii Argivos, alii Chalcedonios, alii Milesios, alii Lacedaemonios, alii Athenienses fuisse tradunt. Cfr. A. Falk de origine Byzantii, Vratislaviae. p. 22. Bach. — Quae narrationum varietas partim ad colonos variis temporibus Byzantium deductos, partim ad incolarum vanitatem referenda videtur. Cfr. Raoul-Rochette *Hist. crit. de l'établ. des col. gr.* III. p. 297. Conditor autem mythologicus Byzas. Claudian. in Eutr. 2, 85. — *Apollinem*] Eandem historiam narrant Herod. 4, 144. (hic paullo aliter.) Strabo 7. p. 320. — *praevisa*] ante quidem visa, sed non intellecta; septemdecim autem annis conditam a Megarensibus Chalcedona ante Byzantium tradit Herodotus. Alii explicant *praetervisa*, quod verbum apud Latinos nondum repertum est, sed nullum item exemplum v. *praevidere* sic usurpati exstat; nam Horat. Sat. 1, 3, 25: *pervideas*, non *praevideas*, vera est lectio. — *Pontum erumpens*] eadem constructione rariore, qua Virg. Aen. 1, 580: *erumpere nubem*. Val. Flacc. 5, 466: *nebulamque erumpit Iason*; vulgari Salust. Fr. apud Schol. Iuv. 4, 42: *qua tempestate vis piscium Ponto erumpit*. — *obliquis*] e litore

omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur. unde primo quaestuosi et opulenti; post magnitudine onerum urgente finem aut modum orabant, adnitente principe, qui Thraecio Bosporanoque bello recens fessos iuvandosque rettulit. ita tributa in quinquennium remissa.

(64) M. Asinio M'. Acilio consulibus mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. signa ac tentoria militum igne caelesti arsere. fastigio Capitolii examen apium insedit. biformes hominum partus, et suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent. numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, quaestore, aedili, tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis. sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi ut coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida, muliebribus causis, quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinae

1. *litoris* M: *littoris* B. — *quaestosi* M. — 3. *threcio* M. — *bosphor.* M. — 4. *fessus* M. — 5. *M. Asinio*] *masilinio* M, *Marco Asinio* B. — *M'. Acilio*] *macilio* M, *Marco Acilio* B. — *cos.* cum lin. M. — 6. Habet *igne* M, non *igni* Spir. — 8. *paratus* M. — *ediditum* M; in quo scripturae monstro vestigium inest excidisse post v. *editum* v. aliquod significans *nuntiabant*, *ferebant* vel simile quid, a quo penderent v. *fetum editum.* — 9. *magistratum* M. — *questore* M. — 10. *aelidi* M. — 13. *domitiale muliebribus* M. Correxit Pichena. — 14. *qua* M. — *agrippine* M.

Chalcedonis e regione sitae saxa a latere se ostendunt et velut ex transverso, quae pisces fugiunt Byzantium versus. Strabo l. l.: *ἐκ τῆς Χαλκηδονικῆς ἀκτῆς λευκή τις πέτρα φοβεῖ τὸ ζῶον, ὥστ' εὐθὺς εἰς τὴν περαίαν τρέπεσθαι.* Etiam Plinio H. N. 9, 20. idem narranti *est saxum miri candoris*, *appellatum Chrysoceras.* De Ponti et Propontidis piscibus cfr. Aristot. Hist. an. 8, 15. «Thunni et pelamydes stupenda copia vere in Pontum congregantur, deinde bene alti in palude Maeotide auctumno exeunt et capiuntur.» Duebn. Cfr. Böttiger *Amalthea* II. p. 303. Magno autem in pretio, etsi abundans, erat *τάριχος* Byzantium. Horat. Sat. 2, 4, 66: *muria - - qua Byzantia putuit orca.* — *alterius*] «Asiatici. Ceterum illa tanta diversitas litorum in proventu piscino hodie non cernitur.» Duebn. Cfr. Tournefort *Voyage du Levant* II. p. 134: *la côte de Chalcedoine est très-poissonneuse.* — *Thraecio*] quod cum Thracibus montanis gestum, duce Poppaeo Sabino 4, 46., *Bosporanum*, quod cum rege Mithridate, supra 15. et 21.

64. *M'. Acilio*] *Manius*, non *Marcus* solitum Aciliorum Glabrionum et, ut hic, Aviolarum praenomen reponendum fuit cum Ernestio. — *igne caelesti*] meteoris electricis. De prodigiis Claudii mortem praecedentibus cfr. Plin. 2, 25. Suet. Claud. 46. Dio 60, 35. — *apium*] quod semper inter portenta, cum visum loco insolenti. Lips. De forma gen. *apium* v. Drakenb. ad Silium 8, 637. et ad Liv. 4, 33. — *biformes*] vel androgyni (Liv. 31, 12.) vel monstra mixta hominis beluaeque forma. Ryckius intelligit de hippocentauro, de quo Plin. 7, 3: *Et nos principatu Claudii allatum illi ex Aegypto in melle vidimus.* — *fetum editum*] Nonnulli habent pro gen. neutro, cuius sane hoc unum nunc esset exemplum. Probabilius vero aut supplendum esse cogitatione aut excidisse *nuntiabant* vel *ferebant.* — *inessent*] coniunctivus rationem significat, cur hic suis fetus pro portento habitus sit. — *praecipuo*] Si comparetur cum communi populi Romani ex ostentis pavore. Dobd. — *minore Antonia*] Antonii et Octaviae, sororis Augusti, filia. 4, 44. Successiones igitur hae erant: 1) Octavia, Antonia minor, Lepida; 2) Octavia, Antonia maior,

sobrina prior ac Cnaei mariti eius soror, parem sibi claritudinem credebat. nec forma aetas opes multum distabant; et utraque inpudica infamis violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem praevaleret: nam Lepida blandimentis ac largitionibus iuvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat. (65) ceterum obiecta sunt quod coniugem principis devotionibus petivisset, quodque parum coërcitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret. ob haec mors indicta, multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum seu Nero poteretur; verum ita de se meritum Caesarem ut vitam usui eius inpenderet. convictam Messalinam et Silium; pares iterum accusandi causas esse; si Nero imperitaret, Britannico successore, nullum principi meritum, ac novercae insidiis domum

1. *Cnaei*] *C. N.* M, *Gnaei* B. — 2. *etas* M. — *inp.* M: *imp*, B. — 3. Habet *violenta* M, non *vinolenta* Bud. Harl. Ies. Reg. Spir. — 8. *coniugẽ* M: *coniugium* cum Guelf. Bud. Spir. B. — 12. *brittannicus* M. — 13. *inp.* M: *imp.* B. — 14. In M vv. *si Nero imperitaret, Britannico successore* ultimum columnae versum constituunt, adeo ut facile aliquid excidere potuerit. Vv. *si Nero - - meritum, ac* Freinshemio auctore cum Oberlino seclusit B. Vv. *Britannico successore* post v. *Silium* transponenda suadet Doederlein. — *brittannico* M. — 15. *ac*] *ad* pr. M, *a* corr. M. (*ac* est iam in Spir.) — *noverce* M.

Germanicus, Agrippina. Burnouf, quo locum clariorem redderet, Lepidae addidit *petite-nièce d'Auguste.* — *sobrina prior*] Lepida Germanico, Agrippinae patri, consobrina fuit; filiae ergo Germanici Lepida sobrina *prior* s. propior. — *Cnaei*] Domitii. 13, 10. — *Lepida blandimentis*] Nihilominus Nero *amitam Lepidam ream testimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea premebatur.* Suet. Ner. 7. — *dare*] Supple *quibat*, quod ex seq. *nequibat* eliciendum, ut 13, 56. Roth ad Agr. p. 272. affert etiam Hist. 1, 8: *Rufus vir facundus et pacis artibus* (expertus), *belli inexpertus.*

65. *devotionibus*] incantationibus, ut Plancina olim Germanicum. 2, 69. — *iterum accusandi*] Ex distinctione, quam in obscuro ac fortasse luxato hoc loco secuti sumus, explica: «pari iure ac Messalinam item Agrippinam accusari posse ob impudicitiam et adulterium cum Pallante commissum.» — *Britannico successore*] Haec vv. si suo loco posita sunt, aliter explicari nequeunt, quam fecit Walther: «sive Nero imperitaret, seu Britannicus Claudio succederet, nullum meritum sibi fore apud principem futurum.» Quodsi auctore Doederleinio transponas post v. *Silium*, sensus erit, convictam esse a se Messalinam et Silium, cum Britannicum patri successurum omnibus persuasum esset nec quisquam etiamtunc de alio successore cogitare posset. Sed huiusmodi transpositionibus nunquam magnopere favi. Tertia ratio est eorum qui verba, quae nunc vix intelligi queunt, cum Freinshemio, Anquetilio, aliis pro gloss. habent superiorum *seu Britannicus - - poteretur.* At v. certe *imperitaret* glossatoris haud est. Omnia clara forent, si esset: *esse. Si Nero imperitaret, Britannico successor, nullum* cet., id est, successore Britannico, ad quem legitime principatus pertinebat, e medio sublato. — *principi*] erga principem, ut 6, 20: *publicum sibi odium*; Germ. 16: *suffugium hiemi.* Doed. — *insidiis*] Britannico structis. — *quam si*] maiore flagitio Agrippinam insidiari innocenti, quam si ipse (Narcissus) celasset impudicitiam Messalinae eamque libidines suas explere sivisset; quae certe propriam in domum non saevisset. — *ne quis ambigat*] «iam non esse, cur quisquam Agrippinae exemplum imitatus non ultro dignitatem suam laedat, famam polluat, foedis voluptatibus

omnem convelli, maiore flagitio quam si inpudicitiam prioris coniugis reticuisset. quamquam ne inpudicitiam quidem nunc abesse Pallante adultero, ne quis ambigat decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere. haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur. (66) in tanta mole curarum valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitia caeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit. tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus. (67) adeoque cuncta mox pernotuere ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum

1. *inp.* bis M: *imp.* B. — 2. *retinuisset* Ritter. — *quanq.* M B. — 4. *brittannicum* M. — 5. *pcari* M. — 7. *curarum valetudine* M: *curarum Claudius valetudine* cum Puteolano B. — 8. Habet *mollitia* M Spir., non *mollitie* Guelf. Edd. ante Bekkerum. — *sabritate* (add. ex corr. *lu*) M. — 11. *supmis* M.

indulgeat, dummodo ita dominationem sibi paret.» Haec rectior videtur interpretatio quam vulgata, ex qua ad v. *habere* supplent *Agrippinam*; nam claudicat sententia, adeo manifestum esse eius cum Pallante adulterium, ut nemo de eo dubitare possit, immo omnes perspiciant eam decus cet. regno postponere. — *matris interfectores*] Non tam Euodum eiusque adiutores pro semet ipsa videtur subdere (11, 37.), quam figura, ut ita dicam, rhetorica usa hoc dicere: «Memet ipsam etiam, matris tuae interfectricem, tunc, si libet, interfice!»

66. *curarum valetudine*] scil. Narcissus. Sic optime Med., Vaticani sex, Parisienses duo, Ed. Spir. pro vulgato *curarum Claudius valetudine*, quae lectio nititur Vaticano septimo, Genuae exarato a. 1448., et Ed. Puteol. Absurdum hoc esse emblema, quem fugere potest? Primum enim mole curarum opprimebatur Narcissus, non Claudius semper fere temulentus; dein Claudius veneno non Sinuessae, sed Romae in Palatio necatus est; denique clare Dio 60, 34: *ἡ δὲ δὴ Ἀγριππῖνα ταῦτα ποιήσασα ἔφθασεν, ὅτι τὸν Νάρκισσον ἐς Καμπανίαν* (Sinuessa autem Latii oppidum in Campaniae confinio: Hist. 1, 72. Plin. 31, 4.), *προφάσει ὡς καὶ τοῖς ὕδασι τοῖς ἐκεῖ πρὸς τὴν ποδάγραν χρησόμενον, προαπέπεμψεν· ἐπεὶ παρόντος γε αὐτοῦ οὐκ ἄν ποτε αὐτὸ ἐδεδράκει.* Recte ante me delevere v. *Claudius* Burnouf et Duebner. — *certa*] cui iam olim constitutum erat scelus committere. Duebn. — *ne*] metuens, ne cet. — *tabidum*] tabificum, *φθίσιν* efficiens, ut Virg. Aen. 3, 137: *tabida - - lues.* Suet. Tib. 73: *venenum lentum atque tabificum.* — *ad amorem filii*] Suet. Cl. 43: *Sub exitu vitae signa quaedam nec obscura poenitentis de matrimonio Agrippinae deque Neronis adoptione dederat* cet. — *Locusta*] *venenariorum inclitam* vocat Suet. Ner. 33., *φαρμακίδα περιβόητον* Dio 60, 34. Eam Galba supplicio affecit. Id. 64, 3. — *instrumenta regni*] cuius ope e medio tollerentur ii, qui principis aulae, Narcisso, ipsi Agrippinae et Claudio, displicerent. Cave explices «*regni* Asiatici alicuius.» — *explorare gustu solitus*] Cfr. 13, 16. Erat praegustator, ut Inscr. m. Lat. 2993: *CLAVSVS TI. AVG. PRAEGVSTATOR.* Suet. Cl. 44.

delectabili cibo [boleto] venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane an Claudii vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. ille, tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio. (68) vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res † forent firmando Neronis imperio componuntur. iam primum Agrippina, velut dolore victa et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit, et cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque vulgabat ire in melius valitudinem principis, quo miles bona in spe ageret, tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret. (69) tunc medio diei, tertium ante Idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem quae more militiae excubiis adest. ibi monente praefecto festis vocibus exceptus inditur lecticae. dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitantesque ubi Britannicus esset: mox nullo in diversum auctore, quae offerebantur, secuti sunt. illatusque castris Nero et congruentia tempori

1. *cibo, boleto, venenum* Baiterus; verum ego seclusi v. *boleto: cibo leto venenum* M, *cibo boletorum venenum* cum Guelf. Puteol. B. — 2. *socordiane an Claudii vinolentia* cum Puteolano et Beroaldo Walther: *socordiane an Claudii ui an uinolentia* M, *socordiane Claudii an vinolentia* Rhenano auctore B. — 5. *tanq.* M B. — Habet *nisus* M, non *nissus* Puteol. nec *missus* Guelf. — *adiuvare* M. — *inl.* M: *ill.* B. — 6. Post v. *incipi* erasa est littera in M. — 7. *uacabatur* M. — 9. *dum res forent firmando* M: *dum res firmando* cum Bud. Guelf. Put. B, *dum, quae res forent firmando* cum Reg. Agr. Spir. Walther, *dum quae e re forent firmando* non male Heinsius, *dum res foris firmando* Iac. Gronovius, *dum res forenses firmando* Doederlein. — 10. *uelud* M. — 11. *solacia* M. — *brittannicum* M. — 15. *chaldeorum* M. — 17. Habet *ad cohortem* M, non *a cohorte* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Puteol. — 20. *brittannicus* M.

67. *delectabili*] quem cibum imprimis amabat Claudius. — *cibo [boleto] venenum*] Sagaciter sic Baiterus et multo probabilius ex Med. *leto* quam vulgata *boletorum*. Atque num. singularem satis defendunt Martialis 1, 21, 4: *Boletum, qualem Claudius edit, edas.* Iuvenalis 5, 147: *Boletus domino, sed quales Claudius edit Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.* Suet. Cl. 44: *Agrippina - - boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* Verumenimvero cum appositio ista *delectabili cibo, boleto*, et per se displiceret, et minus digna videretur historica illa gravitate, quam Tacitus humilia vocabula rerum ubique sedulo devitans sectatur, vocem suspectam seclusi, etsi ultro confiteor paucissima in Tacito reperiri glossemata; hic tamen res ex tot auctoribus notissima allicere ad interpolationem grammaticum facile poterat. *Boleti* sunt *βωλῖται*, fungorum genus, *Erdschwämme, Pilze*, Francogalli alii vertunt *champignons*, (id quod melius), alii *morilles (Morcheln)*. — *socordiane an Claudii vinolentia*] Si vera lectio, significat: «convivarumne et ministrorum socordia, qui nullam fere gerebant fatui hominis curam, an solita illa eius temulentia, ut si forte dolore cruciatus se torqueret aut clamores eiulatusque tolleret, effectum tantum crapulae esse opinarentur.» Dio l. l.: *Καὶ ὁ μὲν οὕτως ἐπιβουλευθεὶς ἐκ μὲν τοῦ συμποσίου, ὡς καὶ ὑπερχορῆς μέθης ὤν, ἐξεκομι-*

praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consalutatur. sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. caelestesque honores Claudio decernuntur, et funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebratur, aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam. testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

1. *paterne* M. — 2. *consultatur* M. Guelf. — 4. *sollēne*, id est, *sollemne* M: *sollenne* B. — 5. *proavia aelibiae* M. — 6. *animo* M. — Fini libri in M subscripta sunt haec: *Explicit cornelii taciti Liber duodecimus. Incip* (cum lineola) *XIII. Nero imperator efficitur.*

σϑη, ὅπερ που καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγεγόνει· τῆς δὲ νυκτὸς οὐδὲν οὐδ' εἰπεῖν οὔτ' ἀκοῦσαι δυνηϑεὶς μετήλλαξε τῇ τρίτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου· ζήσας ἑξήκοντα καὶ τρία ἔτη, αὐταρχήσας δὲ ἔτη δέκα καὶ τρία καὶ μῆνας ὀκτὼ καὶ ἡμέρας εἴκοσιν. — *spreta praesentium invidia*] nihil morata invidiam, odium, quod in ipsam concitare debebat tam subita Claudii mors.

69. *praefecto*] Burro. — *ad exemplum*] Promisit ergo viritim quindena sestertia, ut Suet. Cl. 10. sive ut Iosephus 19, 4: quina milia drachmarum, quae sunt sestertia vicena. Lips. — *caelestes honores*] Hinc in Senecae Ludo, in Inscr. m. Lat. 718. 719., et in Neronis nummo *DIVVS CLAVDIVS*. Cfr. Marini *Atti* I. p. 112. Eius templum appellatur *Claudium* ibid. p. 618. b. Quocirca Nero *boletos deorum cibum* dixisse fertur. Suet. Ner. 33. Dio 60, 35: τοὺς μύκητας ϑεῶν βρῶμα ἔλεγεν εἶναι, ὅτι καὶ ἐκεῖνος (Claudius) διὰ τοῦ μύκητος ϑεὸς ἐγεγόνει. — *iniuria et invidia*] invidia et odium propter iniuriam Britannico illatam.

EXCURSUS AD LIB. XII. CAP. LVIII.

ut Ilienses] Quid? non iam ante immunes Ilienses? Immunes pridem. Primus Alexander post pugnam ad Granicum amnem ἐλευϑέραν καὶ ἄφορον eam urbem pronuntiavit, ait Strabo 13. p. 593. Certamen deinde Romanis in honestanda urbe, ut credebant, parente. In foedere, quod cum Antiocho, immunitas Iliensibus data et Rhoeteum ac Gergithum concessa, ut auctor est Livius 38, 39. Epistola deinde Graeca senatus populique Romani ad Seleucum regem missa (Suetonii verba sunt Claud. 25.) *amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitisset.* Sulla etiam, Asiam constituens, eosdem ἐλευϑέρους ἠφίει καὶ Ῥωμαίων ἀνέγραψε φίλους, ait Appianus Mithr. 61. An hoc mutatum postea (et saepe solet), nescio: Iulius quidem Caesar iterum et agrum et libertatem dedit et immunitatem; nec imminuit Augustus aut Tiberius. Strabo l. l. p. 595: Καῖσαρ ὁ ϑεὸς χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευϑερίαν καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε. καὶ μέχρι νῦν συμμένουσιν ἐν τούτοις. Quis ergo ea abstulit, ut opus fuerit sive reddi a Claudio seu firmari? An Caligula? Nihil lectum. Credo equidem, nemo; sed vel Claudius adiecit aliquid ad immunitatem olim datam effecitque, ut plenissima uterentur, (atque ideo Tacitus scripsit: *ut omni publico munere solverentur*, quasi antea non omni:) aut concessa, sed publicanorum improbitate mota, sanxit in perpetuum stabilivitque. Suet. l. l.: *Iliensibus quasi Romanae gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit.* Callistratus l. 17. D. De Excusat.: *Iliensibus et propter inclitam nobilitatem civitatis et propter coniunctionem originis Romanae iam antiquitus et senatus consultis et principum constitutionibus plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelae excusationem habeant.* Lipsius. Immunitatis Iliensium typus equus est libere pascens. V. NN. Col. apud Vaillant I. p. 221. et II. p. 45. Oberlinus.

ANNALIUM

LIBER TERTIUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Silanus proconsul Asiae veneno necatus Agrippinae fraude. Narcissus ad mortem actus. 2. Laus Burri et Senecae. 3. Claudius censorio funere elatus laudatur a principe. 4. Bona Neronis initia. Multa senatus arbitrio constituta. 5. Agrippinae viriles curae. 6. Parthi Armeniam affectant. De Nerone varia iudicia vulgi. 7. 8. Is curam belli suscipit. Parthi amittunt Armeniam, cui praepositus Corbulo. 9. Vologeses dat obsides. Nero discidium ducum componit.

10. 11. Nero civiliter agit et clementiam ostendat. 12. 13. Acten amat, matre fremente, mox frustra blandiente: cuius hinc fracta potentia. 14. Pallas libertus cura rerum demotus. Agrippina ad minas ruit. 15. — 17. Britannicum Nero praecipiti veneno tollit et eius funus festinat. 18. Matrem indignantem custodibus privat, domum separat. 19. — 22. Derelicta rerum novarum incusata se purgat. accusatores eius puniti. 23. Pallas et Burrus delati. 24. Theatris maior species libertatis data. Urbs lustrata.

25. Neronis nocturna lascivia. Montanus cum principe per tenebras congressus mori adactus. Histriones Italia pulsi. 26. 27. Actum de libertis ingratis in servitutem revocandis, sed non peractum. 28. Tribunorum et aedilium cohibita potestas. 29. Aerarii cura varie habita. 30. 31. Illustrium aliquot virorum damnationes. L. Volusius fato concedit. Amphitheatrum Neronis. Praesides ludos edere prohibiti. 32. Vitae dominorum consultem. Pomponia Graecina, superstitionis externae rea, insons a marito nuntiatur. 33. Rei P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus.

34. Messala consul. Neronis liberalitas. 35. Cum Parthis rursus discordia de Armenia. Corbulonis disciplina, virtus, severitas. 36. Pactius Orfitus contra imperium pugnans fususque extra vallum tendere iussus. 37. — 41. Tiridates bello infensat Armeniam, legatos ad Corbulonem mittit, qui fraudem sibi per colloquium paratam eludit et Armeniae castella capit, Artaxata aggreditur et decedente hoste capit, igne delet. Ob haec Neroni et diis honores. 42. P. Suillius reus iu Senecam invehitur, 43. deportatur. 44. Octavius Sagitta amore vecors Pontiam tergiversantem ferro transverberat. Liberti mira fides.

45. Poppaeam Sabinam amare Nero occipit. Istius genus, forma, opes, mores, matrimonia, adulter. 46. Eius maritus Otho, ut amoveatur, Lusitaniae praeficitur. 47. Cornelius Sulla, principi suspectus, Massiliam mittitur. 48. Puteolis concordia restituta. 49. De numero gladiatorum Syracusis edendorum disceptatio. Thraseae Paeti opinio. 50. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. 51. Publicanorum iniquitas temperata. 52. Proconsules rei absoluti.

53. L. Vetus ope Mosellae et Araris Rhenum cum Oceano iungere parat. Obstat Aelii Gracilis invidia. 54. Frisii iuxta Rhenum sedes figere frustra conantur. 55. Eosdem agros Ansibarii occupant fato eodem. 56. Boiocali constantia. Ansibarii deleti. 57. Chatti ab Hermunduris fere ad exitium gentis caesi. Ignes terra editi vix oppressi. 58. Ficus Ruminalis.

Gesta haec annis quattuor, imp. Claudio Nerone, L. Antistio Vetere; Q. Volusio, P. Cornelio Scipione; imp. Claudio Nerone II, L. Calpurnio Pisone; imp. Claudio Nerone III, Valerio Messala coss.

(1) Prima novo principatu mors Iunii Silani proconsulis Asiae, ignaro Nerone, per dolum Agrippinae paratur, non quia ingenii violentia

1. *asie* M. — 2. *agrippine* M. — *paratur* M: *patratur* cum Aurelio B. Illud restituere Walther, Bach, Ritter, Doederlein.

1. *Iunii Silani*] Hic praenomine Marcus, filius fuit Ap. Iunii Silani cos. a. 781., frater Lucii generi Claudii, Octaviae sponsi, a Claudio incerto crimine occisi (Suet. 29. et 37. Dio 60, 14.) consul a. 799. — *ignaro Nerone*] qui tunc nondum saeviebat in civitatis primores, sed vitia abdebat. Contra quidem Plinius 7, 11: *D. Augustus in reliqua exemplorum raritate neptis suae nepotem* (abnepotem) *vidit genitum, quo excessit, anno, M. Silanum, qui, cum Asiam teneret post consulatum, Neronis principis successione, veneno eius sublatus est.* — *paratur*] Usitatius sane

exitium irritaverat segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut G. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit. verum Agrippina fratri eius L. Silano necem molita ultorem metuebat, crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem et, quod tunc spectaretur, e Caesarum posteris: quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat. haec causa necis. ministri fuere P. Celer eques Romanus et Helius libertus, rei familiari principis in Asia impositi. ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius quam ut fallerent. nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cuius iurgiis adversus Agrippinam rettuli, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur, invito principe, cuius abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat. (2) ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. hi rectores imperatoriae iuventae, et rarum in societate potentiae, concordes, diversa arte ex aequo pollebant, Burrus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et

1. *exitum* M. Correctum in Agr. Illud restituit Walther. — *G.* M: *Gaius* B. — 3. *L.* M: *Lucio* B. — 7. *P.* M: *Publius* B. — *celerius* M. Correxit Lipsius ex C. 33. — *aelius* M. Ryckio auctore correctum ex Suet. Ner. 23. et Dione 63, 12. — 8. *familiaris* M. — Post v. *impositi* in M erasa est littera. — Habet *his* M, non *iis*, ut praeter Spir. edebant ante Pichenam. — *procos.* cum lin. M. — 11. *retuli* M. — 13. *anneus* M. — 14. *Ii* M. — *rarum in societate potentiae, concordes* perquam felix Boxhornii coniectura merito recepta a Ryckio atque Ernestio. Sed M *parum in societate potentia et concordes.* (»Suspicor *perrarum*, ut Liv. 29, 38.« Doed.; ego non.)

esset *mors Iunio Silano paratur;* nec tamen prorsus necessarium v. *patratur;* immo verbis *per dolum* significatur, eam mortem longiorem apparatum requisisse. — *irritaverat*] Respicit Tacitus rem veram atque factam, non a se cogitatam; hinc melior indic. quam Spir. et Edd. ante Ern., item Waltheri *irritaverit.* — *dominationibus*] a prioribus principibus despectus et pro nihilo habitus. — *pecudem auream*] alium M. Silanum, consulem a. 772., Caligulae socerum, a genero χρυσοῦν πρόβατον appellatum esse tradit Dio 59, 8. mire hanc irrisionem pro laude accipiens. Errasse Dionem contendit Ryckius, Tacitum Dionis Interpres. — *L. Silano*] Cfr. etiam 12, 4. et 8. — *pueritiam*] sextum decimum annum. — *aetate composita*] quadragenarium; natus enim erat a. u. 767. Plin. l. l. — *quod tunc spectaretur*] Addita haec sunt, quia Tacitus sub Traiano scripsit suis meritis ad imperium evecto, exstincta iamdudum Caesarum familia. Coniunctivus autem, pro quo Ern. requirebat *spectabatur*, significat hanc tunc viventium fuisse sententiam. — *abnepos*] quippe genitus ex Ap. Iunio Silano (Claudii *affini* Suet. Cl. 4.) et Aemilia Lepida, Augusti pronepti. Haec Aemilia enim Iuliae et L. Aemilii Paulli (Suet. Oct. 64.) filia fuerat; ea Iulia porro Iuliam, Augusti filiam, et M. Agrippam parentes habuerat. — *Helius*] Suet. Ner. 23., Ἥλιος Dio 63, 12. Fisci ergo hi *procuratores* in Asia, quod munus aliquanto elegantius παραφράζει. Prius Helius fuerat *a cubiculo.* V. p. 425. Col. 1. — *venenum*] Dio 61, 6: ἡ Ἀγριππῖνα οὕτω καὶ τὰ μέγιστα πράττειν ἐπεχείρει, ὥστε Μάρκον Ἰούνιον Σιλανὸν ἀπέκτεινε, πέμψασα αὐτῷ τοῦ φαρμάκου, ᾧ τὸν ἄνδρα ἐδεδολοφονήκει. — *rettuli*] 12, 57. et 65. — *necessitate extrema*] Cfr. Hist. 1, 3: *supremae clarorum virorum necessitates; ipsa necessitas* (mors) *fortiter tolerata.* — *agitur*] *adigitur*, ut ex gloss. Cod. Agr.

2. *rarum*] Haec una est ex paucissimis Boxhornii in Tacito laudandis coniecturis pro Med. *parum.* — *militaribus curis*] quibus quotidie occupatus erat in regendis atque

comitate honesta, iuvantes in vicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae, quae cunctis malae dominationis cupidinibus flagrans habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat. sed neque Neroni infra servos ingenium; et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat. propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiae petenti tribuno dedit «optimae matris.» decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale, simul Claudio censorium funus et mox consecratio. (3) die funeris laudationem eius princeps exorsus est, dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri, liberalium quoque artium commemoratio, et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse, pronis animis audita. postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem

1. *comite* M. — 3. Habet *malae* M, non *malis* Guelf. Puteol. — 6. *adr.* M: *arr.* B. — 7. *suae* M. — 8. *optime* M. — 9. *et a*] *etas* M. — *flamonium* M. — 12. *ceteris* M. — 13. *nichil* M. — *triste rei puplice* (sic) M. Inde a Puteol. ante Waltherum edebant *rei p. triste*. — 15. *quāquā* M: *quanquam* B. — 16. *amenum* M. — Habet *eius* M, non *illius* Vatic. 1958. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Puteol. Edd. usque ad Iac. Gronovium. — 18. *his* M, Spir. Emendavit iam Puteolanus.

coërcendis praetorianis. — *lubricam*] corruptioni expositam. — *voluptatibus concessis*] Cfr. infra C. 12. Optimus interpres Horatius Sat. 1, 4, 113: *Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti Possem* cum libertabus. Ceterum Dio 61, 4: *τὸν δὲ δὴ Νέρωνα τρυφᾷν εἴων· - - ὥσπερ οὐκ εἰδότες, ὅτι ψυχὴ νέα τε καὶ αὐθάδης, ἔν τε τρυφῇ ἀνεπιπλήκτῳ καὶ ἐν ἐξουσίᾳ αὐτοτελεῖ τραφεῖσα, οὐχ ὅσον οὐ κόρον αὐτῶν ἴσχει, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν τούτων προσδιαφθείρεται.* — *retinerent*] ne in saevitiam rueret. — *infra servos*] servorum libertorumve potentiae subiectum. Vellei. 2, 83: *Plancus, assentator reginae et infra servos cliens.* — *signum*] sive tessera semper tribunis data etiam vetere re publica a consule vel praetore. Liv. 28, 24. et 27. At praetorii tribuno a solo principe. Cfr. supra 1, 7. Suum vero *tesserarium* habebant speculatores Hist. 1, 25., qui tesserarii memorantur in Inscr. m. Lat. 3462. 3471. 3480. — *duo lictores*] At Iuliae Augustae decretus lictor tantum unus, et id ipsum recusante Tiberio. 1, 14. — *flaminium*] ut D. Claudii, quem necaverat, esset flaminica. Erant etiam, ut Augustales, ita Claudiales sodales. Inscr. m. Lat. 3044. — *censorium funus*] Cfr. 4, 15. Ceterum de Claudii funere et consecratione repetit, quae iam dixerat 12, 69.

3. *dum*] tamdiu, quam; unde rectius imperfectum quam Spir. *enumerat*. Cfr. Hand Turs. II. p. 308. et 314. — *maiorum*] Suet. Tib. 1: *gens Claudia duodetriginta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos septem, duas ovationes adepta est.* — *a Seneca*] qui idem malitiosum illum Ludum composuisse fertur. — *amoenum*] ambigua laus, ut *anziehend*; scilicet significat, delectabile fuisse eius dicendi genus aequalibus, postea a severioribus iudicibus reprobatum. Cfr. 2, 64: *ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox.* «Hoc uno vocabulo complectitur Tacitus Quintiliani, Senecae adversarii, iudicium 10, 1, 129: *Senecae plurima abundant dulcibus vitiis.*» Dord. — *otiosum*] qui, quia otium aliter occupare

alienae facundiae eguisse. nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. nec in Claudio, quotiens meditata dissererentur, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.

(4) Ceterum peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus, et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus, consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque iuventam armis civilibus aut domesticis discordiis inbutam; nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis afferre. tum formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur; nihil in penatibus suis venale

1. *cesar* M. — *emulus* M. — 2. *et quae* Agr. prob. Doederleinio. Ego cum Acidalio malim *qua*, quatenus, ut 6, 10. — 3. *tum*] *tam* Doederleinii suspicio. — Habet *validus* M, non *validis* Spir. — 4. Habet *aut* M, non *ac* Spir. Walther, Doederlein. Sensus est: «modo *validus s.*, modo *c. ambiguus*. — *C.* M: *Gai* B. — 5. *dissererentur* M, Walther: *dissereret* Puteolano auctore B sane sine causa. — 6. *Ne pro* (per notam) M. — 7. *celare* M. — 8. *doctrine* M. — 10. *consensū* M. — 11. *capescendi* M. — Habet *egregie* M, non *egregii* Guelf. Edd. ante Rhenanum. — *neque inventam* (sic) M. — 12. *inbuta* M, *imbutam* B. — 16. *nichil* M.

nesciunt, talibus comparationibus delectantur. Sic Hist. 2, 38: *vacuum fuit concupiscere.* — *Augusto*] Suet. Oct. 86: *Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate* (al. *inconcinnitate*, quod nuper praetulit Hase) *et reconditorum verborum, ut ipse dicit, foetoribus.* Gell. N. A. 10, 24. 15, 7., ubi epistolis eius tribuitur *elegantia orationis neque morosa neque anxia, sed facilis et simplex.* — *C. Caesaris*] Suet. Cal. 53: *eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus, utique si perorandum in aliquem esset.* — *turbata mens*] vesania, de qua Suet. Cal. 50: *Mentis valetudinem et ipse senserat ac subinde de secessu deque purgando cerebro cogitavit.* Cfr. Iuven. 6, 614: *si non Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis, Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli Infudit* cet. Alii minus recte interpretantur de eius iracundia, ob quam sane 6, 45: *commotus ingenio* dicitur, consentiente Suet. Cal. 53: *Irato et verba et sententiae suppetebant.* — *Claudio*] Zell in Claudii Oratione Lugd. p. 19: «Doctum in ea se praebet et antiquarum rerum curiose peritum, sed abutitur eruditione et alieno loco eam iactat; orationis elegantiam non desideres, sed orator multa immiscet a causa plane aliena et per ambages repit.» — *carminibus*] veluti *Ἁλώσει Ἰλίου* Suet. Ner. 38. Iuvenal. 8, 221. Alia enumerat Reimarus ad Dion. 62, 29: *ὁ δὲ Νέρων ἄλλα τε γελοῖα ἔπραττε καί ποτε καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ θέᾳ κατέβη καὶ ἀνέγνω Τρωικά τινα ἑαυτοῦ ποιήματα.* Cfr. etiam 14, 16.

4. *consilia*] Burri et Senecae; in exemplis praecipue Augustum iactabat. Suet. Ner. 10: *Atque, ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti praescripto imperaturum se professus, neque liberalitatis neque clementiae nec comitatis quidem exhibendae ullam occasionem omisit.* — *discordiis inbutam*] ut sub Augusto post bella civilia et in iurgiis Agrippinae cum Augusta. 4, 12. et 40. — *unam intra domum*] principalem, quae opponitur toti

aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam. teneret antiqua munia senatus; consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae assisterent. illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum. (5) nec defuit fides, multaque arbitrio senatus constituta sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur; ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. quod quidem adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres; qui in Palatium ob id vocabantur, ut astaret abditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. ita specie pietatis obviam itum dedecori.

(6) Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam allatum est, pulso Rhadamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps vix septendecim annos egressus suscipere

1. *rem.p.* (sic) M. — 5. *ne designatis quidem quaest.* M ex versu seq. Emendarunt Ursinus et Acidalius. — 7. *tanq.* M B. — 8. *assaret* M. — *abditis* cum Edd. vett. Walther: *additis* M, *obditis* Lipsio auctore B. — 9. *auditus* Lipsio auctore Walther, Doederlein: *aditus* M, *auditum* cum marg. Bodl. et Pichena B. — 10. Habet *escendere* M, non *ascendere* Guelf. Edd. ante Lipsium. — 14. *mallatum* ex geminat. litt. *m* M. — *radamisto* M. — *potius* M. — 16. *septẽdecem* M.

civitati, penes quam, ut significat Nero, summa rerum esse debeat. Inepta est lectio Guelf. *imam*, quae tamen eximie placuit Strombeckio. — *discretam domum et rem publicam*] Refertur hoc ad aerarium a fisco separatum, atque omnino ad res domesticas, quas se discreturum fore spondet a publicis. — *consulum tribunalibus*] Polyb. 6, 13: *Ὁμοίως καὶ ὅσα τῶν ἀδικημάτων τῶν κατ' Ἰταλίαν προσδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δέ, οἷον προδοσίας, συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει περὶ τούτων. Πρὸς δὲ τούτοις, εἴ τις ἰδιώτης ἢ πόλις τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν διαλύσεως--προσδεῖται, τούτων πάντων ἐπιμελές ἐστι τῇ συγκλήτῳ.* — *publicae provinciae*] Spectat ad divisionem Augusteam. Claudius pleraque omnia ad se traxerat; at Nero populi (sive senatus) provincias (eae enim publicae) earumque controversias solis consulibus curae fore; se Caesarianis provinciis, in quibus exercitus, velle consulere praedixit. Lips. Tota autem haec oratio item a Seneca composita (Dio 61, 3.) adeo grata fuit patribus, ait hic: *ὥστε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι. Καὶ οἱ μὲν ἐκ τούτων, ὡς καὶ κατὰ συγγραφήν τινα καλῶς ἀρχθησόμενοι παρεσκευάζοντο.*

5. *mercede aut donis*] Rettulit igitur legem Cinciam muneralem. Cfr. supra 11, 5. 15, 20. Baiteri Ind. legg. Cic. — *necessitas*] Pertinet ad abolendum Claudii edictum, qui auctore Dolabella sanxit: *spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur.* 11, 22. Ceterum hoc Neronis decretum abolevit iterum Domitianus. Suet. 4. Cfr. etiam Lampridii Alexandrum 43. — *quod quidem*] alterum hoc quidem senatus consultum. Doederlein iungit *quidem* (quamquam) *adversante* vel leg. arbitratur *adversante quidem*. Ego in altera iunctura non haereo. — *in Palatium*] in conclave aliquod satis spatiosum ipsius domus Palatinae; vix, ut ratus est Lipsius, in templum Apollinis Palatini. Agrippina autem non solum audiendi cupidine, sed ut maiorem auctoritatem exerceret in senatum, quippe qui eam adesse probe sciret. — *abditis*] «remotis, ut 2, 85. Removebantur fores, ne clausae auditum adimerent, ostiumque apertum tegebatur velo, quod visum dumtaxat arceret.» Doed.

eam molem aut propulsare posset, quod subsidium in eo qui a femina regeretur, num praelia quoque et obpugnationes urbium et cetera belli per magistros administrari possent, anquirebant. contra alii melius evenisse disserunt quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiae ad labores vocaretur, servilibus iussis obtemperaturus. Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos; et imperatori quantum ad robur deesse, cum octavo decimo aetatis anno Cn. Pompeius, nono decimo Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint? pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri. daturum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret. (7) haec atque talia vulgantibus, Nero et iuventutem proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet, duosque veteres reges Agrippam et Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent; simul pontes per amnem Euphraten iungi. et minorem Armeniam

2. *obp.* M: *opp.* B. — 3. Habet *anquirebant* M, non *inquirebant*, ut Guelf. Bud. Edd. ante Lipsium. — 4. Habet *disserunt* M, non *dixerunt* Guelf. Bud. Edd. ante Pichenam. — 7. *Cn.*] *C N.* M, *Gnaeus* B. — 13. *regionibus* M. Spir. Correxit Puteolanus. — *admovere* M: *admoveri* cum Pichena B. — 14. *proius* M. — 15. *iochum* (sic) M. Ut nos, auctore Lipsio Ryckius et seqq. — 16. *iungit*] *iunlu* (sic) M.

Sane *obditis* foribus prorsus supervacaneum erat *velum*, *παραπέτασμα*. Böttiger *Sabina*. Ed. II. Vol. II. p. 54. Plinius Epp. 4, 19. de coniuge sua: *Eadem, si quando recito, in proximo discreta velo sedet.* — *a tergo*] sedentis principis, explicat Gronovius melius, ni fallor, quam alii, senatorum. — *auditus*] Etsi pluralem ex uno Appuleio notavit Forcellinus, commode tamen explicabis: «quaecunque a diversis senatoribus sententiae loco proferrentur.» Atque ad pluralem cfr. Cap. 16: *visus*, C. 46: *aemulatus*. — *Seneca*] Burrum addit Dio 61, 3.

6. *rapi*] diripi ac vastari, ut *villas rapere* Liv. 40, 22. — *qui saepe*] post ea, quae narrata sunt 12, 50. a. u. 804. Vicissitudines autem fortunae, quas per hoc triennium subierat Rhadamistus, quoniam ad historiam Romanam nihil pertinebant, Tacitus non memorat, tantummodo hic significat. — *civilia*] adeoque etiam magis dubia et periculosa quam externa; *civilia* autem etiam de Pompeio dicere poterat propter bella contra M. Lepidum a. u. 677., contra M. Brutum a. u. 678., contra M. Perpernam a. u. 682. gesta. — *in summa fortuna*] a principe. — *auspiciis*] per legatos; opponitur *manibus*, ipso principe in aciem descendente. Cfr. 2, 41. Suet. Oct. 21: *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam* cet. — *consiliis*] principum ipsorum, non, ut alii voluerunt, amicorum principum. *(die oberste Leitung und die Entwerfung des Planes.)* Ante v. *quam* supple *potius*, *magis*, ut apud Tacitum haud ita raro. — *per ambitum*] ducem, qui principis favorem ambitu quaesisset.

7. *et iuventutem - - legionesque*] de rariore hoc usu *et - - que* pro *et - - et* cfr. Hand Turs. II. p. 527. Cfr. 11, 21. Liv. 4, 2: *id et singulis universisque honori fuisse.* — *admovere*] Cod. scripturam servavi cum Duebnero et Doederleinio, quia in talibus variationem amat Tacitus. — *veteres*] dicuntur oppositione novorum regum, quos mox memorat. — *Agrippam*] Agrippae (12, 23.) filium, cognomento Iuniorem. Ioseph. Ant. 20, 7, 1: *δωρεῖται Κλαύδιος τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ καὶ Βαταναίᾳ, προσθεὶς αὐτῷ τὴν Τραχωνῖτιν σὺν Ἀβίλᾳ.* Cfr. ibid. 8, 4. — *Antiochum*] regem Commagenes et in parte Ciliciae. Ioseph. Ant. 19, 5:

Aristobulo, regionem Sophenen Sohaemo cum insignibus regiis mandat. exortusque in tempore aemulus Vologeso filius Vardanis; et abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum. (8) sed apud senatum omnia in maius celebrata sunt sententiis eorum qui supplicationes et diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere, praeter suetam adulationem laeti quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat, videbaturque locus virtutibus patefactus. copiae Orientis ita dividuntur ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Suriam et legatum eius Quadratum Ummidium remaneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quae Cappadocia hiemabant. socii reges, prout bello conduceret, parere iussi. sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui ut famae *inserviret*, quae in novis coeptis validissima est, itinere propere confecto, apud Aegeas civitatem Ciliciae obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Suriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret corpore ingens, verbis

1. Habet *Sophenen* M, non *Sophenem* Doed. — *sohoemo* M. — 2. *uardanis* M: *Vardanes* Lipsio auctore B. — 3. *tanq.* M B. — 10. Habet h. l. *Suriam* M. — *umidium* M, ut apud Grut. 579, 3. Contra *Ummidii* sunt ibid. 672, 7. 895, 10 et 11. cet. — 11. *pars* M. Correxit Puteol. — 12. *alisque quae Cappadocia*] *aliis quaeq; cappadocia* (sic) M, *alisque quae in Cappadocia* B. (*alisque quae apud Cappadociam* Guelf. et vulgo ante Bekkerum.) — 13. *iussit* M. — 14. *inserviret* om. M. et Spir. Poterat suppleri etiam *serviret*. Cfr. Dial. de Orat. 10. — *nobis ceptis* M. — 15. *egeas* M. — 16. *syriam* h· l. M.

Ἀντίοχον δὲ ἣν εἶχεν βασιλείαν ἀφελόμενος Κιλικίας μέρει τινὶ καὶ Κομμαγηνῇ δωρεῖται (Claudius). Dio 60, 8. — *Aristobulo*] Ioseph. Ant. 20, 8, 4: *τὴν τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται·* et addit, id factum *τῷ πρώτῳ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς ἔτει.* — *Sophenen*] Regio iuxta Armeniam Masium inter et Antitaurum montes, in qua Tigris post XXV. M. P. sub terra mersus rursus emergit, teste Iustino 42, 3. — *Sohaemo*] Nɔn idem est, qui a Calo constitutus Arabum Ituraeorum rex. Is enim mortuus regnumque Syriae additum. 12, 23. Dio 59, 12.; sed idem cum eo, qui Vespasiani socius Hist. 2, 81. et inter auxilia Titi Hist. 5, 1. Emesae regem vocat Iosephus B. Iud. 7, 28. — *Vologeso*] Sic etiam H. 4, 51. — *Vardanis*] in re incerta, utpote quae a nemine alio narretur, secutus sum Cod. Med., ut sit filius alioquin ignotus non Vologesis, sed Arsacis XX. Vardanis. Cfr. Vaillant Arsacid. imp. I. p. 256.

8. *Martis Ultoris*] Cfr. 2, 64. — *Corbulonem*] De hoc v. 3, 31. 11, 18. et 20. — *Ummidium*] Cfr. 12, 45. et 54. — *alisque, quae Cappadocia*] Videtur abesse posse *in*, ut fere C. 21: *cohortes urbe tentatas*. Bachius quidem et Duebner retinuere Cod. scripturam *aliis quaeque Cappadocia*, explicantes «aliis et quae in Cappadocia.» Ceterum haud raro ita iunguntur *cohortes alaeque*, ut Hist. 2, 4: *auxilia cohortium alarumque*. Ibid. C. 11: *alae cohortesque*; et ubi non? — *parere*] vel Corbuloni vel Ummidio. — *Aegeas*] Strabo 14. p. 676: *μετὰ δὲ Μαλλὸν Αἰγαῖαι πολίχνιον ὕφορμον ἔχον. Αἰγέαι* scribitur apud Dion. 47, 30: apud Philostr. Vit. Apoll. 1, 13: *ἐν Αἰγαῖς*, fortasse, ubi hodie portus *Ayas*. — *magnificis*] Ego quoque hoc retineri posse reor; cfr. 15, 8: *litteras - - verbis magnificis, rerum vacuas*; neque necessarium esse

magnificis et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus. (9) ceterum uterque ad Vologesen regem nuntiis monebant, pacem quam bellum mallet, datisque obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. accepitque eos centurio Insteius, ab Ummidio missus forte priore de causa, adito rege. quod postquam Corbuloni cognitum est, ire praefectum cohortis Arrium Varum et reciperare obsides iubet. hinc ortum inter praefectum et centurionem iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum. atque illi *ob* recentem gloriam, et inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem praetulere. unde discordia inter duces, querente Ummidio praerepta quae suis consiliis patravisset, testante contra Corbulone non prius conversum regem ad offerendos obsides quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret. Nero quo componeret diversos, sic evulgari iussit, ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis addi. quae in alios consules egressa coniunxi.

1. *magnificis* M, Spir. Walther, Duebner: *magnificus* cum Guelf. et Puteol. B. — *specie inanimum* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — 2. *uterque ad uologesē* M: *uterque Vologesen* (om. *ad*) cum ceteris B. — 5. *commodo*] *quomodo* M. Emendarunt Mercerus et Muretus. — *pararent* vel *pararetur* pr. M. — *emulationis* M. — 7. Habet *Insteius* (cfr. Grut. 172, 7.) M, non *Histeius*. — *umidio* M. — 10. Habet *ne* M, non *quod ne* Guelf. Puteol. — 11. *ille* corr. in *illi* M. — *ob* om. M. Spir. Supplevit Puteolanus. — 12. *inclinationē* M. — *corbulone* M. — 13. *umidio* M. — 16. *diversus* M, prob. Doederleinio, qui explicat «discordias.» — 17. *addidit* M, *addidi* cum Bachio Duebner. — 18. *cos.* cum lin. M. — *coniuncxit* (sic) M.

magnificus; immo illud inservit variationi, et absolute videtur positum nec Bachio auctore iungendum cum v. *validus.* — *specie inanium*] gestibus, verbis externoque habitu. Lips. «Etiam alia inerant viro, quae quidem ad bellum et rem publicam gerendam nihil valent, ceterum magnam vim habent ad imperitorum animos conciliandos.» Ern.

9. *ad Vologesen*] Secutus sum ego quoque Rothium ad Agric. p. 238., Bachium, Duebnerum, *ad* non deleto: scilicet, si haec re vera est Taciti manus nec dormitans librarius praepositionem intrusit, ad v. *nuntiis* supplendum est «missis»; et speciose ait Rothius sic melius *utriusque* diversos nuntios significari. — *ex commodo*] ut maiorem opportunitatem belli parandi nancisceretur, laxamento belli accepto. Ern. — *priore de causa*] id est, prius de alia qua causa; noto, quia in his haesit Muretus coniiciens *prior ea de causa*, id quod recepit Burnouf. — *diversos*] discordes, simultates inter se exercentes. *Diversus* subst. pro discordiis, divortiis inauditum est nec Tacito obtrudendum: ac vides ex lect. varietate per totum hunc locum dormitasse scriptorem librarium. Pro eiusmodi negligentiae errore habeo mox etiam *addidit* neque ortum puto ex *addidi*. — *fascibus*] Dio 54, 10. ad a. u. 735: *Ὁ δὲ Αὔγουστος τὴν τῶν ὑπάτων ἐξουσίαν διὰ βίου ἔλαβεν· ὥστε καὶ ταῖς δώδεκα ῥάβδοις αἰεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσθαι καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθίζεσθαι.* Eumque morem tenuerunt principes secuti, ita ut laurum tamen fascibus non adderent, nisi in victoria; ut hic factum. At mox per adulationem irrupit, ut omnium principum fasces et semper laureati essent, eaque nota maxime distinctus a vulgo princeps. Herodianus de Gordiano 7, 14: *Εἵπετο δὲ αὐτῷ πᾶσα ἡ βασιλικὴ πομπή· τῶν μὲν στρατιωτῶν καὶ - - νεανίσκων, ἐν σχήματι τῶν κατὰ*

(10) Eodem anno Caesar effigiem Gn. Domitio patri, et consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit a senatu; sibique statuas argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit. et quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. neque recepti sunt inter reos Carinas Celer senator, servo accusante, aut Iulius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

(11) Claudio Nerone L. Antistio consulibus cum in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit, magnis patrum laudibus, ut iuvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus maiores continuaret. secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messalinae ordine demotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.

1. *Gn.* M: *Gnaeo* B. — *et consularia* M: *consularia* cum Puteolano B. — 3. *quanq.* M B. — 4. *censuisset* M. — 5. *kalendarum* M: *calendarum* B. — 6. Habet *inter* M, non *in* Lipsii. — 7. *fabor* M. — *brittannicum* M. — 9. *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lin. M. — Habet *principum* M, non *principis* Guelf. Edd. ante Lipsium. — 12. *platium* M. — 13. *demotum* corr. M: *remotum* cum ceteris Edd. B.

Ῥώμην προϊόντων δορυφόρων· αἵ τε ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Capitolin. in Maximinis 14: *Inde Karthaginem venit cum pompa regali et protectoribus et fascibus laureatis.* Lips.

10. *Gn. Domitio*] homini abominando, de quo narrat Suet. Ner. 5. — *Asconio Labeoni*] qui neque alibi a Tacito neque a Suetonio nec a Dione memoratur. — *ortus*] Suet. Ner. 6: *Nero natus est Antii post IX. menses quam Tiberius excessit, XVIII. Kal. Ian., tantum quod exoriente sole.* — *equester*] ut 12, 60.

11. *Claudio Nerone*] Suet. 14: *Consulatus quattuor gessit: primum bimestrem* cet. — *acta principum*] priorum inde ab Augusto. — *ut iuvenilis animus*] «ut, cum intelligeret etiam e tam levi re tantam gloriam nasci tantasque laudes, cupido iniiceretur rebus maioribus patrandis porro maiorem laudem petendi.» Ern. — *Lateranum*] Cfr. 11, 36. — *ordine demotum*] *motum* volebat Acidalius, quod solitum est in vv. *tribu movere.* At h. l. dictum, ut 2, 43: *demoverat Suria Creticum;* et C. 20: *demovere praefectura.* — *obstringens*] sancte pollicitans. Cfr. 1, 14. 4, 31: *ut et iure iurando obstringeret e re publica id esse.* Plin. Epp. 4, 13: *fidem meam obstringam.* — *quam honesta praeciperet*] quibus publice recitandis Neronem ad ea exsequenda veluti obstringeret. Memorabilis est locus Schol. Iuven. 5, 109: *Seneca erudiendo Neroni in Palatium adductus saevum immanemque et sensit cito et mitigavit, inter familiares solitus dicere, Non fore saevo illi leoni quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat saevitia.* Atque duos libros de Clementia sub finem huius anni aut initio sequentis, ut ex 1, 9. patet, composuit eique frustra sane inscripsit. — *iactandi ingenii*] Imperite suppletum est *causa iactandi ingenii* in Guelf. Agr. Spir.; debuissent saltem *iactandi ingenii causa.* At cfr. 2, 59: *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis.* Hist. 4, 42: *nec depellendi periculi* (causa).

12. *Acte*] Cfr. Dio 60, 7: *ἡ δὲ δὴ Ἀκτὴ ἐπέπρατο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας· ἀγαπηθεῖσα δὲ ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἔς τε τὸ τοῦ Ἀττάλου γένος ἐσήχθη κτλ.* Cfr. Idem Ed. Sturz IX. p. 101. Eius titulus est Inscr. m. Lat. N. 735: *DIS MANIBVS CLAVDIAE ACTES AVG. L. L. AVCTAE. TI. CLAVDIVS DEMETRIVS VXORI ET. TI. CLAVDIVS EVPLASTUS, CONLIB. OPTIME DE SE MERITAE FECIT.* Ex quo apparet eam fuisse libertam Claudii, unde facilis mulierculae erat in aulam aditus, vel potius in

(12) Ceterum infracta paulatim potentia matris delapso Nerone in amorem libertae, cui vocabulum Acte fuit, simul assumptis in conscientiam Othone et Claudio Senecione, adulescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto Caesaris patre genitus. ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat; metuebaturque ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. > (13) sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam, aliaque eundem in modum muliebriter fremere. neque paenitentiam filii aut satietatem opperiri; quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec vi amoris subactus exueret obsequium in matrem seque Senecae permitteret, ex cuius familiaribus An-

1. *potentiā* M. — 2. *amore liberte* M. — *bocabulum* M. — Habet *Acte* M, non *Actae* Guelf. et Edd. ante Rhen. — 5. *obnitentē* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 7. *octabia* M. — 8. *facto* M. — 9. *inl.* M: *ill.* B. — *aborrebant* superscr. litteris *ba* litt. *t* M. — 10. *liberta* M. — 12. *penitentiam* M. — *faediora* M. — 13. *accenderet* M, Spir. Correxit Puteolanus. — *exsueret* M. — 14. *seque nece* M; emendatum in Harl. Bodl. Ies.

ipso Palatio habitabat. Ad eandem recte refert Philippus a Turre in Monum. veteris Antii. Romae 1700. p. 121. tubum aquaeductus Puteolis repertum: *CLAVDIAE. AVG. L. ACTES*, et ex Fabretti Inscr. p. 125: *DIIS MANIBVS HELIO ACTES AVG. L. LIBERTO A CVBICVLO. — THELYCO EVTYCHI ACTES AVG. L. L. ALVMNO A MANV VIXIT ANN. XX.* In his titulis *AVG.* accipe de Claudio, a quo Acten manumissam iam esse probabilius est quam demum a Nerone. — Ceterum *Acte* haud infrequens est libertarum nomen. Vide vel Gruteri Inscr. indicem a Scaligero, viro summo, laboriose confectum. — *inrepserat*] «scil. Acte. Perperam faciunt, qui haec (*ignara* cet.) tantum commate a praecc. separari iubent, tamquam de Senecione narrata. Peccavisset hercle Tacitus in artis suae leges, si de τριταγωνιστῇ aliquo tot in transitu verba fecisset.» Dorp. Sic iam Walther et Bachius, contra dicente Rittero, qui de uno Senecione interpretatur, alii de ambobus, unde nonnulli, ut Burnouf, occultandi vitii causa scripserunt *irrepserant*. — *per luxum*] Interpretor maxime de coenis voluptariis atque compotationibus cum Nerone et utroque eius amico. — *ambigua secreta*] Actes congressiones cum Nerone per hunc vel illum praetextum velatae atque artificiose occultatae, quibus secretis adolescentis libido tanto magis exstimulabatur. (Qui de Senecione interpretantur, de congressionibus eius cum Nerone, quae turpis naturae fuerint, saltem perquam suspectae, cogitant.) Nobiscum facit etiam id, quod de artibus, quibus Otho se in Neronis amicitiam insinuarit, nihil omnino dicitur, nam v. *inrepserat* ad Othonem referri non posse manifestum est. — *muliercula - - explente*] Abl. exprimit rationem, cur adversati non sint Seneca et Burrus: «cum muliercula - - expleret.» Non est, cur cum nonnullis haereamus in duobus ablativis absolutis sic se excipientibus. (Heinsius quidem coniecit *adversantibus mulierculae - - explenti.*)

13. *nurum ancillam*] Suet. Ner. 28: *Acten libertam paullum abfuit, quin iusto matrimonio sibi coniungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam peierarent.* (Vide supra.) *Ancillam* autem de liberta invidiose dictum, ut Sal. Fr. p. 188. Gerl. Ed. min.: *Tarulae Scyrtoque, pessumis servorum*, qui liberti erant; item infra 14, 39. Et Ciceroni Rosc. Am. 39. ipse Chrysogonus, libertus potentissimus, audit *servus nequissimus*. — *seque Senecae*] Dio 61, 4. de Seneca et Burro: *αὐτοὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν παρέλαβον καὶ διῴκησαν, ἐφ' ὅσον ἠδυνήθησαν, ἄριστα καὶ δικαιότατα· ὅ τε*

Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adulescentis cupidines velaverat, praebueratque nomen, ut quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent. quin et fatebatur intempestivam severitatem, et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. quae mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant, orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. forte illis diebus Caesar inspecto ornatu quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matri, nulla parsimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret. sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat et dividere filium, quae cuncta ex ipsa haberet. (14) nec defuere qui in deterius referrent. et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat; ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse ire Pallantem ut

2. *uelaberat* M. — 4. *adgr.* M : *aggr.* B. — 6. *intempestatē* M. Correxit Puteolanus. — 7. *tradebant* superscr. litteris *ba* litt. *t.* M. — 9. Habet *cavere* M, non *caveri* Guelf. Puteol. Edd. usque ad Gruter. (*caveret* auctore Rhenano Aldus.) — 10. *atrocius* M. — *false* M. — 11. *efulserant* M. — 12. *parsimonia* M: *parcimonia* B. — 17. *velud* M. — *arbitrium* M. Emendatum in duobus Vaticc. 1863. et 1864., item in Spir.

γὰρ Νέρων οὔτ' ἄλλως φιλοπραγματίας ἦν καὶ ἔχαιρεν ἐν ῥᾳστώνῃ διάγων. — *Annaeus Serenus*] praefectus vigilum. Plin. 22, 47. De hoc amico suo capiendus Seneca Ep. 63, 12: *Haec tibi scribo, is qui Annaeum Serenum carissimum mihi tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla sim eorum, quos dolor vicit.* Et inscripsit eidem libros suos de Tranquillitate, monumentum amoris. Lips. — *cubiculum ac sinum*] Agrippinae moribus haud alienum erat, incestum eam cum filio Nerone iam tum secreta mente agitasse. At his verbis, *cubiculum ac sinum*, eandem vim inesse, ut filium ad id scelus aperte invitet, non est veri simile. Nam 14, 2. hoc ipsum Cornelius tamquam novum et immane facinus ex Cluvii historia tradit atque exsecratur. Censeo itaque Agrippinam indulgentem iam et intemperanter demissam, simulavisse libidinibus se filii non quidem adversari, sed imperatori minime decorum esse huiuscemodi mulierculas palam habere, et ideo ad id cubicula latebrasque proprias offerebat. Pichena. Recte Freund: *die Verborgenheit ihres Schlafgemaches.* — *expeterent*] Nolim cum nonnullis supplere «contegi»; potius de explendis cupidinibus intelligas. — *orabantque cavere*] Eadem constructione 12, 46: *monet celerare.* 16, 11: *nuntiat abiicere.* H. 2, 46: *iubebant habere.* Neutiquam igitur rescribendum *caveret.* — *ceteris*] caritate matri debita, qua ante nitebatur eius potentia.

14. *in deterius*] et narrata et interpretata. — *Pallantem*] A rationibus Claudii fuit ex Sueton. 28. et Inscr. m. Lat. N. 32: *PALLANS CAES. N. SER. ADIVTOR A RATIONIBVS.* Zonar. 11, 9: *Πάλλας, ᾧ ἡ τῶν χρημάτων διοίκησις ἐμπεπίστευτο.* — *a Claudio*] 12, 53. — *arbitrum*] Cod. *arbitrium* restituit Bachius maxime propter Hist. 4, 21: *perfuga Batavus arbitrium rerum Romanarum ne ageret*; quod ne imitemur, vetat h. l. appositum *velut.* — *degrediente*] de palatio, ut plene H. 3, 67: *Palatio degreditur.* Prosequebantur autem ii puta quibus pro

eiuraret. sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur, paresque rationes cum re publica haberet. praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium. id solum diis et sibi provisum quod viveret privignus. ituram cum illo in castra. audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus et exsul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora.

(15) Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartum decimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam modo ipsius indolem, † ut quidam experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset. festis Saturno diebus, inter alia

1. *ne*] *que* pr. M. — Habet *cuius* M, non *cuiusque* Puteol. Ber. et recentiores nonnulli, quos taceo. — *praeteritu* M. — 2. *cum. R P.* M. — Habet *preceps* (sic) M, non *preces*, ut narratur apud B. — 3. *rueret* M. — 4. *brittannicum* M. — 5. *adoptius* M. — 6. *abnueret* M. — *se quin*] *sequi* M. — 7. *beneficium* M. — 9. *inde debilis* Lipsius: *indebilis* M, *inde vilis* cum Agr., corr. Bud., Puteolano B. — *rursus* delendum censuit Broterius. — *exul* M. — 10. *expostulantis* M. — 11. *inferno* M. Spir. — 12. *inrita* M: *irrita* B. — 14. *brittannicus* M. — 15. *ut quidam* corrupte M: *uno quidem* Walchius *levi quidem* ex Freinshemii coni. prorsus improbabili (leve enim hoc experimentum non erat) B, *utique vividam* Doederleinii suspicio. Malim *ut quodam*. Or. — 16. *faborem* pr. M.

scribis ac ministris curae suae usus erat. — *eiuraret*] Acumen dicti in eo inest, quod Nero illum comparat cum consule, qui finito magistratu, magno cum comitatu amicorum et clientium, eum in Capitolio deponebat iuratus se consulatum e re publica gessisse. Est igitur «ire eum, ut Pallantem eiuraret;» quasi Pallantis nomen pro nomine novi et inauditi magistratus per derídiculum usurpans. Cfr. H. 3, 68: *imperium eiurare.* Ibid. 37: *consulatum* et 39: *praeturam.* — *pepigerat*] cum Claudio. — *cuius*] id est, «alicuius, cuiuscunque modi.» Qui hoc ignorabant, ut 14, 43. haerentes in *ut quem* cet., interpolavere *cuiusque*, frustra provocantes ad Liv. 1, 24: *ut cuiusque populi cives - - vicissent*, ubi est *utriusvis.* — *in praeteritum*] recedendo in tempora praeterita. Cfr. Roth ad Agr. p. 243. — *interrogaretur*] reus fieret, si rationes pares non essent, id est, si publicas pecunias intervertisse convinceretur. Sic Seneca Ep. 19. et de Benef. 6, 40: *parem rationem facere.* — *insitus*] Pseudoseneca Octav. 249: *Nero insitivus* (al. *ipse Divo*) *Domitio genitus patre.* — *inde debilis*] quia mutilatus; memento autem apud antiquos talia fortuita, ut si quis claudus, luscus, calvus esset, summo fuisse dehonestamento atque interdum probro. *Inde vilis* idoneum sensum non praebet; *rursus* autem est «vicissim, contra»; neque vero delendum quasi ortum ex v. *Burrus.* — *trunca manu*] Necesse non est, totam ut manum praecisam habuerit Burrus; sufficit digito uno aut altero captum fuisse, fortasse in acie, quod virtutis insigne est. Gron. — *professoria lingua*] de Seneca, quasi homine scholastico ac mero declamatore. V. *professorius* nunc hoc tantum loco reperitur. — *Silanorum*] Marci et Lucii Iuniorum Silanorum. Cfr. C. 1. — *inrita facinora*] Admodum tragice has quoque neces quasi deas ultrices *invocat*, pro quo vulgaris scriptor usus esset vv. *conqueri*, *lamentari*, *dolere.*

15. *explebat*] ideoque togam virilem

aequalium ludicra, regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni. igitur ceteris diversa nec ruborem allatura: ubi Britannico iussit exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero intellecta invidia odium intendit; urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur, pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama. nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, tramisitque exsoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat ne statim saeviret. sed Nero lenti sceleris inpatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. promittentibus dein tam praecipitem necem quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum. (16) mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria

1. *equalium ludicā* (sic) M. — *R.* (cum lineola superducta) *regnum* M. Apud Bekkerum explicaverunt *Romanum regnum*, sed videtur mera geminatio ex codice quadratis litteris scripto. — 2. Habet *allatura* M, non *adlatura* nec *oblatura* Reg. Spir. neque *illatura* Lipsii. — *brittannico* M. — *exurgeret* M. — 3. *inr.* M: *irr.* B. — 8. *cedem* M. — 12. *brittannico* M. — 13. *tramisitque* M: *transmisitque* B. — 14. *albo* M. — *seviret* M. — 15. *inp.* M: *imp.* B. — *iubere sup* (in fine versus) *supplicium* (sic) M. — 16. *venefice* M. — *securitate* M. — 18. *urgerentur* M. — *deqquitur* superscr. *o* priori *q* (*dequoquitur*) M.

accepturus erat. Cfr. 12, 41. — *regnum lusu*] Arrian. Diss. Epict. 1, 25: *Ἐν Σατουρναλίοις λέλογχε βασιλεύς· ἔδοξε γὰρ παῖξαι ταύτην τὴν παιδιάν· προστάσσει, Σὺ πίε, Σὺ κέρασον, Σὺ ᾆσον, Σὺ ἄπελθε, Σὺ ἐλθέ. Ὑπακούω, ἵνα μὴ παρ' ἐμὲ λύηται ἡ παιδιά.* Lucian. Saturn. 3: *Ὁρᾷς ἡλίκον τὸ ἀγαθὸν ἔτι καὶ βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι, τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα· ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχοις, τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὑτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι καὶ ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα τρὶς τὴν οἰκίαν περιελθεῖν.* Lips. — *constanter*] firma voce ac sine ulla haesitatione. Cfr. Suet. Ner. 33: *Britannicum non minus aemulatione vocis, quae illi iucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praevaleret, veneno aggressus est* cet. — *carmen*] Ennii ex Andromacha, ut suspicatur Lipsius, apud Cic. Tusc. 3, 19: *O pater, o patria, o Priami domus, Saeptum altisono cardine templum, Vidi ego te, adstante ope barbarica, Tectis caelatis, laqueatis, Auro, ebore instructum magnifice* cet. — *Pollione*] Puto eum esse, qui postea praefectus praetorio fuit sub Othone. Plut. Oth. 24. — *Locusta*] 12, 66. — *nam, ut proximus*] Referuntur haec partim ad Pollionem, Locustae custodem, partim ad perfidos illos educatores sive paedagogos; *proximus* autem dictum, ut alibi *proximus lictor*. — *securitatem*] Neronis simulantis se a Britannico insidiis peti. — *cubiculum Caesaris iuxta*] quo res occultior maneret. Suet. Ner. 33: *Locustam coëgit se coram in cubiculo venenum quam posset velocissimum ac praesenta-*

et parciore mensa. illic epulante Britannico, quia cibus potusque eius delecti ex ministris gustu explorabatur, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox pariter et spiritus raperentur. trepidatur a circumsedentibus; diffugiunt inprudentes. at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait, per comitialem morbum, quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. at Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse *atque* Octaviam sororem Britannici constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat. (17) ita post breve silentium repetita convivii laetitia. nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. in campo tamen Martis sepultus

1. *brittanico* (sic h. l.) M. — *cibus* M: *cibos* B. — 2. *delecti ex ministris gustu explorabatur* Duebner: *delectus ex ministri gustu explorabatur* M, in quo post v. *ministri* una littera erasa est, Guelf. Puteol. Edd. ante Lipsium, rursus Walther, Bach, Ritter, Doederlein, *delectus ex ministris gustu explorabat* B cum amico Lipsii (Danesio, ut arbitratur Ernestius). *exin ministri gustu* suspicatur Doederlein. — *omitteret* M, Guelf. Spir. Puteol., Rivius. Emendavit Beroaldus. — 4. *brittannico* M. — 5. *ferbore* M. — Habet *affunditur* M, non *infunditur* Guelf. Harl. Bodl. Ies. et Edd. ante Rhenanum. — 6. *spiritus eius raperentur* M. Delevit *eius* auctoritate Cod. Regii Ernestius. — 7. *inpr.* M: *impr.* B. — 9. *primum*] *prima* Acidalius, *plurimum* Freinshemius. — 10. *brittannicus* M. — *agrippina* M. — 11. *p̄meretur* M. — 12. *atque* Faërno auctore supplevit Ritter: *ac* Puteolano auctore B, om. copulam M. — *Octaviam sororem Britannici* (sed *octabiam s. britt.*) M, Spir.: *sororem Britannici Octaviam* cum Ernestio quasi ex Spir. B. — 13. *sup̄mum* M. — 15. Habet *omnis* M. — *afectus* M. — 16. *brittannici* M. — *coniuncxit* M.

neum coquere. — *cognitis*] exploratis in porcello et hoedo. Suet. ibid. (Aliter Doederlein: «cognitorum et lentiorum venenorum mistione novum venenum ac rapidum decoquitur;» id quod verbis vix inest.) *Virus*, *Trank*, *venenis*, *Giftstoffe* Gutmann, *venin* et *poisons* Burnouf, *poison* et *drogues* Louandre.

16. *cum ceteris*] Suet. Tit. 2: *Educatus in aula cum Britannico simul ac paribus disciplinis et apud eosdem magistros institutum. - - Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque iuxta cubans gustasse credatur gravique morbo afflictatus diu.* — *sedentes*] non accumbentes ut maiores natu; modestiae illud signum. Cfr. Suet. Oct. 64. Cl. 32. — *praecalida*] De singulari hac potione v. Seneca de Ira 2, 25. Arrian. Diss. 1, 13: *Ὅταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντός του μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς, ἢ ὑπακούσας χλιαρώτερον ἐνέγκῃ, ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὸ μὴ χαλεπαίνειν, μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς θεοῖς;* — *delecti* cet.] Haec facillima visa est corruptelae emendandae ratio. Librarius per *ἀβλεψίαν* genitivum *delecti*, ut fit, accommodavit ad praecedens v. *potus*; in v. *ministri* autem in Cod. erasa videtur littera *s*. — *a circumsedentibus*] adolescentulis, Britannici aequalibus, de quibus supra. — *primum ab infantia*] Nihil mutandum; cfr. 14, 63: *huic primum* (iam) *nuptiarum dies loco funeris fuit.* — *emicuit*] multo melius repentinum eius pavorem exprimit quam Ernestii *eminuit*.

17. *nox eadem*] cfr. Dio 61, 7. Zonaras 11, 12. — *sepultus*] Non tamen ibi combustus, sed reliquiae eius in urna

est, adeo turbidis imbribus ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. tradunt plerique eorum temporum scriptores crebris ante exitium diebus illusum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sororum dato, ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, a maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere. ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita. (18) exin largitione potissimos amicorum auxit. nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos villas id temporis quasi praedam divisissent. alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque

1. *dm* cum lin. M. — *ptendi (p* caudatâ, id est, *protendi)* M. — 3. *extimantes* in *est*. corr. fortasse ab eadem manu M, *existimantes* Bud. Reg., Rhenanus et Edd. ante Ern. — 4. *esse* M. Correxit Lipsius. — 5. *brittannici* M. — *seva* M. — 6. *mense* M. — 7. Habet *sororum* M, non *sorori* Puteol. Walther. — *supmum* M. — 9. *ediceo* M. — *defendit Id* (*a* supra adscripto) *maioribus* M; unde *defendit, id a m.* Edd. ante Ern. rursusque Walther. — 11. *et sibi*] *exibi* M. — *ãmisso* M. — *re.p.* M. — 12. *fobendum* M. — 14. *arguerent*, sed *nt* ex corr., M. — 15. *ads.* M: *ass.* B. — Habet *villas* M, non *villasque* Puteol. Ber. — 16. *scelere* M. — 17. *quenque* M.

illata, ut opinor, monumento Augusti. Lips. — *antiquas*] praesertim apud tragicos, ut puta Atrei et Thyestae, Polynicis et Eteoclis cet. — *aestimantes*] expendentes atque inde indicium facientes fatale prope fuisse, ut Nero Britannicum occideret. — *illusum isse*] constuprasse puerum; nos *missbrauchen*, *déshonorer*. Cfr. 15, 72: *matri eius inlusit.* — *sacra mensae*] ut 15, 52. Ex antiquorum sensu maxime propter preces ac libationes quodque convivium quasi sacrificii instar erat. Liv. 39, 43: *inter pocula atque epulas, ubi libare dis dapes, ubi bene precari mos esset* cet. — *sororum*] Octaviae et Antoniae, quamquam posterior non ὁμογάστριος fuit. Qui immutarunt *sorori*, huius non meminerant. — *acerba*] immatura, quae intra tirocinii diem pompa funebri aut laudatione non dignata. Vide me ad Senecae de Brev. vitae C. ult. Lips. — *reliquas spes*] Facile hic rursus agnoscas Senecae stilum.

18. *gravitatem adseverantes*] magna cum cura atque constantia prae se ferentes. Ad Senecam et Burrum criminatio spectat. Cfr. Seneca de Benef. 2, 18., ubi suam quasi ἀπολογίαν de beneficiis a Nerone acceptis ipse pertexit. — *corripiens*] Gratior est haec variatio, quam si hic quoque usus esset infinitivo historico, quem suadente Lipsio Bipontini, Oberlinus, Bekker praetulerunt. — *excipere*] quando salutatum eam veniebant aut excubias in Palatio agebant. Doederlein explicat etiam de epulis iis praebitis, ad quarum sumptus sustinendos has pecunias corripuerit. Verum hoc mihi vix credibile. — *etiam tum supererant*] illo tempore satis multi Romae superstites erant; nam demum Domitiani praesertim aetate multae familiae nobiles aut eius saevitia aut fato exstinctae. Sic utitur v. *superesse* 4, 7. 6, 40. 11, 12. pro *superstitem esse*. — *ducem et partes*] Roth p. 35. esse ἓν διὰ δυοῖν censet. Non satis recte, ut mihi

obstrinxisset. at matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere; nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes. cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur, et Germanos super eundem honorem custodes additos degredi iubet. ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, saeptus turba centurionum et post breve osculum digrediens. (19) nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixa. statim relictum Agrippinae limen. nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio incertum. ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silii a Messalina depulsam supra rettuli, insignis genere forma lascivia, et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuvenem a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, inpudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae

1. *obstrincxisset* M. — *liniri* M. — 2. *amici* M. — 3. *corripiens* M: *corripere* Lipsio auctore B. Credo a Tacito ingratum sonum vv. *corripere excipere* consulto vitatum esse. — 5. *quereret* M. — 6 *imperatoris solitum ut* M. Correxit Lipsius. — 7. *digredi* M. Mutavit Ernestius. — 8. *coetus* pr. M. — 9. *antonie* M. — 10. *nichil* M. — 13. *incertas* M, Bud. Reg. Bodl. Spir. Ut nos, Guelf. Puteol., ceteri praeter Waltherum. — *iulia* M. Correxit Lipsius. — 14. *C.* M: *Gai* B. — *Silia messalina* M. — 15. *lauscivia* M. — 17. *silane* M. — *inp.* M: *imp.* B.

videtur; *ducem* quaerebat in nobilibus, *partes* apud tribunos et centuriones. Walth. — *olim, tum*] egregiae huic Lipsii correctioni Duebner praetulit Cod. *solitum*, ubi litt. *s* orta est ex mera geminatione. — *Germanos*] iam sub Tiberio. 1, 24: *robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant*, cuiusmodi multos ex inscriptionibus collegit Marini *Atti* II. p. 472. Not. 25. Grut. 600, 13. Inscr. m. Lat. N. 175: *HILARVS. NERONIS. CAESARIS. CORPORE (sic). CVSTOS. NATIONE. FRISAEO. VIX. A. XXXIII.* Etiam Batavi interdum corporis custodes. Suet. Cal. 43. Dio 55, 24. V. Lips. ad h. l. et Marini l. l. Huc autem refertur Suet. N. 34: *Abductaque militum et Germanorum statione contubernio quoque ac Palatio expulit.* — *Antoniae*] maioris, ut opinor, quae avia Neronis. Ern.

19. *nixa*] Multi post Lipsium *nixae*, quod necessarium non est, etsi per se utraque ratio valet. Fama potentiae nititur sua vi, si non vana est aut vera potentia destituitur; potentia nititur sua vi, si non ex aliorum favore aut vanis rebus pendet. Id tantum addo, Tacitum, si *nixae* scripsisset, dicturum fuisse: *potentiae fama*, non *fama potentiae*. Walth. — *odio*] ut depressam iam eius condicionem ipsae non sine secreto gaudio inspicerent. — *incertum*] Med. *incertas* ex mera est accommodatione ad v. *feminas* nec defendi potest, etsi id tentavit Bachius explicans ἀδήλους οὔσας. — *supra rettuli*] 11, 12. Credo sororem esse Marci Luciique Silanorum. Lips. Contra ex mente Reinesii (Ep. 50.) et Ryckii filia fuit M. Iunii Silani cos. a. 772., de quo ad 2, 59. 13, 1., soror Iuniae Claudillae, prioris coniugis Claudii imperatoris. — *Sextium Africanum*] *Sex.* volebat Lipsius propter *Sex. Africanum* 14, 46.; verum in Actis Fr. Arv. Tab. XIV. Marini p. CXVII. est *T. SEXTIVS. AFRICANVS. L. SALVIVS. OTHO.* — *opibus et orbitate*] opibus,

maritus poteretur. illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere, coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere. haec Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiae Neronis amitae liberto, aperiunt. qui laetus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiae, impulit ire propere crimenque atrociter deferre. (20) provecta nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret

1. *illa speculationis oblata* (sic) M. — 2. *Titurium* malebat Lipsius, quales sunt aliquot apud Gruterum; nullus *Iturius*. — *differens* M. — *brittannici* M. — 3. *octavie* M. — 5. *dibo* M. — 6. *etiam perio* M. — *rem.p.* M. — 7. *domitie* M. — *letus* M. — 8. *emulatio* M. — 10. *vinulentiam* M. — 12. *mest.* M.

quae propter Silanae orbitatem ad Sextium perventurae erant. Frustra Ernestius malebat *ex orbitate*. — *deferens*] Sic Med. falsa scriptura *differens* mature iam correcta ceteris in Codd., nisi quod Guelf. *referens*. — *Rubellium Plautum*] 14, 22. et 57. 16, 10. — *pari gradu*] et quidem quarto. Uterque enim Augusti abnepos; Rubellius enim Blandus maritus Iuliae Drusi filiae, Tiberii neptis, ex quo genitus hic Rubellius Plautus. — *et iam*] atque adeo, *und sogar auch*. Cfr. Hand Turs. III. p. 138. Est igitur: «Agrippinam id moliri, ut Rubellio coniuge, dein etiam imperatore facto, ipsa rursus rerum potiretur.» — *Atimeto*] Aetas non abnuit, quin sit ille libertus, de quo inscriptio (Grut. p. 607.): *ATIMETVS. PAMPHILI. TI. CAESARIS. AVG. L. L. ANTEROTIANVS* cum carmine Latino Graecoque in mortem Homonoeae coniugis. E domo enim Pamphili Tiberiani liberti transire ad hanc Domitiam potuit. Lips. Sed hoc parum credibile; etenim Domitiae cliens tum fuisset, non libertus. Et *Atimetus* satis frequens libertorum nomen. Vide Gruteri Ind. Marini *Atti*. p. 800. cet. — *Domitiae*] sororis Domitiae Lepidae, quam pervertit Agrippina. 12, 64. et 65. Haec, cuius nunc mentionem facit, uxor fuerat Crispi Passieni oratoris. Cfr. Quintil. 6, 1, 50. — *atrociter*] *mit recht schwarzen Farben*, id est, intendendo periculum et detorquendis rebus in peius. Bach. Louandre: *de faire une dénonciation terrible*. Nec sine astutia delegit ille tempus, quo Nero iam temulentus facilius etiam quam alias in iram prorumperet.

20. *luxus*] mimos agendo obscoenos ad potandum et ad voluptatem incitare Neronem. *Luxus* autem idem, quod C. 22. *libidines principis, Ausschweifungen, Schwelgereien*, multo significantius quam Rhenani *lusus*. — *Agrippinae gratia*] cfr. 12, 42. — *Fabius Rusticus*] de quo 14, 2. 15, 61. Agr. 10: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi scriptores*. — *Caecinam*] Est ille, qui postea praefectus Aegypti a Nerone relegatus est. Suet. 35: *Tuscum, nutricis filium, quod in procuratione Aegypti, balneis in adventum suum exstructis lavisset* cet. Cfr. Dio 63, 18. Superfuit tamen Neroni, et nominat iterum noster H. 3, 38. Lips. — *codicillos*] bene et ad ritum eius aevi *codicillos*. Nam officia omnia administrationesque dari a principe moris in codicillis. Agr. 40: *credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missos ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse*. Lips. Comparant nostri temporis *Handschreiben, Kabinetsordre*. — *Plinius*] In libris Historiarum, quos a fine Aufidii Bassi compo-

tamquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura; sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit. nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, et interficiendae matris avidus, non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicunque, nedum parenti, defensionem tribuendam; nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo afferri. refutare tenebras et vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati et inscitiae propiora. (21) sic lenito principis metu, et luce orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret. Burrus iis

1. *tanq.* M B. — 2. *cecinam* M. — 3. et 5. *senece* M. — 4. Habet *Cluvius* M, non *Clivius* Guelf. Edd. vett. — *nichil* M. — 6. Habet *secuturi* M, non *secuti* Reg. Spir. Ern. Walther. — *q* cum lineola traversa M, unde *qui* Agr. Bud. Reg. Spir. — 7. *interficiende* M. — 13. *pena* addito *s* ex corr. M.

suit XXXI. Ipse in Praef. ad Titum: *Nos quidem omnes patrem, te fratremque diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orti a fine Aufidii Bassi.* Eosdem libros intelligit 2. Sectt. 85. et 106. Credo autem scripsisse Aufidium Bassum a bellis civilibus ad res Claudii vel paullo infra. Certe vixit ea aetate, et viri optimi (ita appellat) constantiam in lenta morte Seneca describit Ep. 30. Citantur bina eius fragmenta in Senecae Suasoria 7. pro Cicerone. Lips. De Plinii scriptis cfr. Plinii Epp. 3, 5. — *Cluvius*] Rufus, vir consularis, qui huius inferiorisque aetatis historiam scripsit. Plinius Epp. 9, 19: *Ita secum aliquando Cluvium locutum: Scis, Vergini, quae historiae fides debeatur; proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas.* Nominat eum Tacitus etiam 14, 2. et Suet. Ner. 21. Lips. H. 1, 8. — *secuturi - - trademus*] Certum scriptoris consilium, quo hactenus sit usus, et quo porro etiam sit usurus, exprimunt haec futura, quibus frustra nonnulli substituerunt *secuti - - tradidimus.* Hoc quidem malebat aliquando Ernestius, semet ipse tamen revocans, et recte. Cfr. 11, 27: *Audita scriptaque senioribus tradam.* Hist. 3, 51: *Haec aliaque - - haud absurde memorabimus;* quos locos attulit Doederlein. Omnem autem mutationem vetat Cod. Mediceus. — *differri*] adduci, ut matris caedem differret. *Differri* cum accusativo personae optimi scriptores dixerunt. Vide ad Suet. Vesp. 23. Ern. Complura exempla affert vel Freund Lexicon II. p. 165. B. vers. ult. — *refutare*] Duae h. l. exstant interpretationes admodum diversae: 1) «aspernari se (Burrum) tenebras, compotationem, tempus ad poenam exsequendam nimis properatum, suspectum, invidiosum, denique tumultuariam tantae rei tractationem,» 2) altera, quae Huetio debetur: «tenebras et vigilatam convivio noctem cet. refutare ac reiicere et indicium tam praepostero tempore per insidias ac dolum malum factum et omne consilium tali ex indicio captum.» Priorem rationem equidem praefero cum Rittero ac Doederleinio, praesertim cum satis animose in praecedentibus loquatur Burrus; altera placuit Walthero et Duebnero. Ad nostram rationem comparat Doederlein Sal. Fr. p. 230. Ed. Gerl. min.: *se regibus devovent et post eos vitam refutant.* Capitolin. in Pio 5: *Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis.*

21. *et luce orta*] Ernestius *et* delendum esse censet. Male. Nam *luce orta* etiam pendet e v. *sic*, et dixerat Burrus, *refutare tenebras*, et ob tenebras etiam res erat dilata. Walth. Est fere pro: «et

Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adulescentis cupidines velaverat, praebueratque nomen, ut quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent. quin et fatebatur intempestivam severitatem, et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coërcendo filio, ita rursum intemperanter demissa. quae mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant, orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. forte illis diebus Caesar inspecto ornatu quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matri, nulla parsimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret. sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat et dividere filium, quae cuncta ex ipsa haberet. (14) nec defuere qui in deterius referrent. et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat; ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse ire Pallantem ut

2. *uelaberat* M. — 4. *adgr.* M: *aggr.* B. — 6. *intempestatē* M. Correxit Puteolanus. — 7. *tradebant* superscr. litteris *ba* litt. *t.* M. — 9. Habet *cavere* M, non *caveri* Guelf. Puteol. Edd. usque ad Gruter. (*caveret* auctore Rhenano Aldus.) — 10. *atrocius* M. — *false* M. — 11. *efulserant* M. — 12. *parsimonia* M: *parcimonia* B. — 17. *velud* M. — *arbitrium* M. Emendatum in duobus Vaticc. 1863. et 1864., item in Spir.

γὰρ Νέρων οὔτ' ἄλλως φιλοπραγματίας ἦν καὶ ἔχαιρεν ἐν ῥᾳστώνῃ διάγων. — *Annaeus Serenus*] praefectus vigilum. Plin. 22, 47. De hoc amico suo capiendus Seneca Ep. 63, 12: *Haec tibi scribo, is qui Annaeum Serenum carissimum mihi tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla sim eorum, quos dolor vicit.* Et inscripsit eidem libros suos de Tranquillitate, monumentum amoris. Lips. — *cubiculum ac sinum*] Agrippinae moribus haud alienum erat, incestum eam cum filio Nerone iam tum secreta mente agitasse. At his verbis, *cubiculum ac sinum*, eandem vim inesse, ut filium ad id scelus aperte invitet, non est veri simile. Nam 14, 2. hoc ipsum Cornelius tamquam novum et immane facinus ex Cluvii historia tradit atque exsecratur. Censeo itaque Agrippinam indulgentem iam et intemperanter demissam, simulavisse libidinibus se filii non quidem adversari, sed imperatori minime decorum esse huiuscemodi mulierculas palam habere, et ideo ad id cubicula latebrasque proprias offerebat. Pichena. Recte Freund: *die Verborgenheit ihres Schlafgemaches.* — *expeterent*] Nolim cum nonnullis supplere «contegi»; potius de explendis cupidinibus intelligas. — *orabantque cavere*] Eadem constructione 12, 46: *monet celerare.* 16, 11: *nuntiat abiicere.* H. 2, 46: *iubebant habere.* Neutiquam igitur rescribendum *caveret.* — *ceteris*] caritate matri debita, qua ante nitebatur eius potentia.

14. *in deterius*] et narrata et interpretata. — *Pallantem*] A rationibus Claudii fuit ex Sueton. 28. et Inscr. m. Lat. N. 32: *PALLANS CAES. N. SER. ADIVTOR A RATIONIBVS.* Zonar. 11, 9: *Πάλλας, ᾧ ἡ τῶν χρημάτων διοίκησις ἐμπεπίστευτο.* — *a Claudio*] 12, 53. — *arbitrum*] Cod. *arbitrium* restituit Bachius maxime propter Hist. 4, 21: *perfuga Batavus arbitrium rerum Romanarum ne ageret;* quod ne imitemur, vetat h. l. appositum *velut.* — *degrediente*] de palatio, ut plene H. 3, 67: *Palatio degreditur.* Prosequebantur autem ii puta quibus pro

eiuraret. sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur, paresque rationes cum re publica haberet. praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium. id solum diis et sibi provisum quod viveret privignus. ituram cum illo in castra. audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrus et exsul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora.

(15) Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartum decimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam modo ipsius indolem, † ut quidam experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset. festis Saturno diebus, inter alia

1. *ne*] *que* pr. M. — Habet *cuius* M, non *cuiusque* Puteol. Ber. et recentiores nonnulli, quos taceo. — *praeteritu* M. — 2. *cum. R P.* M. — Habet *preceps* (sic) M, non *preces*, ut narratur apud B. — 3. *rueret* M. — 4. *brittannicum* M. — 5. *adoptius* M. — 6. *abnueret* M. — *se quin*] *sequi* M. — 7. *beneficium* M. — 9. *inde debilis* Lipsius: *indebilis* M, *inde vilis* cum Agr., corr. Bud., Puteolano B. — *rursus* delendum censuit Broterius. — *exul* M. — 10. *expostulantis* M. — 11. *inferno* M. Spir. — 12. *inrita* M: *irrita* B. — 14. *brittannicus* M. — 15. *ut quidam* corrupte M: *uno quidem* Walchius *levi quidem* ex Freinshemii coni. prorsus improbabili (leve enim hoc experimentum non erat) B, *utique vividam* Doederleinii suspicio. Malim *ut quodam*. Or. — 16. *faborem* pr. M.

scribis ac ministris curae suae usus erat. — *eiuraret*] Acumen dicti in eo inest, quod Nero illum comparat cum consule, qui finito magistratu, magno cum comitatu amicorum et clientium, eum in Capitolio deponebat iuratus se consulatum e re publica gessisse. Est igitur «ire eum, ut Pallantem eiuraret;» quasi Pallantis nomen pro nomine novi et inauditi magistratus per deridiculum usurpans. Cfr. H. 3, 68: *imperium eiurare.* Ibid. 37: *consulatum* et 39: *praeturam.* — *pepigerat*] cum Claudio. — *cuius*] id est, «alicuius, cuiuscunque modi.» Qui hoc ignorabant, ut 14, 43. haerentes in *ut quem* cet., interpolavere *cuiusque*, frustra provocantes ad Liv. 1, 24: *ut cuiusque populi cives - - vicissent*, ubi est *utriusvis.* — *in praeteritum*] recedendo in tempora praeterita. Cfr. Roth ad Agr. p. 243. — *interrogaretur*] reus fieret, si rationes pares non essent, id est, si publicas pecunias intervertisse convinceretur. Sic Seneca Ep. 19. et de Benef. 6, 40: *parem rationem facere.* — *insitus*] Pseudoseneca Octav. 249: *Nero insitivus* (al. *ipse Divo*) *Domitio genitus patre.* — *inde debilis*] quia mutilatus; memento autem apud antiquos talia fortuita, ut si quis claudus, luscus, calvus esset, summo fuisse dehonestamento atque interdum probro. *Inde vilis* idoneum sensum non praebet; *rursus* autem est «vicissim, contra»; neque vero delendum quasi ortum ex v. *Burrus.* — *trunca manu*] Necesse non est, totam ut manum praecisam habuerit Burrus; sufficit digito uno aut altero captum fuisse, fortasse in acie, quod virtutis insigne est. Gron. — *professoria lingua*] de Seneca, quasi homine scholastico ac mero declamatore. V. *professorius* nunc hoc tantum loco reperitur. — *Silanorum*] Marci et Lucii Iuniorum Silanorum. Cfr. C. 1. — *inrita facinora*] Admodum tragice has quoque neces quasi deas ultrices *invocat*, pro quo vulgaris scriptor usus esset vv. *conqueri*, *lamentari*, *dolere.*

15. *explebat*] ideoque togam virilem

aequalium ludicra, regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni. igitur ceteris diversa nec ruborem allatura: ubi Britannico iussit exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero intellecta invidia odium intendit; urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur, pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama. nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, tramisitque exsoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat ne statim saeviret. sed Nero lenti sceleris inpatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. promittentibus dein tam praecipitem necem quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum. (16) mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria

1. *equalium ludicā* (sic) M. — *R.* (cum lineola superducta) *regnum* M. Apud Bekkerum explicaverunt *Romanum regnum*, sed videtur mera geminatio ex codice quadratis litteris scripto. — 2. Habet *allatura* M, non *adlatura* nec *oblatura* Reg. Spir. neque *illatura* Lipsii. — *brittannico* M. — *exurgeret* M. — 3. *inr.* M: *irr.* B. — 8. *cedem* M. — 12. *brittannico* M. — 13. *tramisitque* M: *transmisitque* B. — 14. *albo* M. — *seviret* M. — 15. *inp.* M: *imp.* B. — *iubere sup* (in fine versus) *supplicitum* (sic) M. — 16. *venefice* M. — *securitate* M. — 18. *urgerentur* M. — *deqquitur* superscr. *o* priori *q* (*dequoquitur*) M.

accepturus erat. Cfr. 12, 41. — *regnum lusu*] Arrian. Diss. Epict. 1, 25: *Ἐν Σατουρναλίοις λέλογχε βασιλεύς· ἔδοξε γὰρ παῖξαι ταύτην τὴν παιδιάν· προστάσσει, Σὺ πιέ, Σὺ κέρασον, Σὺ ᾆσον, Σὺ ἄπελθε, Σὺ ἐλθέ. Ὑπακούω, ἵνα μὴ παρ' ἐμὲ λύηται ἡ παιδιά.* Lucian. Saturn. 3: *Ὁρᾷς ἡλίκον τὸ ἀγαθὸν ἔτι καὶ βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι, τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα· ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχοις, τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὐτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι καὶ ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα τρὶς τὴν οἰκίαν περιελθεῖν.* Lips. — *constanter*] firma voce ac sine ulla haesitatione. Cfr. Suet. Ner. 33: *Britannicum non minus aemulatione vocis, quae illi iucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praevaleret, veneno aggressus est* cet. — *carmen*] Ennii ex Andromacha, ut suspicatur Lipsius, apud Cic. Tusc. 3, 19: *O pater, o patria, o Priami domus, Saeptum altisono cardine templum, Vidi ego te, adstante ope barbarica, Tectis caelatis, laqueatis, Auro, ebore instructum magnifice* cet. — *Pollione*] Puto eum esse, qui postea praefectus praetorio fuit sub Othone. Plut. Oth. 24. — *Locusta*] 12, 66. — *nam, ut proximus*] Referuntur haec partim ad Pollionem, Locustae custodem, partim ad perfidos illos educatores sive paedagogos; *proximus* autem dictum, ut alibi *proximus lictor*. — *securitatem*] Neronis simulantis se a Britannico insidiis peti. — *cubiculum Caesaris iuxta*] quo res occultior maneret. Suet. Ner. 33: *Locustam coëgit se coram in cubiculo venenum quam posset velocissimum ac praesenta-*

et parciore mensa. illic epulante Britannico, quia cibus potusque eius delecti ex ministris gustu explorabatur, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox pariter et spiritus raperentur. trepidatur a circumsedentibus; diffugiunt inprudentes. at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait, per comitialem morbum, quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. at Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse *atque* Octaviam sororem Britannici constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat. (17) ita post breve silentium repetita convivii laetitia. nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. in campo tamen Martis sepultus

1. *brittanico* (sic h. l.) M. — *cibus* M: *cibos* B. — 2. *delecti ex ministris gustu explorabatur* Duebner: *delectus ex ministri gustu explorabatur* M, in quo post v. *ministri* una littera erasa est, Guelf. Puteol. Edd. ante Lipsium, rursus Walther, Bach, Ritter, Doederlein, *delectus ex ministris gustu explorabat* B cum amico Lipsii (Danesio, ut arbitratur Ernestius). *exin ministri gustu* suspicatur Doederlein. — *omitteret* M, Guelf. Spir. Puteol., Rivius. Emendavit Beroaldus. — 4. *brittannico* M. — 5. *ferbore* M. — Habet *affunditur* M, non *infunditur* Guelf. Harl. Bodl. Ies. et Edd. ante Rhenanum. — 6. *spiritus eius raperentur* M. Delevit *eius* auctoritate Cod. Regii Ernestius. — 7. *inpr.* M: *impr.* B. — 9. *primum*] *prima* Acidalius, *plurimum* Freinshemius. — 10. *brittannicus* M. — *agrippina* M. — 11. *p̄meretur* M. — 12. *atque* Faërno auctore supplevit Ritter: *ac* Puteolano auctore B, om. copulam M. — *Octaviam sororem Britannici* (sed *octabiam s. britt.*) M, Spir.: *sororem Britannici Octaviam* cum Ernestio quasi ex Spir. B. — 13. *sup̄mum* M. — 15. Habet *omnis* M. — *afectus* M. — 16. *brittannici* M. — *coniuncxit* M.

neum coquere. — *cognitis*] exploratis in porcello et hoedo. Suet. ibid. (Aliter Doederlein: «cognitorum et lentiorum venenorum mistione novum venenum ac rapidum decoquitur;» id quod verbis vix inest.) *Virus*, *Trank*, *venenis*, *Giftstoffe* Gutmann, *venin* et *poisons* Burnouf, *poison* et *drogues* Louandre.

16. *cum ceteris*] Suet. Tit. 2: *Educatus in aula cum Britannico simul ac paribus disciplinis et apud eosdem magistros institutum. - - Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque iuxta cubans gustasse credatur gravique morbo afflictatus diu.* — *sedentes*] non accumbentes ut maiores natu; modestiae illud signum. Cfr. Suet. Oct. 64. Cl. 32. — *praecalida*] De singulari hac potione v. Seneca de Ira 2, 25. Arrian. Diss. 1, 13: *Ὅταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντός του μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς, ἢ ὑπακούσας χλιαρώτερον ἐνέγκῃ, ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὸ μὴ χαλεπαίνειν, μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς θεοῖς;* — *delecti* cet.] Haec facillima visa est corruptelae emendandae ratio. Librarius per *ἀβλεψίαν* genitivum *delecti*, ut fit, accommodavit ad praecedens v. *potus*; in v. *ministri* autem in Cod. erasa videtur littera *s*. — *a circumsedentibus*] adolescentulis, Britannici aequalibus, de quibus supra. — *primum ab infantia*] Nihil mutandum; cfr. 14, 63: *huic primum* (iam) *nuptiarum dies loco funeris fuit.* — *emicuit*] multo melius repentinum eius pavorem exprimit quam Ernestii *eminuit*.

17. *nox eadem*] cfr. Dio 61, 7. Zonaras 11, 12. — *sepultus*] Non tamen ibi combustus, sed reliquiae eius in urna

est, adeo turbidis imbribus ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. tradunt plerique eorum temporum scriptores crebris ante exitium diebus illusum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sororum dato, ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, a maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere. ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita. (18) exin largitione potissimos amicorum auxit. nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos villas id temporis quasi praedam divisissent. alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque

1. *dm* cum lin. M. — *ptendi (p* caudatâ, id est, *protendi)* M. — 3. *extimantes* in *est*. corr. fortasse ab eadem manu M, *existimantes* Bud. Reg., Rhenanus et Edd. ante Ern. — 4. *esse* M. Correxit Lipsius. — 5. *brittannici* M. — *seva* M. — 6. *mense* M. — 7. Habet *sororum* M, non *sorori* Puteol. Walther. — *supmum* M. — 9. *ediceo* M. — *defendit id* (*a* supra adscripto) *maioribus* M; unde *defendit, id a m.* Edd. ante Ern. rursusque Walther. — 11. *et sibi*] *exibi* M. — *âmisso* M. — *re.p.* M. — 12. *fobendum* M. — 14. *arguerent*, sed *nt* ex corr., M. — 15. *ads.* M: *ass.* B. — Habet *villas* M, non *villasque* Puteol. Ber. — 16. *scelere* M. — 17. *quenque* M.

illata, ut opinor, monumento Augusti. Lips. — *antiquas*] praesertim apud tragicos, ut puta Atrei et Thyestae, Polynicis et Eteoclis cet. — *aestimantes*] expendentes atque inde indicium facientes fatale prope fuisse, ut Nero Britannicum occideret. — *illusum isse*] constuprasse puerum; nos *missbrauchen*, *déshonorer*. Cfr. 15, 72: *matri eius inlusit*. — *sacra mensae*] ut 15, 52. Ex antiquorum sensu maxime propter preces ac libationes quodque convivium quasi sacrificii instar erat. Liv. 39, 43: *inter pocula atque epulas, ubi libare dis dapes, ubi bene precari mos esset* cet. — *sororum*] Octaviae et Antoniae, quamquam posterior non ὁμογάστριος fuit. Qui immutarunt *sorori*, huius non meminerant. — *acerba*] immatura, quae intra tirocinii diem pompa funebri aut laudatione non dignata. Vide me ad Senecae de Brev. vitae C. ult. Lips. — *reliquas spes*] Facile hic rursus agnoscas Senecae stilum.

18. *gravitatem adseverantes*] magna cum cura atque constantia prae se ferentes. Ad Senecam et Burrum criminatio spectat. Cfr. Seneca de Benef. 2, 18., ubi suam quasi ἀπολογίαν de beneficiis a Nerone acceptis ipse pertexit. — *corripiens*] Gratior est haec variatio, quam si hic quoque usus esset infinitivo historico, quem suadente Lipsio Bipontini, Oberlinus, Bekker praetulerunt. — *excipere*] quando salutatum eam veniebant aut excubias in Palatio agebant. Doederlein explicat etiam de epulis iis praebitis, ad quarum sumptus sustinendos has pecunias corripuerit. Verum hoc mihi vix credibile. — *etiam tum supererant*] illo tempore satis multi Romae superstites erant; nam demum Domitiani praesertim aetate multae familiae nobiles aut eius saevitia aut fato exstinctae. Sic utitur v. *superesse* 4, 7. 6, 40. 11, 12. pro *superstitem esse*. — *ducem et partes*] Roth p. 35. esse ἓν διὰ δυοῖν censet. Non satis recte, ut mihi

obstrinxisset. at matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere; nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes. cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur, et Germanos super eundem honorem custodes additos degredi iubet. ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, saeptus turba centurionum et post breve osculum digrediens. (19) nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixa. statim relictum Agrippinae limen. nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio incertum. ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silii a Messalina depulsam supra rettuli, insignis genere forma lascivia, et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuvenem a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, inpudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae

1. *obstrincxisset* M. — *liniri* M. — 2. *amici* M. — 3. *corripiens* M: *corripere* Lipsio auctore B. Credo a Tacito ingratum sonum vv. *corripere excipere* consulto vitatum esse. — 5. *quereret* M. — 6 *imperatoris solitum ut* M. Correxit Lipsius. — 7. *digredi* M. Mutavit Ernestius. — 8. *coetus* pr. M. — 9. *antonie* M. — 10. *nichil* M. — 13. *incertas* M, Bud. Reg. Bodl. Spir. Ut nos, Guelf. Puteol., ceteri praeter Waltherum. — *iulia* M. Correxit Lipsius. — 14. *C.* M: *Gai* B. — *Silia messalina* M. — 15. *lauscivia* M. — 17. *silane* M. — *inp.* M: *imp.* B.

videtur; *ducem* quaerebat in nobilibus, *partes* apud tribunos et centuriones. WALTH. — *olim, tum*] egregiae huic Lipsii correctioni Duebner praetulit Cod. *solitum*, ubi litt. *s* orta est ex mera geminatione. — *Germanos*] iam sub Tiberio. 1, 24: *robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant*, cuiusmodi multos ex inscriptionibus collegit Marini *Atti* II. p. 472. Not. 25. Grut. 600, 13. Inscr. m. Lat. N. 175: *HILARVS. NERONIS. CAESARIS. CORPORE (sic). CVSTOS. NATIONE. FRISAEO. VIX. A. XXXIII.* Etiam Batavi interdum corporis custodes. Suet. Cal. 43. Dio 55, 24. V. Lips. ad h. l. et Marini l. l. Huc autem refertur Suet. N. 34: *Abductaque militum et Germanorum statione contubernio quoque ac Palatio expulit.* — *Antoniae*] maioris, ut opinor, quae avia Neronis. ERN.

19. *nixa*] Multi post Lipsium *nixae*, quod necessarium non est, etsi per se utraque ratio valet. Fama potentiae nititur sua vi, si non vana est aut vera potentia destituitur; potentia nititur sua vi, si non ex aliorum favore aut vanis rebus pendet. Id tantum addo, Tacitum, si *nixae* scripsisset, dicturum fuisse: *potentiae fama*, non *fama potentiae*. WALTH. — *odio*] ut depressam iam eius condicionem ipsae non sine secreto gaudio inspicerent. — *incertum*] Med. *incertas* ex mera est accommodatione ad v. *feminas* nec defendi potest, etsi id tentavit Bachius explicans *ἀδήλους οὔσας*. — *supra rettuli*] 11, 12. Credo sororem esse Marci Luciique Silanorum. LIPS. Contra ex mente Reinesii (Ep. 50.) et Ryckii filia fuit M. Iunii Silani cos. a. 772., de quo ad 2, 59. 13, 1., soror Iuniae Claudillae, prioris coniugis Claudii imperatoris. — *Sextium Africanum*] *Sex.* volebat Lipsius propter *Sex. Africanum* 14, 46.; verum in Actis Fr. Arv. Tab. XIV. Marini p. CXVII. est *T. SEXTIVS. AFRICANVS. L. SALVIVS. OTHO.* — *opibus et orbitate*] opibus,

maritus poteretur. illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere, coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere. haec Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiae Neronis amitae liberto, aperiunt. qui laetus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiae, impulit ire propere crimenque atrociter deferre. (20) provecta nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur, cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret

1. *illa speculationis oblata* (sic) M. — 2. *Titurium* malebat Lipsius, quales sunt aliquot apud Gruterum; nullus *Iturius*. — *differens* M. — *brittannici* M. — 3. *octavie* M. — 5. *dibo* M. — 6. *etiam perio* M. — *rem.p.* M. — 7. *domitie* M. — *letus* M. — 8. *emulatio* M. — 10. *vinulentiam* M. — 12. *mest.* M.

quae propter Silanae orbitatem ad Sextium perventurae erant. Frustra Ernestius malebat *ex orbitate*. — *deferens*] Sic Med. falsa scriptura *differens* mature iam correcta ceteris in Codd., nisi quod Guelf. *referens*. — *Rubellium Plautum*] 14, 22. et 57. 16, 10. — *pari gradu*] et quidem quarto. Uterque enim Augusti abnepos; Rubellius enim Blandus maritus Iuliae Drusi filiae, Tiberii neptis, ex quo genitus hic Rubellius Plautus. — *et iam*] atque adeo, *und sogar auch*. Cfr. Hand Turs. III. p. 138. Est igitur: «Agrippinam id moliri, ut Rubellio coniuge, dein etiam imperatore facto, ipsa rursus rerum potiretur.» — *Atimeto*] Aetas non abnuit, quin sit ille libertus, de quo inscriptio (Grut. p. 607.): *ATIMETVS. PAMPHILI. TI. CAESARIS. AVG. L. L. ANTEROTIANVS* cum carmine Latino Graecoque in mortem Homonoeae coniugis. E domo enim Pamphili Tiberiani liberti transire ad hanc Domitiam potuit. Lips. Sed hoc parum credibile; etenim Domitiae cliens tum fuisset, non libertus. Et *Atimetus* satis frequens libertorum nomen. Vide Gruteri Ind. Marini *Atti*. p. 800. cet. — *Domitiae*] sororis Domitiae Lepidae, quam pervertit Agrippina. 12, 64. et 65. Haec, cuius nunc mentionem facit, uxor fuerat Crispi Passieni oratoris. Cfr. Quintil. 6, 1, 50. — *atrociter*] *mit recht schwarzen Farben*, id est, intendendo periculum et detorquendis rebus in peius. Bach. Louandre: *de faire une dénonciation terrible*. Nec sine astutia delegit ille tempus, quo Nero iam temulentus facilius etiam quam alias in iram prorumperet.

20. *luxus*] mimos agendo obscoenos ad potandum et ad voluptatem incitare Neronem. *Luxus* autem idem, quod C. 22. *libidines principis*, *Ausschweifungen*, *Schwelgereien*, multo significantius quam Rhenani *lusus*. — *Agrippinae gratia*] cfr. 12, 42. — *Fabius Rusticus*] de quo 14, 2. 15, 61. Agr. 10: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi scriptores*. — *Caecinam*] Est ille, qui postea praefectus Aegypti a Nerone relegatus est. Suet. 35: *Tuscum, nutricis filium, quod in procuratione Aegypti, balneis in adventum suum exstructis lavisset* cet. Cfr. Dio 63, 18. Superfuit tamen Neroni, et nominat iterum noster H. 3, 38. Lips. — *codicillos*] bene et ad ritum eius aevi *codicillos*. Nam officia omnia administrationesque dari a principe moris in codicillis. Agr. 40: *credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missos ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse*. Lips. Comparant nostri temporis *Handschreiben*, *Kabinetsordre*. — *Plinius*] In libris Historiarum, quos a fine Aufidii Bassi compo-

tamquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura; sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt. sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit. nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, et interficiendae matris avidus, non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicunque, nedum parenti, defensionem tribuendam; nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo afferri. refutare tenebras et vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati et inscitiae propiora. (21) sic lenito principis metu, et luce orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret. Burrus iis

1. *tanq.* M B. — 2. *cecinam* M. — 3. et 5. *senece* M. — 4. Habet *Cluvius* M, non *Clivius* Guelf. Edd. vett. — *nichil* M. — 6. Habet *secuturi* M, non *secuti* Reg. Spir. Ern. Walther. — *q* cum lineola traversa M, unde *qui* Agr. Bud. Reg. Spir. — 7. *interficiende* M. — 13. *pena* addito *s* ex corr. M.

suit XXXI. Ipse in Praef. ad Titum: *Nos quidem omnes patrem, te fratremque diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orti a fine Aufidii Bassi.* Eosdem libros intelligit 2. Sectt. 85. et 106. Credo autem scripsisse Aufidium Bassum a bellis civilibus ad res Claudii vel paullo infra. Certe vixit ea aetate, et viri optimi (ita appellat) constantiam in lenta morte Seneca describit Ep. 30. Citantur bina eius fragmenta in Senecae Suasoria 7. pro Cicerone. Lips. De Plinii scriptis cfr. Plinii Epp. 3, 5. — *Cluvius*] Rufus, vir consularis, qui huius inferiorisque aetatis historiam scripsit. Plinius Epp. 9, 19: *Ita secum aliquando Cluvium locutum: Scis, Vergini, quae historiae fides debeatur; proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas.* Nominat eum Tacitus etiam 14, 2. et Suet. Ner. 21. Lips. H. 1, 8. — *secuturi - - trademus*] Certum scriptoris consilium, quo hactenus sit usus, et quo porro etiam sit usurus, exprimunt haec futura, quibus frustra nonnulli substituerunt *secuti - - tradidimus.* Hoc quidem malebat aliquando Ernestius, semet ipse tamen revocans, et recte. Cfr. 11, 27: *Audita scriptaque senioribus tradam.* Hist. 3, 51: *Haec aliaque - - haud absurde memorabimus;* quos locos attulit Doederlein. Omnem autem mutationem vetat Cod. Mediceus. — *differri*] adduci, ut matris caedem differret. *Differri* cum accusativo personae optimi scriptores dixerunt. Vide ad Suet. Vesp. 23. Ern. Complura exempla affert vel Freund Lexicon II. p. 165. B. vers. ult. — *refutare*] Duae h. l. exstant interpretationes admodum diversae: 1) «aspernari se (Burrum) tenebras, compotationem, tempus ad poenam exsequendam nimis properatum, suspectum, invidiosum, denique tumultuariam tantae rei tractationem,» 2) altera, quae Huetio debetur: «tenebras et vigilatam convivio noctem cet. refutare ac reiicere et indicium tam praepostero tempore per insidias ac dolum malum factum et omne consilium tali ex indicio captum.» Priorem rationem equidem praefero cum Rittero ac Doederleinio, praesertim cum satis animose in praecedentibus loquatur Burrus; altera placuit Walthero et Duebnero. Ad nostram rationem comparat Doederlein Sal. Fr. p. 230. Ed. Gerl. min.: *se regibus devovent et post eos vitam refutant.* Capitolin. in Pio 5: *Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis.*

21. *et luce orta*] Ernestius *et* delendum esse censet. Male. Nam *luce orta* etiam pendet e v. *sic*, et dixerat Burrus, *refutare tenebras*, et ob tenebras etiam res erat dilata. Walth. Est fere pro: «et

mandatis, Seneca coram, fungebatur: aderant et ex libertis arbitri sermonis. deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. et Agrippina ferociae memor «non miror» inquit «Silanam, nunquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. neque enim perinde a parentibus liberi quam ab inpudica adulteri mutantur. nec si Iturius et Calvisius adesis omnibus fortunis novissimam suscipiendae accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia subeunda est. nam Domitiae inimicitiis gratias agerem, si benevolentia mecum in Neronem meum certaret: nunc per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scenae fabulas componit. Baiarum suarum piscinas extollebat, cum meis consiliis adoptio et proconsulare ius et designatio consulatus et cetera apiscendo imperio praeparentur. aut exsistat qui cohortes in urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat. vivere ego Britannico potiente rerum poteram? ac si Plautus aut quis alius rem publicam iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusato-

1. *arbitris* pr. M. — 4. *numquam* M. — 5. *pinde (p* caudata, id est, *proinde)* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 6. *suscipiendā* M. — 9. *beniv.* M. — *concubīnam* M. — 10. *scene* M. — 13. Habet *aut* M, non *at* Spir. Puteol. Walther. — *temptatas* M. — 14. Habet *labefactatam* M, non *labefactam* Spir. — 15. *brittannico* M. — *potentie* pr. M. — *ac* M: *at* cum Lipsio B. — 16. *rem.p.* M.

quidem statim luce orta,» ut 1, 55: *bellum initio veris et repentino in Chattos incursu praecepit.* — *arbitri sermonis*] qui ad suspicacem principem deferrent, si nimis laxe Burrus et Seneca egissent vel si Agrippina nimis atrocia verba iecisset. — *mutantur*] Per zeugma hoc refertur etiam ad v. *liberi*, quasi esset: «non perinde parentes in liberos odium concipere possunt, quam cet.», vel ut ait Duebner, «*mutantur* in priore membro intelligendum de affectu erga liberos transferendo in alios.» — *novissimam*] ultimam cum spe denuo aliquid lucrandi. — *anui*] invidiose; *vergentem annis* dicit C. 19. — *rependunt*] pro mercede ab anu accepta. — *parricidii*] «me filii occidendi sceleratum consilium cepisse.» Sic simplicius explicandum iudico, quam cum aliis passive pro nece a filio toleranda, quod facinus matri potius miserationem apud omnes quam infamiam peperisset. — *conscientia*] matricidii. — *scenae*] Dativus est, non genitivus. Doed. Sic Cic. ad Fam. 8, 11: *scena rei totius haec*, ordo rei veluti spectaculo et fabulae similis. — *piscinas*] per contemptum nominat villas in molibus mari iniectis exstructas, ob suavitatem temperati aëris, de quibus villis Horatius canit Od. 2, 27, 20. 3, 1, 33. Duebn. At apud Romanos notus etiam insanus amor ipsarum piscinarum muraenis refertarum, unde *piscinarios*, Lucullum, Hortensium, ridet Cicero ad Att. 1, 19. — *extollebat*] exstruebat et ornabat, ut 11, 1: *hortos extollebat*; intellige maxime de porticibus ac sedilibus marmoreis, quibus piscinae villae illius magnificae ipsae cinctae et ornatae erant. — *aut*] «aut si simplex mea negatio fidem non invenit, *exsistat* cet.»; cum amara irrisione hoc dictum fere ut 3, 52: *aut si quis - - - tantam industriam pollicetur.* Male Walther praetulit Ed. Spir. *At.* — *vivere - - poteram?*] Per interrogationem haec efferenda esse primus vidit Lipsius. Gronovius Obss. 1, 22. p. 91. Frotsch. refert ad C. 19. verba *quod Britannici mortem lugeret*: «Si lugeo mortem Britannici, non certe id fit ideo, quia nunc sero eum imperare mallem. Quomodo enim? Nonne mors mea praemium esset minimum pro tantis offensis, quas apud eum contraxeram?» Verum simplicior sane videtur ratio a Doederleinio proposita: «Refutat hac interrogatione suspicionem, tamquam serio de fovendo extollendoque

res, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina obiciant, quibus nisi a filio absolvi non possim.» commotis qui aderant, ultroque spiritus eius mitigantibus, colloquium filii exposcit; ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit. (22) praefectura annonae Faenio Rufo, cura ludorum, qui a Caesare parabantur, Arruntio Stellae, Aegyptus G. Balbillo permittuntur. Suria P. Anteio destinata: sed variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est. at Silana in exsilium acta. Calvisius quoque et Iturius relegantur. de Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines principis Paride quam ut poena afficeretur. Plautus ad praesens silentio transmissus est.

(23) Deferuntur dehinc consensisse Pallas ac Burrus, ut Cornelius Sulla, claritudine generis et adfinitate Claudii, cui per nuptias Antoniae gener erat, ad imperium vocaretur. eius accusationis auctor exstitit Paetus quidam, exercendis apud aerarium sectionibus famosus et tum vanitatis

1. Quidni *impotentia?* Or. — 2. *obiciant* M: *obiiciant* M. — 3. *spm* cum lin. super litt. *m*, quae litt. est a manu recentiore. — *expos* (in fine versus) *scit* M. — *nichil* M. — 6. *Faenio* nos: *senio* M, *Fenio* cum Lipsio B. — 7. *G.* M: *Gaio* B. — *syria* M. — *P. Anteio*] *panteIo* M. Correxit Lipsius. (*Publio Anteio* B.) — 9. *exilium* M. — *Titurius* haud improbabiliter Walther ad 14, 12. Conf. Cap. 21. — 13. *adfinitate* M: *affinitate* B. — *cui*] *q* cum lin. traversa (*qui*) M. Emendandum significavit Rhenanus. — 14. *extitit* M. — 15. *erarium* M. — Habet *vanitatis* M, non *vanitatibus* Reg. et Edd. ante Rhenanum.

Britannico aliquando cogitaverit; id quod C. 14. per iram Neroni minata erat. Britannicus, inquit, nequaquam potuisset mihi ignoscere, licet mea opera ad imperium pervenisset.» — Detracto omni ornatu rhetorico sensus hic prodit: «Aeque absurdum fuisset crimen, si quis me Britannico etiamtunc incolumi insimulasset a me filio necem, imperium privigno parari, atque absurdum est, quod nunc confingunt, me Plautum substitutum velle Neroni; nam sub privigno mors mihi certa fuisset in priorum vexationum ultionem et ob timorem, ne ipsum quoque aliquando perverterem, sub Plauto aut quo alio saltem propter hunc eundem timorem pro certo pereundum mihi foret.» — *iudicaturus*] Iunge *rem publicam obtinuerit* ac propterea iudiciorum fuerit arbiter. — *desunt*] quasi pro futuro, tamquam iamiam parati essent. — *impatientia*] *impotentia* esset *Leidenschaftlichkeit*. — *diffideret*] «defensionis egere causam suam putaret.» — *beneficiis*] Plerique scripsissent *de b.*, id quod eliciendum ex praeced. *pro*.

22. *Faenio*] Cfr. 14, 51. et 57. 15, 50. et 53. *Arruntius Stella* alibi non memoratur. — *G. Balbillo*] Sen. Quaest. N. 4, 2: *Balbillus, virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse praefectus obtineret Aegyptum* cet. Plin. 19. prooem. — *Anteio*] Idem Ann. 16, 14: *caritate Agrippinae invisus Neroni.* Quondam fuerat e legatis Germanici 2, 6.

23. *Sulla*] 12, 52. 13, 47.; interficitur 14, 57. — *claritudine*] ob claritudinem; ut 1, 59: *aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia.* — *Antoniae*] 12, 2. et 68. — *sectionibus*] emendis bonis, quae a praefectis aerarii sub hasta venderentur. Tales enim auctiones sunt *sectiones;* qui emunt bona, *sectores.* Sic Claudii bona edicto praefectorum venalia apud aerarium pependerunt. Suet. Cl. 9. Ern. Intellige maxime de bonis exsulum publicatis et de aliis pecuniis, quae aerario deberi viderentur. Cfr. Suet. Vit. 2: *homo sectionibus et cognituris uberius compendium nactus.* Paetum hunc praefectum aerarii fuisse arbitratur Doederlein; parum probabiliter; repugnat enim praesertim v. *quidam.* — *vanitatis*] falsae criminationis convictus, Burro et Pallante absolutis; nam *vanitas* contraria est *veritati.* Cic. Tusc. 3, 1.

manifestus. nec tam grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit nihil unquam se domi nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. Burrus, quamvis reus, inter iudices sententiam dixit. exsiliumque accusatori inrogatum, et tabulae exustae sunt, quibus oblitterata aerarii monumenta retrahebat.

(24) Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebes daret experimentum, an amotis custodibus modestiam retineret. urbem princeps lustravit e responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de caelo tactae erant.

(25) Q. Volusio P. Scipione consulibus otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera urbis et lupanaria et deverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent

3. *nichil* M. — *ũquam* M. — 5. *auxiliumque* M. Spir. Emendavit Puteolanus. — *inr.* M: *irr.* B. — 6. *exuste* M. — *monumenta*] *monimenta* M, *nomina* cum I. Fr. Gronovio B. Illud restituerunt Walther, Ritter, Doederlein. — *retrahebãt (retrahebant)* M. — 7. *finẽ annis* M. — *ads.* M: *ass.* B. — 10. *e*] *et* M. — *aruspicum* M. — 11. *iobis* M. — *tacte* M. — 12. *Q.* M: *Quinto* B. — *P.* M: *Publio* B. — *cos.* cum lin. M. — *faeda* M.

«Sed *vano* gravius multo significari quam *falso* apparet ex Liv. 22, 7. 24, 27. 31, 49. 37, 48. et ex verbis Donati ad Ter. Eun. 1, 2, 24., quae acumine insignia P. Nigidio Figulo tribuimus: *Falsum est, quo tegitur id quod factum est, vanum, quod fieri non potest, fictum, quod non est factum, et fieri potuit. Vel: falsum est fictum mendacium simile veritati, vanum nec possibile nec veri simile, fictum totum sine vero, sed veri simile. Falsum loqui mendacis est, fictum callidi, vanum stulti. Falsum loqui culpae est, fictum virtutis, vanum vecordiae. Falsis decipimur, fictis delectamur, vana contemnimus.*» Walch Emendd. Liv. p. 159. — *manifestus*] cum genitivo etiam 2, 85. 4, 53. 14, 29. cet. — *tabulae*] indicem debitorum continebant, a praefecto aerarii conscriptum; *monumenta* aerarii autem sunt syngraphae ipsorum debitorum, eodem fere sensu, quo Gronovius *nomina* substitutum voluit; *oblitterata* vero propter quamcunque causam, vel propter vetustatem, iam irrita facta. Sic Sueton. Oct. 32: *tabulas veterum aerarii debitorum, vel praecipuam calumniandi materiam, exussit.* Ac de eodem Dio 53, 2: *τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν τῷ κοινῷ τι ὀφειλόντων ἔκαυσε.* — *retrahebat*] postulabat, ut post multum iam tempus praeteritum exigerentur a debitoribus.

24. *lustravit*] Eiusdem ritus mentio Hist. 1, 87. et apud Livium saepe. Facta lustratio prodigiorum causa amburbali sacrificio, hoc est, circumducta circa urbem victima expiatoria. V. Duker ad Liv. 35, 19., qui laudat Salmas. ad Vopisc. Aurel. C. 19. Ern.

25. *Q. Volusio*] Lapis Neapoli (Grut. 9, 4.): *Q. VOLVSIO SATVRN(ino). P. CORNELIO SCIP. COS. AVGVSTALES. QVI. Neroni CLAVDIO. CAESARI. AVGVST. ET. Agrippinae AVGVSTAE. I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE. LVDOS. FECERVNT. XIII. XII. K. MART.* Scipio videtur Poppaeae maritus 11, 2. et qui *Scipio Cornelius* 12, 53., filius *Cornelii Scipionis*, qui legatus Blaesi in Africa a. 775., nepos *P. Cornelii Scipionis*, qui consul cum L. Domitio a. 738. Videntur autem anni huius consules consobrini ex Plinii 7, 14. loco, (quem excribemus ad C. 30.) Ryck. — *veste servili*] Suet. Ner. 26: *arrepto pileo vel galero popinas inibat.* Dio 61, 9: *κρύφα νύκτωρ ἐκώμαζε κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν, ὑβρίζων εἰς τὰς γυναῖκας, ἀσελγαίνων ἐς τὰ μειράκια - -. ἐσθῆσι ποικίλαις καὶ κόμαις περιθέτοις ἄλλοτε ἄλλως ἐχρῆτο.* — ex-

venditioni exposita et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret. deinde ubi Caesarem esse qui grassaretur pernotuit augebanturque iniuriae adversus viros feminasque insignes, et quidam permissa semel licentia sub nomine Neronis inulti propriis cum globis eadem exercebant, et in modum captivitatis nox agebatur; Iuliusque Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vi attentantem acriter reppulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero autem metuentior in posterum milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a laesis validius ageretur, arma inferebant. ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in praelia con-

1. *venditionẽ* M, non *ad venditionem* pr. Guelf., Bud. Puteol. Beroald. Emendatum in Spir. — 5. Habet *inulti* M, non *multi* Bud. Harl. Bodl. Ies. Spir. Puteol. Ber. — *et in*] .*T*. (sic) M. — *Iuliusque* Orellius: *Iulius quẽ* M; quae nota *quidem* significare nequit, sed saepe in M falsae sunt notae litterae *m*, *ã*, *ẽ* cet., *Iulius quidem* cum mg. Guelf. Reg. Spir. B, *Iulius quidam* Lipsii altera, Pichena, alii, *Iulius* Bud. Harl. Bodl. Ies. Oberlinus. — 7. *congressi* M. — *qauia temptantem* cum lin. traversa in litt. *q* M. Emendatum in Agr. — 8. *adagnitum oraverat* M, *agnitum adoraverat* haud male Doederlein. — 9. *autem*] Utrum M habeat *aũ*, an *tũ*, Baiterus distinguere nequivit; *tamen* Petersen prob. Doederleinio. — 11. *lesis* M. — Habet *inferebant* M, non *inserebant* Reg. Spir., nec *inferrent* Puteol. Ber. Pichena. — 12. *uelud* M.

posita] proprie interdiu; sed noctu clausas *tabernulas effringere et expilare solebat*. Suet. l. l. — *inferrent*] idque agerent *adversus ignaros* cet., per *βραχυλογίαν*. — *ore praeferret*] Plinius 13, 22, 43: de thapsia, ferulae genere: *Nero Caesar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi thure ceraque, et secuto die contra famam cutem sinceram circumferens*. — *deinde ubi*] In impeditiore hac clausula *πρότασιν* esse iudico *deinde* - - *insignes*, et *ἀπόδοσιν* tribus membris constare: *et quidam* cet., *et in modum* cet., *Iuliusque* cet. Quod vulgo edunt *Iulius quidem* et auctoritate et apto sensu caret; quod alii substitutum iverunt *quidam*, minime quadrat, cum hominis dignitas senatoria tot verbis exponatur. — *captivitatis*] quasi cives omnes essent captivi. 16, 16: *captivitate urbium*. Hist. 3, 70: *captivitatibus urbium*. — *nondum* - *capessisset*] Explicandum hoc e Suet. Oct. 38: *Liberis senatorum, quo celerius rei publicae adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisit* (ita scilicet, ut sententias ipsi nondum dicerent). Referuntur huc vv. Suetonii Ner. 26: *a quodam laticlavio, cuius uxorem attrectaverat, prope ad necem caesus*. — Rem fusius narrat Dio 61, 9: *Ἰούλιός τις Μοντανὸς βουλευτὴς ἀγανακτήσας ὑπὲρ τῆς γυναικὸς προσέπεσέ τε αὐτῷ καὶ πληγὰς πολλὰς ἐνεφόρησεν· ὥσθ' ὑπὸ τῶν ὑπωπίων συχναῖς αὐτὸν ἡμέραις κρυφθῆναι· καὶ ἔπαθεν ἐπὶ τούτῳ δεινὸν οὐδέν· ὁ γὰρ Νέρων, ἐκ συντυχίας ἄλλως ὑβρίσθαι νομίσας, οὐδεμίαν ἂν ὀργὴν ἐποιεῖτο, εἰ μὴ ἐπέστειλεν αὐτῷ συγγνώμην αἰτούμενος· ὡς γὰρ ἀναγνοὺς ὁ Νέρων τὰ γράμματα ἔφη, Οὐκοῦν ἤδη, Νέρωνα τύπτων, αὐτὸν κατεχρήσατο;* — *oraverat*] Suam coniecturam *adoraverat* ita firmat Doederlein: «salutaverat, ut Hist. 1, 36: *adorare vulgus*. Plin. H. N. 8, 1: *elephanti regem adorant, genua submittunt*. Alioqui *deprecatus erat* Tacitus scripsisset, non *oraverat*.» (Nisi vero excidit *veniam* vel simile quid.) — *plerosque gladiatores*] *sehr viel Gladiatoren*; *plerosque gladiatorum*, ut cum Bud. Guelf. Ies. Puteol. edebant ante Ernestium, foret *die meisten Gladiatoren*. Cfr. C. 27: *plurimis equitum, plerisque senatoribus*. Walth. — *sinerent*] non adverterent neque se immiscerent. Imperf. coni. de consilio, quo Nero illos sibi circumdederat; *inferebant* de eo, quod fiebat. Walth. Frustra Puteolanus *inferrent*. — *ludicram licentiam*]

vertit inpunitate et praemiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans, donec discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur milesque theatro rursum adsideret.

(26) Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur. nec deerant qui censerent. sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen consensum senatus, ille an auctor constitutionis fieret ut inter paucos ei sententiae adversos: quibus-

1. *inp.* M: *imp.* B. — 4. *ads.* M: *ass.* B. — 6. *et flagitatumque* M. Varias, sed improbabiles de corrupto vel manco h. l. Criticorum opiniones inspice apud Waltherum. — 8. *tamen Icsensum* cum lin. super litt. *c.* M. — 9. *ei*] *et* M, quod restituit Walther.

Hoc ad ludos circenses, *fautores histrionum* ad scenicos spectat. Cfr. 1, 16. et 77., mox C. 28. Plin. Epp. 9, 6: (in circo) *nunc favent panno, pannum amant.* Gronovius quidem per ἓν διὰ δυοῖν interpretatus est licentiam ludicram fautorum histrionalium. — *histriones*] non omnes omnino, sed qui turbarum auctores vel causae habebantur. Dobd. Prorsus scilicet histrionibus destitui Urbs vix poterat.

26. *revocandae*] Non ergo ratum Claudii iudicium, qui *ingratos et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem.* Suet. 25. Digest. 37, 14, 5: *D. Claudius libertum, qui probatus fuerat patrono delatores summisisse, qui de statu eius facerent ei quaestionem, servum patroni esse iussit.* Iudicavit ergo quidem ita Claudius, sed in legibus et more Romano aliud fuit. — *relationem*] ex qua sola legitimum senatus consultum fieri poterat, cui h. l. opponitur *sententia;* scilicet illud *de fraudibus libertorum* a senatoribus plerisque dictum fuerat per *egressionem* sive *excessum.* (Ann. 2, 33. et 38. 13, 49: *licere patribus, quoties ius dicendae sententiae accepissent, quod vellent expromere relationemque in ea postulare.* Plin. Epp. 6, 5. et 19. 9, 13. Quintil. 3, 9, 4.) Ac similiter infra 14, 49: *at consules perficere senatus decretum non ausi de consensu scripsere Caesari.* Cfr. Gronovii Obss. 1, 22. p. 92. Frotsch. (Ceterum nullo modo potuerunt consules postulare, quod videtur Gronovio l. l., ut quod pro sententia dictum erat a senatoribus relationem egressis ratum haberet et constitutionem esse sineret sine relatione. Nullae tum constitutiones factae sine relatione. Ergo quaerunt, an sententia illa placeat velitque relationem fieri. Cfr. 15, 22. Ern.) Locum sic explanat Ryckius: «Consules scripserunt principi totum fere senatum huc inclinare, se tamen ea de re nolle referre eo inconsulto, putare autem, cum pauci diversam sententiam foveant, eum inclinationem senatus facile secuturum et constitutionis auctorem futurum (utique post legitimam relationem).» — Iam quae sequuntur adeo vel corrupta vel potius manca sunt, ut nec satis explicari neque certa ratione restitui queant; id unum manifestum est, omnia ista non acta in senatu esse, sed in principis consilio deliberata. Gutmannus quidem in seqq. hanc verae lectionis, ut ita dicam, umbram expressit: *ut iam nec aequo cum patronis iure agerent, sed palam eis insultarent ac verberibus manus ultro intenderent, impudenter poenam suam dissuadentes.* — *coalitam*] artissime iunctam ac propterea confirmatam et auctam, ut 14, 1: *coalita vetustate imperii audacia.* Hist. 4, 55: *coalita libertate dispecturas Gallias* cet. Sumpta metaphora ab arboribus et plantis, quae *coalescere* dicuntur, cum radicibus adhaeserunt terrae neque convelli possunt. Ern. — *intenderent*] Cfr. 3, 36: *Libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur.* — *dissuadentes*] velut amicum consilium dantes, ne patronus ipsos punire conetur, significando se et velle et posse talis poenae ultionem aliquando sumere. — *concessum*] Quando id aut qua lege concessum quaerimus. Suspicor esse ab Au-

dam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, † vine an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, † impulere vel poenam suam dissuadentes. quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? ceteras actiones promiscas et pares esse. tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat. nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint. at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coërceantur quos beneficia non mutavissent. (27) disserebatur con-

1. *libertatē* M. — *inr.* M: *irr.* B. — Habet *uine an* M; *ut iam* Doederlein. — 2. *equo* M. — 3. *impulere*] *impune* mg. Gryph. prob. Doederleinio. — *penam* M. — 4. *leso* M. — *quam uicesimum* (sic) M. — 5. *campaniā* M. — *promiscas* M. — 8. *adsecuti*] *absecuti* M, *assecuti* B. — *detrahi*, sed corr. *r* M.

gusto, qui, ut Dio ait 55, 13., constituit *τὰ δικαιώματα, οἷς οἵ τε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερουμένους καὶ αὐτοὶ οἱ δεσπόται σφῶν γενόμενοι χρήσοιντο.* — Et relegatio quidem fuit ab exemplis prisci aevi. Ut enim patres olim filios rus relegabant, ut Roscius Amerinus, ut Torquatus a patribus relegati leguntur, sic patronis relegandi libertos ius tribuit sive quis alius sive Augustus. Sed in numero num qua ratio? Et cur non ultra XX. lapidem? Nihil reperio. Lips. (Libertus sic habitare poterat amoenissima Campaniae loca, urbanis obsequiis et quotidianis officiis erga patronum liberatus. Dubbn.) Legendum: *centesimum lapidem.* Ratio, quia praefectus urbi, ad cuius iurisdictionem querelas patronorum de libertis pertinuisse Ulpianus docet Lib. 1. Dig. de off. praef. urbi, intra *centesimum* lapidem cognoscebat, et ultra hunc praefectus praetorio. Dein quia Campania, quae trans Lirim et Minturnas ab urbe distat CVII., milliaribus iuxta Antonini Itinerarium. Ryck. Cfr. Dio 52, 21: *Πολίαρχος - - ἀποδεικνύσθω - - ἵνα καὶ τὰς δίκας - - τοῖς τε ἐν τῇ πόλει - - καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ·* quemadmodum nunc recte legitur pro *καὶ ἑξακοσίων·* est ipse *centesimus* lapis. Ulpianus Dig. 1, 12, 10. de officio praefecti urbi: *Cum patronus contemni se a liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum queratur, vel convicium se ab eo passum liberosque suos vel uxorem, vel quid huic simile obiicit, praefectus urbi adiri solet et pro modo querelae corrigere eum aut comminari aut fustibus castigare aut ulterius procedere in poena eius solet; nam et puniendi plerumque sunt liberti. Certe si se delatum a liberto vel conspirasse contra se cum inimicis doceat, etiam metalli poena in eum statui debet.* Idem Dig. 37, 14, 1: *Si libertus patrono contumeliam fecit aut convicium ei dixit, etiam in exsilium temporale dari debebit.* — *Campaniae*] Med. *Campaniam* mera est accommodatio ad praecedens v. *oram*, neque advocari debebat Tibull. 1, 9, 38: *Si pretium Campania terra daretur.* — «Sciendum neminem relegatum proprie in Campaniam nedum omnes et nusquam alio. Relegatio fiebat ultra centesimum; at locum ultra centesimum sibi legebat ipse, qui solum vertebat. Ex his igitur aliquos praecipue lautiores Campaniam praetulisse atque huic invidiae occasionem dedisse satis est veri simile; sicut Etruscus, de quo amico Stat. Silv. 3, 3, 162: *hic molles Campani litoris oras Et Diomedeas concedere iussus in arces, Atque hospes, non exsul erat.*» Gron. — *actiones*] legis: in ceteris coram tribunali eandem esse condicionem patroni et liberti. Dubbn. — *retinendi*] pro *retinere*, ac si praecessisset substantivum: «nec grave negotium, nec ullam molestiam esse *retinendi*.» Cfr. 15, 5: *Vologesi penitus infixum erat arma Romana vitandi.* Dubbn. (Ad rem cfr. Göschen in Savigny's *Zeitschr. für geschichtl. Rechtswiss.* III. 2. p. 273.) — *beneficia*] liberalis condicio, qua usi essent in patronorum domibus. — *non mutavissent*] in melius, ad debitum patronis obsequium praestandum induxissent modestioresque reddidissent. Mire

tra paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere, nihil universorum iuri derogandum. quippe late fusum id corpus. hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum. non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. quin et manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur paenitentiae aut novo beneficio locus. quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinclo servitutis attineri. dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur. haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent. nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.

1. *nichil* M. — 8. *penitentiae* M. — 10. *hec* M. — 11. *scriptaque*, in mg. *scripsit*, M. — *causa* M. — 12. *nichil* M. — *derogent* M, quod restituere Walther, Ritter, Doederlein. Emendavit Muretus; ut saepe, hic quoque excidere litterae. — 13. *amite* M.

haesit in his Ernestius suspicatus *non continuissent* «aut simile quid,» ut ait.

27. *late fusum id corpus*] quae una ex praecipuis causis interitus Romani imperii ac populi. In Inscriptionum praesertim corporibus videre licet immensam libertorum multitudinem, si comparaveris cum civibus Romanis antiquae ac vere ingenuae originis. — *hinc*] ex libertinis constare ac suppleri *plerumque*, magnam partem, *tribus* praesertim urbanas, in quibus capite censi et libertini erant; quamquam tum multi etiam in *rusticis tribubus* nobilioribus censebantur. Duebn. — *decurias*] collegia scribarum, lictorum, viatorum, praeconum, accensorum cet., quae partim iterum significantur sequentibus *ministeria* cet. Duebn. — *cohortes etiam in urbe conscriptas*] cohortes vigilum, quae scriptae primum ex milite libertino. Strabo 5. p. 235. Dio 55, 26. Lips. Adde 1, 31: *vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, lasciviae sueta.* — *duas species*] «Tacitus loquitur de *vindicta*, qua servus civili iure possessus coram praetore sollemnibus verbis in libertatem vindicabatur sive manumittebatur; ea sola tum *iustam* et plenam *libertatem* praebebat. Ceteri praeter vindictam modi manumissionis (velut *inter amicos* testes verbis data, *per epistolam*, *per mensam*, *per emptionem)* revocari poterant, ita ut manumissus maneret quidem per vitam liber, sed moreretur ut servus, bonis et liberis ad heri heredumve eius possessionem redeuntibus: sic mox dicuntur hi *velut vinculo servitutis attineri.* Tales autem liberti obsequiis impetrare studebant a patronis, ut per vindictam assererentur in iustam libertatem; quam spem patroni vel explere poterant *novo beneficio*, vel repellere, sic *poenitentiae* locum sibi concessum habentes.» Duebn. *Poenitentiam* vocat, si patroni libertis iustam, quam appetebant, libertatem nunquam dabant. Ad *vinculum* illud *servitutis* pertinet imprimis Instit. 3, 7, 4: *Latinorum Iunianorum successiones nullae penitus erant, qui, licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, et quasi servorum, ita bona eorum iure quodammodo peculii ex lege Iunia manumissores detinebant.* — (Ad totum hunc locum cfr. Savigny's *Zeitschrift* cet. II. 5. et III. 7.) Seneca de Vita beata 24: *Hominibus prodesse natura iubet, servi liberive sint, ingenui an libertini, iustae libertatis an inter amicos datae.* Ceterum cfr. Ernestium ad h. l., cuius disputationem dabimus in Excursu. — *privatim*] propria et separata de cuiusque liberti causa cognitione. — *derogent*] Frustra hic quoque Muretus, Acidalius, Ernestius malebant *derogarent.* Praetulit Tacitus efficacius

(28) Manebat nihilo minus quaedam imago rei publicae. nam inter Vibullium praetorem et plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod inmodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset. conprobavere patres, incusata Antistii licentia. simul prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi posset. addidit L. Piso designatus consul ne quid intra domum pro potestate adverterent, neve multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent; medio temporis contra dicere liceret, deque eo consules statuerent. cohibita artius et aedilium potestas, statutumque quantum curules, quantum plebei pignoris caperent vel poenae irrogarent. eo Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum aerarii quaestorem contentiones proprias exercuit, tamquam ius hastae adversus inopes incle-

1. *nichilo* M. — *rei.p.* M. — 2. *bibullium* M. — 3. *inm.* M: *imm.* B. — 4. *conpr.* M: *compr.* B. — 5. *cos.* M. — 6. *L.* M: *Lucius* B. — *cos.* M. — 7. *adverterent* M: *animadverterent* cum Guelf. Spir. Puteol. B. Cfr. 2, 32. 3, 52. 4, 35. et 54. 5, 9. 6, 40. 12, 61. — *his* M. Guelf. Spir. — 8. *erarii* M. — 9. *cos.* cum lin. M. — 10. Habet *artius* M, non *arctius* Puteol. — *statumque*, ex corr. addito *tu*, M. — 11. *paenae* M. — 12. *tr. pl.* M. — *questorem* M. — 13. *tāquam* M: *tanquam* B.

tempus praesens, simulque, ut assolet, variat orationem. «*Expenderent* dicit, quae fieri possent, si casus daretur, quare ponitur in optativo. *Derogent* vero dicit, quod iam fieri debet, hoc est, iubetur; igitur non pendet ex cogitatione casuum, qui esse possunt.» Walth. — *Paris*] Nimirum Paris *pretio dato* manumissus fuerat a Domitia: iam principe auctore pretium illud repetiit a patrona pro tribunali, iudicibus eum *ingenuum natum* esse et iniuria pro servo habitum fuisse consentientibus. Duebn. Ulpianus Dig. 12, 4, 3, 5: *Neratius libris Membranarum refert, Paridem pantomimum a Domitia Neronis filia* (error pro *amita*) *decem, quae ei pro libertate dederat, repetiisse per iudicem, nec fuisse quaesitum, an Domitia sciens liberum accepisset.* Cfr. Cuiacii Observv. 18, 23.

28. *conprobavere patres*] praetoris factum, non tribuni, ut Muretus voluit, corrigens *non probavere*, quod placet Broterio. Ern. «Quin potius: id factum, quod *improbaverat* tribuni intercessio.» Doed. Fortasse nimis artificiose. Idem subiungit: «Aliter Rothius: is commate distinguit ante *comprobavere*, ut *ortum certamen* obiectum sit, hoc sensu: Controversiam a praetore motam in tribunum comprobavere patres; laudaverunt praetorem, quod arrogantiam illam non tulisset.» Verum hanc quoque interpretationem vix quisquam probabit. — *prohibiti tribuni - - vocare ex Italia*] citare ad iudicem reos ex Italia; nam potestas tribunorum urbis terminis circumscripta erat. (Dionys. Hal. 8, 87.) Sed olim ne in urbe quidem vocare poterant, quod tum licuisse iis videtur. Duebn. Vide locos Antistii Labeonis et Varronis apud Gell. 13, 12. Varro quidem *In magistratu, inquit, habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum: ut consules et ceteri, qui habent imperium, prensionem; tribuni plebis vocationem habent nullam* cet. — *intra domum*] Tribunorum pl. domus ne noctu quidem claudebantur, ut praesens semper et quovis tempore esset tribunitiae intercessionis auxilium. (Plutarch. Qu. R. 80.) Non tamen intra domum, ubi aut irae aut libidini locus, sed publice et pro tribunali animadvertebant. Brot. — *quaestores aerarii*] Addidit v. *aerarii*, quod nonnullis supervacaneum visum est, ut hos distingueret a proconsulum ac propraetorum in provinciis quaestoribus. — *pignoris*] pignora (multae solvendae) capiebantur in domibus civium, qui citati ad magistratus non parerent, etiam senatorum, qui vocati sine *sontica causa* in curiam non venirent. Duebn. — *eo*] id est, ideo, ut 12, 57. Indicat Helvidium occasionem privatae simultatis acriter exercendae sumpsisse ex senatus consultis ante memoratis. — *Obultronium*]

menter augeret. dein princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit. ×(29) varie habita ac saepe mutata eius rei forma. nam Augustus senatui permisit deligere praefectos; deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeessent. neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. tunc Claudius quaestores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit. sed deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus. igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.

(30) Damnatus isdem consulibus Vipsanius Laenas ob Sardiniam provinciam avare habitam. absolutus Cestius Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum qui Ravennae haberentur, velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque

1. Habet *augeret* ex corr. M; antea fuisse videtur *auderet*. — *quest*. M. — 2. *sepe* M. — *mutata* Spir. et hac non inspecta Baiterus: *Imitata* (sine puncto in l. *i*) M, *immutata* cum cett. B. — 3. Habet *senatui permisit deligere* hoc ordine M, neque vero *promisit*, ut narrat Pichena. — Habet *deinde* M, non *dein*, ut cum aliis edidit Iac. Gronovius. — 6. *quest*. M. — 7. *etatis* M. — 8. *praefectura* M. Correxit Pichena. — 9. Utrum M habeat *delecit*, an *delexit*, distinguere nequivit Baiterus, certe non *delegit*. — 10. *cos*. M. — *lenas* M. — 11. *abare* M. — *cestus* M. Emendavit Rhenanus. — *credentibus* M. Correxit Beroaldus. — 12. *accusantibus* (sic) M, non *accusatibus*. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 13. *rabenne* M. — *uelud* M. — *sevitiaque* M.

Nomen corruptum non est. Cfr. Grut. 678, 7. — *augeret*] gravem in modum ius legibus descriptum excederet. — *tabularum publicarum*] in quibus scripta erant nomina debitorum aerarii. Dübn. — *praefectos*] Infra C. 29. extr. *praetura functos* dicit. Sunt *praefecti aerarii*. Cfr. Inscrr. m. Lat. N. 77. 1172. 2275. 3168. et Ann. 1, 75.

29. *varie habita*] Cfr. 1, 78. et Lipsii ad h. l. Excursum B. — *rursum*] ut in libera re publica, cuius per tempora primum consules, deinde aediles plebei, aliquamdiu censores, ceteris diutius quaestores aerario praepositi fuerant. Dübn. — *promisit*] praeturam dedit acta quaestura, *extra ordinem*, quia quaestori per aedilitatem ad praeturam ibatur. Dübn. Dio 60, 24. de Claudio ad a. 797: *τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, ταμιείαις αὐτὴν κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν, οὐχ ὥστε ἐτησίους σφᾶς - - ἄρχειν, ἀλλ' οἱ δύο οἱ αὐτοὶ τρία ὅλα ἔτη αὐτὴν διῴκουν· καὶ οἱ μὲν στρατηγίας εὐθὺς ἐλάμβανον, οἱ δὲ καὶ μισθὸν ἔφερον ὅπως ποτὲ καὶ ἔδοξαν ἄρξαι.* — *capessentibus*] Nam quaestura erat *primus gradus honoris*. Cic. Verr. 1, 4. — *praetura perfunctos*] Suet. Claud. 24. *praetura functos* vocat, ubi vide Torrentium. Ern.

30. *infimam nationum*] veluti Cappadoces, Cilices cet. — *anteiit*] pro usitatiore *antevertit*, ut hic ex interpolatione Guelf. Spir. et ceterae Edd. ante Waltherum. Cfr. 5, 6: *antibo periculum*. 6, 29. — *Rebius*] Malim equidem cum Lipsio *Caninius Rebilus*, ne idem duo nomina gentilicia gerat. Nam *Rebilo* consulari sub Claudio a Seneca de Benef. 2, 21. tribuuntur magnae divitiae vitaeque infamia; et *Rebilus* cognomen est gentis *Caniniae*. Duo C. Caninii Rebili consules annorum 708. et 741. in Fastis. — Praeterea praecedentibus tribus nullum dat praenomen Tacitus. — *muliebriter infamis*] impotenti libidine actus muliebria passus erat. Sal. Cat. 18. — *L. Volusius*] De huius senecta Plinius 7, 49: *Nuper L. Volusius omnium, quos in consulatu sententiam rogaverat, superstes fuit.* Praefectum eum urbi fuisse colligas ex altero Plinii loco. ibid. 14: *Nuper L. Volusio Saturnino in praefectura urbis exstincto notum est Cornelia Scipionum gentis Volusium* (intelligit *Q. Volusium* cos. a. u. 809.) *Saturninum, qui*

afflictavisset, veneno damnationem anteiit. † G. Aminius Rebius, ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine, cruciatus aegrae senectae misso per venas sanguine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis, ob libidines muliebriter infamis. at L. Volusius egregia fama concessit; cui tres et nonaginta anni spatium vivendi, praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit.

(31) Nerone II. L. Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar exstruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. ceterum coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt; plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati, et sestertium quadringenties aerario inlatum est, ad retinendam populi fidem. vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remis-

1. *damnatione* M. — Habet *anteiit* M, non *antevertit*, ut cum Guelf. Spir. edebant ante Waltherum. — *G.* M: *Gaius* B. (*Caninius Rebilus* suspicatus est Lipsius.) — 2. *egre senecte* M. — 4. *sumende* M. — Habet *infamis* M, non *infames* Spir. — *L.* M: *Lucius* B. — 5. *annis* pr. M. — 7. *II.* M: *secundum* B. (Deberet esse *iterum.*) — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* cum lin. M. — 9. *extruxerat* M. — 10. *PR.* cum lin. M. — 11. *actissimâ dare.* M. Correctum iam in celt. Codd. — *ceterae* M. — 12. *quadrigeni* M. Lipsio suadente (cuius Edd. *quadrageni)* correxit Pichena. — 13. *inl.* M: *ill.* B. — 14. *uicesime* M.

fuit consul, genitum post LXII. annum. Et de divitiis eius Tacitus 14, 56: *Et, quantum Volusio longa parcimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest.* Cfr. 3, 30. Lips. — *bonis artibus*] Ut Propert. 1, 4, 13: *Ingenuus color et multis decus artibus*, scilicet quaesitum vel paratum. Dobr. — *malitia*] in quo viro inde a Tiberio tot imperatores quamvis semper suspiciosi atque ad saevitiam prompti non offendebantur; breviter et argute dictum. Lipsius quidem, male probantibus Lallemando atque Ernestio, malebat *amicitia.* At vero vix credibile est Volusium tot imperatorum usum esse amicitia; neque praeterea quidquam a Tacito et Dione tali de necessitudine memoratur. Cfr. Waltherum.

31. *L. Pisone*] L. Calpurnius Piso filius fuit L. Calpurnii Pisonis, qui consul cum M. Licinio Crasso a. 780. 4, 62. Ryck. — *molem amphitheatri*] Quod totum e ligno struxit. Suet. Ner. 12. — *exstruxerat*] Suo more Ernestius malebat *exstruxerit.* Sed Tacitus non loquitur de theatro, quod Nero exstruxisse dicatur, sed quod sciebat illum exstruxisse. Walth. — *diurnis urbis actis*] Memorabilis sane de his locus. Cfr. 16, 22. Simul reprehendit scriptores historicos, qui talibus rebus volumina sua impleant. — *Nuceria*] hodie *Nocera.* — *firmatae*] suppletae et auctae. — *congiarium*] Congiariorum Neronis exstat memoria in eius nummis cum inscriptione *CONG. I.* vel *II.* vel *III. DAT. POP. S. C.* Akerman I. p. 164. — *quadringeni*] Firmat Suet. 10: *Praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegit, divisis populo viritim quadringenis nummis.* — *populi fidem*] Quod nos dicimus *Staatscredit.* Dobr. — *quintae et vicesimae*] Augustus, cum pecunia ad bellum et nocturnos vigiles ei opus esset, instituit *quinquagesimam* venalium mancipiorum. Dio 55, 31. ad a. 750: Τὸ τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. Burmannus de Vectig. P. R. C. 5. p. 69. putat sic Dionem cum Tacito conciliari posse, ut dicamus primo quinquagesimam fuisse, procedente tempore duplicatum id vestigal atque quintam et vicesimam factam fortasse ex instituto Caligulae. Certe sub Claudio haec iam imposita erat, uti constat ex Inscr. apud Fabrettum C. 1. N. 176: *CLAVDIO. DRVSI. F. CAESARI. AVG. GERMANICO. PONT. MAXIMO*, - -

sum, specie magis quam vi, quia cum venditor pendere iuberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. edixit Caesar ne quis magistratus aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. nam ante non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis subiectos affligebant, dum quae libidine deliquerant, ambitu propugnant. (32) factum et senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent. redditur ordini Lucius Varius consularis, avaritiae criminibus olim perculsus. et Pomponia Graecina insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britanniis rettulit, nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa. isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognovit, et insontem nuntiavit. longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit. nam post Iuliam Drusi filiam dolo Messalinae interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo

2. *ptii* M. — 3. *procurator in provincia* M, omisso *qui*, quod inseruit Rhenanus. — *opt.* M. — 4. Habet *quod* M, non *quid* Spir. — 5. *dumque lib.* M. — 6. *S C* cum lin. M. — 7. *securitatis* M. — *hii* pr. M. — 9. *lurius uarius* M. — 10. *platio* M. — 11. *brittanniis* M. — *suptionis* M. — 13. Habet *huic* M, non *hinc* Spir.

PVBLICI. XX. LIBERTATIS. E. T. XXV. VENALI . . . — *specie magis*] Remissum est hoc vectigal in gratiam civium Romanorum, qui fere emptores, impositum contra mangonibus, qui plerumque erant exteri; hi autem, ut consentaneum erat, vectigal addebant manciplorum pretio, ita ut ad ipsos cives nullum ex remissione illa lucrum redundaret. — *tali largitione*] ludis edendis, in quibus pecuniae profusio et largitio, quia sumptus fit ad gratiam populi conciliandam. Hanc ipsam *largitionem* vocat mox *ambitum*, hoc est, benevolentiae et gratiae captationem, per quam propugnabant delicta sua in sociorum pecuniis undique corripiendis, id est, consequebantur, ut ab accusatione tutiores essent. Per *libidinem* intellige non modo venerem improbam, sed etiam iniustitiam, saevitiam, maxime avaritiam. Ern.

32. *factum et S. C.*] quod Pisonianum dictum in Dig. 29, 5. de S. C. Silaniano, §. 8,. et Neronianum a Paullo Sentent. 3, 5, 6: *Servi, qui sub eodem tecto fuerint, ubi dominus perhibetur occisus, et torquentur et puniuntur, etsi testamento occisi manumissi sint.* Certe factum est Nerone II. et Pisone coss. a. u. 811. Latum ea de re et antea sub Augusto; P. Cornelio Dolabella et C. Iunio Silano coss. a. u. 763., unde nomen S. C. Silaniani, sed minus plene. Cfr. Cuiacii Observv. 1, 18. Lips. Adde Bachii Hist. Iurispr. Rom. 3, 1. §. 2. 25. 28. — *ii quoque*] ut liberti eo acrius invigilarent servis huiusmodi sceleris capacibus. Atque ab his libertis imprimis esse instigatum interfectorem prompta semper erat suspicio. — *Pomponia*] Filia, ut videtur, potius quam soror P. Pomponii Graecini, cos. suffecti a. 769. et ad quem elegiae Ovidii ex Ponto 1, 6. 2, 6. 4, 9. — *Plautio*] 11, 36. Agr. 14. — *se rettulit*] rediit, ut Cic. N. D. 3, 14: *Cur sol se referat nec longius progrediatur.* Virg. Ge. 4, 180: *At fessae multa referunt se nocte minores.* Aen. 7, 286: *Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Saeva Iovis coniux.* Horat. Sat. 1, 6, 114. Gron. Haec Alciato opposita corrigenti *quem ovasse de Britannia rettuli.* Ern. — *superstitionis externae*] Christianismi credo accusatam hanc feminam. Lips. Quivis autem dei alicuius cultus a Graecorum Romanorumque religionibus discrepans appellabatur *superstitio*, ut Iudaica cet. (De Christianis Ann. 15, 44. Suet. Ner. 16. Plin. Epp. 10, 97.) — *prisco instituto*] Cfr. 2, 50. — *nuntiavit*] Nil opus Ursini *pronuntiavit* neque Hilleri *enuntiavit*; Neroni et senatui,

nisi maesto egit. idque illi imperitante Claudio inpune, mox ad gloriam vertit.

(33) Idem annus plures reos habuit. quorum P. Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Caesar, traxit, senecta donec mortem obiret. nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque, et idem ius audaciae in provincia ratum quod in urbe exercuerat. sed pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus praevaluit ut quidam accusatorum eius exsilio multarentur, tamquam insonti periculum fecissent.

(34) Nerone tertium consule simul iniit consulatum Valerius Messala, cuius proavum, oratorem Corvinum, divo Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. sed nobili familiae honor auctus est oblatis in singulos annos quingenis serstertiis,

1. *mesto* M. — *inpune* M: *impune* B. — 3. *P.* M: *Publium* B. — 4. *asya* M. — 5. *procos.* cum lin. M. — 7. *fedumque* M. — *audacie* M. — 10. *licires* M. — *repetebat* M. — 11. *exilio* M. — *tãquam* M: *tanquam* B. — 13. *init* M. — 14. *collega* M. — 16. *familie* M.

causa cognita, nuntiavit insontem repertam esse. Ern. — *huic*] eidem huic; nec placet Neuii *hinc*. — *Iuliam*] Cfr. 3, 29. 6, 27. et infra C. 43. Neptis erat Pomponiae, Attici filiae (Ann. 2, 43.) ex Vipsania et propinqua huius Pomponiae Graecinae. — *Drusi*] Tiberii filii. Haec Iulia interfecta instigante Messalina a. u. 796. Dio 60, 18. Eadem iubente alteram Iuliam Germanici filiam a. u. 794. necarat. Dio 60, 8. Suet. Claud. 29. Bene Gruterus et Freinshemius monent non hic tempus intelligi, quod a caede illa ad hunc usque annum 811. praeterierit, sed usque ad mortem Pomponiae, quam longaevam fuisse dicit. Male ergo Lipsii *quattuordecim* recepit Pichena. Ern.

33. *absolvere nequibat*] propter manifestam eius culpam. — *traxit*] accusationem et condemnationem distulit. — *memoravi*] supra C. 1. — *Cossutianum Capitonem*] Hunc sane ipsum intelligi Iuvenalis voluit 8, 92: *quam fulmine iusto Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu, Piratae Cilicum.* Item Quintilianus 6, 1, 14: *Egregie nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Graece quidem, sed in hunc sensum: «Erubescis Caesarem timere.»* Cfr. etiam 11, 6. 16, 33. — *maculosum foedumque*] refertur ad libidinem et sordidam avaritiam atque rapacitatem, ut Hist. 1, 7: *avaritia et libidine foedum ac maculosum.* 2, 30: *Caecina Valentem ut foedum et maculosum - - irridebat.* 3, 38: *eum omni dedecore maculosum.* In hac veluti formula *maculosus foedusque* ad utrumque simul vitium pertinet. — *Eprio Marcello*] 12, 4. Famosus delator Hist. 2, 53. 4, 6. cet. Ad hunc Seguinus Sel. NN. p. 103. recte refert nummum, in quo hinc *ΘΕΟΝ ΣΥΓΚΛΗΤΟΝ*, illinc *ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ. ΑΝΘΥ.*, in area *ΚΥ.*, quem Cypriis tribuit. Verum Eckhel D. N. II. p. 493. ostendit ad Cymen spectare Aeolidos. Obbar. — *periculum fecissent*] Sic loquitur etiam 16, 19. Alibi, ut 1, 74. Hist. 4, 43. est *facessere periculum*.

34. *Valerius Messala*] pater eius cos. a. 773., avus 751., proavus 723. — *oratorem*] et quidem celebratissimum atque ultimum fere ante Augusti plenam dominationem; idem magnus Tibulli fautor. Ceterum haec omnia memorasse videtur non tam merae curiositatis causa, quam ut aetatum inde ab Augusto usque ad Neronem cos. III. successionem brevi significaret. — *quingenis*] Hunc ergo Suetonius intelligit 10: *Senatorum nobilissimo cuique annua salaria, et quibusdam quingena*

quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent.

Eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur, quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridatem dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota illuc magis ad servitium inclinantes. (35) sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat. quippe Suria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum aegerrime tolerabant. satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi et quaestuosi, militia per oppida expleta. igitur dimissis quibus senectus aut valitudo adversa erat, supplementum petivit. et habiti per Galatiam Cappadociamque delectus, adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium, retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva adeo ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet. ambusti multorum

1. *cotte* M. — 2. *atherio* M. — 3. *habitas* M. — 6. *Tiridatem*] *tiridatẽ* M, *Tiridaten* B. — *exepertem* M. — 7. *PR.* cum lin. M. — 8. *reuatur* M. — *luculo* M. — *hoc* M : *haec* cum Guelf. et Edd. vett. B. — 10. *conubiisque* M. — 12. *syria* M. — 13. *trasmote* M. — *egerrime* M. — 14. *tollerabant* M. — *exercito* M. — 16. *quaestiosi* pr. M. — 17. *sectus* M. — 18. *galitiam* M. — *cappodiciamque* (sic) M. — *dilectus* M. — 21. *praeberent* (super litt. *n* posito *t*) M.

constituit. — *Aurelio Cottae*] cos. a. 773. 3, 2. — *Haterio Antonino*] cos. a. 806. 12, 58. — *prolatatum*] dilatum ac segniter gestum. Cfr. C. 6—9. — *dati a se regni*] cfr. 12, 50. — *illuc*] ad Parthos, hoc est, *ad servitium* Armeniis gratius.

35. *Romanorum*] Romanae militiae tam asperae; nam illi Romano more exuto in Asiaticos prorsus degeneraverant. Cfr. 1, 42: *si nos Hispaniae Syriaeve miles* (lascivus ac mollis) *aspernaretur, tamen - - indignum erat.* (Horat. Sat. 2, 2, 10: *Si Romana fatigat Militia assuetum graecari* cet.) — *nitidi et quaestuosi*] compti et ornati more urbanorum ac molliorum; dein negotiatores in oppidis, de more Romanorum, qui in provincia essent. Ern. — *alariis*] equitatu auxiliari. Cfr. 4, 73. — *pellibus*] tentoriis hibernis, quae pellibus contecta erant. — *ambusti*] Sic *frigus adurere* dicitur Virg. Ge. 1, 93. et *nives urere* Lucan. 4, 52. Silius 4, 68: *Hostem, miles, habes fractum ambustumque nivosis Cautibus.* — *adnotatusque*] *Adnotari* ad modum verborum *dicitur*, *fertur*; *manus* in accusativo more Graecorum, ut saepe, ponitur. Quare non erat, quod Ernestium offenderet. Walth. Scilicet is malebat *adnotatumque militi, qui*, «vel simile quid.» — *praeriguisse*] Significat ipsas manus frigore praemortuas una cum fasce devolutas vel abiectas. Lips. Ceterum v. *praerigescere* potius quam Freundii *praerigere* nunc est ἅπαξ λεγόμενον. — *intecto*] ut solebant in urbe, sine galero, sine casside. — *deserebantque*] propter duritiem caeli signa et castra. — *ut in aliis exercitibus*] «ut a segnioribus ducibus fieri tum solebat soletque etiamnunc.» — *misericordia melius*] quia, ubi delictorum numerus sensim crescebat, tandem severitas ut adhiberetur, prorsus necessarium erat, adeoque

artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent. ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse; laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. dehinc quia duritiam caeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est. nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat. idque usu salubre et misericordia melius apparuit; quippe pauciores illa castra deseruere quam ea in quibus ignoscebatur. (36) interim Corbulo legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores adirent praedicit. curam praesidiorum Paccio Orfito primipili honore perfuncto mandat. is quamquam incautos barbaros et bene gerendae rei casum offerri scripserat, tenere se munimentis et maiores copias opperiri iubetur. sed rupto imperio, postquam paucae e proximis castellis turmae advenerant pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. et damno eius exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. quod graviter Corbulo accepit, increpitumque Paccium et praefectos militesque tendere extra vallum iussit. inque ea contumelia

1. *adn.* M: *ann.* B. — 2. *fasce* M. — 3. *adher.* M. — *cui* M. — 4. *solacium* M. — 5. *duritia celi* M. — *militiae que* (divise) M. — 8. *paenas* M. — 12. *audirent* M. Emendatum in Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. Spir. At *auderent* e Vatic. Pichena, Walther. — 13. *Paccio* dedi ex Ann. 15, 12., ubi sic M, ut constanter in Inscriptionibus: *Pactio* M B. — Habet *Orfito* M, non *Orphito*, ut ceteri Codd. — 14. *quanq.* M B. — *gerende* M. — 16. *pauca* M. — *turme* M. — 19. *Paccium*] *pacium* M, *Pactium* B.

plures puniendi quam a Corbulone, qui statim ab initio durum imperium exercebat.

36. *ver adolesceret*] «ita progrederetur, ut iam frigoris reditus metuendus non esset.» Dureau de Lamalle, Burnouf, Louandre uno consensu: *jusqu'aux premiers beaux jours du printemps.* — *adirent*] pro magis solito *inirent* (inciperent) neque praetulerim Vatic. et Agr. *auderent*, id quod minus convenit et dignitati Romanae et ipsius Corbulonis virtuti. Atque *proelium audere* Tacitus usurpat de barbaris hostibus 4, 49. 12, 28. et 32., de gladiatoribus Hist. 3, 76., non de Romanis. — *praedicit*] *edicit* Agr. *Edicere* verbum quidem ordinarium in tali re, sed etiam *praedicere.* Liv. 23, 19: *quia praedictum erat dictatoris*, quod recte defendit Gronovius, hoc ipso Taciti loco allato. Ern. Atque sic Livius etiam 2, 10: *monere, praedicere, ut* cet., ubi Aug. Guil. Ernesti frustra malebat *praecipere.* Apud Tacitum ipsum ita invenitur Ann. 2, 6. Hist. 4, 53: *praedixere haruspices, ne temeraretur opus.* — *Paccio Orfito*] In Grutero et Muratorio non reperio nisi *Paccios* et *Paccias*; contra semper *Orfitos*, non *Orphitos*, ut hic in multis est Edd. — *increpitumque*] Miretur quispiam ducis tam severi clementiam, qui primipilarem rupto imperio congressum adeoque victum non condemnaverit exemplo T. Manlii, qui suum ipse filium patris imperio non obedientem, sed victorem tamen hostium interfecit. At ratio utriusque delicti prorsus diversa erat. Non enim per contumaciam, sed errore Paccius et prava imperii interpretatione peccaverat, tamquam liceret congredi, quandocunque maiores copiae advenissent. Et advenerant sane, sed non satis magnae, ut et eventus arguebat et Corbulo iudicabat. Dord. — *extra vallum*] Quod poenae

detenti, nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt. (37) at Tiridates super proprias clientelas ope Vologesi fratris adiutus, non furtim iam sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, et si copiae contra ducerentur, eludere, hucque et illuc volitans plura fama quam pugna exterrere. igitur Corbulo quaesito diu praelio frustra habitus, et exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispertit vires, ut legati praefectique diversos locos pariter invaderent. simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. nam Pharasmanes interfecto filio Rhadamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. tuncque primum illecti Insochi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae incursavit. ita consilia Tiridati in contrarium vertebant, mittebatque oratores qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus redintegrataque amicitia, quae novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae possessione depelleretur. ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia causa quam vi agere mallent. sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam clade Romana expertam. ad ea Corbulo, satis comperto Vologesen defectione Hyrcaniae attineri, suadet Tiridati precibus Caesarem aggredi:

1. *p̄cibus* M. — *exoluti* M. — 2. *clientalas* (sic) M. — 3. *cosque* M. — 4. *copia econtra duceretur* M. — *hucqq; (o* posito super priore *q)* M. Emendavit Lipsius. — 5. Habet *exterrere* M, non *extrahere* Bud. et Edd. ante Pichenam, neque *exercere* Corb. — 9. *radamisto* M. — 11. *Insochi* M: *Insechi* cum Vat. et Pichena B. — 12. *ritidati* M. — Habet *vertebant* M, non *vertebantur* Bud. Harl. Bodl. Edd. usque ad Ryckium. — 14. *nobis* M. — 16. *uologesē* M h. l., infra non. — *mallent* M: *mallet* cum Edd. vett. B. — 19. *yrcaniae* M. — *p̄cibus* M.

militaris genus antiquum. Liv. 10, 4: *Cohortes, quae signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destituit.* Val. Max. 2, 7, 15: *neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret neve tentorium ex pellibus haberet.* Vide et Polyb. 6, 36. Sed proprie de hac ipsa re Frontinus Strat. 4, 1, 20: *Domitius Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quae ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere.* Lips. Inspice Lipsium etiam *de Militia Rom.* 5, 18.

37. *exterrere*] terrore ob subitum impetum exorto ad societatem nostram deserendam permovere et ex amicis in hostes mutare, ut C. 56. 1, 57: *Fuerat animus Cheruscis Chattos iuvare, sed exterruit Caecina, huc illuc ferens arma.* Item 15, 11. H. 1, 63. Doed. Qui minus hunc usum intellexit, h. l. in Cod. Bud. interpolavit *extrahere*, ut edebant inde a Rhenano ante Pichenam. — *frustra habitus*] frustratus, elusus. Duebn. — *Antiochum*] Commagenes regem. 13, 7. *Praefecturae* autem sunt partes Armeniae, quibus sui praefecti, satrapae, ut iam vidimus 11, 8. Adde mox C. 39. Ern. — *Pharasmanes*] rex Iberiae. 11, 8. — *Rhadamisto*] 12, 47. — *illecti*] Scil. ad incursandam Armeniam; qui iamdiu «prae aliis, super alios» fidi socii fuerant, non tamen, ut suos fines egressi bella susciperent pro Romanis externa, sed eatenus, ut ipsi quiescerent nec infesti agerent. Doed. Ceterum Insochorum populus nunc ignotus est. Nam accuratissimus auctor Saint-Martin *Mémoires sur l'Arménie. Paris* 1818. Vol. I. p. 127. nihil aliud de eo tradit nisi hoc: *à l'orient de la province d'Ardaz étoient les cantons d'Ahpdag - - surnommé Medz (grand) pour le distinguer d'un autre qui étoit dans les montagnes des Kurdes; d'Andsakhador ou Andsakhits-dsor (vallée*

posse illi regnum stabile et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera praesentem potioremque sequeretur. (38) placitum dehinc, quia commeantibus in vicem nuntiis nihil in summa pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. mille equitum praesidium Tiridates affore sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque generis militum assisteret, non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur. cuicunque mortalium, nedum veteri et provido duci, barbarae astutiae patuissent, ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem afferri, ut dolus pararetur: nam equiti sagittarum usu exercito si detecta corpora obicerentur, nihil profuturam multitudinem. dissimulato tamen intellectu, rectius de iis quae in publicum consulerentur totis exercitibus coram dissertaturos respondit. locumque delegit cuius pars altera colles erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas. dieque pacto prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria milia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul adstitit, unde videri magis quam audiri posset. ita sine congressu dux Romanus abscedere militem, sua quemque in castra, iubet. (39) rex sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari

3. *nichil* M. — *summa* M, Bach, Doederlein: *summam* Faërno auctore B. — 7. *cuicũque* M. — 9. *offerri* cum Agr. Ryckius et Brotierius. Placet etiam Doederleinio. — *equitis* pr. M. — 10. Habet *obic.* M. — *nichil* M. — 11. Habet *iis* M, non *his* Spir. et Edd. ante Waltherum. — 13. *ads.* M: *ass.* B. — 18. *adst.* M: *ast.* B.

des Andsakh) qui étoit peut-être le pays du peuple nommé par Tacite Insochi, *qui habitoit la partie la plus reculée de l'Arménie.* Iam cum alibi non memorentur, sane sequenda erat Med. auctoritas; nam temere Cod. Vat. et plerique Edd. inde a Pichena praeter Iac. Gronovium et Bachium substituere *Insechi*. — *nuper*] Vide C. 9. — *mallent*] Tiridates et Vologeses.

38. *in summa*] In re, qua de agebatur unice, id est, in pace facienda, *in der Hauptsache, nämlich dem Friedensschlusse.* Sic Caesar B. G. 7, 20: *si nihil in oppugnatione oppidi profecisset.* Credo ego quoque ablativum et hic et Hist. 2, 16. retineri posse, maxime quia parum veri simile est utrobique accus. in ablat. mutatum esse, etsi non minus rectum Faërni *in summam.* Liv. 3, 61: *parvaque certamina in summam totius profecerant spei*, ubi plures Codd. *in summa;* at vide Drakenb., qui pluribus exemplis illustrat. Item Liv. 31, 37: *in summam belli profectum foret.* — *in faciem*] ut esset species et imago quaedam pacis, non belli. Ern. — *inde*] a Tiridate, *hinc*, ab Romana parte: equidem haec iungo cum vv. *finiri* et *afferri*; Doederlein *inde* cum v. *artum*, *hinc* cum v. *maiorem.* — *afferri*] compositum pro simplici *ferri*, quod malebat I. Fr. Gronovius, id est, permitti, concedi. Walther quidem vix recte *afferri* explicat memorari, *anführen*, *erwähnen*, *gedenken.* Quamquam speciosa est correctio Cod. Agr. *offerri.* — *ut dolus pararetur*] eo consilio, ut parari posset dolus, cuius exitus etiamtunc sane *incertus* erat. Cfr. C. 40: *locum fraudi parare.* Ita si acceperis, facile videbis non necessarium esse Puteolani *patraretur.* — *eadem legio*] Quasi milites omnes in medio constituti, sexta legio integra cum tribus milibus tertianorum ei permixtis, eadem vel quasi

et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit. sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur praesidiis nostris insessos; et Corbulo, ne irritum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, exscindere parat castella, sibique, quod validissimum in ea praefectura, cognomento Volandum, sumit; minora Corlione Flacco legato et Insteio Capitoni castrorum praefecto mandat. tum circumspectis munimentis, et quae expugnationi idonea provisis, hortatur milites ut hostem vagum neque paci aut praelio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem exuerent sedibus, gloriaeque pariter et praedae consulerent. tum quadripertito exercitu, hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet. libratoribus funditoribusque attributus locus unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret pari undique motu. tantus inde ardor certantis exercitus fuit ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. et inbelle vulgus sub corona venundatum; reliqua praeda victoribus cessit. pari fortuna legatus ac praefectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis cetera terrore et alia sponte incolarum in deditionem veniebant. unde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi. nec tamen proximo itinere ductae legiones, quae si amnem Araxem, qui moenia alluit, ponte

1. *et* M: *ac* cum Oberlini operis B. — 4. *excindere* M. — 6. Habet *Insteio* M, non *Isteo* Puteol. — 9. *exsuerent* M. — 10. *praede* M. — *quadripertito* M: *quadripartito* B. — 12. *libritoribus*, ut 2, 20., M. — 14. Habet *motu* M; *metu* Lipsius et Edd. usque ad Iac. Gronovium. — 15. *nudatis* M. — 16. Habet *escensu*, non *ascensu*, M. — 17. *ammodum* M. — *inb.* M: *imb.* B. — 21. *capti* (corr. *capitis*) M. — 22. *ducte* M. — *Araxem*] *araxẽ* M, *Araxen* B. — *menia* M.

una tantum legio essent, quoniam quidem una dumtaxat sextae aquila conspiciebatur.

39. *Volandum*] hodie ignotum. Forbiger *Geographie* II. p. 605: «Fortasse Strabonis p. 529. *Olane*, aliquot dierum itinera ab Artaxatis remota.» — *Insteio*] Hoc nomen est etiam apud Vell. 2, 16. et in lapidibus Grut. 172, 7. 362, 1. Murat. 2021, 6. cet. Cuiac. Obss. 10, 37. Respice ad C. 9. — *in testudinem*] Liv. 44, 9: *iuvenes scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nisis, fastigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant*; sed hoc quidem in spectaculo. — *libratoribus*] Cfr. 2, 20. — *glandes*] Brevitatis causa pro quovis missilium genere, quibus uti solebant. Glandes enim plumbeas (interdum cum inscriptione *ROMA. FERI.* Inscr. m. Lat. N. 4932.) mittebant funditores, libratores saxa et trabes ferratas. Cfr. Hist. 5, 17: *saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.* Sal. Iug. 57: *pars eminus glande aut lapidibus pugnare.* — *ne qua pars*] Gutmann: *damit die Bedrängten nirgendher Hülfe erhielten, erging von allen Seiten zugleich der Sturm.* Burnouf: *ainsi, également menacé partout, l'ennemi ne pourrait porter de secours nulle part.* Lipsius et seqq. ante Iac. Gronovium *metu*; quod sine libris et operarum aut correctoris culpa irrepsisse videtur. *Motu* significat: *pari undique belli mole ingruente.* Nihilominus Ernestius propendebat in fortuitum illud *metu*; contra libros tamen recipere ausus non est. — *escensu*] Sic, ut M, tacite Lipsius, ante quem cum aliis Codd.

transgrederentur, sub ictum dabantur: procul et latioribus vadis transiere. (40) at Tiridates pudore et metu, ne si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur, si prohiberet, inpeditis locis seque et equestres copias illigaret, statuit postremo ostendere aciem et dato die praelium incipere, vel simulatione fugae locum fraudi parare. igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum. latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decimanorum delectis; recepta inter ordines impedimenta, et tergum mille equites tuebantur, quibus iusserat, ut instantibus comminus resisterent, refugos non sequerentur. in cornibus pedes sagittarius et cetera manus equitum ibat, productior cornu in sinistro per ima collium, ut si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. adsultare ex diverso Tiridates, non usque ad ictum teli, sed tum minitans tum specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consectari posset. ubi nihil temeritate solutum, nec amplius quam decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis iam tenebris abscessit. (41) et Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret obsidioque circumdaret agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus. dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter et Medi an Albani peterentur incertum, lucem opperitur; praemissaque levis armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet. sed oppidani portis sponte patefactis se suaque

2. *nichil* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 8. Habet *delectis* M. — 11. *productiore* M. Emendatum in Guelf. Harl. Bodl. Bud. et a Rhenano. — *cornus* M. Emendatum in iisdem Codd. (*productiore cornuum sinistro* Lipsio auctore Walther.) — 12. *ads.* M: *ass.* B. — 13. *usque ad ictum teli* Baiterus: *usque addictum telis* M, *usque ad iactum teli* cum cett. B. Tu cfr. C. 39. extr. et Forcell. in *ICTUS*. — 14. *diverso* M. — *nichil* M. — 18. Habet *obsidioque* M, non *obsidioneque* Puteolani. — 21. *levi* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano.

edebant *ascensu*, quod sane est frequentius v. Caes. B. G. 5, 32: *primos prohibere ascensu*. Liv. 36, 24. — *Artaxata*] *τὴν ἐν Ἀρμενίοις Καρχηδόνα* vocat Lucullus apud Plut. in eius vita 32., quia Hannibalis suasu condita erat ab Artaxia rege. Cfr. Strabo 11, 14. Forbiger *Geographie* II. p. 603. Vide supra 2, 56. 6, 33. 12, 50. — *Araxem*] hodie *Aras*. Forbiger II. p. 598.

40. *si concessisset obsidioni*] si obsessis opem non tulisset. Ern. — *dato die*] opportuno, ut 4, 40: *dato tempore*. (Noli explicare cum Lipsio: orto, primo die dato, cum illuxisset, quem secutus est Burnouf: *au point du jour.*) — *viae*] itineri. Cfr. 1, 51: *incessitque itineri et proelio*. — *mediis*] «cum medii essent ex decuma legione delecti; cum medios haberent decumanorum delectos.» Monuit I. Fr. Gronovius propter Grotii suspicionem *mediis* (locis) *decumanorum delecti*. — *productior*] ita ut manus equitum peditumque in sinistro cornu magis sese extenderet quam in dextro; vel, ut explicat Bachius: «milites in cornibus ita erant instructi, ut productiores sive magis extenti in sinistro cornu essent ad radices collium.» Et necessaria videtur emendatio multoque melior Lipsiana *productiore cornuum sinistro*. — *sinu*] lateribus, *seitwärts*, *de flanc*. — *ex diverso*] e regione; ergo, a fronte. — *si laxare*] experturus, si (*ob*) efficeret, ut Romani ordines laxarent ac deinde ipse distractos persequi et urgere posset. Ern. — *ad obsequium*] mandatis Corbulonis praestandum. Ruperti.

41. *obsidioque*] *Obsidium* saepius Tacitus quam *obsidio*. Ern. Hoc substituere

Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit; Artaxatis ignis inmissus, deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur: vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta essent. adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra, tectis tenus, sole illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. ob haec consalutatus imperator Nero, et senatus consulto supplicationes habitae; statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa ut G. Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplica-

1. *artaxati* M. — *inm.* M: *imm.* B. — 2. *equata* M. — 4. Habet h. l. *capessendo* M, non *capescendo* Spir. — 5. *cappta* M. — *adicitur* M: *adiicitur* B. — 6. *uelud* M. — *tectis actenus* (sic) M, *tectis hactenus* cum Pichena et Ryckio Walther, *tecta hactenus* Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. Spir., Ritter (qui seclusit), Doederlein. Immane vitium, quod sibi similia monstra peperit, correxit Lipsius. — 7. *quod repente moenibus cingebatur ita atra* M. Edd. vett. Correxit Rhenanus. — 8. *fulgoribusque* M, quod praetulit Walther, afferens Plin. Epp. 6, 20. — *infensantibus dedeis* M. — 9. *consolatus* M. Emendavit Rhenanus. — *imp.* cum lin. per notam M. — *SC.* cum lin. M. — 10. *habite* M. — *statuae que* (divise) M. — 11. *refereretur* (sic) M. — 13. *G.* M: *Gaius* B. — *ads.* M: *ass.* B. — 14. *fortune* M.

Agr. Bud. Puteol. — *ipsis*] emphaticum est, *incolis tantum, non urbi eorum*, ut H. 3, 57: *Tarracinam moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam.* Quare punctum sustuli post *tulit*. Doed. Sic sane melius elucet oppositio. — *aequata*] Ita Med. pro vulg. *adaequata*, quod Ernestius praetulit, cum esset Tacito usitatum verbum, ut 12, 60. 15, 9. Sed illud aeque usitatum. 1, 41: *solo aequantur.* Velleius 2, 4: *circumdatam operibus Numantiam excisamque aequavit solo.* Bach. — *teneri*] per anacoluthon dictum, tamquam sequeretur: *nec vires nostrae - - dividi poterant.* Doed. Nota praeterea *in excelso Tigranocerta, at in campis iuxta Araxem Artaxata sita fuisse.* Plin. H. N. 6, 9, 10.; quapropter etiam difficilius hoc Armeniae caput poterat defendi. — *firmando*] si ex una parte firmum et numerosum praesidium Artaxatis imponere, ex altera in locis apertis bellum strenue gerere voluisset Romanus. — *velut numine oblatum*] Farnesiano superadditum *velut deum numine.* Lips. Frustra; nam etiam simpliciter dicitur *numine.* Ern. — *tectis tenus*] extra urbem usque ad tecta domusque omnia sole liquida. Lips. Sic accipienda haec vv. demonstrat membrum παράλληλον *quod moenibus cingebatur*, in quo molesta ταυτολογία nequaquam inest, ut putabat Walther. Falsam lectionem ac vix Latinam *tecta hactenus* (eatenus) explicant *opacata antea, nubibus obtecta.* Rittero haec pro interpolatis habenti credere nolim. — *discretum*] Modus loquendi ductus a poëtis, qui fulguribus *nubes dividi, scindi* dicunt. Horat. 1, 34, 5: *Diespiter igni corusco nubila dividens.* Ern. Aut hic est sensus: «nihil in urbe discerni prae caligine poterat nisi per fulgura.» Doed. Verior videtur Ernestii interpretatio: *von Blitzen durchzückt* Gutmann, *sillonné d'éclairs* Burnouf. Ceterum scripturam *fulgoribus* sic defendit Bachius: «Forma haec poëtica et exquisitior. Lucret. 6, 169: *fulgorem quoque cernimus ante Quam tonitrum accipimus.* Cicero de Div. 2, 39. Homericum versum sic reddit Latine: *Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.*» Equidem hunc ἀρχαϊσμὸν Tacito tribuere nolim, qui 15, 47: *fulgurum vis crebra;* contra *fulgores armorum* Agr. 39. usurpat. — *et senatus consulto*] Spir. *ex S. C.*

tionibus sufficere disseruerit, eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.

(42) Variis deinde casibus iactatus et multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecae damnatur. is fuit Publius Suillius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, et mutatione temporum non quantum inimici cuperent demissus, quique se nocentem videri quam supplicem mallet. eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adversum eos qui pretio causas oravissent. nec Suillius questu aut exprobratione abstinebat, praeter ferociam animi extrema senecta liber, et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exsilium pertulisset. simul studiis inertibus et iuvenum inperitiae suetum livere iis qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. se quaestorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse. an gravius existimandum sponte litigatoris praemium honestae operae assequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter milies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi, Italiam et provincias inmenso fenore

4. *senece* M. — Habet *Publius* omnibus litteris M. — 7. *SC.* cum lin. M. — 8. *penaque cincie* M. — *p̄tio* M. — 11. *exilium* M. — 12. *inp.* M: *imp.* B. — Habet *iis* M, non *his* Corb. Spir. Ern. — 14. *extimandum* M. — 16. *philosoforum* M. — 17. *regie* M. — 18. *uelud* M. — *inm.* M: *imm.* B.

Sed *et* egregiam habet vim, ut ratio enarrandi recte constet. Namque consalutatus est Nero imperator ab exercitu; reliqua non ad exercitum spectant, sed ad honores in urbe Neroni habitos; quare pergit *et S. C.* cet. Walth. — *in eandem formam*] eiusdem modi, ut 15, 24. — *G. Cassius*] Cfr. 12, 11. Ryck. ad 6, 15. — *negotiosos*] pro solito *profestos*, quibus negotiis vacare liceret.

42. *P. Suillius*] Cfr. 4, 31. Gener fuit Ovidii Nasonis, ad quem Ex Ponto 4, 8, 1: *Littera sera quidem, studiis exculte Suilli, Huc tua pervenit, sed mihi grata tamen.* — *poenaque Cinciae*] id est, SCti facti ante ad legem Cinciam anni 550. emendandam, quo poena constituta. Nam lege Cincia, quae proprie dicta, nulla poena constituta fuit. Vide dicta in Excursu 24. ad Suetonium. Ern. Cfr. 11, 5. et 13, 5, ubi memoratur S. C. anni 807: *ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur;* iam post quadriennium idem renovatum esse videtur. Talia videlicet decreta facile in oblivionem abibant, quia magistratus ea exsequi aut vix poterant aut nolebant. Cfr. C. 51: *aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt.* — *exsilium*] Cfr. 12, 8. — *studiis inertibus*] philosophiae nihil ad vitam actuosam atque civilem iuvantis. — *iuvenum inperitiae*] Quintil. 10, 1, 126. de Seneca: *Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit.* — *livere*] Ante Pichenam edebant gloss. Bud. Guelf. *invidere.* Utrumque v. iungitur in Dial. de Or. 25: *et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere. Livere* autem malitiosius atque improbius quam *invidere.* — *adulterum*] Dio 61, 10: *ὁ δὲ Σενέκας αἰτίαν ἔσχε καὶ ἐνεκλήθη ἄλλα τε καὶ ὅτι τῇ Ἀγριππίνῃ συνεγένετο· οὐ γὰρ ἀπέχρησεν αὐτῷ τὴν Ἰουλίαν* (Germanici filiam) *μοιχεῦσαι, οὐδὲ βελτίων ἐκ τῆς φυγῆς ἐγένετο, ἀλλὰ καὶ τῇ Ἀγριππίνῃ τοιαύτῃ τε οὔσῃ καὶ τοιοῦτον υἱὸν ἐχούσῃ ἐπλησίαζεν.* — *regiae amicitiae*] Neronis. — *ter milies*] Summa eadem divitiarum Senecae expressa a Dione l. l. — *testamenta et orbos*] *ἓν διὰ δυοῖν* rhetoricum pro *orborum testamenta.* Saepe autem hi captatores sive heredipetae venatoribus vel piscatoribus comparantur, ut ab Horatio Sat. 2, 5, 23.

hauriri. at sibi labore quaesitam et modicam pecuniam esse. crimen, periculum, omnia potius toleraturum quam veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submitteret. (43) nec deerant qui haec isdem verbis, aut versa in deterius, Senecae deferrent. repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum detulerunt. mox quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum, Iuliam Drusi filiam Sabinamque Poppaeam ad mortem actas, et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos; iam equitum Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii saevitiam Suillio obiectabant. ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Caesar cohibuit, compertum sibi referens ex commentariis patris sui nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem prae-

2. *tolleraturum* M. — *ac domi*] *ac do* cum lin. super litt. *o*. Correxit Iac. Gronovius. (*ac olim* Puteolanus, *ac diu* Lipsius, *ac domino* Fr. Iacobus, *agendo* Doederlein.) — 3. *subite* M. — *submittere* M. Correxit Lipsius. — *hec* M. — *isdem* M: *iisdem* B. — 5. *asyam* M. — 6. *detulerχ* M, quod compendium Spir. recte explicavit *detulerunt*: *detulere* cum ceteris B. — 7. *uisum sub urbana* M, *visum suburbana* Edd. ante Oberlinum, qui secutus est Ernestium. (*sub* non est nisi falsa geminatio praeced. syllabae *sum*.) *super urbana* vel *super provincialia* suspicatur Doederlein. — 8. Habet *ii* M, non *hi* Spir. — *Q.*] *QV.* cum lin. M, *Quintum* B. — 9. *poppeam* M. — 11. *sev.* M. — 12. *nichil* M. — 15. *messaline* M. — *ptendi* cum *p* caudato, id est, *protendi*, ut Bud. Spir. Correxit Puteolanus. — 16. *sevienti impudice* M.

Iuven. 12, 98. Lucian. Dial. mort. V - X. — *hauriri*] Ferebatur Britannicum bellum, paullo post narratum, ob iniquitatem fenoris ortum, quo Seneca Britannos pressisset. Dio 62, 2: *ὅτι ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας* (quadringenties) *ἄκουσιν ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας, ἔπειτ' ἀθρόας τε ἅμα αὐτὰς καὶ βιαίως εἰσέπρασσεν.* — *crimen, periculum, omnia*] accusationem, «condemnationis periculum, ipsam denique mortem.» Vix probanda dubia Doederleinii interpretatio: «*crimen*, *periculum* fortasse praedicati loco praecedenti sententiae addenda sunt, alioqui languidi aliquid habiturae.» — *veterem*] quae vel hereditate ad eum pervenisset vel quam quaestor Germanici in bello parasset. — *domi partam*] non imperatoris liberalitate, sed pacis artibus, id est, eloquentia. — *submitteret*] Certa videtur haec Lipsii emendatio; qui etiamnunc defendunt *submittere*, contendunt infinitivum perinde atque *omnia* pendere ex v. *toleraturum*.

43. *direptos socios, cum Suillius*] Factum hoc sub Tiberio et iam ex parte punitus eo nomine fuerat Tiberio etiamtunc vivo; quoniam autem poena remissa eo mortuo, hinc eadem iterum administratio in crimen adrepta est, ut colligi potest ex iis, quae Tacitus scribit 4, 31. Ryck. — *inquisitionem*] quam peragere accusatoris erat ad *omnium provinciae populorum privatorumque iniurias cognoscendas* (Cic. Verr. 1, 2.), ad testes idoneos quaerendos, ad tabulas publicas investigandas, quibus crimina comprobarent. Suillii igitur accusatoribus ex singulari praetoris favore integer annus concessus erat ad eam rem conficiendam, in quam Cicero Verrem accusaturus quinquaginta dumtaxat dies insumpserat. Suillius autem suo iure postulare poterat, ut accusatio ipsa non haberetur, antequam is annus praeterisset, ut ipse quoque testes pro se pararet. Haec vero dilatio cum adversariis nimia videretur, maluerunt tractare *crimina urbana*,

beret? puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent. igitur adempta bonorum parte (nam filio et nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quae testamento matris aut aviae acceperant) in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. filium eius Nerullinum aggressis accusatoribus per invidiam patris et crimina repetundarum, intercessit princeps tamquam satis expleta ultione.

(44) Per idem tempus Octavius Sagitta plebei tribunus, Pontiae mulieris nuptae amore vecors, ingentibus donis adulterium et mox, ut omitteret maritum, emercatur, suum matrimonium promittens ac nuptias eius pactus. sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari, repertaque spe ditioris coniugis promissa exuere. Octavius contra modo conqueri modo minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quae sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. ac postquam spernebatur, noctem unam ad solatium poscit, qua delenitus modum in posterum adhiberet. statuitur nox, et Pontia consciae ancillae custodiam cubiculi mandat. ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia,

1. *p̄tia* M. — *adeptis* M. — 4. *avia* M, non *aviae*, ut narrat Iac. Gronovius. — *insulā* M. — 6. *tolleravisse* M. — Habet *Nerullinum* M. Ante Bekkerum edebant *Nerulinum*. — 7. *per invidia* M. — *tāquam* M: *tanquam* B. — 16. *solacium* M. — 17. *delenitus* M: *delinitus* B. — *postremum* M. Correctum in Spir. — 19. *ads.* M: *ass.* B.

de delictis a Suillio in urbe commissis anquirere. Cfr. etiam Plin. Epp. 3, 9. de simili inquisitione. (Nota in Cod. divise scriptum esse *sub urbana.* Qui defendunt affectatum, immo falsum illud *suburbana*, conantur explicare: «ex propinquo allata.» Walther tueri voluit ex Plin. Epp. 8, 24: *in longinqua provincia* (Bithynia) *quam suburbana* (Achaia) *humanior* cet. Hoc quidem rectissime dictum; contra inauditum *ἄκυρον suburbana crimina.)* — *Q. Pomponium*] 6, 18. 11, 13. — *belli civilis*] defectionis, ut videtur, Camilli Scriboniani in Delmatia a. u. 795. Plin. Epp. 3, 16. Dio 60, 15. — *Iuliam*] Cfr. C. 32. Dio 60, 18., *Poppaeam*: 11, 2, 4., *Valerium:* 11, 1. *Lupus* sub Tiberio proconsul Cretae, teste nummo, de quo Eckhel D. N. II. p. 302. Oberl. — *agmina*] Suet. Cl. 20. Seneca Lud. 14: *Occisos senatores XXX., equites R. CC., ceteros CCXXI. ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.* (Ante Fickertum edebant *equites R. CCCXV.)* — *ex commentariis*] non historicis, sed quibus quotidiana consilia ac negotia Claudius notabat; *commentarios principales* vocat Hist. 4, 40. — *delegent*] in alios auctores transferant, sumpta forma loquendi a re pecuniaria. Cic. Font. 4: *Quid, si hoc crimen optimis nominibus delegare possumus?* Ern. — *parte*] dimidia; nam sic in tali res *pars* - - *pars* intelligitur. Dubbn. — *acceperant*] filius et neptis; ita non opus cum Mercero *acceperat.* Ern. — *copiosa et molli vita*] qualis sane agi poterat in amoenis ac voluptariis illis insulis. Exemplum est hoc mitissimae relegationis, ubi cum ceteris, Gyaro, saxo Seriphio ac similibus compares. Ceterum ademptis bonis vel sustentabatur a filio et nepti vel ante abdiderat pecunias *per occultos sinus*, ut est Hist. 2, 92.

44. *emercatur*] dato pretio tandem obtinet. — *modum adhiberet*] amori. — *in amore et ira*] Terent. Andr. 3, 3, 23: *Amantium irae amoris integratio est.* —

preces, exprobratio, satisfactio; et pars tenebrarum libidine seposita; et quasi istinc cessurus nihil metuentem ferro transverberat et accurrentem ancillam vulnere absterret cubiculoque prorumpit. postera die manifesta caedes, haud ambiguus percussor; quippe mansitasse una convincebatur. sed libertus suum illud facinus profiteri, se patroni iniurias ultum esse. commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit. postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatur.

(45) Non minus insignis eo anno inpudicitia magnorum rei publicae malorum initium fecit. erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppaei Sabini, consulari et triumphali decore praefulgentis: nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani pervertit. huic mulieri cuncta alia fuere

1. *p̄ces* M. — *libidini* malebant Rhenanus aliique, probante Doederleinio. — 2. *et quasi istinc cessurus* Orellius: *et quastim census* M, *et quasi incensus* Iac. Gronovius, probante Doederleinio, *ex qua incensus* Bekker; alii aliter, quorum somnia videsis apud Waltherum. — *nichil* M. — *accurentem* M. — 4. *cedes* M. — 6. *commoveratque* M. — 7. *cos.* cum lin. M. — 9. *condempnatur* M. — 10. *inp.* M: *imp.* B. — *rei p.* M. — 11. *poppea* M. — *T.* M: *Tito* B. — 12. *poppei* M. — 13. *consularis et triumphalis* M. Correxit Puteolanus. Illud restituere Walther, Ritter, Doederlein.

satisfactio] Octavii purgatio, qua Pontia cum simulatore in gratiam rediit. — *libidine seposita*] post tam varium colloquium missis iam expostulationibus unice destinata et absumpta; exacta libidine; *libidini seposita* foret tributa, impensa. Sed illud efficacius: «Pontia iam nihil aliud cogitabat nisi de libidine satisfacienda, in quo eam iuvit falsus ardor Octavii, qui ipse quoque formosa muliere ultimum frui cupiebat.» — *et quasi istinc cessurus*] Sic emendare conatus sum Codicis corruptelam. «Illico post expletam libidinem simulat se ex illo alieno cubiculo domum discedere velle, valedicit Pontiae simulque eam transverberat.» In Bekkeri coniectura *ex qua incensus* cogitatione, precario sane, supplendum esset «subito odio, ira repentina,» ut accepit Davanzati: *raccesa l'ira lei tutta sicura trapassa di stoccata.* Ego vero praecogitatum facinus fuisse statuo vel ex *ferro illo occulto.* Nec magis placet, quod dedere Walther, Burnouf, Louandre *ex qua statim incensus.* Iac. Gronovii autem suspicionem *et quasi incensus* sic explicat Doederlein: «dum libidine se incensum simulat, aggrediendi propius sine suspicione occasionem nactus nihil metuentem transverberat.» Verum, opinor, iam paullo ante sine ulla suspicione in sicarii amplexus sese effuderat Pontia. Ergo ut ante vulnus adactum deciperetur simulata Octavii libidine iam minime opus erat. — *commoveratque*] propter ipsam tam generosam confessionem multos ad fidem ei tribuendam paene iam induxerat, donec cet. — *abierat*] Nam in magistratum lege agi non poterat, minime omnium in tribunum, cuius persona sacrosancta. Dübn. — *lege*] Cornelia (Sullae) de sicariis et veneficis lata a. 673., ex qua, sicarii bonis omnibus publicatis in insulam deportabantur. Cfr. Digest. 48. Tit. 8, 3. Marcianus: *Legis Corneliae de sicariis et veneficis poena insulae deportatio est et omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri, nisi honestiore loco positi fuerint, quam ut poenam legis sustineant; humiliores enim solent vel bestiis subiici, altiores vero deportantur in insulam.* Reditus Octavii memoratur Hist. 4, 44. Sine causa Ernestius post eumque alii sustulere v. *et;* est «et quidem lege.»

45. *Poppaei Sabini*] consulis a. 761. Cfr. 1, 80. *Ei decreta triumphi insignia contusis Thracum gentibus.* 4, 46. Dio 58, 25. ad a. 787: *Ποππαῖος δὲ Σαβῖνος, τῆς τε Μυσίας ἑκατέρας καὶ προσέτι καὶ τῆς Μακεδονίας ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου παρὰ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν τοῦ Τιβερίου ἀρχὴν*

praeter honestum animum. quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. opes claritudini generis sufficiebant. sermo comis, nec absurdum ingenium. modestiam praeferre et lascivia uti. rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens, neque affectui suo aut alieno obnoxia: unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. igitur agentem eam in matrimonio Rufii Crispini equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur. (46) Otho sive amore incautus, laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris, seque ire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium. his atque

1. *sue* M. — 5. *fame* M. — 6. *afectui* M. — 8. *Rufii* Orellius: habeatne M *rufii* an *rufri*, distinguere nequivit Baiterus; *Rufi* B. — *crispi* M. Correxit Lipsius. — 13. *potentiam ea diceret* M, non *potentiam addiceret*, ut narratur apud Bekkerum. — 14. *seque* M: *se* cum plerisque praeter Waltherum et Bachium B. — *sibi*] *ubi* M. Correxit Lipsius. (*sibique* suspicatur Doederlein.) — Habet *dictitans* M. (*a dis iactans* volebat Lipsius.)

ἡγεμονεύσας, ἥδιστα προαπηλλάγη πρὶν τινα αἰτίαν λαβεῖν. — *nondum functum*] Atqui quaestorium eum fuisse Suetonius Ner. 35. dicit. Verum primus hic magistratus vix memoria dignus erat in homine maiores honores haud adepto. — *mater*] Poppaea, de qua 11, 1. — *absurdum ingenium*] Salustium imitatur, qui Cat. 25. de Sempronia: *Ingenium eius haud absurdum; posse versus facere.* Lips. Quod alibi *amoenum*, *facetum*. Nam supra C. 14. *non absurde dixisse* pro facete, lepide. Ern. — *velata*] Cfr. Boettiger *Sabina* II. p. 44. — *sic decebat*] Ad venustatem refertur, quam pro sua statura ac facie mulieres varie augent deligendo habitu, non ad verecundiam, quasi decenter ac pudice faciem velaverit vel videri voluerit. Plaut. Most. 1, 3, 10: *Contempla, satin haec me vestis deceat?* Doed. — *Rufii Crispini*] Cfr. 12, 42: *Rufius Crispinus*. Et permulti sunt *Rufii* in Inscrr. Pseudoseneca in Octavia, ubi Poppaea inducitur v. 728: *venientem intuor Comitante turba coniugem quondam meum Gnatumque. Properat petere complexus meos Crispinus, intermissa libare oscula.* — *filium*] In mari hic mersus iussu Neronis. Suet. N. 35. — *flagrantissimus*] minus solite dictum; qui summo et quasi ardente Neronis favore fruebatur, *leidenschaftlich begünstigt; den heissgeliebten Freund* Gutmann, *le favori le plus cher* Louandre. — *quin adulterio*] Paullo aliter Hist. 1, 13. Scilicet Tacitus prius historias scripserat, rectiora dein dedit in Annalibus. Cfr. et Plut. in Galba 25. p. 1061. et Suet. Oth. 3. Oberlin.

46. *laudare - - - principem*] Acidalius haec vv. transponere volebat post v. *adiceret*, Ernestius post v. *Otho;* mirum profecto, neutrum perspexisse artem, qua his suum locum assignavit Tacitus. — *consurgens - - - dictitans*] Adeo difficile atque insolitum multis visum est duplex hoc participium, ut inter alia aliorum commenta Ernestius corrigeret *cum surgens - - - dictitaret*. Non animadverterunt Tacitum consulto voluisse ita reddere concitatiorem orationem pro ratione ardentis illius affectus, quo agitabatur Otho. — *seque ire*] Non in animum induxi, ut spreta unica Med. auctoritate cum plerisque ederem *se ire;* immo in illo agnovisse mihi visus sum verum Tacitini generis dicendi modum: *consurgens* atque, ut mos postulabat, valedicens Neroni, *seque ire* adiunxit. Cur *que* hoc loco licenter intrusum fuerit, nulla omnino apparet ratio. — *concessam*] a dis, a propitia sorte. — *vota*] Inscriptio apud Grut. p. 637: *QVOD. OMNES. RO-*

talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur. sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans; mox acri iam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret. illum animo et cultu magnificum; ibi se summa fortuna digna visere. at Neronem, pellice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nihil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse. deicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur; ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior.

(47) Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando. quem metum Graptus ex libertis Caesaris, usu et senecta Tiberio abusque domum principum edoctus, tali mendacio intendit: pons Mulvius in eo tempore celebris nocturnis inlecebris erat; ventitabatque illuc Nero, quo solutius urbem extra

2. *poppea* M. — *cupidinis et* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — 3. *similans* M. — 5. *omittere* Agr. prob. Doederleinio. — 7. *pelicē* (sic) *ancillā* M, unde Walther adsumpsit *pellicem ancillam*. — *adsuetudinē* M, *assuetudine* B. — 8. *nichil* M. — 9. *deicitur* M: *deiicitur* B. — 10. *emulatus* M. (*aemulus* volebat Grotius.) — 15. *interp̄tando* M. — 16. *auousque* M. Correxit Lipsius. — 17. Habet *Mulvius* M, non *Milvius* Guelf. Harl. Bodl. Ies. — 18. *inl.* M: *ill.* B. — *uentabatque* M. Emendavit Puteolanus. — *solitius* M.

GANT. SED. FELICES. IMPETRANT. Gron. — *ultra unam*] Non video, quomodo Creuzer huc referre potuerit trinoctium illud iuris civilis, de quo Gaius 1, 111: *Lege XII. Tabularum cautum erat, si qua nollet usu in manum mariti convenire, ut quotannis trinoctio abesset* cet. Gell. 3, 2. Dirksen *XII. Tafeln* p. 418. Agi hic de una alteraque nocte in Palatio per adulterium cum Nerone transacta manifestum est. — *amittere*] *fahren lassen*, efficacius aliquanto quam Agr. *omittere*, quod multis sine causa placuit. — *ibi*] in Othone se dignos principe mores agnoscere, ut Hist. 2, 24: *illuc*. Liv. 1, 24: *ibi imperium fore, unde victoria fuerit*. Doed. — *Actes*] supra C. 12. — *contubernio*] Proprie. Non enim nuptiae cum servis, sed contubernium. Lips. Hinc etiam *pellicem ancillam* amare vocat, quae legitima uxor esse non posset, etsi re vera liberta erat. Ad falsam suam lectionem *pellicem ancillam* Walther supplet *esse*. — *aemulatus*] aemuli partes atque personam, *Nebenbuhlereien*. Hoc v. nunc non reperitur nisi hic et Hist. 3, 66. Male Walther et Bachius participium esse contendunt, ut est Hist. 3, 81. — *procax otii*] lasciviens ac dissolutus in otio agendo, quamdiu privatus degebat Romae, postea in proconsulatu illo Lusitaniae et in imperio trimestri multo moderatior.

47. *Sullam*] Is consul a. 804. 12, 52. Gener Claudii fuit per nuptias Antoniae, supra C. 23. Oberlin. — *pons Mulvius*] plus tribus millibus passuum ab urbe distans, prope locum, ubi nunc est *Torretta*. Duebn. — *nocturnis inlecebris*] lupanaribus. — *Salustianos in hortos*] Hi erant ad portam Collinam, quae proxima Flaminiae in dextra Tiberis ripa, ut patet ex Hist. 3, 82. Cfr. Canina *Indicazione* p. 126. — *iuvenalem*] Sic Med. forma Taciti aetate haud raro usurpata; cfr. 15, 33.; ante Bekkerum edebant *iuvenilem*. — *abhorrebat*] erat eiusmodi, ut non videretur

lasciviret. igitur regredienti per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Salustianos in hortos remeaverit, auctoremque eius doli Sullam ementitur, quia forte redeuntibus ministris principis quidam per iuvenalem licentiam, quae tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. neque servorum quisquam neque clientium Sullae adgnitus; maximeque despecta et nullius ausi capax natura eius a crimine abhorrebat: perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coërceri iubetur.

(48) Isdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversas ordo plebs ad senatum miserant, illi vim multitudinis, hi magistratuum et primi cuiusque avaritiam increpantes. eaque seditio ad saxa et minas ignium progressa *ne* necem et arma proliceret, G. Cassius adhibendo remedio delectus. quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte praetoria, cuius terrore et paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.

(49) Non referrem vulgatissimum senatus consultum, quo civitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur,

1. *flamineam* M. — 2. *fato quieuit atas* M. — *Salustianos* M: *Sallustianos* B. — *ortos* M. — 4. *iuenalem* M. Ante Bekkerum edebant *iuvenilem*. — 6. *syllae* M. — *adgn.* M: *agn.* B. — 7. *pinde* cum *p* caudato *(proinde)* M. — 9. *cos.* cum lin. M. — *audite* M. — 10. *plebs* M: *plebsque* B. Copulam *que* superscriptam, de qua narrat Iac. Gronovius, Baiterus non notavit, recentiorum interpolationum plerumque incuriosus. — 11. *eaque* M: *cumque* cum Guelf. et Puteol. B. — *et* M: *ad* cum Bud. B. — 12. *ne necem* Walther: *necem* M B. Sic 14, 7. *ne* item excidit post v. *discrimine*. — Habet *proliceret* M, non *perliceret* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Ern. — *G.* M: *Gaius* B. — 13. *tollerabant* M. — *p̄cante* M. — 16. *SC* cum lin. M. — *civitate siracusanorum* M.

probabile eum tale quid ausum esse; ut crimen obiectum veri simile non esset. Sic Cic. pro Cael. 4: *Caelius longe ab ista suspicione abhorrere debet*. Ern. — *Massiliensium*] Relegandi genus tunc frequens. Sic Iulia oppido Rheginorum ab Augusto clausa; Silanus a Nerone Bario municipio Apuliae; Dolabella in coloniam Aquinatem ab Othone sepositus. Lips.

48. *ordo*] decurionum, id est senatorum municipalium, ut Hist. 2, 52: *ordo Mutinensis* atque crebro in Inscriptionibus. Ἀσύνδετον autem *ordo plebs* aptissime significat utramque legationem habuisse contraria mandata, cum *ordo plebsque*, ut vulgo edunt, ad unum dumtaxat idemque ordinis et plebis postulatum referretur. Ceterum in Inscr. apud Capaccium Hist. Puteol. p. 6: *SPLENDIDISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM.* — *primi*] generatim significantur principes viri, ditiores ac potentiores, potius quam qui in municipiis inter decuriones vocabantur *decem primi*. (Cic. Rosc. Am. 9: *decem primi Amerini*. Verr. 2, 67: *magistratus et decem primi*. Inscr. m. Lat. N. 1848.); obstat enim v. *cuiusque*. — *proliceret*] Bene factum, quod Med. hoc verbum servavit; est etiam 3, 73. Et Tacitus semper *pellicere*, non *perlicere*. — *G. Cassius*] Longinus saepe Tacito memoratus. De eius severitate vide 12, 12. — *Scribonios*] Rufum et Proculum, de quibus H. 4, 41. Hi, teste Dione 63, 17. ad a. 820., ambo Germaniae utrique eodem tempore cum praeessent, a Nerone arcessiti in Graeciam atque interempti sunt.

49. *numerum*] Augustus edixit a. u. 732. teste Dione 54, 2: *μήϑ' ὁπλομαχίαν - - πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖσϑαι.* Suet. Tib. 34: *Tiberius munerum impensas corripuit et paria gladiatorum ad certum numerum redegit.* Triginta parium mentio in lapide apud Grut. p. 352, Cfr. Inscrr. m. Lat. N. 2530.

nisi Paetus Thrasea contra dixisset, praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae. cur enim, si rem publicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetve? licere patribus, quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent, expromere relationemque in ea postulare. an solum emendatione dignum ne Syracusis spectacula largius ederentur? cetera per omnes imperii partes perinde egregia quam si non Nero sed Thrasea regimen eorum teneret? quodsi summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

(50) Eodem anno crebris populi flagitationibus, inmodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet,

1. *petus* M. — *praebuitsetque* M. — 2. *rem p.* M. — 4. Habet *romana continentur* M, *Romana continetur* Reg. Spir., *res Romana continetur* proposuit Lipsius. — *suadere dissuadereve* M. Correxit idem. Errorem restituit Bachius. — 9. Habet *quodsi* M, non *quae si* Puteolani. — 14. *flagitionibus* M. — *inmodestia* (sic) M, *immodestiam* B.

2535. — *Romana*] minus solite pro *res Romana*, *summa res publica*. — *expromere*] quod dicebatur *egredi relationem*, 2, 38. — *cetera*] amare dictum: «videri profecto omnia melius se habitura, si imperium teneret Thrasea, non Nero.» Recte Louandre: *Les autres branches de l'administration sont-elles régies avec le bel ordre qu'y mettrait Thraséa, s'il régnait à la place de Néron?* — *perinde - quam*] posterioris est Latinitatis atque Tacitinae, ut 4, 20. 6, 30. 46. 11, 10. 13, 21. 15, 21. Hist. 1, 30. 2, 27. 35. 39. 3, 58. 4, 2. 72. Bach. Modi magis soliti sunt *perinde ac*, *perinde quasi*, quod ipsum substituerunt Reg. et Spir. malebatque Acidalius.

50. *inmodestiam*] avaritiam; mox vocat *cupidines*. Ern. — *omitti*] aboleri. Sic Suet. Vesp. 16. dixit *omissa vectigalia*. Idem. — *portoriis*] *Portorium*, proprie vectigal pensitandum pro transvectione mercium per maria vel flumina. Dirksen. *Portoria* non solum sunt vectigalia rerum portus intrantium, sed omnia illa, quae hodie dicuntur *Zölle*, *péages*. Duebn. — *sequens*] esse. Cic. de Or. 2. 2, 53: *consequens esse*. Ern. — *vectigalium societates*] sine quibus vectigalia omnino percipi non poterant. Constabant autem ex equitibus Romanis, quibus certo pretio a censoribus locabantur vectigalia, quae illi exigerent, *publicani* dicti, non absimiles nostratibus olim *fermiers généraux*, *Staatspächter*. Duebn. — *acri - - libertate*] integra atque actuosa. Sic *acrior libertas* etiam Germ. 37.; contra *acrius servitium*, severius, adstrictius Ann. 6, 48. — *ratio quaestuum*] quos societates facere necessario debebant pro certa ratione. — *congruerent*] responderent vectigalibus, quae ex legibus pendere *(erogare)* debebant negotiatores et mercatores. — *novis acerbitatibus*] Exempla sunt apud Cic. Accus. in Verr. 3, 78. Caesar B. Civ. 3, 32. Multa praeterea ad explendam avaritiam excogitabantur; in capita singulorum servorum tributum imponebatur; columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturae imperabantur. Doed.

51. *leges*] condiciones, de quibus convenerat inter magistratus et publicanos, quibus constituebatur et conductionis pretium ab his solvendum et mercium diversarum diversa vectigalia. *(die Pachtcontracte und Taxen.)* — *publici*] hic non civitas aut commune cuiusque oppidi, sed τὸ δημόσιον, τελωνία, vectigal. Plaut. Truc. 1, 2, 41. Seneca Ep. 119: *Ego*

idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus res publica sustineretur deminuerentur: quippe sublatis portoriis sequens ut tributorum abolitio expostularetur. plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam populi Romani tum libertate; reliqua mox ita provisa ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata novis acerbitatibus ad invidiam verterent. (51) ergo edixit princeps ut leges cuiusque publici, occultae ad id tempus, proscriberentur; omissas petitiones non ultra annum resumerent; Romae praetor, per provincias, qui pro praetore aut consule essent, iura adversus publicanos extra ordinem redderent; militibus immunitas servaretur; nisi in iis quae veno exercerent; aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt. manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque,

3. *res p.* M. — Habet *deminuerentur* M, non *diminuerentur* Guelf. — 6. *p. R.* M. — 7. *congruere* M, Spir. Emendavit Puteolanus. — 10. *publicis* M. — 12. *pro praetore*] *pro.p.R.* M. — *cos.* cum lin. M. — 13. *immunita* M. — *his* M. — 15. *quadringentesimae* M, Spir. Correxit Puteolanus.

iam paraveram fiscos; circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces. Ep. 101: *Ille qui et mari et terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quaestus accesserat* cet. Suet. Vesp. 1: *Vespasiani pater publicum quadragesimae in Asia egit.* — *proscriberentur*] publico loco scripta proponerentur, ne plus exigere possent publicani, quam in legibus illis constitutum erat. — *petitiones*] debitorum, ubi vectigalia non statim exacta essent. Ceterum hoc pertinet et ad debita negotiatorum, quae remanebant ex anno proxime superiore ante hoc edictum et ad futurum tempus. *«L'exactitude des payemens n'est pas moins avantageuse au débiteur qu'au créancier, et une dette qui se renouvelle sans cesse, comme celle des impôts, écrase à la fin celui qui ne s'en libère pas assez vite. Remarquons d'ailleurs qu'il s'agissait de taxes éventuelles, dont on peut facilement se croire quitte quand elles ne sont pas immédiatement réclamées.»* Burnouf. — *extra ordinem*] ante alia negotia, quae prius ad iudicem delata essent. Duebn. Hoc vocabant ICti *extraordinario iudicio subvenire petitori.* Fr. 17. de R. C. 12, 1. — *immunitas*] Nullum igitur vectigal solvere debebant eorum, quae vel domo secum apportarant vel alibi emerant vel in expeditionibus per praedam lucrati erant. — *quae veno*] *quaestuosi* milites supra vocantur C. 35. (*Exercere* autem dicitur de tractanda re, quae producit aliquid, ut *exercere agrum.* Duebn.) — *quadragesimae*] non mercium transvectarum, de qua vide ad Inscrr. m. Lat. N. 459. et Hagenbuchii Τεσσαρακοστολόγιον Turicense. Turici 1747., sed litium, de qua XL. Suet. Cal. 40: *Pro litibus ac iudiciis ubicunque conceptis quadragesima summae, de qua litigabatur, exigebatur.* (Non portorium, sed *quadragesimam litium* cum Culacio Obss. 6, 28. aliisque statuit et simul Spanhemium, qui de Usu et Pr. N. Diss. 13. Vol. II. p. 550. Taciti fidem impugnat e nummo Galbae, in quo *XXXX. REMISSA*, refellit Burmannus de Vectig. P. R. C. 5. p. 65. iis rationibus, quibus facile cessurum quemque putem. Ern.) — *quinquagesimae*] quae haec fuerit, non satis constat. Suspicantur venalium eduliorum, quod portorium Caligula statuerat. Plin. 19, 4, 56: *Hercule nullum macelli vectigal maius fuit Romae, clamore plebis incusante apud omnes principes, donec remissum est portorium mercis huius;* quod tamen ut pro illo Caligulae habeatur, non

et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio; et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur tributumque pro illis penderent, constitutum.

(52) Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pomponium Silvanum absolvit Caesar, Camerinum adversus privatos et paucos, saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque tempus evocandorum testium: reus illico defendi postulabat. valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit quorum ambitu evaserat.

(53) Quietae ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paulinus Pompeius et L. Vetus ea tempestate exercitui praeerant. ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem coërcendo Rheno absolvit, Vetus Mosellam atque *Ararim* facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiae per mare, dein Rhodano et Arare subvectae per eam fossam,

1. *etque alia* M. — *exauctionibus* M. — 3. *ascr.* M: *adscr.* B. — 4. *habuerunt* M. Mutavit Rhenanus. Illud restituere Walther, Ritter, Doederlein. — 5. *supplicium camelinum* M. — 6. *sev.* M. — 7. *obicientes* M: *obiicientes* B. — 8. *ilico* M B. — 11. *quiete* M. — 12. *pervulgati* M, Guelf. Spir. Correxit Puteolanus. — 13. *Paulinus* M: *Paullinus* B. — *L.* M: *Lucius* B. — 14. *nec* M. Spir. Emendavit Puteol. — 15. *cohercendo* M. — 16. *Ararim* om. M; supplevit Puteol. — *conectere* M. — *parabant* pr. M. — 17. *rodano* M. — *subuecte* M.

concedunt vv. *apud omnes principes*, neque ipsa Suetonii 40. narratio: *Pro edulibus, quae t o t a u r b e* (non igitur in solo macello) *venirent, certum statutumque exigebatur.* — *temperata*] ad certarum legum ordinem redacta. Sic Suet. Tib. 34: *annonam macelli senatus arbitratu quotannis temperandam censuit.* «Minime accipiendum est de deminutione, sed de ratione ad certum modum redigendi rem. Cogita de sublatis vecturae et emptionis incommodis, quae creassent publicani. *Subvectio* autem proprium est vocabulum de vectura commeatuum et frumentorum *(Zufuhr, Transport)*, et de frumentis Romam subvehendis agi patet e v. *transmarinarum*. Si enim temperatio illa fuisset beneficium ad omnes omnino provincias spectans, cur temperata esset subvectio apud *transmarinas* tantum provincias?» Walth. — *ne - - naves*] quia nimis incerta earum possessio propter naufragia. Cfr. P. Fabrum Semestr. 1, 25. — *negotiatorum*] Cfr. 2, 87. 14, 33.

52. *Reos ex provincia Africa*] reos repetundarum ex administratione Africae. Duebn. — *Sulpicium Camerinum*] Memoratur in Actis Fratrum Arvalium Tab. XIV —XVII. b. horum ut *MAGISTER*, semper, quod mirum, sine praenomine; sed fuit *Q.* Cfr. Interpr. ad Dion. 63, 18., ubi narratur, quomodo propter levissimum crimen una cum filio morte affectus sit ab Helio, Neronis liberto. — *ultra vitam eorum*] Deridet vanitatem rerum humanarum Tacitus, et ait heredipetas istos intercessisse quidem pro reo et eum servasse spe adipiscendae substantiae ipsius; sed contra evenisse; fato enim ante functos itaque praeda sua misere excidisse. Gruter. — *ambitu*] non ambitione, ut nonnulli acceperunt, sed artibus, quibus iudices corruperant.

53. *Paulinus*] de quo vide 15, 18. Plin. 33, 11, 50., qui tamen locus an ad hunc Pompeium Paulinum pertineat, incertum est. Ei Seneca inscripsit librum de brevitate vitae. L. Antistius Vetus consul fuit a. 808. Cfr. C. 11. et 4, 1. Paulinus inferiorem, Antistius superiorem Germaniam obtinebat. — *tres et sexaginta*] a. u. 745., quo Drusus consul in Germania mortuus,

mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque litora fierent. invidit operi Aelius Gracilis Belgicae legatus, deterrendo Veterem ne legiones alienae provinciae inferret studiaque Galliarum affectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. (54) ceterum continuo exercituum otio fama incessit ereptum ius legatis ducendi in hostem. eoque Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, inbellem aetatem per lacus admovere ripae, agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. iamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant, cum Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare inpetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. profectique Romam dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quae barbaris ostentantur intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viserent. illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur)

1. *exim* M. — 2. *litora* M: *littora* B. — 3. *belgice* M. — *de deterrendo* M; sed *de* est in versus fine. — 4. *inferret in studiaque* M. Correxit Rhenanus in Castigatt. — 5. *cohibentur* Agr. Bud. ex interpolatione manifesta. — 8. *inb.* M: *imb.* B. — 9. *malorie* M. — *quia* M. — 10. Habet *in quantum Germani* M. — 12. *Paulino* M: *Paullino* B. — 13. Voc. *Frisii* immerito suspectum Acidalio. — *inp.* M: *imp.* B. — 14. *mallorigem* M. — *p̄ces* M. — *profecitque* M. — 15. *intereaque barbaris* M. — 16. *pompei* M.

ita ut hoc anno sint sexaginta sex anni. Sed Tacitus complectitur, quae proxime praecedentibus annis a Paulino et Vetere acta fuerant. Dübner. — *aggerem*] cuius mentio fit Hist. 5, 19: *Civilis diruit molem a Druso Germanico factam.* Itaque distinguendus est hic agger a fossa Drusiana 2, 8. Bach. De aggere hic memorato vide Menso-Alting Notit. Batav. et Fris. ant. I. p. 54. — *Ararim*] *Saone.* Ceterum ex hoc loco Sequanos ad Germaniam superiorem relatos, infert Perreciot apud Grandidier *Hist. d'Als.* I. p. 168. Id ni esset, L. Veterem consilium illud capere non potuisse. Obstitit autem Gracilis, quia pars fossae per Belgicam erat ducenda. Oberlin. — *per mare*] mediterraneum. — *Oceanum*] mare Germanicum. — *formidolosum*] ut inceptum prope regium ac proconsulem excedens.

54. *per lacus*] nunc in unum coniunctos mare meridionale, *Zuydersee.* — *ripae*] Rheni dextrae, non sinistrae sive Romanae, ut ratus est Dureau de Lamalle. Sedes autem Frisiorum designatae erant undecim ante annis a Corbulone. 11, 19. — *usui sepositos*] Explicandum hoc ex C. 55: *in quos pecora et armenta militum aliquando transmittebantur.* — *in quantum - regnantur*] quatenus Germani re vera liberi homines regio imperio uti possunt dici. Cfr. Germ. 7: *nec regibus infinita aut libera potestas.* Vide Grimm *Deutsche Rechtsalterthümer* p. 243., qui ex Iornande (Cap. 11.) haec affert de Comosico, rege ceteroqui mythico: *hic et rex illis et pontifex ob suam peritiam habebatur et in sua iustitia populos iudicabat.* Adde H. von Sybel *Entstehung des deutschen Königthums. Frankfurt* 1844. — *fixerant domos*] Ovid. Her. 7, 119: *lateque patentia fixi Moenia.* Iuven. 3, 2: *Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis Destinet.* — *Avitus*] Plin. 34, 7, 18: *Zenodorus statuam Arvernorum cum faceret, provinciae Dubio Avito praesidente* cet. Sine causa *Dubius* pro nomine barbaro et Romanis inaudito habuit Harduinus et ex parte etiam Ernestius. *Q. Dubius* est Grut. 1154, 1., *Dubia* Mur. 1668, 8. — *abscederent Frisii*] Deleo vocem *Frisii*, quae glossema, nulli hic usui. Per se enim clarum de his intelli-

dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, degrediunturque et inter patres considunt. quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione. Nero civitate Romana ambos donavit, Frisios decedere agris iussit. atque illis aspernantibus auxiliaris eques repente immissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant.

(55) Eosdem agros Ampsivarii occupavere, validior gens non modo

3. *fore* M. — *legatis*] *legum* M, sed litt. *um* in rasura. — 5. Habet *degrediunturque* M, non *digrediunturque* Guelf. Edd. ante Pichenam. — 6. *partes* M. — 7. *emulatione* M. — 9. *cesisue* M. — 10. *amsibarii* h. l. M.

gendum. Acidalius. Maioris tamen perspicuitatis ergo eam addidit ipse Tacitus. — *eques*] in XIV. ordinibus ex lege Roscia theatrali. — *senatus*] Suet. Oct. 44: *decrevit, ut primus subselliorum ordo vacaret senatoribus.* Similiter autem Virg. Aen. 5, 340: *totum caveae consessum ingentis*, et 8, 536: *Consessum caveae* cet. — *cultu externo*] Armenios et Parthos, *sedentes in senatu*, ut ait Suet. Cal. 25., qui hoc sub Caligula accidisse narrat, ex errore, ut censet Lipsius. «Morem autem eum fuisse didici,» ait idem, «ex Iustino 43, 5: *Ob quod meritum et immunitas Massiliensibus decreta et locus spectaculorum in senatu* (in orchestra) *datus.*» Adde Ioseph. A. I. 14, 10, 6. — *impetus antiqui*] Est repentinus animi ex honesto motus. Ern. Inest simul notio antiquae simplicitatis, *naïveté.* Louandre: *l'élan d'une franchise toute primitive.*

55. *Ampsivarii*] aliis *Ansivarii.* In Taciti Germania non memorantur; Usipiorum, Tencterorum, Chaucorum vicini. Cfr. Wilhelm *Germanien* p. 135. Zeuss *die Deutschen* p. 90. et 341. Ukert *Germanien* p. 61. et 377. Nonnulli eos habitasse opinantur comitatum Bentheimensem, alii ponunt inter Visurgim et Lupiam, circa eam regionem, ubi nunc sunt *Minden*, *Ravensberg* cet. Quamvis ex Taciti narratione C. 56. tota gens deleta videri posset, tamen postea rursus comparent, ut Francorum populus. Amm. Marcell. 20, 10: *Iulianus - - Rheno exinde tramisso, regionem subito pervasit Francorum, quos Ampsivarios vocant.* Sulpicius Alexander apud Gregor. Turon. 2, 9. Ed. Guadet et Taranne Vol. I. p. 152: *Eodem anno* (post Chr. 392.) *Arbogastes - - collecto exercitu, transgressus Rhenum, Bricteros* (sic) *ripae proximos, pagum etiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus est, nullo unquam occursante, nisi quod pauci ex Ampsuariis* (sic) *et Chattis Marcomere duce in ulterioribus collium iugis apparuere.* — *aderatque iis*] Eorum causam agebat tamquam patronus, qui proprie dicuntur *adesse* iis, quos defendunt. Dübn. — *Tiberio et Germanico ducibus*] ab Augusto missis in Germaniam, ut Varianam cladem ulciscerentur. Brot. — *quinquaginta*] A clade certe Variana ad hoc aevum quadraginta sex circiter anni sunt. Lips. Sed vel ante illam Romanorum socius esse poterat vel Tacitus posuit numerum rotundum. — *quotam*] Fuere, qui praeeunte Freinshemio sine interrogatione exponerent «ingentem, satis magnam»; falso: etenim hoc semper significat «exiguam», ut Plin. H. N. 2, 68: *ut qui latissime rura metatus fuerit ultraque famam exegerit accolas, quota* (quam parva) *terrarum parte gaudeat?* et *quotus quisque*, «paucissimi.» — *partem campi iacere*] «Incultam atque desertam, adeoque praebentem exiguam dumtaxat ac temporariam utilitatem Romanis illam campi partem sibi vindicantibus, quam propterea facile cedere possent Ampsivariis, parvo illo ac sterili tractu tantopere opus habentibus.» Ac similiter explicavit iam Gronovius Obss. 1, 4. p. 29. Frotsch., item Burnouf. Minus clare, ut mihi saltem videtur, Duebner: «Valde parvam partem campi ipsis inutilem reddi transmissis ex altera ripa Rheni

sua copia, sed adiacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exsilium orabant. aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, vinctum se rebellione Cherusca iussu Arminii referens, mox Tiberio, Germanico ducibus stipendia meruisse, et quinquaginta annorum obsequio id quoque adiungere, quod gentem suam dicioni nostrae subiceret. quotam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? servarent sane receptos gregibus inter hominum famam: modo ne vastitatem et

2. *exilium* M. — *his* M. — 3. *boicalus* M. — 4. *Tiberio Germanico* M (*tiberio* est in versus fine): *Tiberio et Germanico* cum ceteris B. Inest ἀσυνδέτῳ vis quaedam rhetorica. — 5. *et quinquaginta* M: *quinquaginta* cum Guelf. Harl. Bodl. Puteol. B. — 6. Habet *dicioni - subiceret* M. — *quotam partem campi*, *iacere* (penult. brevi), *in* Doederlein. — 7. *qua* M. — 8. *inter* M: *intra* cum Bipontinis B. — *famem* superscr. in Agr. (*receptus gregibus inter hominum famem* Freinshemius prob. Doederleinio.)

in eam pecoribus militum, neque semper, sed *aliquando*.» (Ceterum pascua illa ad Rhenum quaerenda sunt prope Insulam Batavorum. Ukert *Germanien* p. 389.) Verum in alia omnia abit Doederlein: «*Iacere* infinitivus historicus est verbi *iacio*, id est, dictito, plerumque cum exprobrationis significatu; sequente infinitivo: *quotam partem campi* scil. *esse;* ut 6, 31: *seque invasurum possessa Cyro - - iaciebat*, et 15, 50: *deligendumque - - iaciunt*. Quapropter comma posui post *campi*.» At vero v. *iacere* ab eo, quod est *iacio*, multis illis locis, ubi reperitur apud Tacitum, sicuti apud alios scriptores, usurpatur semper de singulis exclamationibus, iurgiis, conviciis, opprobriis, impatientiae vel iracundiae vocibus; sed hic memoratur oratio praemeditata atque, ut ita dicam, elaborata, quam Boiocalus *iacere* non poterat. — *receptos*] Haec Med. lectio aliter explicari nequit, quam cum Duebnero: «Servarent Romani Ampsivarios *inter hominum famam*, inter eos populos, de quibus homines inter se loquuntur, inter populos, qui exstant, suum nomen gerunt, quamquam non daturi agros proprios, certe recipientes eos inter greges suos, eos agros concedendo, quorum pars exigua a gregibus militum Romanorum depascitur.» Ex hac ratione illud *sane* sic interpretandum: «vel exigua illa parte campi contentos se fore, quin etiam militum gregibus pascuorum quot iis sufficerent relicturos.» Atque acris illa ἀντίθεσις inter *greges* et *homines*, qua praesertim commendare studuit suam coniecturam Freinshemius, item, etsi alia ratione inest Cod. lectioni. Hanc vero ita interpretatur Ruperti: «*Servarent sane* campos, agros hos nunc expulsis Frisiis *receptos*, recuperatos (cfr. C. 54. extr.), *gregibus*, pecorum et armentorum usui porro seponerent *inter hominum famam*, intra terminos et locos, ubi homines esse et habitare perhibeantur cet.» At ad v. *receptos* nullo modo suppleri potest *campos*, *agros*, unice *homines*. (Ceterum nostram sententiam clare sic expressit Louandre: *Que les Romains laissent donc aux Ansibariens leur nom de peuple parmi les hommes*, *en les recevant sur l'espace réservé aux troupeaux*. Ac re vera haud prorsus necessariam existimo coniecturam ceteroquin ingeniosam Freinshemii, pro qua stat Doederlein: «Suspicor cum Freinshemio: *receptus gregibus*, *inter hominum famem*. Sensus est: Reservarent sane Romani magnam camporum partem, ut beluis et gregibus receptacula haberent, etiamsi homines fame interim pereuntes viderent; modo ne vastitatem mallent!» (Ceterum praecepit Freinshemii coniecturam Davanzati vertens: *Lasciássimovi tra le bestie sfamare anche que' poverelli.*) «Scilicet hoc acerbe admonet Boiocalus: «Estote sane crudeles, modo ne sitis stulti vestrisque ipsi commodis adversi!» «*Receptus* locus semotus, quo quis se recipit, ἀναχώρησις, ut Colum. 8, 1: *aquatilium animalium receptacula*. Virg. Aen. 11, 527: *Planities ignota iacet tutique receptus*.» (Sed Wagner *recessus.)* «Porro (scil. in hac coniectura) *servare* pro *reservare*, ut Hist. 2, 60: *Mario Celso consulatus servatur*. coll. Ann. 2, 35.» (Priore loco significat *conservatur*, abdicare se consulatu non

solitudinem mallent quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Usipiorum fuisse. sicuti caelum deis, ita terras generi mortalium datas; quaeque vacuae, eas publicas esse. solem deinde suspiciens et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum: potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores. (56) et commotus his Avitus, patienda meliorum imperia: id dis quos inplorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos paterentur. haec in publicum Ampsivariis respondit, ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiae daturum agros. quod ille ut proditionis pretium aspernatus, addidit «deesse nobis terra, ubi vivamus; in qua moriamur, non potest.» atque ita infensis utrimque animis discessum. illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Avitus scripto ad Curti-

2. *usiporum* M. — 3. *queque* M. — 4. Habet *deinde* M, non *inde* Spir. Puteol. Beroaldi. — *suspiciens* Heinsius: *despiciens* M, *respiciens* Puteolano auctore B. Nec vero male Rhenanus *aspiciens*, quod recepit Duebner. Recte Doederlein: «Videtur *de* (in *despiciens*) ex geminatione ortum, rursusque *su* a seq. *s* absorptum.» — *caetera* M. — *sydera* M. — *uelletne* M. — 5. *superfundere* M. Correxit Puteolanus. — 6. *habitus* M. — 7. *inpl.* M: *impl.* B. — 9. *boiocalo* (sic) h. l. M. — 10. *p̄tium* M. — 11. *deesse nobis terra, ubi vivamus* Doederlein: *deesse nobis terrã (terram) uiuam* M, *deesse nobis terra, in qua vivamus* cum Agr. et Rhenano B. — *mori ãmor* M. — 12. *utrimque* M: *utrinque* B. — *discesum* M. — 13. *auitu* M.

coactus est.) — *Chamavorum*] Germ. 34: *Chamavos - - a fronte Frisii excipiunt;* quo de loco cfr. Zeuss *die Deutschen* p. 91. Postea Francis accesserunt; Auson. in Mosella 434: *Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves Germanique tremant.* Pars eorum a Constantio in sinistram Rheni ripam transducta. Eumen. Paneg. 9: *Arat ergo nunc mihi Chamavus et Frisius.* Cfr. Zeuss p. 326. et 335. Ukert *Germanien* p. 62. 249. 389. — *Tubantum - - Usipiorum*] De utroque populo vide 1, 51. — *suspiciens*] Ovid. Met. 14, 172: *Quod loquor et spiro caelumque et sidera Solis Respicio*, ubi Codd. aliq. *aspicio*, quod recepit Gierig, Burmannus volebat *suspicio*; verum cave ex Ovidii *respicio* probatum eas apud Tacitum *respiciens;* ibi enim est: «quod conspicio, quod luce etiamnunc fruor;» hic vero requiritur verbum, quod exprimat singularem aliquem gestum; ergo vel *suspiciens* vel *aspiciens*.

56. *commotus*] «ad iram?, ut 1, 33. 6, 45. 12, 41.; an ad misericordiam?, ut 11, 2. 13, 21. H. 3, 68. Atqui neutrum ex his affectibus prae se fert Aviti responsio, sat comis, sat constans, publicae personae prorsus consentanea. Nec Boiocali oratio paene truculenta et infesta ad miserationem commovendam apta fuerat. Quapropter *immotus* suspicor, ut 15, 59.» Doed. Mihi vero potius quam truculenta videtur miserabilis, ita tamen ut digna maneat viro principe ac militari; *commotus* autem interpretor «vehementer, sed varie affectus;» ex una parte contra maiestatem imperii Romani videbatur cedere Ampsivariis, *αὐτονόμοις* haud dubie remansuris, campos illos, quos sibi vindicabat Romanus; ex altera miserebatur Boiocali, tam fidi per diuturnum tempus socii. (Ceterum similiter ac Doederlein iam Lipsius voluerat *nec commotus.*) — *meliorum*] ut *κρειττόνων*, validiorum, potentiorum. — *vivamus*] Post hoc v. cogitatione praesumendum est *potest*, ut 12, 64: *quae filio dare imperium, tolerare imperantem nequibat.* Cic. de Finn. 1, 1: *veritus, ne movere hominum studia* (scil. *posse*) *viderer*, *retinere non posse.* Doed. Cfr. Gronov. Obss. 4, 2. — *Curtilium Manciam*] Phlegon de Admir. 27: *Ἐν Γερμανίᾳ, ἐν τῷ στρατῷ τῶν Ῥωμαίων, ὃς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κυρτιλίῳ Μαγκίᾳ, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο· δοῦλος γὰρ στρα-*

lium Manciam superioris exercitus legatum, ut Rhenum transgressus arma a tergo ostenderet, ipse legiones in agrum Tencterum induxit, exscidium minitans, ni causam suam dissociarent. igitur absistentibus his pari metu exterriti Bructeri. et ceteris quoque aliena pericula defendentibus sola Ampsivariorum gens retro ad Usipios et Tubantes concessit. quorum terris exacti cum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuventutis erat, caeduntur; inbellis aetas in praedam divisa est.

(57) Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum magno praelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare caelo, precesque mortalium a deis nusquam propius audiri. inde indulgentia numinum illo in amne illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa ex contrariis inter se elementis, igne atque

2. *tenerum* M. — *exscidium* M: *excidium* B. — 3. Habet *ni* M. Ante Bekkerum edebant *nisi*. — *asistentibus* post primum *s* superscripto altero M. Correxit Rhenanus. — 5. *usipsos* M. — 6. *catthos* M. — *etrore* M. — 7. *in alio* M. Spir. (*in alieno* est in Guelf. et Ed. Puteolani; *invalidi* suspicatur Doederlein.) — *erant ceduntur* M. — *inb*. M: *imb*. B. — 9. *estate* M. — *catthosque* M. — 11. *libidine* M. Correxit Rhenanus. — 12. *p̄cesque* M. — Habet *deis*, non *dis* M. — 13. *salem*] *item* M. Correxit Puteolanus. — 14. *arentem* M. Emendavit Rhenanus. — 15. *alimentis* M. Correctum iam in ceteris Codd.

τιώτου ἔτεκεν, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Κόνωνος, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Οὐολουσίου Σατορνίνου καὶ Ποπλίου Κορνηλίου Σκιπίωνος. — *Tencterum*] Germ. 32. inter Rhenum et Sieglam fl. prope Bructeros, de quibus 1, 51., circiter e regione Coloniae Agrippinensis. Memorantur iam a Caesare B. G. 4, 1. Ukert *Germanien* p. 249. 355. — *exterriti*] deterriti a societate Ampsivariorum, ut C. 37. — *defendentibus*] a se arcentibus, detrectantibus, ea subire recusantibus. Cfr. 15, 38: *nec quisquam defendere audebat*, incendium. Virg. Aen. 10, 105: *hunc, oro, defende furorem*, a me probibe. Cic. Muren. 3: *de civium periculis defendendis*. Veram lectionem Med. et Spir. ignorans Rhenanus ex Puteolani errore *deferentibus* fecit *deserentibus* retentum a Brotierio ac Burnoufio. — *in alieno*] solo, id quod miserabilius, quam si in patria cecidissent, haud improbabilis est correctio corruptelae *in alio*, quam frustra defendere conatur Walther, ita explicans: «in alio hospites egeni, hostes in alio; *hier dürftige Gäste, dort Feinde*.»

57. *Hermunduros*] Vide 2, 63. — *flumen gignendo sale*] Cogitant de Sala vel Saxonica vel Franconica, cui adiacet Kissinga, ubi etiamnunc sal excoquitur, vel de Werra fl. Comparant Amm. Marc. 28, 5: *Burgundi salinarum finiumque causa Alamannis saepe iurgabant*. — *super libidinem* cet.] adeo ut de salinis illis statim depugnarent, nec per legatos de iis qualicunque modo communicandis agerent; praeterea illos accendebat religiosa, immo fanatica cupido loci sacri occupandi. — *propinquare caelo*] qui ad Salam Saxonicam referunt (Lepsius *die Ruinen der Rudelsburg und des Schlosses Saaleck. Naumburg* 1824. Reichard *Germanien* p. 353—358.) his verbis montem Solis, hodie *Sonnenberg*, significari credunt. Si de locis editis non cogitavit scriptor, significat: «locos sub propinqua (*unmittelbare*) custodia deorum praesentium positos.» — *super ardentem*] Plin. 31, 39: *Galliae Germaniaeque ardentibus lignis aquam salsam infundunt*. Varro R. R. 1, 7, 8: *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi - - salem nec fossicium nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis carbonibus salsis pro eo uterent-

aquis, concretum. sed bellum Hermunduris prosperum, Chattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. et minae quidem hostiles in ipsos vertebant. sed civitas Ubiorum socia nobis malo inproviso afflicta est. nam ignes terra editi villas arva vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia. neque exstingui poterant,

1. *concreta* M. Emendavit Lipsius. — *catthis* M. — *exitio sius* (divise) M: *exitio* cum Puteolano B. — 3. Habet *occidioni* M. — *hostile* (*s* addito ex corr.) M. — 4. Habet *vertebant* M, non *vertebantur* Puteolani. — *Ubiorum* Heinsio auctore Walther, Ritter, Grimm Germ. p. 64. Doederlein: *Vibonum* cum M (ubi scilicet ita scribitur: *uibonum* sine puncto super litt. *i*) B. — *inpr.* M: *impr.* B. — 6. *menia* M. — *extingui* M.

tur. — *exitiosius*] id est, «eo, tanto exitiosius fuit,» prorsus ex Taciti usu, quem iam bis terve notavimus. Contra nec probabile et nimium est corr. Bud. ac Puteolani *exitio*; prorsus enim deleti tunc non sunt Chatti. — *victores*] Chatti, si victores evaderent. — *Marti ac Mercurio*] Cfr. Hist. 4, 64. Germ. 9. Germanis antiquis erant *Zio* et *Wuotan*, uti docuit Grimm in praeclaro Mythologiae opere, in quo Ed. II. p. 999. egregie hic Taciti locus illustratur: «*die Chatten auf den fall des sieges hatten das feindliche heer dem Mars und Mercur geweiht; dies gelübde verbindet, pferde, männer, alles lebendige, was besiegt worden ist, zu opfern. mit dem* votum *hatten die Chatten gedroht, der siegende feind erfüllte es als das seinige. man darf nicht annehmen, dass von beiden theilen, am wenigsten dass von den Hermunduren dem Mars, von den Chatten dem Mercur gelobt worden war; dann stände der schluss müssig. auch scheint mir die eigenthümlichkeit des grausamen gelübdes eben darauf zu beruhen, dass es beiden siegverliehern zugleich geschah. vielleicht fielen Wuotan die männer, Zio die frauen, kinder und thiere anheim, nichts durfte leben bleiben. wäre nur einem gott gelobt worden, so hätte sich dieser an einem theile der beute genügt; darum bemerkt auch Tacitus, dass ein solches gelübde besonders verderblich war. sollten die rosse vor den männern genannt sein, um auszudrücken, dass jene dem Zio, diese dem Wuotan zufallen?* (Minime vero, sed *equi viri* solitus est apud Latinos huius formulae ordo; scilicet evitare volebant ingratum hiatum *viri equi*, qui per se non erat in Ciceronis *viris equisque* de Off. 3, 33. In gratiam autem exterorum expositionis caput hic subiungo: Huius voti crudelitas eo maxime continetur, quod ambobus *victoriae datoribus*, Zio et Wuotan, una factum est, quapropter eius solutio tam exitiosa fuit Chattis; si uni dumtaxat nuncupatum esset, dimidiae captivorum parti fortasse parci potuisset.) Addunt Caes. B. G. 6, 17: *Marti, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperint, plerumque devovent, cum superaverunt, animalia capta immolant, reliquas res in unum locum conferunt.* — *cuncta victa*] cuncta, quae victi possederant. — *minae hostiles*] saevum illud votum, quod minitabundi adversus hostes Hermunduros fecerant, hi in ipsis (Chattis) immolandis exsecuti sunt. (Aliter, sed vix recte, acceperunt interpretes Francogalli. Burnouf: *Ici du moins les menaces de nos ennemis* (at nihil omnino Romanis minitati erant neque bellum cum his gerebant:) *tournaient contre eux-mêmes: bientôt un fléau inattendu frappa les Ubiens, nos amis.* Louandre: *Cette fois, du moins, les violences des Barbares tournaient contre eux-mêmes; mais la cité des Ubiens, notre alliée, fut frappée d'un mal imprévu.*) — *Ubiorum*] Vid. Noeggerath *das Gebirge in Rheinland-Westphalen.* Vol. III. p. 59—112. Ritter. *Vibonum* Med. nomen suspectum non tam ideo, quod nusquam alibi legitur, quam propterea, quod coloniae mox memoratae nomen reticet Tacitus, non hercle facturus, nisi celebrem et omnibus cognitam civitatem antea nominasset, cuius ex vicinitate de nomine coloniae facilis atque certa fieret coniectura. Erat autem colonia haud dubie Agrippinensis, de qua 12, 27. Doed. Ex antiquioribus scriptoribus cfr. etiam Valesius Notit. Gall. p. 261. a. — *ignes terra editi*] quos incendium terrenum (*Erdbrand*) fuisse plerique suspicantur. Huius-

non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis aut quo alio humore, donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant. postremo tegmina corpori derepta iniciunt, quanto magis profana et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.

(58) Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus reviresceret.

2. *remedio* M. — *agrestis* M. — 3. *resistentibus* M. Correctum in Bud. et a Puteolano. — *proprius* M. — 4. *direpta* M. — 6. *quae octingentos* Vatic. 1958.: *quae septingentos* M, *quae super octingentos* cum Guelf. et Puteolano B. (*quae octingentos et triginta* malebat Lipsius.) — 8. *habitum*] *abditum* M. — 9. *reuiuesceret* M. — *Explicit Cornelii Taciti liber tertius decimus. Incip.* (cum lin.) *XIIII*. M.

modi incendia interdum oriuntur in locis, ubi est carbo fossilis aut humus turfa Linn. solis radiis siccata. Contra Noeggerath in libro supra laudato teste Grimmio istos ignes neque vulcanios neque incendio terreno editos, sed, quibus tesqua comburi solent, fuisse contendit. Quod si verum est, sane statuendum eos tanta vi exarsisse ac longe lateque sese propagasse, ut a rusticis non iam coërceri possent. Cfr. eiusdem Noeggerath: *Gibt Tacitus einen historischen Beweis von vulkanischen Eruptionen am Niederrhein? Bonn* 1824. Equidem neutrum librum inspicere potui. — *humore*] In his *si* elliptice ponitur. Supplendum erit: *Non si fluvialibus aquis aut quo alio humore exstinguere conarentur, exstingui poterant.* Walth. Ernestius hoc *si* deletum maluit. Ante Ernestium ex foeda interpolatione edebant *humore niterentur.* — *usu polluta*] Vestes vult sanguinis menstrui aut seminis notis sordentes. Lips.

58. *Ruminalem arborem*] Festus p. 270. Müll.: *Ruminalem ficum appellatam ait Varro prope Curiam sub Veteribus, quod sub ea arbore lupa a monte decurrens Remo et Romulo mammam praebuerit. Mamma autem* rumis *dicebatur*. Quem ad locum Müllerus p. 400: «In Germalo eam fuisse tradit Varro L. L. 5. §. 54. eundemque locum indicant Dionys. Hal. 1, 79. Servius in Virg. Aen. 8, 90. Verum Festus non hunc locum significare videtur, sed eum, quo ea ficus Navii augurio translata esse credebatur, in foro et comitio; qua de re exstat Plinii gravissimum testimonium H. N. 18, 20, 77.» Vocabulum proxime ducitur a *Rumina* dea, culta prope eam ficum. Varro R. R. 2, 11, 5. Cfr. Niebuhr *Röm. Geschichte* I. p. 230—248. 318. Ed. III. — *quadraginta*] *triginta* secundum scriptores hodie servatos; Tacitus ignotos nobis secutus videtur, si Med. auctoritatem sequimur, praebentis *septingentos et quadraginta*. Dübn. Verum haec totius seculi discrepantia adeo immanis est, ut Tacito ipsi tribui omnino nequeat, sed manifesto profecta sit ex errore librarii quamvis optimi Cod. Medicei vel iam eius ἀρχετύπου. Ceterum annis ab urbe condita hic addendi sunt XVIII., qua aetate Romulus et Remus eam condidisse ferebantur.

EXCURSUS AD CAP. XXVII.

Paenitentiae aut novo beneficio] Paenitentiae, ut retraheres in servitutem: beneficio, ut vindicta liberares. Ita apud Plinium Epp. 7, 16: *Spero, immo confido, facile me impetraturum, ut Calestrius Tiro, proconsul Baeticae, ex itinere deflectat ad te. Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti, nihil est, quod verearis, ne sit hoc illi molestum.* Lips. In adnotatione praecedente affert Fragmentum quoddam ICti veteris a Puteano: *Ii, qui domini*

voluntate in libertate erant, manebant servi; et manumissores audebant in servitutem denuo eos per vim ducere. Interveniebat praetor et non permittebat manumissum servire. Et addit post: *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, et fiunt Latini Iuniani.*

Non adsentior magno Lipsio, nec illo fragmento Puteaneo mihi persuaderi patior, ut tum patronis ius fuisse credam libertatem etiam non iustam adimendi. Libertorum coërcitio tempore Augusti facta apud praefectum urbis ex lege Aelia Sentia, ut patet e fragmento eius apud Ulpian. 1. 30. ff. Qui et a quibus manumiss. Genera poenarum traduntur in Tit. ff. De praef. urb., imprimis §. 10. Sed in his nulla libertatis ademptio. Atque haec ratio mansit, donec Claudius coepit revocare ingratos in servitutem, sed decretis, non lege, ut ante dictum. Nam, si lex fuisset, frustra iam demum ea peteretur. Atque etiam alii imperatores post subinde duriora in libertos decrevere, nulla lege de libertatis amissione sancitum ante Commodi tempora. Is initium fecit statuendi, quae ad libertatis amissionem vim facerent, l. 6. ff. §. 1. De agnosc. et alend. liberis: *primum eos in potestatem patronorum redigi et ministerium dominis praebere cogi; sin autem nec hoc modo admoneantur, vel a praeside emptori addicentur et pretium patronis addicetur.* Quae contra disputat Cuiacius Obss. 10, 33., refellit Gothofredus ad Cod. Theodos. L. 2. T. 23. De lib. ademptione. Vol. I. p. 217. Ed. Lips., qui et alios locos legum affert, e quibus patet post Commodi tempora libertatis ademptionem valuisse. Maxime perspicuus est locus Paulli l. 10. ff. De manum. test. §. 1. laudatus Schultingio in Iurispr. Anteiust. p. 573. Ed. Lips.: *cum hodie placeat libertatem adimi posse.* Atque is vixit sub Severo et Caracalla. Quodsi ergo Commodus *primum* sanxit in potestatem patronorum redigi vendique libertos ingratos, et sui temporis id ius demum fuisse testatur Paullus, non potest iam Neronis tempore libertatis ademptio iure inducta fuisse. Quae igitur est ista *paenitentia?* Nempe, quae opponitur *novo beneficio.* Qui libertatem non iustam dat, spem tamen dat plenae per vindictam, sibique locum relinquit novi beneficii tribuendi. Itaque libertus patrono manet quodammodo obligatus et, ut ait Tacitus, vinculo servitutis attinetur ob cupidinem iustae libertatis. Paenitentiae est non dare unquam iustam libertatem, cuius spem feceris; quod fit, si prioris beneficii paenitet. Ernestius.

A N N A L I U M

LIBER QUARTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Nero matris caedem agitat, incitante Poppaea. 2. Agrippina incestum tentat; an Nero potius? 3. De caede matris deliberat Nero. Aniceti consilium. 4. Agrippinae cum Nerone scelus celante convivium. 5. Mari mergenda aegre evadit. Acerronia remis conficitur. 6. Agrippina dissimulat. 7. 8. Nero trepidat, cum Burro et Seneca deliberat. Anicetus caedem Agrippinae suscipit et perpetrat. 9. Agrippinae viles exsequiae. 10. Nero conscientia vecors adulatione erigitur. 11. Litteris ad senatum matrem etiam post fata criminatur. 12. Senatus turpiter adulatur. Thrasea Paetus virum se praestat. Nero mite ingenium affectat.

13. Urbem intrat anxius; blanditias expertus, in omnes libidines se effundit. 14. Citharoedus, auriga, nobiles ad paria flagitia adigit. 15. Iuvenalia. Nero in scena. Augustanos conscribit. 16. Carmina pangit. Philosophos ridet. 17. Caedes inter Nucerinos et Pompeianos occasione gladiatorii spectaculi. 18. Blaesus damnatur. Strabo absolvitur. 19. Mors Domitii Afri, M. Servilii. 20. Quinquennale ludicrum Romae. Varia de ludis fama; eorum vituperia. 21. Laudes et excusatio. Nero eloquentiae victor. 22. Portentis commotus Rubellium Plautum in exsilium agit.

23. Corbulo Mardorum latrocinia punit. 24. Percussorem vitat, Tigranocerta capit. 25. Hyrcanos in societatem recipit. 26. Tiridaten arcet ab Armenia, quam tradit Tigrani. Syriae praeficitur. 27. Puteoli, Tarentum, Antium coloniae. 28. Comitia praetoria. Vibius damnatus.

29. Clades Britannica. Suetonius Monam invadit. 30. Incolas domat. 31. Iceni Boadicea duce et Trinobantes rebellant. 32. Camulodunum expugnant, Petilium Cerialem cum nona legione fundunt. 33. A Suetonio desertum Londinium et Verulamium spoliant, cives et socios Romanorum trucidant. 34.—37. Boadiceam ferocientem superat Suetonius. Ipsa veneno vitam finit. Poenius Postumus gladio se transigit. 38. Classicianus Suetonio discors res turbat. 39. Missus Polyclitus hostibus est irrisui. Suetonio Petronius Turpilianus successor datus.

40. 41. Ob falsum testamentum damnati. 42. Pedanius Secundus urbis praefectus a servis caesus. 43. — 45. In eos lege agi vult C. Cassius, et contra aliorum sententiam obtinet. Populum supplicio renitentem Nero increpat. 46. Tarquitius Priscus damnatus. Census per Gallias actus. 47. Mors et laus Memmii Reguli. 48. Antistius maiestatis delatus, 49. a Thrasea defensus. 50. Fabricius Veiento calumniae reus Italia pellitur.

51. Burri mors, laus, successores Rufus et Tigellinus. 52. — 56. Criminationes discutere parat Seneca apud Caesarem et commeatum petit: qui subdole respondet. 57. — 59. Rufum imminuit Tigellinus, Plauto et Sullae periculum struit: eos opprimit.

60. Nero ducta Poppaea Octaviam amolitur. Tum hanc revocat, 61. laetante populo. Poppaeae mox honos repositus. Eius doli. 62. — 64. Aniceti scelere Octavia in exsilium pulsa necatur in Pandateria. Temporum infelicitas. 65. Libertos Doryphorum et Pallantem veneno tollit Nero. Seneca incusatur. Piso Neroni insidiatur.

Gesta haec annis circiter quattuor, C. Vipstano, C. Fonteio Capitone; imp. Nerone IV, Cosso Cornelio Lentulo; C. Caesonio Paeto, C. Petronio Turpiliano; P. Mario Celso, L. Asinio Gallo coss.

(1) Gaio Vipstano, Fonteio consulibus diu meditatum scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia, et flagrantior in dies

1. Habet *Gaio* omnibus litteris M. — *uipsano* M. *Vipstano* ex Inscriptt. (et Fastis) primus recepit Ryckius. — *consuli.* (sic h. l.) M.

1. *G. Vipstano* cet.] Nomina horum consulum, *C. Vipstanus Apronianus*, *C. Fonteius Capito* firmantur inscriptione Neapolitana nuper reperta atque edita in *Bullettino dell' Inst. arch.* 1831. p. 50., ubi consule Borghesium. — *coalita*] Τρόπος desumptus est a planta, quae firmas iam radices egit, et increvit. — *flagrantior*]

amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusaret principem et pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii sed libertatis etiam indigeret. cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum? timeri ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. quodsi nurum Agrippina nonnisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio. ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret, periculis eius inmixta. haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris, et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia. (2) tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam. iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra mu-

1. *poppee* M. — 2. *fačecias* M. — 3. Habet *incusaret* - - *vocaret* M, non Lipsii atque Oberlini *incusare* - - *vocare*. — 6. *iniurias*] *invidias* coniecit Doederlein. — 8. *redditur* M, *redderetur* Acidalius probb. Ernestio et Doederleinio. (*reddatur* Codd. ceteri et Edd. vett. sine exceptione videntur exhibere.) — 10. *inm.* M: *imm.* B. — 13. *ardore retinendae Agrippinam* M: *Agrippinam ardore retinendae* cum Corb. B. — 14. *se* om. pr. M. additum ex corr. — 15. Habet *lasciva* M, non *lascivia* Spir. — 16. *flagitiis* M. Correxit Rhenanus.

quia in dies magis flagrabat Poppaeae amore, eo facilius ab eo ad omne scelus instigari poterat. Cfr. 13, 45: *flagrantissimus in amore.* Minus recte Acidalius atque Ernestius malebant *flagrantiore*, id quod ad Poppaeae potius amorem prave referretur. — *crebris* - *aliquando*] variata constructione, ut solet. Sic 1, 3: *non obscuris artibus, sed palam.* Et huic imprimis adverbio opponit adiectiva; cfr. 4, 71. 12, 46. Hist. 1, 64. 2, 98. — *quae* - - *incusaret*] pro *quippe quae*, *ut quae;* neque opus infinitivis Lipsii. Ceterum est zeugma sic fere solvendum: «quae crebris criminationibus in Agrippinam et Octaviam prolatis, aliquando etiam incusaret Neronem, quod talia perpeteretur.» — *incusaret* - - *vocaret*] Vix attineret nunc memorare Lipsii *incusare* - - *vocare* ab Ernestio ex Med. auctoritate sublatum, ab Oberlino restitutum, nisi propter lectores Oberlino etiamnunc utentes notandum fuisset. — *criminationibus* - *per facetias*] ex solita constructionis varietate, quam tantopere amat Tacitus. — *triumphales avos*] De uno avo materno Poppaeo Sabino (4, 46.) per exaggerationem dictum, ut 2, 37. M. Hortalus liberos suos vocat *progeniem tot consulum, tot dictatorum.* — *fecunditatem*] «An timeat Nero fecunditatem ipsius» (filium habebat ex Rufio Crispino, Octavia non pepererat) «et quae sentiat sincere ac sine ambagibus profitentem, ne per eam superbia matris innotescat?» Dubn. Fecunditatem autem suam post Octaviae sterilitatem gratam fore Neroni successoris cupido sciebat Poppaea; quocirco perverse Kiessling et Walther restituerunt distinctionem Edd. ante Lipsium: *avos, an fecunditatem et verum animum timeri, ne uxor* cet.; quae ratio totum locum, ubi per se spectetur, clarissimum, misere obscurat ac debilitat. — *verum animum*] Cfr. Hist. 1, 15: *blanditiae veri adfectus venenum.* Haec quoque contra Octaviam, utpote quae vero adfectu maritum non colat. — *iniurias patrum*] «quas senatores, id est, principes civitatis, continuo per Agrippinae arrogantiam perpetiantur et de quibus acriter conquerantur.» Sic si accipias, nullam locus praebet difficultatem; alii, ut Ernestius, minus recte

liebres inlecebras subsidium a femina petivisse, inmissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat, eiusdemque libertae astu disiectum. sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum inmanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, et exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. (3) igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium lacesseret. postremo, ubicunque haberetur, praegravem ratus, interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi. placuitque primo venenum. sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici exitio; et ministros tentare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae; atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; et ne quis

1. *inl.* M: *ill.* B. — *inm.* M: *imm.* B. — 7. *inm.* M: *imm.* B. — 8. *dominitationis* M. — 9. *ammiserat* M. — 12. *ubicũque* M. — 13. *praegrave* M, quod placet Doederleinio. — 15. *princis* M. — *brittannici* M. — 16. *temptare* M. — 17. *intente* M. — 18. *cedes* M. — *repperiebat* M.

interpretantur de iniuriis, quibus a senatu Nero afficiatur; sed in unam Agrippinam Poppaeae criminationes iactae sunt, non in senatum. Neutra ratio cum apta videretur Doederleinio, suspicatus est *invidias*. «Is enim habitus», inquit, «erat senatu non indecorus, *invidia*, id est, indignatio aemulatione mixta; rursus populo *ira* conveniebat. Pluralem *invidias* Cicero habet Cluent. 56. Vatin. in Epp. ad Fam. 5, 9.» — *Othonis coniugio*] 13, 45. et 46.

2. *medio diei*] Quo tempore intempestivae erant epulae ex moribus Romanorum. Duebn. Vel dic *nimis tempestivae*. Cfr. Lipsii Excursum A. ad h. l. — *flagitii*] semel dumtaxat ab Agrippina tentati, sed illico a Seneca per Acten impediti; itaque pluralis locum non habet. — *Fabius Rusticus*] 13, 20. 15, 61. Agr. 10. — *Neroni cupitum id*] Sic 6, 31: *cupitum id Tiberio.* — *Lepido*] Suet. Cal. 24: *Fuit is antea maritus Drusillae, convictus postea coniurationis in Caium itemque stupri in Agrippinam et Livillam.* Dio 59, 22: *τὸν Λέπιδον ἐκεῖνον τὸν ἐραστήν, τὸν ἐρώμενον, τὸν τῆς Δρουσίλλης ἄνδρα, τὸν καὶ ταῖς ἄλλαις αὐτοῦ ἀδελφαῖς τῇ τε Ἀγριππίνῃ καὶ τῇ Λιουίλλᾳ μετ᾽ αὐτοῦ ἐκείνου συνόντα, - - ὃν καὶ διάδοχον τῆς ἡγεμονίας καταλείπειν ἐπηγγέλλετο, κατεφόνευσε* Caligula. Rutilius Namatianus (ut nunc scribendum cum Zumptio) de reditu suo 1, 305: *Quartus* (Lepidus), *Caesareo dum vult irrepere regno, Incesti poenam solvit adulterii*; *incestum* vocat adulterium cum uxoris sororibus commissum. — *provoluta*] Tralatio rarissimi usus; afferunt praeterea Gell. 1, 26: *provolutus effususque in iram.* — *patrui nuptiis*] item incestis.

3. *lacesseret*] tentaret, experiretur tamquam insolitam matri (tam negotiosae) et insolitam rem, ut Horat. C. 1, 35, 2: *Quicunque Bithyna lacessit Carpathium pelagus carina*, saepiusque Virgilius *bella lacessere*. Doed. Sine causa Heinsius volebat *capesseret*. — *hactenus*] illud dumtaxat; interficere matrem pro certo decreverat, sed de modo tantum ambigebat. — *praesumendo*] Ovid. A. A. 3, 757: *Neve*

illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebant. obtulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus. ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. nihil tam capax fortuitorum quam mare; et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum ut sceleri adsignet quod venti et fluctus deliquerint? addituram principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati. (4) placuit sollertia, tempore etiam iuta, quando Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabat. illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia.

1. *illo* M. — *me:uebant* M: *metuebat* R. — *optulit* M. — 2. *anicaetus* M. — 3. *et ducator* M. — 4. *nichil* M. — 6. *ads.* M: *ass.* B. — 7. *ostentande* M. — 8. Habet *iuta* M. (*adiuta* cum Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Puteolano Walther.) — *quinquatrium* M. — 9. *ferenda* M. — Habet *parentium* M. Ante Bekkerum edebant *parentum*. — 10. *quorum more* M. Spir. — 11. Habet *Agrippina* M, non *Agrippinam*, ut narrat Iac. Gronovius.

domi praesume dapes. — *metuebant*] Cum ita habeat Med., uti voluerat Acidalius, illico recipiendum erat; intellexit Tacitus Neronem et facinoris conscios, plane ut Dio in loco statim afferendo plurali utitur. Vulgo *metuebat*, quod alii interpretantur de Nerone solo, alii ex v. *nemo* ad singularem assumunt *quisque*, quemadmodum est Hist. 2, 52. Cic. de Orat. 3, 14. et pro Q. Rosc. 2. Horat. Sat. 1, 1, 1. — *ingenium*] artificiosam machinam a se inventam, *Erfindungsgabe*. Ad totum locum cfr. Suet. Ner. 34: *Cum eam veneno perdere ter tentasset* (probabilior utique Taciti narratio:) *sentiretque antidotis praemunitam, lacunaria, quae noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem navem, cuius vel naufragio vel camarae ruina periret, commentus est.* Dio 61 : 12: *ἐπεὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦςὤκνουν τὸ ἔργον, καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν (πάντα γὰρ ἐκείνη ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο) ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ θεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς καί τινα θηρία ἀφιεῖσαν καὶ συνισταμένην αὖ πάλιν ὥστε καὶ ἐῤῥῶσθαι, τοιαύτην ἑτέραν ταχέως ἐναυπηγήσαντο.* — *cetera - pietati*] scilicet idonea, ut Hist. 1, 84. 3, 70., nec necessarium Agr. *pietatis*, etsi hoc quoque rectum. 6, 30: *pecuniam omittendae delationis.*

4. *sollertia*] mala h. l. significatione, ingeniosum Aniceti inventum. — *Quinquatruum*] quinque dierum festorum inde a XIII. Kal. Apr. (d. 19. Martii.) Suet. Ner. 34: *sollemnia Quinquatruum* vocat, Horatius item *Quinquatrus festas*. Causa, quia ii dies Minervae laeti pueris virisque. De pueris, Horat. Epp. 2, 2, 197: *puer ut festis Quinquatribus olim, Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.* De viris, Augustus ad Tiberium apud Suet. Oct. 71: *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis iucunde egimus; lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Symmachus Epp. 5, 85: *Nempe Minerval tibi sollemne de scholis notum est, ut fere memores sumus etiam procedente aevo puerilium feriarum. Ad eum diem convivium tibi paramus agrestibus olusculis partum, quia luxuries offendit deam sobriam.* Ovid. de quinque his diebus Fast. 3, 811: *Sanguine prima vacat nec fas concurrere ferro: Causa, quod est illa nata Minerva die. Altera tresque super rasa celebrantur arena; Ensibus exsertis bellica laeta dea est.* Adde Trist. 4, 11. Lips. Müller *Etrusk.* II. p. 49. — *placandum animum*] proprium, irritatum perpetuis illis matris iracundiis; plerique ad *animum* supplent *parentis*; sed illa ratio videtur praestare. — *acciperetque*] libens tam comem invitationem, quae perpetuam ipsi cum filio reconciliationem polliceretur. — *Baulos*] Antea Hortensii villa; tunc in principum bonis; aliquando etiam Antoniae Drusi. (Plin. H. N. 9, 55.) De ea non ineleganter Symmachus, eius possessor, Epp. 1, 1: *Huc deus Alcides stabulanda armenta coëgit, Eruta tergemini de lare Geryonis.* *Inde*

venientem dehinc obvius in litora (nam Antio adventabat) excepit manu et complexu, ducitque Baulos. id villae nomen est quae promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur. stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi. ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. satis constitit exstitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellae Baias pervectam. ibi blandimentum sublevavit metum: comiter excepta superque ipsum collocata. nam pluribus sermonibus, modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori hae-

1. *litora* M: *littora* B. — *excepit*] *excaepit* M, *excipit* cum Puteolano B. — 2. *promuntorium* M. — 3. *allauitur* M. Correctum iam in Guelf. Vatic. 1958. — 4. *tanq.* M B. — *matri* M. Correxit Lipsius. — 6. *exititisse* M. — 8. *Baias*] *baulos* M. Correxit Puteolanus. — *metu* M. Spir.

recens aetas corrupta Boaulia Baulos Nuncupat, occulto nominis indicio. Ab divo ad proceres dominos fortuna cucurrit, Fama loci obscuros ne pateretur heros. Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam, Contra Arpinatem qui stetit eloquio. Lips. Reliquiae aliquot huius villae etiamnunc exstant in monte inter *Porto di Baia* et *Mare morto*, et a doctis nominata est *Peschiera d'Ortensio.* — *Baianum lacum*] qui frequentius appellatur Lucrinus, ut est infra C. 6. Scilicet variare nomen voluit Tacitus. — *flexo mari*] Villa igitur haec aliquantum prominebat in mare, quod propterea *flectebatur*, reflectebatur, ac talem situm imprimis amabant Romani, quocirca extrorsus *summovebant litora, parum locupletes - continenti ripa* (Horat. C. 2, 18, 21.) Alii intelligunt de sinu, quem mare litus aliquantum intrans ibi effecerit. — *classiariorum*] non solitorum remigum, qui plerumque erant servi. *Classiarii* dati honori principalis feminae. — *Baias*] Sic Puteolanus, *Baulos* Mss., non recte. Nam Baias, non Baulos evocata erat Agrippina. Itaque Antio Liburnica vecta Baulos venit; ibi a Nerone in litore obvio excepta in eam villam ducta est. Cumque inde Baias aut terra aut mari profecturi essent, Agrippina insidiis interim auditis sella pervenire maluit, quam vehiculum aliquod navigiumve a Nerone oblatum usurpare. Tutissimum enim sellae gestamen vel ideo, quod suos ipsa ad hoc famulos adhibere poterat. Tandem Baulos reversura, blandimentis victa navem fallacem conscendit. Pichena.

Discrepat aliquantum Dionis narratio 61, 12: *πόῤῥω δὲ ἐς τὴν Καμπανίαν ἀπάρας καὶ παραλαβὼν τὴν μητέρα, ἔπλευσεν ἐπ' αὐτῆς ἐκείνης τῆς νεὼς λαμπρότατα κεκοσμημένης, ὥς καὶ ἐπιθυμίαν αὐτῇ ἐμβαλεῖν ἀεί ποτε τῇ νηὶ χρῆσθαι. Ἐλθών τε εἰς Βαύλους, δεῖπνά τε πολυτελέστατα ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐποίησε καὶ τὴν μητέρα ἐν αὐτοῖς φιλοφρόνως εἱστίασε κτλ.* Vides, diversos tota de re rumores tunc Romam esse allatos. — *excepta - - collocata*] Minus recte haec vv. pro ablativis habuit Walther; manifesto sunt nominativi. — *superque ipsum*] Ergo is locus in convivio honestior, quotiens duo accumberent. Contra 3, 14. tres discubuerunt mediusque inter eos Germanicus. Lips. Plures sane insuper erant convivae, et duo Agrippinae familiares et alii Neronis, ut Otho (Suet. Oth. 3: *omnium secretorum particeps, die, quem necandae matri destinaverat, ad avertendas suspiciones coenam utrique exquisitissimae comitatis dedit*): sed in medio lecto, ubi alias tres solebant collocari, tunc accumbebant tantummodo Agrippina et Nero. Cfr. me ad Horat. Sat. 2, 8. in Excursu. — *adductus*] serio vultu ac sermone; metaphora ducta ab equis, ubi *adductis* frenis reguntur. Cfr. 12, 7. Hist. 3, 7. Suet. Tib. 68: *adducto fere vultu plerumque tacitus.* — *artius*] ultra modum verae affectionis. Suet. N. 34: *atque in digressu papillas quoque exosculatus.* Dio 61, 13: *περιλαμβάνει τε αὐτὴν καὶ πρὸς τὸ στέρνον προσαγαγὼν καὶ φιλήσας καὶ*

rens, sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat. (5) noctem sideribus illustrem et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, dii praebuere. nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis astabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam filii et recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave; pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus quam ut oneri cederent, protectae sunt. nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, et quod plerique ignari etiam conscios impediebant. visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere. sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. verum Acerronia, inprudentia dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat, navalibus telis conficitur.

1. *peturae* M. — *supmus* M. — 2. *syderibus* M. — 6. *penitentiam* M. — *recuperatam* M: *reciperatam* B. — 9. Habet *lecti* M, non, ut narrant, *tecti*. — 10. *quam ut*] *quāuis* M. Emendavit Pichena. — *honeri* M. — *protecte* M. — 11. *consios* M. — 12. Habet *visum* M, non *iussum* Agr. al. — *inclinare navem atque ita submergere* suspicatur Doederlein. — 14. *dere* M, in mg. *c d' mere*. — *inprudentia* M: *imprudens* cum Guelf. et Puteol. B. — 16. *quo* M. — *opt.* M.

τὰ ὄμματα καὶ τὰς χεῖρας. — *explenda simulatione*] Frustra Lipsius et Pichena tentant *explendae simulationi*; nam etiam ablativos hoc sensu recte et exquisite dici supra demonstratum est. Cfr. 3, 19: *ulciscenda morte*. Ern.

5. *reclinis*] Id est, in eodem grabato, in quo cubabat Agrippina, ad eius pedes in transversum iacebat. Ryck. — *tectum loci*] est *camara* Suetonii 34., lacunar diaetae in puppi. *Locus* de eo, ubi quis deversatur, deversorio, hospitio. Vide Graev. ad Cic. Fam. 16, 21. *Pressus* autem est «oppressus», ut Hist. 4, 2. Ern. — *lecti parietibus*] Spartianus in Vero 5: *lectum eminentibus quattuor anaclinteriis fecerat*; ubi Salmasius voc. *anaclinterium* explicat «eminentem pluteum ex asseribus compactum.» Atque in navibus videntur hi quattuor parietes etiam altiores fuisse quam in cubiculis, ne titubante forte nave, qui in lecto cubabat, eiiceretur. Magnas olim turbas concitavit falsa lectio *tecti*. Vide Ern. — *quam ut*] Med. *quamvis* nec tolerari neque explicari potest, id quod, dubitanter quidem, conatus est Doederlein: «parietes forte quadam validiores quam in aliis lectis non quidem resistebant tantae plumbi violentiae, sed infringebant tamen vim lapsus.» — *sequebatur*] procedebat, succedebat. Ern. Immo proprie: constitutum erat, ut ruinam tecti sequeretur dissolutio compagum. Doed. — *remigibus*] consciis dumtaxat. — *unum in latus inclinare*] videlicet «sese una, ut ex eo latere navis submergeretur.» Sic recte Gutmann, Burnouf, Louandre; nec probabilis est v. *navem* transpositio post v. *inclinare*. — *iactus*] dum remigum pars renititur ac rectam tenere navem contendit, minore vi deiectae sunt, deciderunt in mare Agrippina et Acerronia. Atque ita Dio l. l.: *διελύθη ἡ ναῦς* (id quod probabilius videtur Fabricio), *καὶ ἡ Ἀγριππῖνα εἰς τὸ ὕδωρ ἐξέπεσεν*. Non possum accedere Ernestio *iactum* esse remigum, non Agrippinae statuenti; neque aliis, intelligi haec debere de totius navis submersione; sed, uti significavi, *ictus*, *Sturz*, paullo gravius est vocabulum pro *casu*, *Fall*, quod insuper h. l. fuisset admodum ambiguum. — *inprudentia*] per

Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit. nando, deinde occursu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta, villae suae infertur. (6) illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis inpulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset; observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens; solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur; misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benignitate deum et fortuna eius evasisse gravem casum; orare ut quamvis periculo matris exterritus visendi curam differret; sibi ad praesens quiete opus. atque interim, securitate simulata, medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet; testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per simulationem. (7) at Neroni nuntios patrati facinoris opperienti affertur evasisse ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur. tum pavore exanimis, et iam iamque affore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obi-

1. *tam* cum lin. super litt. *m* M. — 4. *litus* M: *littus* B. — 5. *inpulsa* M: *impulsa* B. — 7. *intellegerentur* M: *intelligerentur* B. — *misitque* M: *misit* cum Rhenano B. — 8. *deum*] *dm* cum lin. M. — 13. Non deest v. *patrati* M, ut narrat Victorius. — 14. *discrimine auctor dubitaret* M. Correctum in Guelf. — 15. *et iam*] *etiam* M. — Habet *obiciendo* M.

ipsam imprudentiam suam, cum se ita servatum iri opinaretur, nec provideret fore, ut remiges illico in ipsam se converterent; simul vero amicam prodebat. Non video, cur legendum sit *imprudens*, etsi Ernestius *tia* ortum putat ex terminatione praecedentis v. *Acerronia*. Cfr. Hist. 2, 34: *quando hostis imprudentia* (non *imprudens*) *rueret*. — *navalibus telis*] instrumentis navalibus in telorum usum conversis. Duebn. — *lenunculorum*] Navis piscatoria explicatur a Nonio; *πλίτυλος*, *σκαφίδιον* in Gloss. Philoxeni. Ryck. *Lenuncularios* habes in Inscr. m. Lat. NN. 3248. 4054. 4104. (*«On ne peut nier qu'il y ait dans tout ce récit quelque obscurité.»* Burnouf.)

6. *machinamentum*] Intellige pegma theatrale vel circense, ita compactum, ut ad delectandos spectatores varia possit exhibere spectacula, veluti subitam ruinam muri in urbis expugnatione, incendium ac similia. — *remedium esse*] Si cogitatione suppleas «intellexit, sensit», stare poterit *misitque* ab Rhenano in *misit* mutatum; alioqui foret *ἀνακόλουθον* haud ferendum, ut vidit iam scriptor Agr. inserens *putavit*, male receptum a Ryckio. — *fortuna eius*] Adulatur filio, cuius solita fortuna matrem ipsi conservarit. (Cfr. 4, 18.) — *testamentum*] Sciebat sine dubio, se in amicae testamento heredem scriptam esse; *bona* autem intellige res pretiosas, quas Acerronia hoc in itinere secum portarat, anulos, margaritas, monilia, catellas cet. Quin fortasse Romam Baulis codicillos misit, ut quae bona ibi possederat Acerronia obsignarentur. — *id tantum non*] id unum sine simulatione. Male Walther explicat: «id *μόνον οὐχί*, hoc est, fere, paene, propemodum per simulationem.» — *non per simulationem*] «Cetera omnia in tanto discrimine poterat dissimulare, iram, suspicionem, metum; unam avaritiam non poterat; quae erumpebat in testamento Acerroniae requirendo cet.» Dorn.

7. *hactenus*] usque eo, quod primus respondit, non ultra. Sic 6, 15: *hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem attolleret*. — *ne*] ut non: ut de auctore facinoris dubitatio esse non posset.

ciendo, quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca expedirent; quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros. igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant *ut*, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. post Seneca, hactenus promptius, *ut* respiceret Burrum, ac si scitaretur an militi imperanda caedes esset. ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. qui nihil cunctatus poscit summam sceleris. ad eam vocem Nero illo sibi die dari imperium, auctoremque tanti muneris libertum profitetur: iret propere, duceretque promptissimos ad iussa. ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abicit inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla inici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mor-

1. Habet *subsidium* M, non *suffragium* Spir., ex quo Groslotius facere volebat *suffugium*. — *expedirent*] *expergens* M. Ut nos, amicus Pichenae. Ad sensum non male Agr. *expromerent*, quod recepit Ryckius. Aliorum hariolationes vide apud Waltherum. Accedit nunc Doederleinii suspicio: *nisi quid Burrus et Seneca!* — *Quos statim expergens acciverat* cet. — 2. *gnaros* Anonymus in mg. Gryph. Recepit Oberlinus. — 4. *ut* om. M. — 5. *promptius, ut respiceret* Doederlein: *promptius respiceret* M, *promptius respicere* Walther, *promptior, respicere* cum Guelf. B, *promptius, cum respiceret* Ritter. — *acsciscitaretur* coniunctim M, *ac sciscitari* cum Agr. Ern., *ac sciscitaretur* Ritter. — *imperande* M. — 6. *cesarum* M. — 7. et 8. *nichil* M. — 8. *summa* M. — 9. *illos inbidie* M. Correxit Rhenanus. (*illo sibi in die* Petersenius.) — 11. *agerrimum* M. — 13. *dep̄henso* M. — *exitum* M. Spir. Correxit Puteolanus. — 14. *dep̄hensi* M.

Duebn. — *expedirent*] Etsi haec correctio non usquequaque certa est, praestat tamen Waltheriano ac Bachiano *expergerent*, quod volunt esse *excitarent*. — *ignaros*] Multis placuit Anonymi illud *gnaros*. Sed recte de h. l. disputat Walther: «Si scribis *gnaros*, tum sententia est, ex vulgari opinione Burrum et Senecam gnaros ante a plerisque haberi, esse tamen, qui contradicant ignarosque putent. Etenim formulam *incertum an* Tacitus ponit, ut suspicionem falsi moveat contra opinionem plurimorum et vulgarem. Quare si scribis *ignaros*, ille sibi vult, ex vulgari opinione utrumque virum fuisse ignarum, esse tamen qui contra illos suspicionem moveant tamquam gnaros. Hoc aptius est et virorum nominibus dignius. Tangit autem Tacitus hisce verbis famam illam, cuius nuntium habemus Dionem 61, 12: *καὶ αὐτὸν καὶ ὁ Σενέκας, ὡς πολλοῖς καὶ ἀξιοπίστοις ἀνδράσιν εἴρηται, παρώξυνεν, εἴτ' οὖν τὸ ἔγκλημα τὸ καθ' ἑαυτοῦ ἐκηλυγάσασθαι βουληθείς, εἴτε καὶ τὸν Νέρωνα ἐς μιαιφονίαν ἀνόσιον προσαγαγεῖν ἐθελήσας, ἵν' ὡς τάχιστα καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς ἀνθρώπων ἀπόληται.* — *irriti*] vana et irrita futura loquentes. Id. Sic 15, 25: *legati irriti remittuntur.* Virg. Aen. 5, 442: *Irritus urget.* Doed. — *an eo*] Nota, quam dubitanter de tota re non satis certa et hic loquatur Tacitus et supra *an et.* — *ut respiceret* cet.] Sic locus haud improbabiliter correctus nunc videtur a Doederleinio. Contra minime probare queo Waltheri rationem: *promptius respicere Burrum ac*, «*sciscitaretur* (scil. inquit), *an - - esset?*» ut haec Senecae verba sint ad Neronem, quam secutus paullum immutavit Duebner: «*promptius respiceret Burrum ac sciscitaretur, an - - esset?*» Nihil profecto enervius dicere potuisset Seneca principi. — *ac si*] pro *perinde ac si* (quod plene infra C. 41.), ut Cic. Att. 5, 13: *Decumani, ac si venissem cum imperio, Graeci quasi Ephesio praetori se alacres obtulerant.* Doed. — *scitaretur*] Cum optimis Codd. sustuli hanc formam

tem sumpsisse confingeret. (8) interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere; questibus, votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractaque ianua obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret; cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem: aliam † fore lateret faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. abeunte dehinc ancilla, «tu quoque me deseris» prolocuta, respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito centurione classiario comitatum; ac si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non imperatum parricidium. circumsistunt lectum percussores, et prior trierarchus fusti caput eius adflixit.

2. *litus* M: *littus* B. — 4. *quaestibus* M. — *uocis* M. Correxit Rhenanus. — 5. *adfl.* M: *affl.* B. — 7. *gratădum* M. — 8. *deiecti* M. Correxit Puteolanus. — *retractaque* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 10. *adst.* M: *ast.* B. — *inr.* M: *irr.* B. — 11. *inherat* M. — 12. *fore lateret* corrupte M: *fere littore* cum Harl. a sec. m. et Puteolano satis languide B. Magis placet Aurelii et Doederleinii suspicio: *ferre litora.* — 14. *indicta* M. Spir. Correctum in Corb. et a Puteolano. — 15. *anicaetum* M. — 17. *nichil* M. — 18. *capud* M. — *adfl.* M: *affl.* B.

ex Cic. Orat. 16. substituens frequentiorem *sciscitari;* sed in Tacito v. Horatianum atque Ovidianum facile tolerari potest, etsi obvia est mutatio in *sciscitaretur*, qua forma utitur Hist. 1, 84. 2, 33. 34. 3, 38. — *summam*] consummationem; sibi tota res ut mandetur, poscit. Cfr. 13, 38. Hist. 4, 68. — *ipse*] Nero, ut manifestum est; pessime nonnulli interpretes de Aniceto cogitarunt. Cfr. Suet. Ner. 34: *L. Agerinum --, abiecto clam iuxta pugione, arripi constringique iussit.* — *scenam*] confictionem, speciem externam, ut si in theatro ageretur tragoedia aliqua. — *ultro*] h. l. significat repentinum impetum, quo actus hanc scenam commentus est Nero.

8. *molium obiectus*] De his molibus ad Baias Cassiodorus Var. 9, 6: *Quantis ibi molibus marini termini decenter invasi sunt! quantis spatiis in visceribus aequoris terra promota est!* Strabo 5. p. 245: *ἡ δὲ πόλις ἐμπόρειον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου, διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλασσαν.* Virg. Aen. 9, 710: *Qualis in Euboico Baiarum litore quondam Saxea pila cadit.* Lips. — *quod nemo -- mali indicia*] Sane hae sunt Agrippinae anxiae cogitationes, nec tamen tam mire et contra antiquorum usum distinguendae, quam fecit Walchius in Emendd. Liv. p. 125. — *fore lateret*] Locus desperatus. Aurelii *ferre litora* apte sane significaret «prae se ferre, monstrare;» nec tamen recipi poterat, quoniam nimis discrepat a Med. scriptura misere depravata; vulgatum autem *aliam fere litore* tolerari nequit, quia nimis languet. — *centurione classiario*] Inscr. m. Lat. N. 3371. est *CENTVRIO CLASSICVS.* — *trierarchus fusti*] Videtur homo saevus hunc ictum Agrippinae intulisse, quo ipse quoque meritum aliquod in crudeli hoc incepto Neroni imputaret; nex ipsa, ut solebat, commissa iam erat centurioni. Aliter rem expediunt, qui legunt *nam in mortem*, v. c. Walther: «*Nam* genuinum

iam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum, «ventrem feri» exclamavit; multisque vulneribus confecta est. (9) haec consensu produntur. aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. cremata est nocte eadem, convivali lecto et exsequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. accenso rogo libertus eius cognomento Mnester ipse *se* ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii. hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. nam consulenti super Nerone responderunt Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret; atque illa «occidat» inquit, «dum imperet.»

(10) Sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est. reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens

1. *nam morte* M. Ut nos, cum Faërno et Groslotio B. (*adflixit non in mortem: centurioni*, cet. Acidalius.) — Habet *destringenti* M, non *distringenti* Gueif. Bud. al. — 5. *exquiis* (sic) M. — 7. *cesaris* M. — 8. *ipse ferro* M, absorpto *se* ab iisdem litt. praecedd. Correxit Ernestius, etsi diu ante *ipse ferro se* Gueif. Harl. Bodl. Ies. Bud. Puteol., quod praetulit Walther, mancam lectionem Doederlein. — 11. *chaldei* M. — 13. *cesare* M. — 14. *exurgens* M.

est. Indicatur causa, cur trierarchus caput mulieris fusti adflixerit. Nam ut fustibus illam necarent, percussores accessisse ne credas. Immo ferrum centurio destringit, ut uno vulnere Agrippinam in mortem adficiat. Sed illa centurionem impedit ac percussores inritat protendendo uterum et *ventrem feri* exclamans. Hinc centurioni opem ferunt alii et prior trierarchus fusti adflixit eius caput; deinde sequuntur reliqui, ut ita multis vulneribus conficeretur.» (Totam rem Philostratus, quem propterea nugatorem appellat Lipsius, ita significat Vit. Apoll. 4, 38: *ναυαγίῳ τὴν μητέρα ἀπέκτεινε πλοῖον ἐπ' αὐτῇ ξυνθείς, ὑφ' οὗ ἀπώλετο πρὸς τῇ γῇ.*) — *iam in mortem*] Locus nondum persanatus. Duebner ac Doederlein secuti sunt Ryckii et Waltheri *nam in mortem* ex Bud. Gueif. Agr. Puteol. ductum, sed neque hoc satisfacit (v. supra), et Acidalii *fusti caput eius adflixit, non in mortem* mihi admodum languidum videtur. — *ventrem feri*] Rationem addit apud Pseudosenecam in Octav. 368: *Caedis moriens illa ministrum Rogat infelix, utero dirum Condat ut ensem: Hic est, hic est fodiendus, ait, Ferro, monstrum qui tale tulit.* Quos ipsos versiculos, fortasse ab aliquo margini adscriptos, scriptores librarii Itali pro seculi XV. licentia hic in Codd. et Edd. ante Lipsium intruserant; hic primus delevit. Dio 61, 13: *ἀναπηδήσασα ἐκ τῆς κοίτης τήν τε ἐσθῆτα περιεῤῥήξατο καὶ τὴν γαστέρα ἀπογυμνάσασα, Παῖε ταύτην, ἔφη, Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν.*

9. *aspexeritne*] Suet. Ner. 34. Dio 61, 14: *αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι· καὶ αὐτήν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο, καὶ τέλος πολὺ καὶ τοῦ φόνου ἀνοσιώτερον ἔπος ἐφθέγξατο· εἶπε γὰρ ὅτι «Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον.»* Boëth. 2. Carm. 6: *Fratre qui quondam ferus interempto, Matris effuso maduit cruore, Corpus et visu gelidum pererrans, Ora non tinxit lacrimis, sed esse Censor exstincti potuit decoris.* — *convivali lecto*] non funebri et legitime parato. Lips. — *clausa humus*] Altior, ut alioqui solebat, tumulus ei congestus non est, ne loco quidem, ubi positi erant eius cineres, cippus impositus; in solum tantum proiecta esse eius ossa ac mansisse prorsus intecta, ut oculis praetereuntium exposita essent, negat ipse Tacitus statim post interfectionem Agrippinae eius *tumulum* memorans C. 10.; sed iusto sepulchro per decennium fere caruerunt. Hoc autem loco, vv. *clausa humus* id maxime significant, solitas alias caerimonias fune-

et mentis inops, lucem opperiebatur tamquam exitium allaturam. atque eum auctore Burro prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, pressantium manum gratantiumque quod discrimen inprovisum et matris facinus evasisset. amici dehinc adire templa, et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari. ipse diversa simulatione maestus, et quasi incolumitati suae infensus, ac morte parentis illacrimans. quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus (et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris audiri), Neapolim concessit, litterasque ad senatum misit, quarum summa erat repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset. (11) adiciebat crimina longius repetita, quod con-

1. *tanq.* M B. — 3. *pressantium* M: *prensantium* Ernestio auctore B. (*prehensantium* cum Guelf. Harl. Bodl. Ies. Puteolanus et Edd. ante Ern.) — Habet *manum* M, non *manu* Reg. Corb. Agr. Spir. multaeque Edd. — *inpr.* M: *impr.* B. — 4. *cepto* M. — 6. *mestus* M. — *sue* M. — 7. *morte* M: *morti* cum Lipsio B. — 8. *litorum* M: *littorum* B. — 10. An *e tumulo*, ut absorpta sit litt. *e* ab eadem praecedente? Or. — 12. *paenam* M. — 13. *adiciebant* M, ut saepe praebet *ant* pro *at*. Hoc quidem loco scriptor librarius verbum adaptavit ad sequens v. *crimina*.

bres omissas esse, de quibus cfr. Cic. de Legg. 3, 22. — *subiectos sinus*] Apte ad h. l. Seneca Ep. 51: *C. Marius et Cn. Pompeius et Caesar exstruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Videbatur hoc magis militare ex edito speculari late longeque subiecta.* — *multos ante annos*] Statim cum Neronem enixa esset. Dio 61, 2: *καί τις ἀστρολόγος - - δύο ἅμα περὶ αὐτοῦ ἐμαντεύσατο, ὅτι τε βασιλεύσει καὶ ὅτι τὴν μητέρα φονεύσει. ἀκούσασα δὲ ταῦθ' ἡ Ἀγριππῖνα παραυτίκα μὲν οὕτως ἐξεφρόνησεν, ὡς καὶ αὐτὸ τοῦτο ἀναβοῆσαι, «Ἀποκτεινάτω με, μόνον βασιλευσάτω.»*

10. *pressantium*] Haec Medicei lectio ardentiorem affectum exprimit quam vulgatum *prensantium*. Cfr. me ad Horat. Sat. 1, 9, 34. — *diversa simulatione*] contraria simulationi gratantium; hi enim vel maesti vel Neronem detestantes palam laetitiam prae se ferebant, ipse matris interitu gaudens maestitiam. Cfr. Dio 61, 15: *Οἱ δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἄνθρωποι ἀκούσαντες ταῦτα, καίπερ ἀχθόμενοι, ἔχαιρον νομίζοντες αὐτὸν ἐκ τούτου γε πάντως ἀπολεῖσθαι, τῶν δὲ βουλευτῶν οἱ μὲν ἄλλοι πάντες* (praeter Thraseam Paetum) *προσεποιοῦντο χαίρειν ἐπὶ τοῖς γεγονόσι καὶ συνήδοντο δῆθεν τῷ Νέρωνι κτλ.* Quint. 8, 5, 15: *Insigniter Africanus apud Neronem de morte matris, «Rogant te, Caesar, Galliae tuae, ut felicitatem tuam fortiter feras.»* — *morte*] tolerari potest, si interpretere «propter mortem;» *illacrimari* absolute dictum etiam a Virgilio Ge. 1, 480: *illacrimat templis ebur*, id est, in templis; Suet. Oct. 66: *ceterum et illacrimavit, - - quod* cet. Ceterum multis placuit *morti*, quod tacite Lipsius edidit, ut est apud Cic. de N. D. 3, 33. — *vultus - - facies*] *Vultus* est aliquid mutabile, *facies* constans. Alius est *vultus* locorum vernus, alius hibernus, sed *facies* eadem. Walth. — *tubae*] Tuba est funebris. Horat. Sat. 1, 6, 44. Pers. 3, 103. Gell. 20, 2. Serv. ad Virg. Aen. 5, 139: *Sciendum maioris aetatis funera ad tubam solere perferri.* — *sonitum tubae*] Dio 61, 14: *αὐτὸς δὲ ταῖς τε νυξὶν ἐξεταράττετο, καὶ μεθ' ἡμέραν ὑπὸ σαλπίγκτων δή τινων πολεμικόν τι καὶ θορυβῶδες ἐκ τοῦ χωρίου, ἐν ᾧ τὰ τῆς Ἀγριππίνης ὀστᾶ ἔκειτο, ἠχουσῶν ἐδειματοῦτο. διὸ καὶ ἄλλοσε ᾔει· καὶ ἐπειδὴ κἀνταῦθα τὰ αὐτὰ αὐτῷ συνέβαινεν, ἄλλοσε ἐμπλήκτως μεθίστατο.* — *tumulo*] Intellige de humili sepulchro; nam *humus* ossibus *congesta* non est. C. 9. — *luisse eam*] Agrippinam, manibus sibi illatis urgente conscientia, quoniam filio per-

sortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset, ac postquam † frustra ablata sit, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium, periculaque viris illustribus instruxisset. quanto suo labore perpetratum ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret. temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna exstinctam referens. namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur ut crederet? aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? ergo non iam Nero, cuius inmanitas omnium questus anteibat, sed Seneca adverso rumore erat, quod oratione tali confessionem scripsisset. (12) miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervae simulacrum in curia, et iuxta principis imago statuerentur;

2. *frustra ablata sit* corrupte M: *frustra optata sint* cum Vatic. Lipsii, Agr. B, *frustra oblata sint* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Puteol., id quod placet Doederleinio; *frustra oblata sit* cum Spirensi Duebner. Attamen inter multas coniecturas (quas quaere apud Waltherum) omnium optima est acutissimi illius Rhenani *frustrata sit*. — 6. *oblita* M, quod ortum ex scriptura *oblica*. Emendatum in Agr. et a Lipsio. — 7. *puplica* M. — *extinctam* M. — 8. *fuisset* M. Correxit Rhenanus. — 9. *mulire* M. — *naufra* (add. ex corr. *ga)* M. — 11. *inmanitas* M: *immanitas* B. — *Seneca adverso rumore* Guelf. Harl. Bodl. Spir. Puteol.: *Seneca aduersorum* (postrema syllaba per compendium) *rumore* M, *adverso rumore Seneca* Rhenanus et Edd. ante Waltherum, *Seneca rumore adverso* B. — 13. *quinquatruus* M. — 14. *celebraretur* M. — 15. *iusta* M. — *statuerentur* M: *statueretur* B.

cussorem immisisset. Duebn. Sic Nero exsecutus est consilium illud C. 7: *ut matrem sponte mortem sumpsisse confingeret.*

11. *ablata*] Vide lectionis var. *Oblata sint* Doederlein intelligit «donativum et congiarium.» *Oblata sit* Ed. Spirensis placet Walthero, Bachio, Duebnero: «postquam frustra se obtulerit militi senatuique et populo adsciscendam in imperium, coll. Suet. Dom. 22. Sed displicet passivum pro reflexivo.» Doed. (Bachius quidem explicat: «*oblata sit* per ministros suos et amicos.») Equidem facio cum Rhenano eiusque coniecturam Interpretibus saltem commendo. — *congiarium*] 12, 41. — *irrumperet*] 13, 5. — *temporum quoque*] Vetustior Latinitas poscebat: *Claudianorum quoque temporum*. Doed. — *namque et naufragium*] Partic. *namque*, in qua vel Lipsius haesit *iamque* proponens, significat eo usque impudentiae progressum esse Neronem vel potius epistolae scriptorem Senecam, ut *fortunae populi Romani* (quae frequentior est formula quam *publica fortuna)* tribueretur id, quod placido mari mirum in modum naufragium passa esset Agrippina. At merum mendacium hoc esse omnibus ultro apparebat. — *perfringeret*] homo unus vi sua perrumperet, penetraret. Duebn. Difficultatem, immo τὸ ἀδύνατον tam insani incepti efficacissimo verbo significare voluit Tacitus. — *oratione tali*] Pertinet huc locus Quintiliani 8, 5, 18: *Facit quasdam sententias sola gradatio, qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet:* «*Salvum me esse adhuc nec credo nec gaudeo.*»

12. *omnia pulvinaria*] id est, omnium deorum, ut Cic. Cat. 3, 10: *quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est*. Erat igitur haec formula legitima. («Ut supplicatum iret populus ad omnia templa, in quibus *lectisternia* aut *sellisternia* fierent; sternebantur enim lecti dis maribus, feminis sellae circum aras carnibus victimarum oneratas, et imponebantur illis statuae deorum tamquam cee-

dies natalis Agrippinae inter nefastos esset. Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit. prodigia quoque crebra et irrita intercessere. anguem enixa mulier, et alia in concubitu mariti fulmine exanimata. iam sol repente obscuratus, et tactae de caelo quattuordecim urbis regiones. quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. ceterum quo gravaret invidiam matris eaque demota auctam lenitatem suam testificaretur, feminas illustres Iuniam et Calpurniam, † praefectura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. etiam Lolliae Paulinae cineres reportari sepulcrumque exstrui permisit; quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium poena exsolvit. nam Silana fato functa erat, longinquo ab exsilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel tandem mitigata.

1. *petus* M. — 2. *ads.* M: *ass.* B. — *exitium senatui* M, ceteri Codd. et Edd. vett. Emendavit Lipsius. — 5. *tactas* M. Emendatum in Guelf. Puteol. — 6. *dascelo* M. — *dm* cum lin. M. — 9. Habet *illustres* M, non *inlustres*, ut tradit Victorius. — *praetura* malebant Lipsius, Vertranius, Gruterus, haud improbabiliter. — 11. *solliae* M. — 12. *extrui* M. — *tyturium* M, *Titurium* Guelf. Agr. Edd. ante Rhenanum, qui emendavit ex 13, 19. et 22. (*t* geminatum esse ex v. praecedente probabilius est quam hic fuisse *T. Iturium.*) — 13. *paena exolvit* M. — *exilio* M. — 15. *tam* cum lin., id est, *tamen* M (non *tantum*, ut narrat Victorius:), *tum* ante Bekkerum, qui emendavit.

naturae.» Duebn.) — *ludis*] scenicis aut circensibus; etenim gladiatores antea quoque edebantur. — *Minervae*] cuius in honorem Quinquatrus celebrabantur. — *exiit tum senatu*] Egregie Lipsius. «Hanc tandem, multis antea transmissis nimis impiam adulationem erga matricidam perpeti non potuit Thrasea.» Cfr. 16, 21: *olim utrisque offensus et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi.* Dio 61, 15: *ὁ Πούπλιος δὲ Θρασέας Παῖτος ἦλθε μὲν ἐς τὸ συνέδριον καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἐπήκουσεν· ἀναγνωσθείσης δὲ αὐτῆς ἐξανέστη τε εὐθὺς πρὶν καὶ ὁτιοῦν ἀποφήνασθαι καὶ ἐξῆλθε, διότι, ἃ μὲν ἤθελεν, εἰπεῖν οὐκ ἠδύνατο, ἃ δὲ ἠδύνατο, οὐκ ἤθελε.* Irritam autem fuisse indignabundam hanc libertatem, qua Thrasea usus erat, queritur Tacitus. — *sol repente*] Plin. 2, 70, 72: *Solis defectum Vipstano et Fonteio coss. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Kal. Maias, Campania hora diei inter septimam et octavam sensit* cet. — *sine cura deum*] Ἐπιχουρίζει et hic et alibi Tacitus. Lips. Id est, apparuit in his portentis nihil divini fuisse, non portendere iis deos perniciem Neronis voluisse, ut illis creditum est, quae ante mortem Claudii evenere. Irridet igitur potius portenta et eorum vanitatem indicat. Ern. — *multos*] novem. — *Iuniam*] Calvinam, de qua 12, 4. 8. De Calpurnia 12, 22. — *praefectura*] plerumque est dignitas equestris et varium eius genus, ut praefectura urbis, annonae, Aegypti, classium, alarum; cfr. 13, 22. Walth. Sed si huiusmodi praefecturas significare voluisset, nonne usus esset num. plurali? Mihi quidem valde placet Lipsii *praetura*. — *Gabolum*] *Gabolus* est Grut. 470, 1., *Gavolus* ibid. 94, 5. — *Lolliae*] 12, 22. — *Iturium*] 13, 19. et 22., quamquam nulli *Iturii* sunt apud Grut. et Mur., *Titurii* vero complures. — *nam*] elliptice, hoc est, «quod enim Silanam non exsolvit, ideo factum, quia ea paullo ante mortem obierat.» — *labante*] iamiam debilitata et fracta eius potentia.

(13) Cunctanti in oppidis Campaniae quonam modo urbem ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxio, contra deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit, invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus, et venerationem sui coram experiretur. simul praegredi exposcunt. et promptiora quam promiserant inveniunt, obvias tribus, festo cultu senatum, coniugum ac liberorum agmina per sexum et aetatem disposita, exstructos, qua incederet, spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur. hinc superbus ac publici servitii victor Capitolium adiit, grates exsolvit, seque in omnes libidines effudit, quas male coërcitas qualiscunque matris reverentia tardaverat. (14) vetus illi † copia erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara

1. *cunctari* M. (Ex aliis Codd. non notatur: recepit Ruperti.) — 2. *repperiret* M. — *ansius* M, *anxius* Rup. — 3. Habet *regia* M, non *regio* Agr. Ies. Edd. ante Rhenanum. — *estitit* M. — 7. *senatu* M. Spir. — *etatem* M. — 8. *extr.* M. — *incenderet* M. — 10. *exoluit* M. — 11. *qualiscūque* M. — *copia* corrupte M: *cura* de Puteolani coni. parum probabili B; *cupido* malebat Lipsius prob. Doederleinio. — 12. *faedum* M. — *cythara* M.

13. *Cunctanti - - disserunt*] Fere ut 2, 76: *cunctanti - - censebat.* 11, 3: *consultanti* (Claudio) - - *liberum mortis arbitrium et* (Asiatico Vitellius) *permisit.* 14, 8. Mature autem iam in Codd. emendatum sic est Med. *cunctari*, cui infinitivo historico hic vix est locus; saltem deberet esse *cunctari interim*, vel *cunctari Nero - - anxius.* — *contra*] adversus has anxias Neronis dubitationes deterrimi quique disserunt easque solvere conantur. — *praegredi*] ut animum populi explorarent ac praepararent adulationes, quas cupiebat matricida. — *obvias tribus*] ut Hist. 2, 12. Liv. 23, 7. — *spectaculorum*] locorum, ex quibus spectaretur, per gradus exstructorum, *Schaubühnen*, *tribunes.* Sic Liv. 1, 35: *spectacula sibi quisque fecerat.* 45, 1: *tota spectacula pervasit.* Rup. — *triumphi visuntur*] Cfr. tamen Dio 61, 16: *Νέρωνα δὲ μετὰ τὸν τῆς μητρὸς φόνον εἰσιόντα ἐς τὴν Ῥώμην δημοσίᾳ μὲν ἐθεράπευον, ἰδίᾳ δέ, ἐν ᾧ γε καὶ παῤῥησιάσασθαί τινες ἀσφαλῶς ἐδύναντο, καὶ μάλα αὐτὸν ἐσπάραττον· τοῦτο μὲν γὰρ μολγόν τέ τινα ἀπ' ἀνδριάντος αὐτοῦ νύκτωρ ἀπεκρέμασαν, ἐνδεικνύμενοι ὅτι ἐς ἐκεῖνον αὐτὸν δέοι ἐμβεβλῆσθαι, τοῦτο δέ, παιδίον ἐς τὴν ἀγορὰν ῥίψαντες, προσέδησαν αὐτῷ πινάκιον λέγον «Οὐκ ἀναιροῦμαί σε, ἵνα μὴ τὴν μητέρα ἀποσφάξῃς.» καὶ ἦν μὲν καὶ ἀναγινώσκειν πολλαχόθι ὁμοίως γεγραμμένον «Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι.»* Suet. Ner. 39. — *publici servitii victor*] Uti veteres duces de exteris nationibus debellatis triumpharunt, ita Nero de ipso populo Romano, quem in servitutem redegerat.

14. *copia*] Vocabulum sane corruptum. Mihi quoque placet *cupido*, «acre studium»; neque obstat infinitivus pro gerundio. Sic Ennius apud Cic. Tusc. 3, 26: *Cupido cepit - - me proloqui.* Cfr. Suet. Ner. 22: *Equorum studio vel praecipue ab ineunte aetate flagravit plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de circensibus erat.* — *curriculo*] ut 15, 44: *habitu aurigae curriculo insistens* et alibi pro curru. Vide me ad Horat. Carm. 1, 1, 3. et cfr. Cic. pro Mur. 27: *quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Cupiebat igitur in ipso Circo maximo aurigam agere. — *ludicrum in modum*] Nummos cudit Nero, in quibus ipse citharoedico habitu, in tunica oblonga, citharam percutiens. [Eckhel D. N. VI. p. 276.] Describit eum habitum graphice Appuleius Flor. 2, 15. in statua Bathylli: *ei prorsus citharoedicus status deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes deiectus ipsos; Graecanico cingulo, chlamyde velat utrumque brachium adusque articulos palmarum: cetera decoris in striis dependent. Cithara balteo caelato apta strictim sustinetur: manus eius tenera, procerula laeva distantibus digitis nervos molitur, dextra*

ludicrum in modum canere, cum cenaret; quod regium et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatum laudibus celebre et deorum honori datum. enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu astare non modo Graecis in urbibus sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret, haud promisco spectaculo. mox ultro vocari populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat, laetum. ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. ratusque dedecus molliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros egestate venales in sce-

1. *celaret* M. — *quod*] *quis* M (per compend.) Harl. Bcdl. Ies. Bud., *quasi* volebat Iac. Gronovius, *quod is* edidit Walther, quod displicet propter praecedd. *illi* et sequens *idque.* — Habet *regium* M, non *regibus* Bcdl. Reg. Spir. — 2. *memorat* M. — 3. *appolinis* (sic) M. — *ast.* M: *adst.* B. — 4. *grecis* M. — *nomen* M. Correxit Rhenanus. — 5. *presc.* M. — *senece* M. — 10. Habet *molliri* M, non *amoliri* Beroaldi sive mavis Puteolani, qui dedit *amolliri.* — 11. *faedasset* M.

psallentis gestu quassabulum citharae admovet, ceu parata percutere, cum vox in cantico interquievit, quod interim canticum videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare. Quod ait de chlamyde deque cingulo, etiam illa apparent in Neronianis nummis: excipio, quod non brachia velat, sed ab humeris dependet chlamys. Lips. (*ludicrum in modum*] Ut in ludis publicis et in theatris fieri solet, non ut in oblectatione domestica. Sic *ludicrae artes* C. 16. Duebn.) — *regium*] Ut Herculi, Achilli, multis principibus viris Graeciae, post coenam inter suos. Duebn. Hom. Il. ι, 189. de Achille: *(φόρμιγγι) τῇ ὅ γε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δὲ κλέα ἀνδρῶν.* Paneg. ad Pison. 157: *Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena Publica securis exsultent otia terris; Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles.* Corn. Nepos Epam. 1: *Scimus musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni, quae omnia apud Graecos et grata et laude digna ducuntur.* Ibid. 2: *et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio* cet. Cic. Tusc. 1, 2: *Themistocles, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior.* Vv. autem haec *quod regium - - et praescium* manifesto pertinent ad solum illum ludicrum cantum, neutiquam vero ad aurigationem; neque vero transponi possunt post v. *insistere*, ut ratus est Doederlein, etsi haud satis clarum est, utrum haec omnia loco suo movere voluerit, an dumtaxat vv. *quod regium - - honori datum*, quamquam ab his seqq. *enimvero - - praescium* certe nullo modo divelli possunt. — *utraque*] Bipontini: «*utraque* scilicet libido.» Pro abl. subaudito v. *parte* habuit Oberl., sed est potius accus. gen. neutr. pro *utrumque.* — *valle Vaticana*] Plin. 36, 11: *Tertius obeliscus Romae in Vaticano Caii et Neronis principum circo.* 15, 44: *hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat* cet. Canina *Indicazione* p. 306: *Nella valle che esiste tra l' estremità settentrionale del Gianicolo ed il colle Vaticano, benchè per la immensa fabbrica della basilica di S. Pietro ivi eretta, non sia rimasto alcun avanzo di antico fabbricato, si hanno però bastanti indizj per riconoscere la precisa situazione del circo di Caligola e di Nerone che stava collocato in quel medesimo luogo. Imperocchè fu ivi ritrovato l'obelisco che Caligola fece venire dall' Egitto per l'adornamento della spina di tale circo, il quale fu quindi trasportato sotto il Pontificato di Sisto V. nel mezzo della piazza di S. Pietro.* — *ultro*] Nam *posuit in hortis inter servitia et sordidam plebem rudimentum.* Suet. Ner. 22. Iam vero *ultro*, insuper, ulterius progrediendo, totum populum Romanum advocabat. Cfr. Serv. ad Virg. Aen. 2, 145. — *evulgatus*] rarissimo usu pro «vulgo quasi praedae datus.» — *molliri*] Ut 4, 30: *invidiam mollire.*

nam deduxit; quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent. notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui iubere potest vim necessitatis affert. (15) ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data. non nobilitas cuiquam, non aetas aut acti honores impedimento quo minus Graeci Latinive histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles. quin et feminae illustres deformia meditari; exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae, et posita veno irritamenta luxui. daban-

2. *nam et* M: *et* cum Spir. B. — 5. *puplico* M. — 6. *iuvenilium* M. Guelf. Spir. Correxit Puteolanus. Cfr. 15, 33. — 8. *greci* M. — 10. *extr.* M. — 11. *caupone* M. — Habet *irrit.* M, non *inrit.*, ut tradit Victorius.

11, 25: *ignominiam mollire.* Frequentius est *mollire iras.* Liv. 1, 8. 29, 22., *impetum* Id. 3, 35. — *ne nominatim*] At Dio nominat 61, 17: *εἶδον οἱ τότε ἄνθρωποι τὰ γένη τὰ μεγάλα, τοὺς Φουρίους, τοὺς Φαβίους, τοὺς Πορκίους, τοὺς Οὐαλερίους κτλ.* — *nam et eius*] *Nam* non caret sua vi ponitur que hic elliptice. Etenim post vv. *tribuendum puto* supplendum est: «idque recte putare mihi videor.» Simile exemplum 16, 18: *nam illi dies* cet. Walth. Hoc autem sibi vult additum *et*: «non solum eorum flagitium fuit, qui venales scenam incesserunt, sed magis etiam Neronis;» pro quo altero membro generalem posuit sententiam: «quandocunque talia fiunt, eorum maxime est flagitium, qui pecuniam ob delicta potius dant cet.» Promit autem alteram rationem, ob quam horum nominibus parcat. — *vim necessitatis*] «Memor fuit Tacitus, opinor, D. Laberii similia profitentis in mimi prologo apud Macrob. Sat. 2, 7., ubi inter alia *Potestas non solum si invitet, sed etiam si supplicet, cogit.*» Dord. Similis aliquatenus fuit sane condicio horum equitum et Laberii, item equitis Romani; sed sententiam ipsam sine huius prologi recordatione a Tacito profectam esse arbitror.

15. *publico theatro*] Pompeiano. Plin. 37. Sect. 7: *murrhinorum multitudo tanta fuit* (apud consularem, quem haud nominatim tradit), *ut, auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim hortis exposita occuparent, quod a populo impleri canente se, dum Pompeiano praeludit, etiam Neroni satis erat.* — *iuvenalium*] 15, 33: *acriore in dies cupidine Nero agitabatur promiscuas scenas frequentandi; nam adhuc per domum aut hortos cecinerat iuvenalibus ludis.* Hist. 3, 62. Dio 61, 19: *Μετὰ δὲ ταῦτα ἕτερον αὖ εἶδος ἑορτῆς ἤγαγεν, (ἐπεκλήθη δὲ Ἰουβενάλια, ὥσπερ τινὰ νεανισκεύματα) καὶ ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ γενείῳ αὐτοῦ. καὶ γὰρ τοῦτο τότε πρῶτον ἐξύρατο· καὶ τάς τε τρίχας ἐς σφαιρίον τι χρυσοῦν ἐμβαλών, ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ.* — *nomina data*] se in album eorum, qui ludis illis adsisterent, referendos curabant. Eadem formula utitur Liv. 1, 11. 28, 45. — *Graeci - histrionis*] Prae omnibus nobilis Eucharis illa formosissima, quae *NOBILIVM LVDOS* (ipsa haec iuvenalia) *DECORAVI CHORO ET GRAECA IN SCAENA PRIMA POPOLO* (sic) *APPARVI*, ut memorat in epitaphio suo Inscr. m. Lat. 2602. — *modosque*] *νόμους, μέλη*, *Weisen, Melodien*, ut Cic. Tusc. 3, 29: *carmen modis lugubre. Ἀνδιστί*, opinor, hi cantabant et quidem carmina amatoria atque lasciva. — *haud viriles*] id est, *obscoenos*, ut 15, 37. sive *impudicos*, ut apud Quintil. 1, 10, 31. — *feminae illustres*] Ridiculum est, quod narrat Dio l. l.: *Αἰλία Κατέλλα, τοῦτο μὲν γένει καὶ πλούτῳ προήκουσα, τοῦτο δὲ καὶ ἡλικίᾳ προφέρουσα (ὀγδοηκοντοῦτις γὰρ ἦν) ὠρχήσατο.* — *navali stagno*] Ad Tiberim; de quo 12, 56. et Suet. Oct. 43. At nemus illud est, quod *Caesarum nemus* appellatum. Vide et hic Dionem 62, 15. Lips. — *stipes*] «Multa hic alii» (Lipsium dicit, qui tamen ad h. l. legi meretur;) «de stipibus ad ludos collatis, deque iis,

turque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. inde gliscere flagitia et infamia; nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. vix artibus honestis pudor retinetur; nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia aut quicquam probi moris reservaretur. postremus ipse scenas incedit, multa cura tentans citharam et praemeditans assistentibus. facies accesserat cohors militum, centuriones tribunique et maerens Burrus ac laudans. tuncque

2. Habet *olim corruptis* M, non *corruptis olim* Rhenani. — 5. Habet *reservaretur* M, non *reservatur* Spir. — *postremus* M: *postremo* cum Lipsio B. — *scenam* pr. M, deinde ab eadem manu eodemque atramento corr. *s*, id est, *scenas*, ut habent Guelf. Bud. Edd. ante Lipsium, quod contra *scenam* B. recepi cum Bachio. Num. plur. rei indignitatem auget, nec sine causa ipse primus scriptor Med. correxit, sed quia se errasse statim animadvertit. — 6. *temptans* M. — *cytharam* M. — Habet *assist.* M, non *adsist.*, ut tradit Victorius. Verum puto ipsum scripturae in talibus constantiam persecutum esse. Criticorum de h. l. hariolationes videsis apud Waltherum. — *abscesserat* M. Emendavit Lipsius. — 7. *merens* M.

quae dis ponebantur, sed nihil ad mentem Taciti, qui certam pecuniam vult distributam a Nerone inter suos impendendam in continenti in scorta et ganeas, exemplo fere Augusti, qui *admodum exhilaratus quadragenos aureos comitibus divisit iusque iurandum et cautionem a singulis exegit, non alio datam summam quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos.* Suet. Oct. 98. Gruter. — *gloria*] gloriatione vel de principis in ipsos munificentia vel simulantium se ex propriis divitiis tam prodigos esse. — *moribus olim*] moribus iam antea corruptis plus etiam libidinum additum est ab effrenata illa venalium atque intemperantium undecunque affluente multitudine. Sic 2, 55. Piso Athenienses increpans *colluviem illam nationum* vocat. — *postremus*] «post omnes illos homines, quorum vilissimas operas emerat, ipse quoque scenam incessit, id quod omnium turpissimum fuit.» Non erat, cur mutarent in *postremo*; immo illud etiam efficacius. — *scenas*] Pluralem sic vindicat Bach: «Cfr. Agr. 5: *incensae coloniae* de una colonia; v. Walch p. 149. Supra C. 4: *parentium iracundiae* de una Agrippina; 1, 14: *feminarum honores* de una Livia. 1, 57. 2, 26. 3, 46. Agr. 15. ibique Walch p. 222. Possis etiam simpliciter explicare: «modo hanc, modo illam scenam incessit.» — *praemeditans*] praeludens. Suet. Ner. 21: *Tragoedias quoque cantavit personatus, heroum deorumque, item heroidum ac dearum personis effictis ad similitudinem oris sui et feminae, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excaecatum, Herculem insanum.* — *assistentibus*] Etiam hoc v. propter incredibiles in h. l. interpretum errores ita simpliciter explicandum est per casum tertium: «dum praemeditatur cantus Nero familiaribus, qui proxime eum adstiterant.» Cum hoc loco prorsus consentit Dio 61, 20: *πολλῶν μὲν στρατιωτῶν παρεστηκότων, παντὸς δὲ τοῦ δήμου, ὅσον αἱ ἕδραι ἐχώρισαν, καθημένου - - -. καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Βοῦῤῥος καὶ ὁ Σενέκας, καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι ὑποβάλλοντές τι, παρειστήκεσαν.* Suet. Ner. 21: *simul praefecti praetorii citharam sustinentes, post tribuni militum iuxtaque amicorum intimi.* — *facies*] *σχῆμα*, atque alibi *species*, pompa speciosa, *ein auffallendes Schauspiel.* Praemeditante cantus Nerone, loco accesserat species consentanea tali spectaculo custodia illa, *centuriones tribunique* (splendide ornati) *et* (ipse quoque spectaculum adsistentibus, quamquam satis diversum, sed memorabile praebens) *maerens Burrus ac laudans.* Nimirum *facies* non est membrum huius propositionis proprium ac separatum a sequentibus, sed haec omnia *cohors* cet. appositionum vocabuli *facies* loco habenda sunt; quocirca delevi comma Bekkerianum post v. *accesserat.* Prorsus reiicienda est Rothii distinctio: *praemeditans assistentibus facies. Accesserat* cet., adnotantis: «Deerat scriptori brevitatis cupidissimo vox Latina, qua quod nos *Mitspieler* dicimus redderet; ergo hos dicit *assistentes*, et *facies* sunt personae sive partes, his destinatae.» At hoc incredibile. — *ac laudans*] Mirabilis *βραχυλογία*: «etsi

primum conscripti sunt equites Romani cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. ii dies ac noctes plausibus personare formam principis vocemque deum vocabulis appellantes; quasi per virtutem clari honoratique agere. (16) ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas nec dum insignis. † aetatis nati considere simul, et allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere. quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, † utque contraria adseverant tum discordiae rueretur. nec deerant qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.

1. *cognomentū* M. — *augusttanorum* M. — 3. *hii* M, *hi* Edd. ante Bekkerum, qui dedit *ii*. — *dm* cum lin. M. — 6. *adf.* M: *aff.* B. — 7. *aetatis nati*] Locus vel corruptus vel mancus; infelicissimas criticorum coniecturas reperies apud Waltherum. Adde Duebneri lectionem: *facultas, necdum insignis erat. hi acciti* cet. Neque vero certum iudico id, quod mihi in mentem venit: *facultas, necdum insignis et sàtis nota. hi acciti* cet., sed altera ultra Interpretum usui sic satis inserviet. — *ablatos* M. Correctum in Guelf. et Edd. vett. — 8. *conectere* M. — 10. *impertiebat* M: *impartiebat* cum Guelf. Harl., aliis B. — *utque contraria adseverant tum discordiae*

maerebat, tamen timor ex Nerone virum militarem subigebat illum laudare, ut summum artificem.» — *Augustanorum*] Suet. Ner. 20: *Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis et quinque amplius milia e plebe robustissimae iuventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos et imbrices et testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi.* Adde C. 25., ubi vocantur *Augustiani*, et Dionem 61, 20: *Ἦν τι καὶ ἴδιον αὐτῷ σύστημα ἐς πεντακισχιλίους στρατιώτας παρεσκευασμένον· Αὐγούστειοί τε ὠνομάζοντο, καὶ ἐξῆρχον τῶν ἐπαίνων· ἠναγκάζοντο δὲ σφίσι καὶ οἱ ἄλλοι πάντες καὶ ἄκοντες πλὴν Θρασέα ἐκβοᾶν.* — *in spe*] «Alii vero non tam suopte ingenio procaces erant, quam tales se simulabant sperantes ita fore, ut ipsorum potentia apud principem augeretur.» — *vocemque*] *caelestem vocem* (Suet. N. 21.), ipsum *Apollinem* vocitantes. Dio 61, 20: *καὶ ἦν ἀκούειν πως αὐτῶν λεγόντων, «Ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύθιος· μά σε Καῖσαρ, οὐδείς σε νικᾷ.»*

16. *aetatis nati*] Manifestum est hoc imprimis cavisse Neronem, ne statim appareret versus, quos tamquam suos proferebat, non ab ipso factos esse. Ideo eiusmodi operas ad hoc ministerium acciebat, quarum dicendi versusque componendi genus nondum insigne aut satis notum esset. *Satis nota* autem vel propter perversitatem poterat esse poëtica facultas alicuius, quem tamen nemo pro *insigni* poëta haberet. — *quoquo modo*] versibus inconditis et interdum mancis pede uno vel pluribus. — *species ipsa carminum*] Haec fere restant: Seneca N. Q. 1, 5: *ut ait Nero Caesar disertissime: Colla Cytheriacae splendent agitata columbae.* Plin. 37, 12: *Domitius Nero in ceteris vitae suae portentis capillos quoque coniugis suae Poppaeae in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine sucina appellando.* Schol. ad Lucan. 3, 261: *Tigrim*] *De hoc ait Nero in primo libro* (*Ἁλώσεος Ἰλίου* Dio 62, 18. sive Troicon): *Quique pererratam subductus Persida Tigris Deserit et longi terrarum tractus hiatu, Reddit quaesitas iam non quaerentibus undas.* Atque, si fides Scholiastae Persii 1, 93., versiculi illi famosi *Berecyntius Attis, Et: qui caeruleum dirimebat Nerea delphin - - Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis* cet. Neronis sunt. Ceterum contradicit Tacito Suetonius N. 52: *Ad poëticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit, nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit.* Cfr. etiam Martial. 8, 70: *Carmina qui docti nota Neronis habet.* —

(17) Sub idem tempus levi initio atrox caedes orta inter colonos Nucerinos Pompcianosque, gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat. quippe oppidana lascivia in vicem incessentes probra, dein saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. ergo deportati sunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum aut parentum mortes deflebant. cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. et rursus re ad patres relata, prohibiti publice in decem annos eiusmodi coetu Pompeiani, collegiaque quae contra leges instituerant, dissoluta; Livineius, et qui alii seditionem conciverant, exsilio multati sunt.

ruerelur corrupte M: *ut contraria adseverantium discordia erueretur* cum Broterio B. Multas aliorum hariolationes invenies apud Waltherum. Sensus hoc fere videtur requirere: *ut qui contraria adseverantium discordid recrearetur* (vel simile quid) post nimios cibos potusque. — 1. *initio* dedi de Ernestii suspicione: *intentio* M (non, ut traditur, *incentio)*, *contentione* cum Guelf. et Beroaldo B, *incendio* volebat Bachius. — 2. *libidineius* M, non, ut narratur apud Bekkerum, *libidine eius*. Correxit Lipsius. — 4. *incessente* M. Correxit idem. — 5. *deportati* M: *reportati* cum Lipsio B. — 6. *multi e*] *multae* pr. M. — 9. *caetu* M. — 10. *liuidineius* M. h. l. — 11. *exilio* M.

nec ore uno] Facile apparebat ex diversorum versibus conglutinata esse ea carmina. — *discordiae ruerelur*] In hoc loco desperato inspice varias Lectt. Illud certe manifestum est, requiri qualemcunque sententiam, qua exprimatur has quoque philosophorum inter se contentiones in iis ludibriis fuisse, quibus locum sibi quaesierit Nero, inter alia oblectamenta deridens etiam scurras suos Stoicos et Epicureos. Vulgatam lectionem utique falsam *discordia erueretur* explanare sic conantur: «ut in lucem proferretur ridicula illa discrepantia opinionum imprimis inter Stoicos et Epicureos.» — *nec deerant*] Falsos Stoicos deridet Tacitus, qui ipsa sua tristitia oblectamento esse cupiebant Neroni ceterisque aeque lascivis eius convivis. — *ore vultuque*] Codd. interpolati (Harl. Bodl. les. Guelf.) *voce vultuque*. Scilicet nesciebant saepissime haec duo vocabula ita iungi vel etiam opponi. Iunguntur a Livio 7, 33: *vesanos vultus et furentia ora;* opponuntur a Tacito Agr. 44: *Nihil metus in vultu; gratia oris supererat.* Alia exempla reperies apud Doederlein *Synon.* IV. p. 320.

17. *initio*] *incendio*, quod stabilire conantur ex Cic. de Or. 2, 47: *Incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore concitaras.* Vellei. 2, 125: *incendium militaris tumultus:* hic tamen nescio quid turgidi atque inflati haberet. — *Nucerinos*] in Campania, quorum oppidum Nuceria, hodie *Nocera*. — *rettuli*] in deperdita parte Annalium. — *sumpsere*] ex h. v. per zeugma eliciendum *iacere* ad vv. *probra* et *saxa*. — *validiore Pompeianorum plebe*] Superest huius certaminis memoria in contumeliosa Inscriptione nuper Pompeiis reperta: *CAMPANI. VICTORIA. VNA*‖ *CVM. NVCERINIS. PERISTIS.* *Bullettino dell' Inst. arch.* 1831. p. 11., de cuius αὐθεντίᾳ non dubitat editor αὐτόπτης. — *deportati*] Cum Med. hoc v. praebeat, certum iam est, aliquot sauciorum Romam deportatos esse; non, quod sibi vult Lipsianum illud, a Burnoufio nuper praelatum, *reportati*, scil. Nuceriam, quam *urbem* a Tacito appellatam esse veri simile haud est. — *trunco per vulnera corpore*] Romam deportati sunt ad accusationem Pompeianorum et specimen facinoris. Duebn. — *collegiaque*] Perquam factiosos fuisse Pompeianos ex multis eorum Inscriptionibus, imprimis eis, quas ante comitia municipalia in singulis fere domibus proponebant, satis apparet, ut etiam *oppidana* eorum *lascivia*. Cfr. Inscr. m. Lat. N. 3700. — *quae contra leges*] Cfr. Ulpianus Digest. 47, 22, 2: *Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea poena tenetur, qua tenentur, qui hominibus ar-*

(18) Motus senatu et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii delectumque militarem pretio et ambitione corruptum. iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, praetoria potestate usum et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regi Apioni quondam habitos et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitebantur. igitur abiudicatis agris orta adversus iudicem invidia; et senatus ignota sibi esse mandata Claudii et consulendum prin-

1. *blesus* M. — *cir.* M. — 2. *esc.* M. — *dilectumque* M. — *p̄tio* M. — 3. *idem* M. — *cyrenses* cum lin. super lit. *n* M. — 5. *regis Apionis quondam habitos* M, *regis Apionis quondam avitos* Walther. Ut nos dedimus, auctore Lipsio B. — 7. *iurae* M. — *horta* M. — 8. *consulē dum* M.

matis loca publica vel templa occupasse iudicati sunt. Hinc persaepe in collegiorum inscriptionibus formula illa: *QVIBVS EX S. C. COIRE LICET.*

18. *Blaesus*] postea restitutus. Hist. 1, 77. — *Aesculapii*] cuius templum celebre ac donariis dives erat Cyrenis. Dübner. Cfr. Pausan. 2, 10. et 6, 19. — *corruptum*] Ita ut vacationem militiae daret vel pretio vel ob familiarum auctoritatem. Dübner. — *Apioni*] Est Ptolemaeus Apion, filius naturalis Ptolemaei VII. Euergetae II., qui ei regnum Cyrenaicum legavit: quod cum viginti per annos obtinuisset, heredem instituit populum Romanum, a. u. 658. Appianus B. C. 1, 111: *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους, ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος οὔσης, δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη Ῥωμαίοις προσεγίγνετο· Βιθυνία τε, Νικομήδους ἀπολιπόντος, καὶ Κυρήνη, Πτολεμαίου τοῦ Λαγίδου βασιλέως, ὃς ἐπίκλησιν ἦν Ἀπίων.* Liv. Epit. 70: *Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus heredem P. R. reliquit, et eius regni civitates senatus liberas esse iussit.* Iustin. 39, 5. Eutrop. 6, 11: *quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex eius fuerat, accessit, in quo inclitae civitates erant, Berenice, Ptolemais et Cyrene.* Cfr. Valesius ad Ammian. Marc. 22, 16, 24. Visconti *Iconogr. gr.* III. p. 317. Clinton *Fasti Hellenici* III. p. 138. — *habitos*] Sic 11, 35: *quidquid habitum Neronibus ac Drusis.* Falsam vero esse Waltheri coni. *avitos* per se manifestum est; etenim hos agros per testamentum demum Ptolemaei VII., patris naturalis, ad Apionem pervenerant, nequaquam per avitam hereditatem. Nisi vero, qui supervacaneam mutationem *avitos* porro defendent, intelligendos esse dicent agros, qui Lagidarum Aegyptiorum iam ante fuerint. Genitivus autem ille falsus Med. facillime oriri poterat ex praeced. v. *agrorum*, cum ad sequens part. *habitos* minus attenderet, qui primus Taciti manum corrupit. — *diutinaque*] per annos CLIV., quibus usucapione iustum eorum agrorum dominium sese acquisisse contendebant. CLIV. autem per annos dico, quia probabile est ab incolis *liberarum* illarum civitatum mox post Apionis mortem occupatos esse eius agros.

19. *mortes*] naturales, non supplicia, ut de Servilio auctore Gerb. Vossio accepit Bähr *Röm. Litt.* Ed. III. Vol. II. p. 172. — *Domitii Afri*] 4, 52: *prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit.* Ibid. 66. De or. 13. 15. — *M. Servilii*] Noniani, consulis a. u. 788. 6, 31. De or. 23. Diversus est ab illo M. Servilio, quem *consularem* dicit 3, 22. De hoc autem historico videsis Plin. H. N. 28, 2. Quintil. 10, 1, 102: *Mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus pares Salustium et Livium magis quam similes; qui et ipse a nobis auditus est, clari vir ingenii, et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat.* Plin. Epp. 1, 13: *Claudium Caesarem ferunt - -, cum ei dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse.* — *celebris*] mascul., ut 2, 88., ubi vide. — *quam clariorem*] «*Ille* (Domitius) *orando causas* (celeber), *Servilius - - vitae; quam* (vitam) *clariorem effecit* (eo, quod) *ut par ingenio, ita morum diver-*

cipem respondit. Nero probata Strabonis sententia, se nihilo minus subvenire sociis et usurpata concedere scripsit.

(19) Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae; quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.

(20) Nerone quartum Cornelio Cosso consulibus quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. quippe erant qui Gn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea

1. *Nero*] *ne* M. Correxit Pichena. — *nichilo* M. — 3. *M.* M: *Marci* B. — 7. *quarto* M, ex male soluto numero *IIII.* — *cons.* cum lin. M. — 8. *institum* M. — 9. *Gn.* M: *Gnaeum* B.

sus.» Walth. «*Diversus* subiecti, non appositionis dignationem habet, pro *diversitas*, ut 1, 8: *occisus Caesar* pro *caedes Caesaris.* Et causa suberat talis syntaxeos praeferendae, quoniam *par* caret substantivo.» Dord. Voc *paritas* nunc reperitur dumtaxat apud Arnobium 2, 50: *non potis est - - in impări paritas - - sustineri*; nam in Senecae Suasor. 7. sub finem est in corruptela. De *elegantia vitae*, *morum* cfr. 5, 8.

20. *quinquennale*] Cfr. Suet. Ner. 12. Est hoc ipsum, quod 16, 4: *lustrale certamen* appellat. Quod longo intervallo post reduxit et firmavit Gordianus iunior, de quo Aurel. Victor C. 27: *eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque in Persas profectus est.* Ita Romae imitatus est Nero exempla ludorum quinquennalium Actiacorum (Suet. Oct. 98.), certaminis quinquennalis in Augusti honorem ab Herode (Ioseph. 15, 8), πεντετηρικοῦ ἱεροῦ ἀγῶνος eundem ad finem a Neapolitanis constituti. (Strabo 5. p. 246. Suet. Oct. 98. Cl. 11.) Sunt et nummi Neroniani sic inscripti: *CERTAMEN. QVINQ. ROMAE. COnstitutum.* (Eckhel D. N. VI. p. 264. Akerman I. p. 105.) Cfr. de his ludis Neronis Scaliger Emend. temp. p. 469. Ex Lips. et Ern. *Νερώνεια* sunt Dioni 61, 21., *Neroneum certamen* et *Neroneus agon* Suet. Ner. 21. Vit. 4. Cfr. infra ad 16, 4. — *quippe erant*] Taciti ipsius iudicium de sacris his certaminibus musicis, poëticis, rhetoricis et a Nerone et a Domitiano ex Graecorum imitatione institutis, sed a priscis Romanorum moribus prorsus abhorrentibus hic promi atque eorundem severis adversariis tribui manifestum est. Contra quae opponuntur C. 21. hominibus levioribus et ad Neronis voluntates accommodatis conveniunt. (Cfr. Morcelli *Sull' agone capitolino dissert. pubbl. dal dott. Labus. Milano* 1816.) — *Pompeium*] Perpetuum sane theatrum Pompeius condidit primus a. u. 689. Antea subitaria erant et censorum iussu plerumque disiecta. Tertull. de spect. 10: *Saepe censores renascentia theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant - - -. Itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem superposuit.* Liv. Epit. 48: *Cum locatum a censoribus (Messala et Cassio* Val. Max. 2, 4, 2.) *theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex S. C. destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit.* Vellei. 1, 15. Appian. B. C. 1, 28. Augustinus C. D. 1, 31: *Ipse vester pontifex maximus Nasica, a senatu temporis illius electus sine ulla sententiarum discrepantia vir optimus, caveam theatri senatum construere molientem ab hac dispositione et cupiditate compescuit, persuasitque oratione gravissima, ne Graecam luxuriam virilibus patriae moribus paterentur obrepere - -: tantumque auctoritate valuit, ut eius verbis commota senatoria providentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti civitas coeperat, deinceps prohiberet apponi.* Factum hoc a Scipione

subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos; vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi. ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant; proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant, easque pugnas pro militia et armis meditentur? an † iustitia augurii et decurias equitum egregium iudicandi

1. *scaena* M. — 2. *spectavisse si* M. Correctum ex Agr. — 3. *continuaret. ne spectaculorum* M. Correctum apud Ryckium. — 4. *praetor sederet* M. Correxit Lipsius. Totum locum sic edidit Walther: *spectavisse. si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret. ne spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor sederet* cet. — 5. *caeterum* M. — Habet *everti* M, non *verti* Acidalii. — 8. *amore* M. Spir. — *principes* M. Spir. — 9. *ut proceres* suspicatur Doederlein. Et facile *ut* excidere poterat post litt. *nt*. — 10. *quis* M. — *ut*] *In* superscr. *ut* M. — 11. *ads.* M: *ass.* B. — 12. *iustitia* corrupte M: non minus corrupte *iustitiam* cum ceteris omnibus (nihil enim contra notavit Walther e Codd. et Edd. vett.) B. Sensus hoc requirit: *an ius avitum augurii*

Nasica cos. II. a. u. 599. — *subitariis*] Auson. Prol. ad Lud. VII. Sap. 14: *Aedilis olim scenam tabulatam dedit Subito excitatam, nulla mole saxea.* — *stantem*] V. supra Liv. Epit. 48. Val. Max. 2, 4, 2: *Senatus consulto cautum, ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet.* De toto autem h. l. cfr. omnino Ritschl Parergon I. Praefat. p. XVIII. et p. 214. seqq. — *praetores ederent*] *praetor sederet* restituit Doederlein explicans: «pro *praesideret*, ut 11, 11.» Accedere nequeo, quoniam aliud est ibi *sedente Claudio*, «semel ludos seculares a se editos spectante,» aliud hic de solitis ludis scenicis, (quos qui loquentes hic inducuntur, tolerandos censent, invehentes tantummodo in certamen illud quinquennale:) sic iunctum praesertim cum v. *quotiens*, qua in iunctura nihil magis inconcinnum dici poterat quam *quotiens praetor sederet*, in theatro. — *certandi*] «Sed, ut illa concedas, nunc ne ipsorum quidem spectaculorum morem antiquum servari, secundum quem, quoties praetor, ut olim, eos ludos ederet, non, ut nunc, imperator et senatus, nemine quoquam civium in scena certare coacto.» Doebn. — *scena*] per scenam, dum in certamine illo canunt, psallunt, orationes habent. Cfr. C. 21. — *ut corpora*] ut athletae quoque fiant, quod genus hominum vel histrionibus despectius. — *iustitia*] Mihi quidem uti plerisque corruptum hoc v. videtur; verum audiatur et altera pars: «Per *iustitiam* nihil aliud expressit *audacia Taciti*, quam quod Waltherus et Bachius emendando inferre conati sunt, *iusta etiam* vel *iusta officia augurii*.» Doed. De v. *augurii* nequaquam dubitabis, ubi memineris ludicrum hoc quinquennale aeque *sacrum* fuisse atque agonem illum Capitolinum a Domitiano institutum (Censorin. 18. Inscr. m. Lat. N. 2603.), ante cuius utriusque exordium auguria rite caperentur, consentaneum erat. Ad *ius* autem *avitum augurii*, quod interpretibus commendo, cfr. Cic. ad Fam. 3, 9. de Sen. 4: *scientia iuris augurii*. Gell. 6, 6. — *expleturos*] equites in quinque decurias descriptos, penes quos iudicia, munus suum consummate et perfecte administraturos. Doebn. — *fractos sonos*] Cfr. Quintil. 1, 10, 31: *effeminata* et *fracta impudicis modis* (musice). Dionys. Hal. de Compos. p. 398. Schaef.: κατακεκλασμένα μέλη, molles modi. — *perite*] quasi ipsi harum artium periti essent.

21. *abhorruisse - oblectamentis*] Mss. Farnes. Corb. *oblectamenta*, quod Lipsio verum videbatur. Sed cfr. 1. 54: *neque*

munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promisco, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat. (21) pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant. maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna quae tum erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina; et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos, nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse, ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur. nec perinde ma-

augures et cet., quoniam quidem dici oportebat, quibus *ius augurii* competeret, ut equitibus iudicandi munus. Verba ipsa non praesto. *iustitiam augeri* Lipsio auctore Duebner. (*ius etiam* Kiessling, *iusta etiam* Walther, *iusta officia* Bachius.) — 2. *pudoris* M. Spir. — 3. *caetu* M. — *promisco* M: *promiscuo* B. — 4. Habet *ac tamen* M, non *attamen* Spir. — 6. *fortunaque tum* M. — 7. *asyaque* M. — 8. *quenquam* M. — 9. *L.* M: *Lucii* B. — *nummii* (sic) M. — 10. *consul tum* M. — *parsimoniae* M: *parcimoniae* B. — 12. *consurgeret ac strueretur* M: *consurgeret ac destrueretur* B ex «libro quodam (?)» Nodelli in Crit. Observ. Campae 1781. prob. Wyttenbachio Bibl. crit. VII. p. 96., *consurgeret, destrueretur* Bach et Duebner.

ipse abhorrebat talibus studiis. Suet. Ner. 43. Domit. 9. *Abhorrere aliquid* est aversari diciturque de rebus turpibus et obscoenis. Cfr. Suet. Oct. 83. Galba 4. Vit. 10. Walth. — *a Tuscis*] Liv. 7, 2. ad a. u. Varr. 389. (ad levandam pestilentiam): *ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant*, cet. Plutarch. Quaest. Rom. 107. Cfr. Müller *Etrusker* II. p. 214. et 220. — *a Thuriis*] Thuriorum nomen a fonte Thuria accepit Sybaritarum urbs a Crotoniatis eversa posteaque in vicinia dirutae restituta. Diod. 12, 10. «Ad Thurios autem ars ac studium *ἱπποτροφίας* a Sybaritis tamquam hereditate transierat. Timaeus apud Athen. 12, 17. p. 519: *Οἱ δ' ἱππεῖς τῶν Συβαριτῶν ὑπὲρ τοὺς πεντακισχιλίους ὄντες ἐπόμπευον ἔχοντες κροκωτοὺς ἐπὶ τοῖς θώραξι κτλ.* Aristoteles ibid. C. 20. p. 520. Aelian. H. A. 16, 23. Ceterum discrepat a Tacito Livius 1, 35: *Ludicrum fuit equi pugilesve ex Etruria maxime acciti.* Doed. — *ludos curatius editos*] Graecos interpretatur Lipsius. At vero cum tunc iamiam tot haberent et tragoedias et comoedias Latinas Livii Andronici, Ennii, Pacuvii, Plauti, Caecilii Statii, illud incredibile videtur actas esse iam tunc fabulas Graecas, praesertim cum saltem plebs Romana tales vix intellexisset neque aliam voluptatem inde capere potuisset quam spectandae pompae. Atque si vel maxime illud voluisset, quidni simplicius atque clarius dixisset *ludos Graecos editos?* Quapropter cum Ritschelio amplector interpretationem Pighii Ann. II. p. 46: «primus ludos scenicos curatius in urbe Graeco more praebuit;» videlicet gradibus amphitheatralibus exstructis scenaque tota ad Graecam rationem ornata. — *ducentis*] numerus rotundus pro CCIV. — *triumpho*] de Achaeis et Corinthiis acto a. u. 609. Varr. — *consurgeret ac strueretur*] Non sunt vv. prorsus homonyma, quemadmodum, qui hic haesit, Ernestius ratus est: sed commode cum Walthero ita distinguas, ut *consurgeret* idem sit atque «in altum educeretur» *(errichtet werden)*, *strueretur* vero referatur ad internam constructionem scenae ac graduum *(eingerichtet)*. Nullo contra pacto *strueretur* cum Doederleino explicare licet *destrueretur*. Nodelli lectio *destrueretur*, sive ex libro ignoto deprompta est sive potius ipsius coniectura, et omni caret auctoritate et vel propter ipsam nimiam facilitatem reiicienda videtur. Quodsi tamen quis eam rursus amplectetur, auctor illi ero, ut praeferat Bachii *ἀσύνδετον*. At vero haec ipsa *destruendi* notio inest vv. *singulos per annos*. — *nec perinde*]

gistratus rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas; nec cuiquam iudici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impertire. laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat. sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant.

(22) Inter quae et sidus cometes effulsit; de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regnis portendat. igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur anquirebant. et omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. ipse placita maiorum

1. *greca* M. — 2. *a* om. M; inseruit Rhenanus. — *res.p.* M. — 4. *impertire* M: *impartire* B. — 5. *let.* M. — *potius* M. Correxit Lipsius. — 6. *nichil* M. — 7. *transit* M. Correxit Lipsius. — 8. *quanq.* M B. — *scaenae* M. — 10. *greci* M. — Habet *amictus* M., sed syllabae *ami* manu recenti in rasura. — *q* superscr. *o* (i. e. *quo)* M. Emendavit Grosiotius. — 12. *que* M. — 13. *tanq.* MB. — *regis* M. Correxit Bentleius ad Lucan. 1, 529. — 14. In v. *Plautus* primum *u* ex corr. M. — *celebratur* M, non, ut narrat Iac. Gronovius, *celebratus*, quod is recepit.) Ut nos, Muretus, persaepe cum syllabas omittat M.

atque olim. — *iudici*] Equites intelligit, quibus hoc munus impositum erat. — *studiis honestis*] Qualia comparerent eorum, qui aemulatione incensi de praemiis certarent. — *studia plebis*] quae neque magnopere his certaminibus poëticis ac rhetoricis delectabatur, neque, ut cum histriones pantomimique scenam inirent, vel pro hoc vel illo in factiones discederet saepe ad rixas usque progredientes; (13, 35.) nimirum imperita multitudo longe praetulisset mimos et pantomimos plerumque lascivos. — *redditi*] Qui quidem quadriennio ante Italia pulsi erant. 13, 25. — *sacris*] *ἱεροὺς ἀγῶνας, ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ* definit Pollux 3, 30. Lips. — *Graeci amictus*] Graecanicum enim hoc certamen fuit. Cfr. Suet. Ner. 12. Sic iam de Claudio Dio 60, 6: *ἔν γε τῇ Νεαπόλει καὶ παντάπασιν ἰδιωτικῶς ἔζη· τά τε γὰρ ἄλλα Ἑλληνικῶς καὶ αὐτὸς καὶ οἱ συνόντες οἱ διῃτᾶτο, καὶ ἐν μὲν ταῖς μουσικαῖς θεωρίαις ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας* (pallium soleasque), *ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανεν*. *Plerique* manifesto significat maximam etiam spectatorum partem Romae sumpsisse Graecos amictus, quorum mox eos fastidium ceperit, quia nimis histrionales ac dedecori visi sint; aemulos ipsos poëtas et rhetores ita vestitos scenam incessisse consentaneum est. Ceterum, si plusquamperfectum verum est (et in Cod. Mediceo altero clare semper distinguuntur litterae *a* et *u*, in priore vix discernendae saepiusque confusae), significat statim post Neronia illa quasi tacito, sed communi consensu depositos esse Graecos amictus: *Sie waren gleich aus der Mode gekommen.*

22. *cometes*] Alius effulsit a. u. 818. 15, 47. Utrum intelligat Seneca Q. N. 7, 17. et 21., non satis constat; plerique tamen ad hunc referunt. Pseudosen. Octav. 231: *vidimus caelo iubar Ardens, cometam pandere infestam facem.* — *regnis*] Multo aptior est haec Bentleii emendatio quam Med. *regis*; atque complectitur et regni ipsius interitum et regis vel imperatoris mortem. Attamen Walther, Bach, Doederlein illud praetulere. *Regis* quidem intelligi posset universe, «cuiusvis regis,» sed nihilominus inconcinni nescio quid habet *regis* voc. ita positum, ubi quivis lector de principe Romano primum cogitare debebat, quos nunquam simpliciter *reges* Tacitus appellat, etsi v. *regia* supra C. 13. 11, 29. usurpat pro principis aula

colebat, habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus. auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, ictae dapes mensaque disiecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinari credebant, fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est. ergo permotus his Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis, seque prava diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur. ita illuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit.

Isdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando incesserat; videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse. secutaque anceps valitudo iram deum affirmavit.

2. *rumore* M. — *interpretatio*] *intra* (cum lineola super litt. *t*, i. e. *in terra*). *et atio* (non *actio*, ut est apud Bekkerum) M. Correxit Puteolanus. — 4. *icte* M. — 5. *dm* cum lin. M. — 7. *his* M: *iis* B. — 8. *q* cum lin. traversa (i. e. *qui*) *e turbis* (sic) M. Ante Pichenam edebant *sibi et turbis*. — *prava* M: *prave* cum Guelf. et Puteolano B. — 9. *asyam* M. — 10. *familiarius* pr. M. — 12. *neronis* M. Guelf. Spir. Correxit Puteolanus. — 13. *margio* M. Correxit idem. — 14. *toto* M. Correxit Lipsius. — 15. *deum*] *dm* cum lin. M.

et *regnum* de imperio Romano 12, 66. 13, 14. (Cfr. Suet. Ner. 36: *Stella crinita, quae summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri coeperat.*) — *Rubellius*] Cfr. C. 57. et 13, 19. Iuven. 8, 39: *tecum est mihi sermo, Rubelli Plaute. Tumes alto Drusorum stemmate* cet. — *apud Simbruina*] Cfr. 11, 13. Plin. H. N. 3, 2: *Anio lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo* (hodie *Subiaco*), *defert in Tiberim*, Frontin. de Aquaed. 93. p. 163. Ed. Polen.: *ex lacu, qui est super villam Neronianam Sublacensem* (circiter XXXVI. M. P. ab urbe Roma). Post v. *cui* Gronovius existimabat excidisse *loco*, quod v. cogitatione supplendum. — *ictae dapes*] Auget miraculum Dio 61, 16: *σκηπτός ποτε τὸ δεῖπνον αὐτοῦ πᾶν ἐσφερόμενόν οἱ κατέφλεξεν, ὥσπερ τις ἅρπυια τὰ σιτία αὐτοῦ ἀφελόμενος*· et Philostratus V. A. 4, 43. p. 84. Ed. Kayser: *Σιτουμένου τοῦ Νέρωνος ἐμπεσὼν τῇ τραπέζῃ σκηπτὸς διήλασε τῆς κύλικος ἐν χεροῖν οὔσης καὶ οὐ πολὺ ἀπεχούσης τοῦ στόματος.* — *hunc illum*] Virg. Aen. 4, 675: *Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?* Ac frequenter Graeci *οὗτος ἐκεῖνος*. — *praecolere*] ante tempus opportunum nova magis colere quam praesentia ac tuta. Nunc est *ἅπαξ λεγόμενον*. — *prava diffamantibus*] «falsos quidem, sed improbos atque iniuriosos rumores spargentibus.» Minus solita constructio in causa fuit, cur Guelf. aliique male scriberent *prave*. — *Antistia*] filia L. Veteris Antistii, 16, 10., ubi eadem *Pollutia* appellatur. Ergo aut altero utro loco subest error, aut eadem post mariti necem a Pollutio quodam adoptata est, aut tandem h. l. *Antistia* e gloss. ortum; altero enim loco mulieris nomen prorsus necessarium est, quod hic abesse potest. — *aquae Marciae*] a Q. Marcio Rege praetore a. 604. in Capitolium deductae, cuius splendidae reliquiae supersunt ad portam S. Laurentii. Cfr. Frontin. de Aquaed. 7. p. 29. Ed. Polen., qui eam *limpidissimam* vocat C. 93. p. 163., ut Plin. 31, 3, 24: *clarissimam aquarum omnium in toto orbe.* Cfr. Canina *Indicazione* p. 106. Plinius quidem l. l. *Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus, postea Q. Marcius Rex in praetura, rursusque restituit M. Agrippa.* Verum idem 36, 15, 24. quasi semet ipse corrigens hunc aquaeductum uni Q. Marcio Regi tribuit. — *corpore loto polluisse*]

(23) At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur, illuc pergit, non infenso exercitu, ne spem veniae auferret, neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos et in avia digredi; ac fuere qui se speluncis, et carissima secum, abderent. igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inmitis iis qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit. atque illum fines suos praegredientem incursavere Mardi, latrociniis exerciti contraque irrumpentem montibus defensi; quos Corbulo inmissis Iberis vastavit, hostilemque audaciam externo sanguine ultus est. (24) ipse exercitusque ut nullis ex praelio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti. ad hoc penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eadem, plura quam gregario milite toleranti. ventum dehinc in locos cultos, demessaeque

2. *intendere* M. — 5. *faciem* M. — 6. *p̃ces* M. — 9. *inm.* M: *imm.* B. — *his* M. — 12. *inm.* M: *imm.* B. — *Iberis* scripsi ut alibi propter Graecorum constantem scripturam Ἴβηρες: *Hiberis* M B. — 15. *aque* M. — 16. Habet *eadem* M, non *eodem* Guelf. Reg. Spir. Ritter. — *pluraque gr.* Fr. Iacobus. — 17. *toleranti* M: *tolerante* cum Guelf. et Puteol. B. Praecedente altera syll. *te* illa ablativi forma videtur praestare. Vide me ad Horat. C. 1, 2, 2. — *demesseque* M.

Fontes et capita aquarum priscis sacra; in iisque natare nefas. Plinius Epp. 8, 8. de Clitumno: *Pons terminus sacri profanique: in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum.* Immo in quibusdam aquis navigare etiam vetitum. Ib. Ep. 20. de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulae.* Sen. Ep. 41. Lips. Nero polluit aquam Marciam eo, quod toto corpore in eam descendit. Contra Horat. Sat. 1, 5, 24: *Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha*; hoc igitur licebat, ut h. l. *potus*.

23. *Artaxata*] Cfr. 13, 41. Armeniis ipsis est *Artaschad*. — *infidam ad occasiones*] si occasio opportuna deficiendi daretur, defecturam facile. Ern. — *praegredientem*] pro *praetergredientem*, ut saepius *praefluere* pro *praeterfluere* 2, 63. Horat. C. 4, 3, 10, item Ann. 2, 6: *Rhenus Germaniam praevehitur.* — *Mardi*] h. l. Armeniae: tota natio potens, bellicosa ac diversis in sedibus collocata; quippe Mardos invenimus etiam in Hyrcania, Margiana, Perside et ad litus orientale Ponti Euxini. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 595. ac praesertim dissertationes de Mardis conscriptas ab Anquetil-Duperron in *Mém. de l'Académie des Inscr. et Belles-Lettres* T. XLV. p. 87. seqq.

24. *carne pecudum*] Sic Caesar B. G. 7, 17: *usque eo, ut complures dies milites frumento caruerint et pecore e longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentarent.* Nempe carere frumento militi Romano extrema fames erat. Gron. — *eadem, plura*] Est «eadem ac plura etiam,» ἀσυνδέτῳ nequaquam ingrato, cum aliorum *eodem* (duce) parum concinnum sit. Tuetur quidem hoc Ritter: «*eodem* est *eo etiam* significatque Corbuloni non vulgarem, sed prorsus insignem patientiam fuisse.» «Cum eadem (ducis patientia) plura quam gregarius miles toleraret:» minus recte interpretatur Walther. — *plura quam gregario milite*] Constructio ex his duabus mixta: *plura gregario milite* et *plura quam gregarius miles.* Sane utraque difficultas evanescet, ubi cum Iacobo vulgare illud *eadem pluraque gregario milite* praeferas. — *Taurannitium*] Taurannites regionem ad septentrionem a Tigranocertis Artaxata ver-

segetes, et ex duobus castellis, in quae confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. unde in regionem Tauraunitium transgressus inprovisum periculum vitavit. nam haud procul tentorio eius non ignobilis barbarus cum telo repertus ordinem insidiarum seque auctorem et socios per tormenta edidit; convictique et puniti sunt qui specie amicitiae dolum parabant. nec multo post legati Tigranocerta missi patere moenia afferunt, intentos popularis ad iussa. simul hospitale donum, coronam auream, tradebant. accepitque cum honore; nec quicquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent. (25) at praesidium † legerat, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est: nam et praelium pro muris ausi erant, et pulsi intra munimenta aggeri demum et irrumpentium armis cessere. quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. miserantque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri a se Vologesen pro pignore amicitiae ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato praesidio ad litora maris rubri deduxit, unde vitatis Parthorum finibus

1. *inque conf.* M. — 3. *Tauraunitium* (sic) M: *Taurannitium* B. — *inpr.* M: *impr.* B. — 7. *triganocerta* M. — *menia* M. — *popularis* M: *populares* B. — 10. *legerat* corrupte M: *regium* cum Puteolano B. Latet fortasse nomen aliquod proprium. — 12. *aggeri* Bach et Duebner: *aggeris* M B. (*aggeribus* voluerat iam Ryckius.) — 13. *yrcano* M. — 15. *uologese - - ostentante* M. Correxit Puteolanus. — 16. *eufraten* M. — 17. *litora* M: *littora* B. — *dediixit* M.

sus incolentes a nullo praeterea scriptore memorantur: cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 652.: quocirca servavi Med. scripturam *Tauraunitium*. — *non ignobilis*] Frontin. Strat. 2, 9: *Domitius Corbulo, cum Tigranocertam obsideret - -, in quendam ex megistanibus, quos ceperat, animadvertit caputque eius ballista excussum intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium concilium, quod tum cum maxime habebant barbari. Ad cuius aspectum velut ostento consternati ad deditionem festinaverunt.* — *coronam auream*] ut 2, 57. Germanico rex Nabataeorum.

25. *praesidium*] castellum, ut 3, 21. Id milites impositi, fortitudine freti, clauserant, cum contra Tigranocertae moenia paterent. Ern. — *pro muris*] Hic dubium non est formulam *pro muris* indicare locum extra munimenta ante muros. Contra 2, 81. est «intra castellum in muris ipsis.» — *aggeri*] Hanc emendationem prorsus necessariam reddit positio v. *demum*. Intellige autem aggerem ab oppugnatoribus ad ipsa moenia structum, ut escendi possent. Cfr. 4, 49. de obsidione castelli: *et struebatur agger, unde saxa, hastae, ignes propinquum iam in hostem iacerentur.* — *distinebantur*] «Scribendum *detinebantur*» (uti re vera habet Spir.): «sic Liv. 27, 12: *Hannibalem acerrimo bello detineret*. Apud Cic. Phil. 11, 2. est quidem in recentioribus libris *bello distineri*; sed Edd. vett. omnes *detineri*.» Ern. At apud Cic. Cod. Vatic. omnium optimus *distineri*; atque omnino in duobus his vv. sequenda semper est meliorum Codd. auctoritas potius quam Synonymicorum subtilitas. Cfr. 11, 12. — *maris rubri*] Cogita legatos Hyrcanorum ab urbe regredientes venisse in Syriam; huc enim ducebat navigationis cursus. Quod si admittis, non dubitabis viam e Syria ad mare rubrum, hoc est, sinum Persicum et mare Indicum (cfr. Plin. 6, 23. 24.), ut deinde Araxe vel alio fluvio subveherentur, multo commodiorem fuisse quam quae terrestri itinere per vastas infestasque regiones ad mare Caspium eos duxisset. Nimirum e Syria ad sinum Persicum constat fuisse iter peregrinationibus mercatorum tritissimum eoque tutissimum. Walther.

patrias in sedes remeavere. (26) quin et Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem, praemisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac spem belli amittere subegit; quosque nobis aversos animis cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus, possessionem Armeniae usurpabat, cum advenit Tigranes a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. nec consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum. at plerique superbiam Parthorum perosi, datum a Romanis regem malebant. additum et praesidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae, quo facilius novum regnum tueretur. pars

2. *armenie* M. — 3. *omittere* Agr. — 4. *aversos*] *ab re* ab eadem manu superscr. *ge*, ut sit *ab rege*. — *aninis* (sic) M. Ut nos, Bekkerus, ante quem Puteolano auctore edebant *ob regem aversos animis*. — 8. *ne* M. — *fabore* M. — 9. *plerisque superbia* M. Correxit Puteolanus. — *per* (comp.) *obsi* in fine versus M. — 10. Habet *et* M, non Puteolani *etiam*. — 11. *dueque* M. — *ale* M. — *et quo* M. Correxit Freinshemius.

26. *citis*] quas alibi *expeditas* dicit; hic simul summam itineris accelerationem significare voluit, ut 1, 63. 4, 25: *citum agmen*. — *amittere*] magis volgare v. *omittere*, quod praebet Agr., malebant etiam Acidalius et Heinsius. — *Tigranes*] Cfr. 15, 1. — *Archelai*] de quo 2, 42. — *Pharasmani*] Iberus est Pharasmanes, iam pridem per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis regno, Armeniae, unde cum absterreretur a Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit et ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. 12, 44. 13, 37.; de Antiocho, Commagenes rege, v. 12, 55. 13, 7. Ioseph. B. Iud. 7, 7. (Masson in Haymii Thes. Brit. I. p. 113—124.; quae disputatio de Commagenes regibus dignissima etiamnunc est, quae legatur.) Polemo, notissimus rex Ponti, Iosepho *Κιλικίας*, Ant. 20, 7. Apud Tacitum commemoratur etiam Hist. 3, 47. Aristobulus 13, 7. Ioseph. 20, 8: *τὴν μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται*. Gron. — *Ummidii*] 12, 45. 48. 13, 9.

27. *Laodicea*] ad Lycum, Phrygiae urbs. Cfr. Strabo 12, 8. Plin. 5, 29. *celeberrimam urbem* vocat. Forbiger *Geographie* II. p. 347. — *propriis opibus revaluit*] non ut Tiberio imperante simili in casu huius ope *duodecim celebres Asiae urbes*. 2, 47. Notabilis omnino hic locus ad aestimandas divitias nonnullarum Asiae urbium Graecarum etiam sub Nerone. — *Puteoli ius coloniae*] Atqui Livius 34, 42. ad a. u. 560: *Puteolos Salernumque et Buxentum ascripti coloni*; de quo loco consule Madvig Opusc. I. p. 251. Minus accurate Velleius 1, 15. indicato a. u. 576. pergit: *eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque et Buxentum missi coloni*; quem merum errorem recte, ut arbitror, iudicat Madvig ibid. p. 285. Memoranda deinceps celebris illa Lex parieti faciundo Puteolana (Grut. 207, 1. Inscr. m. Lat. N. 3697. et integrior Gruteriano typo in Nardini *Roma*. Ed. Nibby I. p. 182.): *AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR. P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS.* a. u. 649. Quae lex cum suspecta fuisset Scipioni Maffeio in Arte crit. lap. p. 304., scite defensa est a Zaccaria *Istituz.* p. 158. Valerius autem Maximus 9, 3, 8. in referenda Sullae morte (a. u. 676.) memorat *coloniae Puteolanae decuriones*. Cfr. Madvig ibid. p. 301. Sequitur Frontinus de Colon. p. 139. Goes.: *Puteoli, colonia Augusta; Augustus deduxit.* Tertium iam igitur deducta a Nerone; de quo instituto Romano Madvig ib. p. 293: «Oppidis senescentibus et invalidis exoptata esse poterat novorum robustorumque civium accessio, quibus non suo damno (nam ea vis cum bellis civilibus sublata erat), sed de publico agri pararentur.» Ceterum consule etiam Lipsium, Ernestium, Oberlinum

Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt. Corbulo in Suriam abscessit, morte Ummidii legati vacuam ac sibi permissam.

(27) Eodem anno ex inlustribus Asiae urbibus Laodicea tremore terrae prolapsa, nullo *a* nobis remedio, propriis opibus revaluit. at in Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur. veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant. non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis ma-

1. *armenia eunt* M. Correxit Puteolanus. — *Pharasmani Polemonique*] *pars nipulique* M. Correxit I. Fr. Gronovius. — 2. *accessit* M. Emendavit Lipsius. — 3. *umidii* M. — 4. *inl.* M: *ill.* B. — 5. *a* om. M. Insertum in Guelf. et a Puteol. — 6. Habet *apiscuntur* M, non *adipiscuntur* Guelf. et Edd. ante Waltherum. — 8. *explebeerant* M. — 12. *rem.p.* M.

ad h. l. — *cognomentum*] Vanitas haec quaedam otiosarum coloniarum (Horat. Epod. 5, 43: *Et otiosa credidit Neapolis:*) et cupido cognomenta honorifica a principibus obtinendi, inter quae facile eminet fastosum illud: *COLONIA IVLIA CONCORDIA AVGVSTA FELIX BENEVENTVM.* Inscr. m. Lat. 3698. Ac tunc Nero Puteolis hoc qualecunque beneficium impertivit, necessario post eius interitum sub Vespasiano immutatum in: *COLONIA FLAVIA AVGVSTA PVTEOLI.* Inscr. m. Lat. l. l. — *Tarentum*] Tarentum deducta est colonia a. u. 632., teste Vellei. 1, 15. — *Antium*] De colonia Antium missa tradit etiam Suet. N. 9. Porro, quod in provincias dilapsi sunt, in quibus stipendia explessent, causa fuit, quod ibi multas necessitudines haberent et negotiari ac similia facere suevissent. Ern. (Antium colonia deducta est primum a. u. 287.; initio sine dubio Latina civitas a Romanis, Latinis, Hernicis constituta, postea a. u. 414. civium maritima. Madvig Opuscc. I. p. 296.) — *adscripti*] ut Liv. 32, 7: *colonosque eo trecentos adscripserunt.* Alibi tales dicuntur *additi* 13, 31.; cfr. me ad Horat. 3, 4, 38: *Fessas cohortes addidit oppidis*, quae unice vera est lectio, non *abdidit* neque *reddidit.* — *neque coniugiis*] Dio 60, 24. de Claudio: *τοῖς τε στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε.* Vide Excursum ad h. l. — *ut olim*] Hyginus Gromat. apud Goes. p. 160: *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere et ad laboriosam agriculturae requiem primo tirocinii gradu pervenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* — *sui cuiusque*] Sine causa Bekkerus malebat *sui quibusque*, Ritter *sui quisque.* Med. lectionem recte vindicavit Madvig ad Cic. de Finn. 5, 17: *quia - - in corpore et in animo sua quaeque vis sit.* «Cum Latini consuessent in distribuendo res personasque inter se relatas pronominibus *suus* et *quisque* significare, primum etiam ibi, ubi aliquid de singulis rebus personisve intelligendum esse tantummodo ita significabant, ut ea divisio ad nullas alias res certa distributione referretur, tamen *suus* addebant, cumque id, cui grammatice adiungeretur, non haberet, *suus quisque* eodem casu quasi pro una voce coniungebant. Huiusmodi est id, quod bis in tabula Heracleensi scriptum est v. 92. et 101: *quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui cuiusque anni fecerit;* tum illud apud Cic. Acad. 2, 19: *in sensibus sui cuiusque generis*, et apud Tacitum h. l. Eodem modo Suet. Oct. 40: *Concessit* (plebi) *rursus, ut sui cuiusque mensis* (frumentum) *acciperet*, hoc est, in singulos menses; nec aliter Livius 33, 16: *pecunia, quae in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur.*» — *ordinis*] hoc loco: «centuriae.» — *consensu et caritate*] Non est *ἓν διὰ δυοῖν*, uti ratus est Roth p. 26.,

nipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.

(28) Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, princeps composuit, tris, qui supra numerum petebant, legioni praeficiendo. auxitque patrum honorem statuendo ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent cuius ii qui imperatorem appellavere. nam antea vacuum id solutumque poena fuerat. fine anni Vibius Secundus eques Romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena afficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.

(29) Caesonio Paeto Petronio Turpiliano consulibus gravis clades in Britannia accepta; in qua neque A. Didius legatus, ut memoravi, nisi

3. *quo* M. Correxit Puteolanus. — 7. *is* M. Emendatum in Guelf. Spir. — 8. *uiuius* M. — 9. *dãmatur* M. — *italias* M. — 10. *paena* M. — *frisoribus* cum lin. super primum *i* M. Correxit Pichena. — Habet *enisus* M, non *enixus* Puteolani. — 11. *cesonio* M. — *et petronio* M. Ut nos, ex Taciti usu Guelf. Puteol. Edd. ante Waltherum. — *cos.* M. — 12. *brittania* M. — *A. Didius*] *hauitus* M. Correxit Lipsius. (*Aulus Didius* B.)

sed *consensu* refertur ad concordiam in consiliis capiendis atque omnino in rebus civilibus cuiusque coloniae ordinandis, *caritate* ad animi mutuos affectus inter singulos colonos. — *quasi ex alio genere mortalium*] Etiam hanc inter causas interitus imperii Romani fore aliquando, sagaciter praesagivit Tacitus. — *numerus*] multitudo quasi fortuito aggregata, sine legum vinclo et certa rei publicae forma, qualem habet omnis colonia antiquo ex more deducta. (*Les vétérans alors formaient des attroupemens plutôt que des colonies.* Louandre.)

28. *composuit*] in ordinem redegit. Duebn. — *praeficiendo*] Suet. Ner. 15: *Candidatos, qui supra numerum essent, in solatium dilationis, legionibus praeposuit.* — *eiusdem pecuniae*] Iulius Paullus Recept. Sent. 5, 33, 7. Ed. Arndts p. 160: *Assertor si provocet, in eiusmodi tertiam* (partem) *cavere debet, quanti causa aestimata est.* — *graviore poena*] ut C. Silanus 3, 68., cui aqua et igni interdictum repetundarum damnato.

29. *Caesonio Paeto*] «Lipsius et Freinshemius putant *Caesonium Paetum* esse eundem, qui 15, 6: *Caesennius Paetus* dicitur. Sed bene Ryckius ostendit diversos ex inscriptionibus duabus apud Gruterum, quarum altera hunc *Caesonium* consulem exhibet cum *Petronio*, altera *L. Caesennium Paetum* cum *P. Calvisio Rusone*.» Ern. Priorem inscriptionem Grut. 62, 7: *SILVANO. SANCTO | ET. MERCVRIO | ET. LIBERO. PATRI | SACRVM | M. VARGVNTEIVS. M. F | PAL. AVGVRINVS | SVA. PECVNIA. D. D | III. IDVS. AVGVST | PETRONIO. TVRPILIANO | ET. CAESONIO. PAETO. COS.* Gruterus desumpsit ex Panvinii Fastis. Ed. Venet. 1558. p. 318., ubi, ut apud Gruterum, sine ullo auctore et loco affertur; alteram Grut. 64, 9: *IMPERIO | DOMINI. SILVANI | C. COSSVTIVS. C. L. EPAPHRODITVS | ARAM. SILVANO. MARMOR . . . | ITEM | SIMVLACRVM. HERCVLIS | RESTITVIT | AEDICVLAM. ET. ARAM. EIVSDEM | CORRVPTA. REFECIT | DEDICAVIT. KAL. MARTIS* (*I* forma maiore) | *P. CALVISIO. RVSONE | L. CAESENNIO. PAETO COS.* Gruterus pariter loco non indicato habuit ex Schedis Ursini. Verum utraque inscriptio mihi perquam suspecta est cum propter ipsum genus dicendi et deorum compositionem, tum propter auctores; nam de ambigua fide et Panvinii et Ursini fortasse plerumque a scelerato illo Ligorio deceptorum, satis, ut opinor, exposui in Inscr. m. Lat. I. p. 59. et p. 66. Iam prius par consulum in Grut. 62, 7. mutuo sumptum est ex hoc ipso Taciti loco; in altero 64, 9. *L. Caesennius Paetus* ex 15, 6. *P. Calvisium Rusonem* autem suo arbitratu finxisse videtur quicunque titulum composuit seu

parta retinuerat, et successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator, receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. sic pedes: equites vado secuti, aut altiores inter undas adnantes equis tramisere. (30) stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis in modum Furiarum veste ferali, cri-

1. *siluas* M. Correxit Lipsius. — 3. *supmis* M. — 4. *adulatione* M. — *prouincias* M. Correxit Lipsius. Pluralem tamen defendit Bach ad C. 15: *scenas incedit*. — 5. *brittannos* M. — 6. *militie* M. — 9. *adgr*. M: *aggr*. B. — 10. *breve* M: *breve littus* cum Guelf. et Puteol. B. Est interpolatio. — *uados* ex geminatione litt. *s* M. — 11. Habet *tramisere* M, non *transmisere*, ut Edd. ante Waltherum. — *litore* M: *littore* B. — 12. *immodum* M. — Habet *veste* M, non *quae veste* Reg. Corb. Spir. Oberl.

Ligorius sive Ursinus; neuter autem consul neque ordinarius nec suffectus in Baiteri Fastis memoratur. Totam rem aliquando, uti spero, extricabit summus Borghesius. — *ut memoravi*] 12, 40., unde h. l. scripturam Med. *hauitus* pro *A. Didius* emendavit Lipsius collato Agr. 14. — *Siluras*] 12, 32. — *supremis*] Mihi videtur simpliciter significare «suprema (ultima) sua voluntate, supremo suo iudicio», ut haud raro dicunt ICti (v. Dirksen Manuale in his vv.); adeo ut indignetur Tacitus Veranium per totam vitam severum, testamenti demum verbis a priore dignitate descivisse. Alii, ut Ernestius, explicant «in ultima testamenti parte», vel artificiosius etiam, ut Walther, «in ea testamenti parte, quam extremo vitae tempore addiderat.» — *provinciam*] Med. *provincias* defendere conatus est Walther: «Quamquam Britannia unius tantum provinciae nomine apud Romanos fuit, potuit tamen Veranius *provincias* Neroni polliceri, dum cogitabat de Britannia, de Caledonia et fortasse de Hibernia.» Recte tanto ante responderat iam Pichena: «Sed hoc capite de Britannia tantum sermo, quae *provinciae* nomine appellabatur necdum perdomita erat; diversae vero Britannorum nationes sive *populi* non provinciae, sed civitates aut populi.» Atque nota insuper Septimii demum Severi tempore pluralem locum habuisse. Is enim, teste Herodiano 3, 8: *διοικήσας τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν καὶ διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν κτλ.* — *Suetonius*] Agr. 5, 14. 16. Hist. 1, 87. cet. — *concertator*] pro *aemulo* nunc est *ἅπαξ λεγόμενον*. — *Monam*] Credo hunc locum esse, quem respexit Iornandes de rebus Geticis 2. (p. 192. Murat.): *in extrema Britanniae parte Memma, quam Cornelius etiam Annalium scriptor narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem* cet. Corrigo enim *Mona*. Lips. Hodie *Anglesey*. Cfr. Agric. 18. Dio 62, 8: *νῆσόν τινα Μῶνναν ἀγχοῦ τῆς Βρεττανίας κειμένην*. Rowland's *Mona antiqua* or *antiq. of the isle of Anglesey*, London 1766. Ceterum diversa est a Caesaris B. G. 5, 13: *Mona*, aliis *Menavia* insula, hodie *Man*. — *adversus breve*] adversus vadosum et *incertum* (modo magis, modo minus profundum, interdum etiam limosum) mare illis in litoribus. Plerique sane pluralibus usi essent *brevia et incerta*. — *adnantes equis*] iuxta suum quisque equum nantes, eumque simul regentes atque eius ope, ubi defatigati essent, se sustinentes et subinde requiescentes.

30. *pro litore*] Recentiores scripsissent «in ipso litore hostium acies.» — *in modum Furiarum*] id est, «nostri ut artifices pingere solent Furias.» — *veste ferali*] pulla, atra, *μελάγχλαινοι*. Aeschyl. Eum. 52: *μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι*.

nibus deiectis; faces praeferebant. Druidaeque circum, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. dein cohortationibus ducis, et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. praesidium posthac inpositum victis, excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur. (31) rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore. quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. iam

1. *facies* M. Correctum in Guelf. — *p̄ces* M. — 2. *celum* M. — *militem* M. Correctum ab eadem manu; fuerat *milites*, ut edebant inde a Pichena usque ad Waltherum. — 5. *strenuuntque* M. — 6. *inp.* M: *imp.* B. — Habet *victis* M, non *vicis* Bud. et Rhenani. — *sevis* M. — 8. *dos* cum lin. M. — 9. *igenorum* M. Cfr. 12, 31 et 32. — 12. *uelud* M.

Cfr. Böttiger *die Furienmaske. Kl. Schriften* I. p. 217. Cfr. Germ. 43: *feralis exercitus terrorem inferunt.* Ceterum ἀσύνδετον Medicei ipsum auget furialis huiusce aspectus δεινότητα, quam alii infregerunt inserendo *quae* ante v. *veste.* — *deiectis*] passis neque in nodum collectis, sed solum versus promissis, *mit hängenden Haaren.* Feminae autem istae videntur fuisse e vatum genere, quales apud Germanos fuere Veleda et Ganna. Cfr. Grimm *Mythologie.* Ed. II, p. 84. — *Druidaeque*] De Druidis cfr. Caesar B. G. 6, 13. Digna, quae legatur, est Burnoufii adnotatio, quam dabimus in Excursu ad h. l. — *muliebre et fanaticum agmen*] ut 1, 40: *muliebre et miserabile agmen.* — *igni suo involvunt*] Proprie hoc accipiendum. Fortasse Tacito obversabatur Virg. Ge. 2, 308: *Et totum involvit flammis nemus.* Est igitur: «faces, quas attulerant fanaticae illae mulieres his extortas, fortasse alios etiam titiones e castrorum ignibus arreptos, raptim in hostes coniiciunt,» sane non sine quadam hyperbola, quam peritissime reddidit Louandre: *et ils enveloppent les Barbares dans les feux qu'ils avoient allumés eux-mêmes. Igni suo* ergo est «igni hostium proprio.» Prorsus quidem diversa est Doederleinii interpretatio: «Ardore suo protrudunt, scilicet reliquos, qui non sternebantur. *Ignis* de ardore ad exemplum Virg. Aen. 2, 575: *Exarsere ignes animo*, vel de impetu proeliantium Horat. C. 4, 14, 24: *frementem Mittere equum medios per ignes.*» Quo quidem loco est «media per discrimina.» Sed *ignem* simpliciter sic pro «impetu bellico» dici offenderet me quidem vel apud Appuleium et Sidonium Apollinarem, satis tumidos scriptores, nedum apud Tacitum nunquam temere audacem; neque vero *involvere* unquam quisquam dixit pro *protrudere.* — *praesidium*] castellum cum copiis militaribus, quae ad id tutandum necessariae erant. — *cruore captivo adolere aras*] prorsus ut apud Germanos. 1, 61: *barbarae arae, apud quos tribunos et primorum ordinum centuriones mactaverant.*

31. *Icenorum*] 12, 31. in hod. *Suffolk* et *Norfolk.* Ad totam huius belli historiam cfr. Dio 62, 1—12. — *longa*] *longe* malebat Lipsius; sed *longa* bene defendunt Pichena et Gruterus, pro *diuturna, antiqua.* Sic 1, 8. Augusto *longa potentia* tribuitur, *longa decora* infra C. 53. Ern. — *centuriones - - servos*] Auget rei indignitatem obscura condicio hominum, quibus eam exsequi mandatum erat. — *Boudicea*] Vide Var. Lectt. et Walch ad Agric. p. 221. Dioni 62, 4. est Βουνδουίκα - - μεῖζον ἢ κατὰ γυναῖκα φρόνημα ἔχουσα - -· ἦν δὲ καὶ τὸ σῶμα μεγίστη καὶ τὸ εἶδος βλοσυρωτάτη τό τε βλέμμα δριμυτάτη· καὶ τὸ φθέγμα τραχὺ εἶχε· τήν τε κόμην πλείστην τε καὶ ξανθοτά-

primum uxor eius Boudicea verberibus affecta et filiae stupro violatae sunt. praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur. qua contumelia, et metu graviorum, quando in formam provinciae cesserant, rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus inpotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur: delectique sacerdotes specie religionis omnis fortunas effundebant. nec arduum videbatur exscindere coloniam nullis

1. *boodicia* M. *Boadicea* sine auctoritate Oberlin. *Boadica* Agric. 16. Dronke dedit Ed. II. Infra C. 35. in M. est *Bouducea* C. 37. *Boudicca* (sic). Nostra scriptura, sane incerta, est in Guelf. Harl. les. Edd. vett. — 2. *precip.* M. — *ygenorum* M. — 3. *hauitis* M. — 5. *trinouantibus* M. — 6. *facti* M. Correctum est in Agr. — 9. *inpotentiam*] *in potentiam* divise M, *impotentiam* B. — 10. *arae* pr. M, tum ab eadem m. corr. *arx*. — 12. *excindere* M.

την μέχρι τῶν γλουτῶν καθεῖτο κτλ. *Booticam* in nummis eam appellari auctor est Spanhemius de Pr. et U. N. I. p. 557.; sed deceptus esse videtur incerto nummo illo Britannico cum inscriptione *BODVO* apud Camden Brit. p. 71., qui eum dubitanter tribuit Boudiceae. Notandum etiam propter Waltherum confusius hic loquentem Pellerin *Recueil de méd.* I. p. 34. ipsum notare, nummum cum inscriptione *POOCTIKA* pro Boudiceae nummo falso a nonnemine habitum esse, cum manifesto exhibeat caput virile. Nec magis certus nummus cum inscriptione *BOOTIKA* in Bouteroue *Recherches des monnoies de France* p. 67. Item erravit Lipsius verba Gildae (Cap. 4. p. 2. Ed. Gale): *Rectores sibi relictos ad enuntianda plenius vel confirmanda Romani regni molimina leaena trucidavit dolosa:* ad Boudiceam referens; etenim Gildae, qui Boudiceam vix noverat, *leaena dolosa* est tota Britannia semper adversus Romanos rebellis. — *Trinobantibus*] Agr. 31., in hod. *Kent.* — *servitio fracti*] Nemo nunc, puto, dubitabit de huius emendationis Agr. veritate, etsi post Lipsium etiam Bachio se probavit Med. *facti*. Hoc esset «propria sua natura adpositi sive idonei servitio»; numquam vero, ut ratus est Doederlein, accipi posset pro composito *infecti*. Nimium quantum enim distant loci ab eo allati Ann. 2, 2. 11, 10., ubi v. *infectus* rectissimum est, ineptum foret v. *factus*. — *Camulodunum*] 12, 32. prope hod. *Almondbury*. — *inpotentiam*] potentiam modi nesciam ac violenter exercitam, ut 1, 4. — *templum*] De eo Seneca Lud. p. 731. Fickert: *Parum est, quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt et ut deum orant μωρoὶ Μόρυχον.* — *arx*] Post novam Baiteri collationem Med. dubitari nequit de hac lectione, pro qua ante Berneggerum post monitum Acidalii ac Freinshemii edebant *ara*. At vero, ut aptissime Cicero legem de repetundis Verr. Accus. 5, 48. vocat *hunc portum, hanc aram sociorum*, sic absurde h. l. templum illud Claudii diceretur *ara dominationis*, utpote quod significaret ultimum dominationis refugium, si Britanni eam adorirentur. Cfr. etiam Cic. Pis. 5: *templum illud fuit arx civium perditorum, - - castellum forensis latrocinii.* Idem sane priorem illam imaginem (Verr. 5, 48.) ita invertit Verr. 4, 8: *hac lege, qua iudicium est, communi arce sociorum;* at contra in Taciti loco *ara arci* substitui sine perversitate non potest. Atque necessarium est templum illud qualicunque modo fuisse munitum, quoniam *biduo obsessum* est, ut mox narrat. — *delectique sacerdotes*] Legebantur enim flamines Claudio ex provincialibus ipsis, quibus in sacra victimasque multi faciendi sumptus. Lips. Idem in Excursu C. ad 1, 10. attulit

munimentis saeptam; quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur. (32) inter quae nulla palam causa delapsum Camulodunii simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus. et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant. externosque fremitus in curia eorum auditos; consonuisse ululatibus theatrum, visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae; iam Oceanum cruento aspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictas, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant. sed quia procul Suetonius aberat, petivere a Cato Deciano procuratore auxilium. ille haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit; et inerat modica militum manus. tutela templi freti, et impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant, neque fossam aut vallum praeduxerunt, neque motis senibus et feminis iuventus sola restitit: quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur. et cetera quidem impetu direpta aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obses-

1. *septam* M. — 4. *furore* M. Correxit Faërnus. Illud retinuere Walther, Bach, Duebner. — 6. *tam esae* M. — 7. *oceanus cruento aspectus sic labente* M. — 8. *relictae* M. Omnia haec optime emendavit Lipsius. — *brittanni* M. — *trahebantur* M. Emendavit Lipsius. (Doederleinii suspicio haec est: *iam Oceanus cruento aspectu, labente aestu humanorum corporum effigies relictae, sicut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebantur*; qua in lectione vv. *Britanni* et *veterani* forent genitivi sing. Non accedo, imprimis, quia istae transpositiones mihi non magis placent quam amico Zumptio.) — 9. *haberat* M. — 10. *inherat* M. — 11. *occulti* M: *occulte* cum Bud. et Lipsio B., id quod in Bud. ortum est ex mala correctione erroris *occultae* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Puteol. — 12. *fossa* M. — 14. *caetera* M.

Arrian. Epict. 1, 19, 26: *Σήμερόν τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τοῦ Αὐγούστου. Λέγω αὐτῷ, Ἄνθρωπε, ἄφες τὸ πρᾶγμα, δαπανήσεις πολλὰ ἐς οὐδέν.*

32. *in furorem turbatae*] «usque ad furorem vaticinii de recto mentis statu demotae.» Med. scripturam *in furore* Bach et Duebner sic explicant: «turbata mente, dum in vaticinii furore versantur.» Sed nonne sic Tacitus melius omisisset praeposit. *in*? — *auditos*] Supple ex v. *canebant*, «homines vulgo referebant.» — *speciem*] similem sane eius, quam Itali *Fata Morgana* vocant. — *iam*] «*iam vero, und nun vollends*, ut ad graviora transeatur, ut C. 12. *iam sol repente obscuratus*, coll. 1, 41. 13, 43.» Doed. «Ea ostenta diverse interpretabantur et Britanni et Romani, ita quidem ut in illis spes, in his metus oriretur.» Cfr. Dio 62, 1: *ἐκ δὲ τοῦ βουλευτηρίου θροῦς νυκτὸς βαρβαρικὸς μετὰ γέλωτος καὶ ἐκ τοῦ θεάτρου θόρυβος μετ' οἰμωγῆς ἐξηκούετο, μηδενὸς ἀνθρώπων μήτε φθεγγομένου μήτε στένοντος. οἰκίαι δέ τινες ἐν τῷ Ταμέσᾳ ποταμῷ ὕφυδροι ἑωρῶντο· καὶ ὁ Ὠκεανὸς ὁ μεταξὺ τῆς τε νήσου καὶ τῆς Γαλατίας αἱματώδης ποτὲ ἐν τῇ πλημμυρίδι ηὐξήθη.* — *Cato Deciano*] Dio 62, 2: *Πρόφασις δὲ τοῦ πολέμου ἐγένετο ἡ δήμευσις τῶν χρημάτων, ἃ Κλαύδιος τοῖς πρώτοις αὐτῶν ἐδεδώκει· καὶ ἔδει καὶ ἐκεῖνα, ὥς γε Δεκιανὸς Κάτος ὁ τῆς νήσου ἐπιτροπεύων ἔλεγεν, ἀναπόμπιμα γενέσθαι.* — *tutela*] «Hic saeptum est et aliqua non magni operis munitio. Sic Varro R. R. 1, 14: *Nunc de saeptis, quae tutandi causa fundi aut partis fiunt, dicam. Earum tutelarum genera quattuor.*» Gron. Rectius Ernestius: «Intelligo praesidium templi, quale fuit in Hierosolymitano et aliis.» — *et impedientibus*] Nescio, cur in his haeserint Ernestius atque Oberlinus, qui probabat Bud. *impedientibus*, omisso *et*. Est: «nimiam fiduciam ponebant in militari templi praesidio et praeterea impediebantur a rebellionis consciis, quo minus fossam praeducerent. — *occulti*] Sine causa Bud. *occulte*. Cfr. 3, 29: *occulti inludebant*. 4, 12: *occulti*

sum expugnatumque. et victor Britannus Petilio Ceriali legato legionis nonae in subsidium adventanti obvius fudit legionem, et quod peditum, interfecit: Cerialis cum equitibus evasit in castra et munimentis defensus est. qua clade et odiis provinciae, quam avaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transiit. (33) at Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coërcitam, unius oppidi damno servare universa statuit. neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet. si quos inbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum, laeti praeda et aliorum segnes petebant. ad septuaginta milia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit. neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula ignes cruces, tamquam redditur supplicium ac praerepta interim ultione, festinabant. (34) iam Sue-

1. *britiamnus* (sic) M. — *petio* M. Correxit Lipsius. — 2. *aduentati* M. — 4. *auaritiae* M. — 12. *inb.* M: *imb.* B. — 15. *spoliant* M. Emendavit Mercerus. — *leti* M. — *aliorum*] *laborum* malebat Lipsius. — 16. *insignes* M. Emendavit Mercerus. — *hiis* M. — 17. *caecid.* M. — *consistit* M. — *aliutue* M. — 18. *tanquam* M B. — 19. Habet *ac praerepta* M. (Vide Waltherum.)

laetabantur. Ibid. 40: *non occulti ferebant.* — *motis*] amotis, ut C. 60. — *Petilio Ceriali*] qui postea Britanniae praefectus est. Agr. 8. Hist. 3, 59. Dioni 65, 18. est Κύιντος Πετίλιος Κερεάλιος.

33. *coloniae non insigne*] Postea tamen Augusta Trinobantum. Amm. Marc. 27, 8: *Londinium vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit.* — *commeatuum*] quo magna mercium copia importabatur, ut inde alio exportaretur. — *satisque*] βραχυλογία pro «atque expendens satis cet.» — *coërcitam*] «punitam ratus», quod v. eliciendum ex v. *circumspecta.* Petilii igitur clade admonitus noluit simili calamitati obnoxius fieri. — *Verulamio*] cuius reliquiae prope hodiernum *S. Albans* in comitatu *Herefordshire.* — *militarium*] scil. hominum, ut 3, 1. 15, 10.; idem est, quod *militaribus praesidiis* infra C. 45. — *aliorum*] segnes erant ad alia omnia, veluti ad castella oppugnanda, praesidia deiicienda, alia castella adversus Romanos munienda. — *septuaginta milia*] At Dio in pleraque hac historia Taciti velut interpres periisse ait 62, 1: μυριάδας ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν, ut hic *LXXX.* fortasse verior scriptura. Lips. — *capere aut venundare*] Distinguit haec, quia apud antiquos quos quisque ceperat suo arbitratu aut pro mancipiis sibi retinere aut venundare poterat. — *aliudve quod*] quale est pretium sumere, quo vitae aut bonis captorum parcas. Doerb. Intellige etiam de indutiis paciscendis. — *patibula - cruces*] *Patibulum* proprie est, in quo suffixus homo expanditur, transverso tamen ligno; *crux* vero etiam, cum in erecto simplicique stipiti affigitur sive infigitur: diximus abunde in libellis de Cruce. Lips. — *reddituri supplicium*] «vicissim perpessuri.» Volunt esse imitationem Livii, qui *reddere cladem* 24, 17. et ibid. 20: *quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.* — *praerepta - ultione*] «quae, nunc dilata, postea per belli vices eripi poterat.» Doerb. *Praerepta* igitur h. l. «raptim praecepta;» frustra hoc ipsum v. *praecepta* malebat Heinsius.

tonio quarta decuma legio cum vexillariis vicesimanis, et e proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congredi acie parat. deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. at Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant, quanta non alias multitudo, et animo adeo fero, ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustrisque inponerent, quae super extremum ambitum campi posuerant. (35) Boudicea curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur: sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo provectas Romanorum cupidines ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem inpollutam relinquant. adesse tamen deos iustae vindictae: cecidisse legionem quae praelium ausa sit; ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et manus perlaturos. si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. id mulieri destinatum: viverent viri et servirent. (36) ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat. quamquam confi-

1. *vicesimariis* (non *vicesimaris*, ut narratur apud Bekkerum) M, quod recepit Walther. Correxerat Acidalius. — 4. *nichil* M. — 6. *ast*. M: *adst*. B. — *brittannorum* M. — 7. *caterbas* M. — *exult*. M. — 9. *inp*. M: *imp*. B. — 10. *bouducea* M. — 11. *brittannis* M. — *dictu* M. mire probante Walthero. — 13. *contrectam* M. — 15. *neo* M. — *inp*. M: *imp*. B. — 16. *ds* cum lin. M. — 18. *militum* M. Correxit Lipsius. — 20. *uiris* M. — 21. *quam* M, *quanquam* B.

34. *vicesimanis*] Lectio *vicesimariis* quamquam acriter a Walthero defensa tolerari nequit ideo, quod hoc v. unice refertur ad *vicesimam hereditatium*, *libertatis*. — *animo adeo fero*] «Et proprietas verborum et euphoniae ratio suadet *adeo feroci:* vid. Synon. Lat. I. p. 43. III. p. 307.» Doed. Sane differt Neronis *ferus animus* supra C. 4. Hic tamen sine offensione interpretaberis de Britannis et ira saevientibus et promptae victoriae prorsus certis. — *plaustris*] Similiter apud Cimbros, narrante Plutarcho in Mario 27: *αἱ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι τοὺς φεύγοντας* (Cimbrorum ipsorum) *ἔκτεινον κτλ.*

35. *feminarum ductu*] Cfr. Agr. 16. et 31. Falsam lectionem *dictu* Bach mire interpretatur «feminis adhortantibus vel accendentibus.» — *confectum*] tam male mulcatum, ut vires ipsam defecerint. Ad inutilem Puteolani coniecturam *consectam* comparabant Horat. Epod. 4, 11: *sectus flagellis*. — *contrectatam*] violatam; ex usu iam Plautino. Ita et Suetonius Dom. 1: *contrectatis multorum uxoribus*. — *tot milium*] Fuisse enim in acie hostili *δώδεκα μυριάδας*, id est, centum viginti milia hominum, Dio adnotavit 62, 8. Lips. Postea C. 8: *Βουνδουίκα ἐς τρεῖς καὶ εἴκοσι μυριάδας ἀνδρῶν ἔχουσα*· scilicet Trinobantibus aliisque iam in societatem pertractis. — *secum expenderent*] Falsam suam interpretationem *qu'on réfléchit avec elle* frustra in Adnott. defendere conatur Burnouf. — *cadendum*] ut universis ipsorum copiis collectis contra hostem crudelem. Doedn. Ceterum de hac pugna cfr. Lingard *Gesch. v. Engl.* I. p. 33. Lappenberg *Gesch. v. Engl.* I. p. 28.

deret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas. plus illic feminarum quam iuventutis aspici. inbelles inermes cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus paucos, qui proelia profligarent; gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur. conferti tantum et pilis emissis, post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praedae inmemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus eventus Suetonius daret pugnae signum. (37) ac primum legio gradu inmota et angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. idem auxiliarium impetus; et eques protentis hastis perfringit quod obvium et validum erat. ceteri terga praebuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula saepserant abitus. et miles ne mulierum quidem neci temperabat; confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant. clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finivit. et Poenius Postumus praefectus castrorum secundae

1. p̄ces M. — 3. *inb.* M: *imb.* B. — 4. *paucos qui* M: *paucos esse qui* cum Guelf. et Puteolano B. — 5. *glorieque* M. — *accesserum* (sic) M. — 6. *fama* M. — 7. *inm.* M: *imm.* B. — 8. *ipsa iis* mavult Doederlein. — *ardor* ex corr. M; videtur fuisse *ordo*. — 10. *euentu* M. Correxit Rhenanus. — *dare* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — 12. *uelud* M. — 13. *astis* M. — 14. *effugium* M. — 15. *seps.* M. — 16. Habet *confixaque* M, non *confixa*, ut traditur apud Bekkerum. — *teli* M. — Habet *abitus* M, non *ambitus* Bud. — 18. *octinginta* M, non, ut narrant, *octingenta*. — *brittannorum* M. — 19. *boudicca* (sic) M.

36. *sonores*] ut 1, 65: *truci sonore.* 4, 48: *sonorem alterius proelii.* Bach. De hisce sonoribus Dio 62, 12: *οἱ μὲν βάρβαροι κραυγῇ τε πολλῇ καὶ ᾠδαῖς ἀπειλητικαῖς χρώμενοι· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι σιγῇ καὶ κόσμῳ, μέχρις οὗ ἐς ἀκοντίου βολὴν ἀφίκοντο.* — *profligarent*] H. l. idem fere atque *conficerent*, etsi ita distinguit Florus 2, 15: *primo tempore commissum bellum Punicum, profligatum secundo, tertio vero confectum.* Cfr. Gell. 15, 5. — *certus eventùs*] «Sic Beroaldus. At Ms. *eventu*, hoc est, de eventu certus, ut 13, 21: *beneficiis disseruit.*» Doed. Sed huius loci prorsus diversa est ratio, quia praecedit *pro innocentia*, et v. *certus* semper cum genitivo construit Tacitus neque vero utitur forma *eventum*, cuius genitivus h. l. a Ferreto simpliciter memoratus, non quasi eum in aliquo Taciti codice repperisset, haud displicebat Ernestio, atque in idem incidit Heinsius.

37. *propius suggressus* cet.] «Sensus est legionem non statim ad adventum hostis tela (sive pila) coniecisse aut procucurrisse, sed exspectasse, donec hoste succedente, certo ictu ipsum petere possent; tum emisisse tela iisque demum exhaustis (*hostis suggressus exhauserat*, hoc est, causam dederat, ut exhaurirentur), erupisse atque manum comminus conseruisse.» Freinshem. «Postquam appropinquatio hostium tela Romanorum ita exhauserat, ut certa nec aberrantia in hostem propinquum conicerent.» Dueb. — *veneno*] At Dio 62, 12. morbo: *ἀποθανούσης δὲ ἐν τούτῳ τῆς Βουνδουίκης νόσῳ.* Lips. — *Poenius*] Reinesio placebat *Hoenius.* Et est *Hoenia* gens clara, ex qua consul a. 894. *T. Hoenius Severus.* Sed et *Poenii*

legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae iussa ducis, se ipsum gladio transegit.

(38) Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. auxitque copias Caesar missis ex Germania duobus legionariorum milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus; quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt. cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos, et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant. gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinant, quia Iulius Classicianus successor Cato missus et Suetonio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat, disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. simul in urbem mandabat, nullum praelio finem exspectarent nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat. (39) igitur ad spectandum Britanniae statum missus est e libertis Polyclitus, magna Neronis spe

1. *quartadecim Ianorum* M. — 4. *suppellibus* M. — 6. Habet *auxiliarium* M, non *auxiliariorum* Guelf. al. — 8. *aleque* M. — *locate* M. — 9. *nichil* M. — 11. *destinat* M. — 12. *suetior* M. — 13. *pribatis* M. — 14. *novum* ex corr. M; videtur fuisse *nouem*. — 15. *urbe* M. Correxit Rhenanus. — 16. *exp.* M. — *succederet ursuetonio* M. — 17. *ad fortunam* Doederlein: *ad fortunam ipsius* M ex repetitione, in quam per *ἀβλεψίαν* incidit scriptor librarius, *ad fortunam rei publicae* cum Puteolano B. — 18. *brittanniae* M. — Habet *Polyclitus* M, non *Polycletus*, ut edebant ante Bekkerum. — *neroni* M.

in monimentis occurrunt, etsi minus nobiles. Ern. Scilicet apud Gruterum 969, 5. est *POENIA. S. L. RVFA.*

38. *nonani*] Ii enim sub Ceriale obtriti erant. C. 32. Doed. (Doederleinii operae h. l. *Cereali*; sed rectum abl. esse *Cereale*, ut *Laterense* apud Cic., *Iuvenale*, *aedile*, evincit inscriptio Veliterna apud Mai Coll. Vat. V. p. 430: *DATIANO ET CEREALE COS.* a. u. 1111.) — *serendis frugibus*] Heinsius malebat *serendae frugis*. Sed etiam Hist. 2, 17: *melioribus incuriosos*. Ern. — *mandabat*] *Mandare* pro mittere, qui nuntiarent, sive litteras, quibus nuntiarent, illa aetas dixit saepe, quamquam ita etiam antiquiores, sed raro. Vide ad Suet. Calig. 25. Ern. — *praelio*] pro *bello*, quod v. ipsum substitutum volebat Lipsius. Sed cfr. Cort. ad Sal. Cat. 9. atque Dictys imprimis saepenumero v. *praelium* ita usurpat. — *pravitati ipsius*] scilicet tribuebat, ex sequenti *referebat*. Duebn. — *ad fortunam referebat*] Puteolani interpolatio *fortunam rei publicae* prorsus est arbitraria atque supervacanea. Ceterum inde a Lipsio comparant Salustii Fragm. apud Nonium 4, 403: *Ad haec rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.*

39. *Polyclitus*] de quo cfr. Hist. 1, 37. 2, 95. — *in mollius*] «Tamquam non tam atrox fuisset bellum et minus noxii rebelles, itaque iusto crudelior et ultra veritatem iactans (suis in epistolis) Suetonius victor fuerit.» Doed. Quae sane interpretatio toti loco melius convenit quam vulgaris: «in meliorem partem.» Quamnam? Rettulisse videntur ad discordiam inter legatum procuratoremque. (*Au reste, l'état des choses fut présenté à Néron sous un jour favorable.* Burnouf; *les choses néanmoins furent adoucies, dans les rapports adressés à l'empereur.* Louandre.) — *de-*

posse auctoritate eius non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace conponi. nec defuit Polyclitus quo minus, ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertinorum potentia erat; mirabanturque quod dux et exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata; detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in litore remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur. is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit.

(40) Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta, simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius. ei propinquus Valerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum, ascitis Vinicio Rufino et Terentio Lentino equitibus Romanis. illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus, Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebat.

2. *barbarum* M, addita syll. *ro* ex corr. — *conponi* M: *componi* B. — 3. *gallieque* M. — 6. Habet *libertinorum* M, non *libertorum*, ut inde a Beroaldo usque ad Bekkerum edebant. — 9. *litore* M: *littore* B. — *remigumque in his ãmiserat* M. — *tanq.* M B. — 11. *his* M. — 13. *rome* M. — *seruilia* M. — 15. *ei*] *et* M. Correxit Rhenanus. — 16. *fabianis* M. — 17. *uincio* M. — 19. *promptu* M. — *asilio* M.

tentusque rebus gerundis] Etiam hic in diversa abeunt interpretes; equidem facio cum iis, qui exponunt: «impeditus est, interdictum est ei, ne ullam posthac expeditionem adversus Britannos susciperet,» et sic etiam Gutmann: *er wurde in der Geschäftsführung gehemmt* (quamquam vv. ipsa *res gerere* potius ad res bellicas referuntur neque hoc idem prorsus est atque *res administrare*. Eandem rationem merito sequitur Doederlein: «*detentusque*] Hoc est, prohibitus, ut Plaut. Poen. 1, 2, 190: *detinet nos de nostro negotio*. Res sic habet: amovere rerum cura Paulinum cupiebant concordes Classicianus et Polyclitus; sed praetextus aliquis erat exspectandus. Itaque interim detinebant eum rebus gerundis, donec post, navium aliquot amissione, occasionem nacti sunt plane amovendi. Promptior in Annalibus ad defendendum Paulinum Tacitus est, quam olim fuerat in Agr. 16.» Iam vero alii (ut Walther) haud satis expendentes vim vv. *rebus gerundis* v. *detentus* interpretantur *retentus*, *il garda le commandement*. Louandre. At vide, quam inconcinna ista sit iunctura: «mansit legatus: propterea, quod postea paucas naves amiserat, revocatus est.» (Ceterum in forma *gerundis* secutus est formularum sermonem.) — *paucas naves - - amiserat*] utrum naufragio, an in proelio adversus piratas Britannicos, non dicit; sed hoc probabilius videtur. — *tamquam durante bello*] «Id vero iam profligatum erat. Igitur in honorem Petronii et in Suetonii dehonestamentum simulabatur ad bellum profligandum alium ducem esse mittendum.» WALTH. — *Petronio*] Cfr. Agr. 16. A Galba interfectus. Hist. 1, 6. et 37.

40. *Antonium Primum*] Illum, qui postea acerrima fax Vespasiano ad civile bellum; cuius multa in Historiarum libris 3.

igitur Fabianus tabulas iis quos memoravi et aliis minus illustribus obsignat. quod apud patres convictum; et Fabianus Antoniusque cum Rufino et Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum et preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere. (41) perculit is dies Pompeium quoque Aelianum, iuvenem quaestorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum; eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. additur senatus consulto, qui talem ope-

1. *tabulas* pr. M., corr. *s* in *r*, unde *tabulariis quos* Bud. Spir. Edd. ante Lipsium. — 3. *damnatur* M. Correxit Puteolanus. — *p̄ces* M. — 4. *penae* M. — 5. *tanquam* M B. — 9. Habet *senatus consulto* omnibus litteris M, non *senatus consultum* Puteolani et Edd. ante Waltherum.

et 4. mentio. Lips. — *iis*] «Ex praecedd. *accitis* repetendum; aut pro *cum iis*, ut 6, 37: *multis militibus venit*; cum praesertim illi adiutores potius quam comites essent. Kiesslingius *tabulas ascitis* coniecit.» Dord. Admodum ingrata fuisset haec repetitio. Atque praefero priorem rationem, quam secutus est etiam Duebner: «Obsignandas curat illis testibus sive *obsignatoribus*.» — *lege Cornelia*] a Sulla dictatore a. u. 673. lata de falso, testamentaria et nummaria, de qua Paullus Rec. Sent. 4, 7, 1: Ed. Arndts p. 114: *Qui testamentum falsum scripserit, recitaverit, subiecerit, signaverit*, (aut testamentum legitimum) *suppresserit, amoverit, resignaverit, deleverit, poena legis Corneliae de falsis tenebitur, id est, in insulam deportatur.* §. 2. *Non solum is, qui testamentum subiecit, suppressit, delevit, poena legis Corneliae coërcetur, sed et is, qui sciens dolo malo id fieri iussit faciendumve curavit.* Idem 5, 15, 5. p. 145: *Qui falso vel varie testimonia dixerunt vel utrique parti prodiderunt, aut in exsilium aguntur aut in insulam relegantur aut curia submoventur.* Tunc ultima ex his poena irrogata est. Tac. Hist. 2, 86: *Primus Antonius legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala senatorium ordinem reciperaverat.* (Cfr. Baiteri Ind. Legg. p. 163.)

41. *perculit is dies*] Sic Liv. 42, 67: *Hic dies - - Persea perculit.* — *iuvenem quaestorium*] illa aetate XXVIII. — XXX. annorum. — *apud praefectum urbis*] cui Augustus dumtaxat in infimam plebem ac servos iuris dictionem concesserat. Cfr. 6, 11: *Sumpsit e consularibus, qui coërceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat.* Sed postmodo eius potestas amplificata, adeo ut Ulpianus Digest. 1, 12, 1. haec scribat: *Omnia omnino crimina praefectura urbis sibi vindicavit, nec tantum ea, quae intra urbem admittuntur, verum ea quoque, quae extra urbem intra Italiam, ut epistola divi Severi ad Fabium Cilonem, praefectum urbi, missa declaratur.* — *ad praetorem*] «Quem praetorem? urbanumne? Non opinor; nec enim eius in crimine cognitio. Olim sane proprius peculiarisque praetor, qui constitutis quaestionibus perpetuis cognosceret de falso. Eum hic intelligi credo. Etsi enim pleraque iudicia in senatu aut apud praefectum urbi, et praetorum potestas imminuta, mansit tamen, opinor, veteris ritus imago quaedam et umbra. Quam Ponticus hic pro re amplexus, non sine sua fraude.» Lips. — *senatus consulto*] «quo Ponticus condemnatus est.» Propter Med. auctoritatem nemo iam, ut fecit adhuc Ruperti, defendere audebit lect. *senatus consultum.* Est autem hoc celebratum illud S. C. Turpillianum (uti scribunt ICti), de quo Dirksen in Manuali p. 975: «quo S. C. calumniae poena quam tergiversantes et praevaricatores sustinebant, proposita est illis, qui accusatores subiecissent aut ab accusatione suscepta neque per abolitionem sopita desisterent.» — *calumniae condemnatus*] lege Remmia, cuius meminit Cic. Rosc. Am. 19. §. 55. Cfr. Baiteri Ind. Legg. p. 254. Quo auctore et quo anno lata sit, non constat. De eius poena Osenbrüggen ad Cic. l. l.

ram emptitasset vendidissetve, perinde poena teneretur ac si publico iudicio calumniae condemnatus.

(42) Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus et dominum aemulum non tolerans. ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est; senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus. ex quis G. Cassius

1. *paena* M. — *tenerentur* M. — Habet *ac si* M, non *ac* omisso *si* ut Corb. Reg. Agr. Edd. pleraeque ante Bekkeri I. Attamen in M *si* additum est ab eadem manu. — 2. *condemptatus* (sic) M. — 4. *ptium* M. — 6. *que* M. — 8. *senatusque in quo ipso* M. Correxit Lipsius. *(senatu quoque in ipso* Doederlein.) — 9. *nichil* M. — *multandum* M. Spir. Emendatum in Guelf. Bud. et a Puteolano. — *G.* M: *Gaius* B.

accedit iis, qui prioribus temporibus condemnati fronti notam *K (kalumnia)* inustam esse statuunt, unde Papinianus in Dig. 22, 5, 13. *integrae frontis hominem* vocet eum, qui calumniae damnatus nunquam sit. De temporibus posterioribus Paullus Rec. Sent. 5, 4, 11. Ed. Arndts p. 130: *Qui per calumniam iniuriae actionem instituit, extra ordinem punitur; omnes enim calumniatores exsilii vel insulae relegatione aut ordinis amissione puniri placuit.* Ad Tacitum utiliter conferas Digest. 48, 16. *Ad senatus consultum Turpillianum.* Marcianus: *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus poenis subiicitur: aut enim calumniantur, aut praevaricantur, aut tergiversantur. Calumniari est falsa crimina intendere; praevaricari vera crimina abscondere; tergiversari in universum ab accusatione desistere. Calumniatoribus poena lege Remmia irrogatur.* Cfr. etiam Cod. 9, 45.

42. *pepigerat*] Moribus receptum, uti servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium, quod si exsolvisset, liber esset. Id pretium e peculio servi vel adventicio lucro. Seneca Ep. 80: *Quid melius potes velle quam eripere te huic servituti, quae omnes premit, quam mancipia quoque condicionis extremae et in his sordibus nata omni modo exuere conantur? Peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Et vetus sane ille mos, cuius vestigia plura in Plauto, ut Gripus servus in Rudente 4, 2, 23: *ad herum veniam docte atque astu; Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.* Pertinet huc, quod statuit Hermogenianus in Dig. 5, 1, 53: *In certis causis adversus dominos servis consistere permissum est; - - si qui suis nummis redemptos se, et non manumissos contra placiti fidem asseverent.* Lips. — *exoleti*] pueri impudici alienae libidini servientis. Bach. *(Lustknabe.)* — *vetere ex more*] Nam etiam libera re publica id obtinuisse colligitur ex epistola Servii Sulpicii de caede Marcelli in Cic. Epp. ad Fam. 4, 12: *Ego tamen ad tabernaculum eius perrexi: inveni duos libertos et pauculos servos; reliquos aiebant profugisse metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset.* Hunc priscae severitatis ritum firmavit postea SC. Silanianum sub Augusto. Cfr. Dig. 29, 5. de SC. Silaniano. Exempli causa ibi Ulpianus §. 31: *Cum dominus in itinere esset occisus, de his, qui una cum eo fuerunt, cum occideretur, vel, cum una fuissent, profugerunt, supplicium sumendum est. Quodsi cum domino nemo fuit, cum occideretur, cessant ista senatusconsulta.* Lips. Cfr. supra 13, 32. — *senatuque in ipso*] Rhenanus ita protegere conatus est Med. lectionem, ut exprimendum curaret ita: *senatusque (in quo ipso - - aspernantium) pluribus* cet., coniungens *senatusque pluribus* et v. *que* accipiens pro *quoque*. Bachius item Med. vitium restituit et sic explicavit: «ad seditionem ventum est non plebis solum, sed etiam senatus;» quam ineoncinne, quisque, opinor, videt. — *G. Cassius*] Longinus, ICtus insignis. 12, 11. 12.

sententiae loco in hunc modum disseruit: (43) «saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negótiis melius atque rectius olim provisum et, quae converterentur, deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. simul, quicquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. quod hodie venit consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis nondum concusso senatus consulto quod supplicium toti familiae minitabatur. decernite Hercule inpunitatem, ut quem dignitas sua defendat, cum praefectura urbis non profuerit! quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? an, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus

1. *p. c.* cum lin. M. — 5. *deterius* M : *in deterius* cum Spir. B. — *mio* addita syll. *ni* ex corr. M. — 8. *manaret* M. — *res p.* M. — 10. *prodiit* M. Spir. — 11. *inp.* M: *imp.* B. — 12. *cum*] *cui* M. — *praefectus* M. Correxit Puteolanus. — *profuit* M. Correxit idem. Bachius M lectionem restituit, quam quomodo vindicet apud ipsum videndum est. — 14. *ferat* M. Correxit Puteol. — 15. Habet *advertit* M, non *avertit*, ut cum Reg. Agr. Spir. Puteol. edebant ante Bekkerum.

43. *deterius mutari*] Praeeunte Bachio restitui Med. lectionem; neque enim a praecedd. litteris *ur* tam facile absorberi potuit *in*, quam fortasse factum est post litt. *um* 3, 34: *multa veterum melius et laetius mutari*; et sine ulla varietate est apud Liv. 1, 47: *eo nunc peius mutata res est.* — *studium meum*] iuris prudentiam. Obversabatur animo Sal. Iug. 4: *ne per insolentiam quis existimet memet studium meum laudando extollere.* Doed. — *quidquid hoc*] *hoc* non est ablativus, ut opinatur Doederlein, sed nominativus, *ὅ τι δήποτε τοῦτο τοῦ ἐμοῦ ἀξιώματός ἐστιν.* Est autem h. l. per modestiam suam auctoritatem extenuantis. Ad modum loquendi cfr. C. 55: *quidquid illud et qualecunque tribuisset.* — *ut maneret integrum*] hoc quidquid in me auctoritatis. — *venit*] Usitatius sane foret *usu venit*, qua tamen formula Tacitus non utitur; neque vero necessarium Spirensis et Rhenani *evenit*, retentum a Duebnero. Quamquam, ut verum fatear, a littera praecedente facile huius v. *e* potuit absorberi. — *decernite - - ut quem*] Egregia *βραχυλογία* pro: «*decernite* cet., *et hoc decernendo efficite, si placet, ut quem* (*τινά*; *aliquem*) *dignitas sua defendat*; at vero videtis ne insigni quidem sua dignitate praefectum urbis profectum esse;» quibus vv. insaniam huiuscemodi decreti efficaciter notat. Manci aut corrupti pro certo nihil inest, uti suspicatus est Doederlein. (Duebner sic exposuit: «Ironice: *pour que l'on soit protégé par* etc. Nam decreta impunitate et dempto servis metu, iam non restat nisi *dignitas* cuiusque, quae tutum praestare possit; ea autem quid valeat, praefecti urbis interitus docuit.») — *advertit*] quos ne supplicii quidem metus ad vigilantiam ac diligentiam in dominis tuendis adhortatur et excitat. — *paterna pecunia*] «Hic omnia ironica: *paterna pecunia*, *avitum mancipium* non poterat esse servo, cui ius civile nec patrem nec familiam neque ius heredis concedebat, nec *transigebatur* nisi inter liberos et eiusdem status homines.» Duebn. — *mancipium*] Conservum illum exoletum significat. — *ultro*] insuper.

44. *libet*] «Ironice haec interrogantur, tamquam absurda sit talis deliberatio. Ideo reticetur responsum: Non libet, sed pie potius acquiescamus in maiorum nostrorum decreto ac sapientia.» Doed. — *insumpsisse*] pr. in *se* sumpsisse. Hac in

est interfector, quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri. (44) libet argumenta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est? sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret omnibus nesciis? multa sceleris indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum etiam cum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam nonnisi metu coërcueris. at quidam insontes peri-

1. *hauitum* M. — 2. *iurae* M. — 5. *insumpsisse* M: *sumpsisse* cum Bud. et Rhenano B. Potest sane *in* esse ex geminatione praecedentium litterarum. — *minas* M. — *nichil* M. — 6. *occul uit* M. Spatio vacuo recentior manus syllabam *ta* inseruit. Hinc factum, ut haud prorsus falso Pichena Med. tribueret *occultavit*, qua forma sane frequentius utitur Tacitus quam altera *occulere*. — 7. *transire* - - *recludere* - - *inferre* - *cedem patrare* M, *et* ubique corr. — 9. *produnt* mavult Doederlein. — 10. *agerent* pr. M. — 11. *fuer* cum lin. super litt. *r*, i. e. *fuerunt* M: *fuere* B. — *idem* M.

constructione sane usitatius foret *sumpsisse* (Bud. Rhenan.) vel *assumpsisse*. Comparant 6, 32: *instituta Parthorum insumit*. Stat. Theb. 12, 643: *dignas insumite mentes Coeptibus*. — *excubias*] Nocturnas ergo ad limen excubias servorum habebant domini potentiores. Quintil. Decl. 1. (p. 8. Burm.) *Dicitur caecus sine rectore, sine duce - - - per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro: cubiculum deinde patris ingressus.* Idem Decl. 2. (p. 53.) *Tu sentis, quando senem vicerit lassitudo curarum - - -; scis pariter, an una quiescentium fores vallaverit cura servorum.* Appuleius Met. 2, 15: *pueris extra limen, credo, ut arbitrio nocturni gannitus* (in concubitu) *ablegarentur, humi quam procul distratum fuerat.* Alioqui de more prope procubabant. Silius 1, 66. de Hannibale: *Saepe etiam famuli turbato ad limina somno Expavere trucem per vasta silentia vocem.* Vide et Appianum Civ. 2, 99. in Catonis morte, et Tacitum in Othonis Hist. 2, 50. Lips. — *praeveniunt*] praecedunt, se exserunt ante, quam facinus patretur, neque ita premi tale consilium potest, quin indicia quaedam, vel per imprudentiam, erumpant. Ea si servi animadversa prodant, nihil a servis timendum est. Ern. — *prodant*] Coniunctivus huic loco aptissimus, quia dominorum cogitationem involvit: «Si praesumptum habemus, a servis frugi maleficos proditum iri cet.» — *anxios*] scil. ne quid domino accidat, semperque conservis, a quibus tale facinus exspectari possit, vel propter proprium timorem sollicite invigilantes, cum sciant pereundum ipsis quoque fore, si scelus ab uno in dominum committatur. — *suspecta - ingenia servorum*] Unde proverbium apud Senecam Ep. 47: *totidem hostes esse quot servos*; vel, ut ipsum proverbium apud Festum p. 261. Muell., brevius: *Quot servi, tot hostes.* — *nascerentur*] quos *vernas* vocabant, oppositos *empticiis*. — *nationes*] Ut 3, 53: *familiarum numerum et nationes*. «Et per nationes, unde oriundi erant, in domibus congregabantur.» Duebn. Seneca Ep. 95, 24: *Transeo agmina exoletorum per nationes coloresque descripta.* de Brev. vitae 12: *illum tu otiosum vocas - - qui vinctorum suorum greges in aetatum et colorum paria deducit?* Plin. 33, 1, 6: *mancipiorum legiones et in domo turba externa; servorum quoque causa nomen-*

bunt. nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.» (45) sententiae Cassii ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minante. tum Caesar populum edicto increpuit, atque omne iter quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis saepsit. censuerat Cingonius Varro ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur.

(46) Damnatus isdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo

1. *ueritur* M. — 4. *dissone* M. — 5. *aetate* M. — *innocentium* M. — 8. *paenam* M. — 9. *cingontus barro* M. — 12. *seuitiam* M. — *incenderetur* M. Vitium correxerant Rhenanus et Mercerus; restituerunt Walther, Ritter, Doederlein; *dolorem* (15, 1.), *iniurias* (Agric. 15.) *incendere* potes, non item *morem antiquum*. — 13. *idem* M. — 14. *quia* M.

clator adhibendus. — *nam*] refertur ad sententiam suppressam: «pereant sane; neque id hoc solum casu contingit.» Ern. Duebner sententiam suppressam sic supplet: «Concedo, quod dicis.» — *decimus*] Exercitus *decimati* exemplum primus Appius Claudius dedit apud Livium 2, 59. — *quod*] ad vv. *aliquid ex iniquo* referendum. — *contra singulos*] id est, cum damno singulorum. — *utilitate*] pro *cum utilitate*, ut 3, 53: *unius invidia*. Doederlein.

45. *nemo unus*] «nemo omnino pro se ac nominatim, ita ut eius sententia in Acta senatus referretur.» Cfr. Drakenb. ad Liv. 3, 12: *neminem unum esse* cet. — *aut aetatem*] Postea saltem hac de re humanius cautum est. Ulpianus in Dig. 29, 5, 1, 32: *Impubes servus vel ancilla nondum viripotens non in eadem causa erunt* (ut interfecto domino supplicio afficiantur); *aetas enim excusationem meretur.* — *obtemperari*] Hoc senatus decretum haud statim exsequi poterant carnifices. — *saxa ac faces*] Notum est Virgilianum illud Aen. 1, 150: *Iam faces et saxa volant.* — *Cingonius Varro*] Hic dein designatus consul a Galba interfectus. H. 1, 6. et 37. Ryck. — *intenderetur*] ne moris illius severitas augeretur. Ego quoque recepi Rhenani emendationem, quia nimis inconcinna mihi semper visa est iunctura *morem incendere*, quamquam hoc verbum atque homonymum *accendere* amat Tacitus, sed suo loco, ut 1, 23: *incendebat haec fletu*; 2, 13: *incendit - - iras*; 1, 69: *accendebat haec Seianus*; 2, 57: *accendendis offensionibus callidi* cet.

46. *Tarquitius Priscus*] de quo 12, 59. — *interrogantibus*] ut 16, 21: *dum Capitonem repetundarum interrogant.* — *qui accusatum*] *quia* praetulit Walther; sed multo concinnior nostra lectio est; *a* autem ex geminatione ortum. — *Statilium*] Cfr. 12, 59. — *Gallias*] Cfr. 1, 31. — *Q. Volusio*] Cfr. 13, 25. — *Sextio Africano*] Vide ad 13, 19. — *supra tulere*] supra se extulere, superiorem reddidere in hominum existimatione. *Er gewann dadurch das Uebergewicht*, Gutmann; *leur commun dédain pour Trébellius lui assura le premier rang*, Louandre. «*Supra* adiectivi indeclinabilis loco habetur, ut Sal. Cat. 3: *Quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra veluti ficta pro falsis ducit.*» Doed.

47. *Memmius Regulus*] Cfr. 5, 11. 12, 22. et 23. Nisi vero, ut censet Broterius et Burnouf, is, qui hic memoratur, illius potius est filius. — *praeumbrante*] ductum verbum e Graeco ἐπισκιάζειν, quo sic utuntur Demosthenes, Lucianus et alii. Ern. Nunc est ἅπαξ λεγόμενον. Vulga-

Statilium Taurum proconsulem ipsius meminerant. census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

(47) Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate constantia fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeo ut Nero aeger valetudine, et adulantibus circum qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam, rogantibus dehinc in quo potissimum, addiderit in Memmio Regulo. vixit tamen post haec Regulus, quiete defensus, et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat. gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

(48) P. Mario L. Asinio consulibus Antistius praetor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapu-

1. *proconsule* M. — 2. *Q.* M: *Quinto* B. — 5. *obit* M. — 7. *valetudinae* M, *valitudine* B. — 8. *rem p.* M. — 9. *addiderat* M. Correxit Puteolanus. — 11. *gimn.* M. — 12. *greca* M. — 13. *P.* M: *Publio* B. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* M. — 15. *uulgabitque* M.

rius v. est Hist. 2, 32: *obumbrantur nomina.* Silius 14, 283: *quantam - - tropaeis - - urbs invia fecerit umbram.* — *si quid fato pateretur*] Euphemismus a Graecis repetitus ab iisque inde ab Homero usurpatus. Il. ε, 566: *περὶ γὰρ δίε ποιμένι λαῶν, Μή τι πάθοι.* Callin. Eleg. 17: *Τὸν δ' ὀλίγος στενάχει καὶ μέγας, ἤν τι πάθῃ.* Demosth. Phil. 1, 11. *τοῦτο, εἴ τι πάθοι Φίλιππος;* BACH. Frequentius Latini: *Si quid mihi accideret.* Cic. de Inv. 2, 21: *si quid pupillo accidisset.* Phil. 1, 4: *si quid mihi humanitus accidisset.* — *gymnasium*] Dio 61, 21: *ὑπὲρ δὲ δὴ τῆς σωτηρίας τῆς τε διαμονῆς τοῦ κράτους αὐτοῦ - - ἀγῶνα πενταετηρικὸν κατεστήσατο, Νερώνεια αὐτὸν ὀνομάσας· καὶ ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ γυμνάσιον ᾠκοδόμησεν ἔλαιόν τε ἐν τῇ καθιερώσει αὐτοῦ καὶ τοῖς βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι προῖκα ἔνειμε.* Exstructum hoc gymnasium in campo Martio, iunctis thermis, quare dictum etiam *thermae Neronianae.* DUKER. Suet. Ner. 12: *dedicatisque thermis atque gymnasio, senatui quoque et equiti oleum praebuit.* Unde facete Martialis 7, 34, 4: *Quid Nerone peius? Quid thermis melius Neronianis?* Philostr. Apoll. 4, 42: *γυμνάσιον ἐξεποιήθη τῷ Νέρωνι θαυμασιώτατον τῶν ἐν Ῥώμῃ.* — *oleum*] Si oleum tantum populo praebitum, nihil novum aut Graecanicum. Praebuit ante P. Scipio, quem aedilem dedisse congium olei in vicos singulos credo Livio 25, 2. Dedit et C. Caesar post victoriam Africanam (Dio 43, 31.); etiam Agrippa in aedilitate oleum et salem (Dio 49, 43.) Sed nemo eorum ad gymnasium, quod hic Nero. Plin. 15, 5: *Usum olei ad luxuriam vertere Graeci, in gymnasiis publicando.* LIPS. — *Graeca facilitate*] ut gymnasiarchi Graeci oleum adolescentulis se exercentibus praebere solebant; simul significat a Nerone in hoc quoque abiectam esse severitatem Romanam. (Exemplum tale Graecae facilitatis in Seleuco Nicatore apud Iosephum A. I. 12, 3, 1: *ὅς ἐν τῇ Ἀσίᾳ - - καὶ ἐν αὐτῇ τῇ μητροπόλει Ἀντιοχείᾳ πολιτείας τοὺς Ἰουδαίους ἠξίωσε, καὶ τοῖς ἐνοικισθεῖσιν ἰσοτίμους ἀπέδειξεν - - Ἕλλησιν· - - τεκμήριον δὲ τὸ αὐτοὺς μὴ βουλομένους ἀλλοφύλῳ ἐλαίῳ χρήσασθαι λαμβάνειν ὡρισμένον τι παρὰ τῶν γυμνασιαρχῶν εἰς ἔλαιον τιμὴν ἀργύριον.* ERN.)

48. *P. Mario* cet.] His consulibus decessisse Persium scriptor eius vitae refert. RYCK. — *memoravi*] Vide 13, 28. — *Ostorium*] Est Marcus, filius P. Ostorii, Britanniae propraetoris. Marcus memoratur primum 12, 31.; a Nerone occisus est.

lam epulatur. exin a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat, maiestatis delatus est. tum primum revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quaeri, ut condemnatus a senatu intercessione tribunicia morti eximeretur. et cum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum; censuitque Iunius Marullus consul designatus adimendam reo praeturam necandumque more maiorum. ceteris inde assentientibus, Paetus Thrasea, multo cum honore Caesaris et acerrime increpito Antistio, non quicquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatui statuendum disseruit. carnificem et laqueum pridem abolita; et esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum saevitia et temporum infamia supplicia decernerentur. quin in insula, publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum. (49) libertas Thraseae servitium aliorum rupit, et postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exemptis; in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque iurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida

1. *exim* M. — 2. *p̄cibus* M. — *tigellani* M. — *magestatis* M. — 3. *lex credebatur. quae* M. — 4. *gloriam quaesiuit. condemnatus* M. Correxit Iac. Gronovius. — 5. *eximeret* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — *nichil* M. — 7. *caeteris* M. — 10. Habet *senatui* M, non *senatu* Guelf. Walther. — 11. *penas* M. — 12. *seuit.* M. — 13. *qui* M. — 14. *transisset* M. Emendavit Puteolanus. — *priuati* M. — *miserior* M. Emendavit Lipsius. — *publice* suspicatur Doed. — 15. *thrasee* M. — 16. *cos.* M. — *ieret* M. — 17. *exeptis* M, quod Pichena fortasse recte explicavit *exceptis*. — *A.* M: *Aulus* B. — 18. *quenque* M. — *lacescens* M.

16, 15. — *Cossutiano*] qui *lege repetundarum condemnatus* erat. 13, 33. coll. 11, 6. — *Tigellini*] Cfr. mox C. 51. — *intercessione tribunicia*] intercessione ipsius Caesaris ex tribunicia potestate imperatorum. — *Iunius Marullus*] hoc uno loco memoratus. — *consul designatus*] et quidem primus censuit more vetusto. Cfr. 3, 22. Rup. Fuit inter suffectos non dubie consules. Sed in hunc ipsum annum (815. post Chr. 62.) Annaeum Senecam et Trebellium Maximum coss. referunt viri docti in opere Fastorum: et loca sunt, quae annuunt. Ausonius tamen in Gratiarum actione C. 10: *Dives Seneca, nec tamen consul, arguetur rectius, quam praedicabitur, non erudiisse indolem Neronis sed armasse saevitiam.* Lips. Vide Pighium ad a. 814. Cap. et Vinet. ad h. l. Ausonii, qui consules suffectos parum curasse videtur. Oberl. Cfr. Tillemont *Histoire des empereurs* I. p. 287. — *more maiorum*] Ut nudi hominis cervix insereretur furcae, corpus virgis ad necem caederetur. Suet. Ner. 49. — *senatui*] Haud obtemperantibus operis senatu volebat Doederlein, haec adnotans: «Med. *senatui*, tum demum recte, si *et* abesset.» Nunc sensus est: «cum et princeps egregius et senatus liber sit.» Tu vero *et* accipe pro *etiam*, *et nullo quidem* cet., utpote sub tam egregio principe; certe v. *statuendum* necessario requirit dativum. — *carnificem et laqueum*] Consulto hoc supplicium memorat aliquanto mitius quam illud *ex more mairorum*, quod Iunius decreverat. — *publicae clementiae*] «qua, sic volente optimo principe, totus populus Romanus nunc laete fruitur.» Dedita opera noluit scribere *publice*, sed, ut solet, variationem praetulit.

49. *servitium al. rupit*] serviles sensus, ingenuis indignos exemit. Cfr. 15, 61. Hist. 1, 1. «Ut vinculum *rumpi* dicitur vel *silentium* (quod voc. vulgare ipsum

ingenia solent. at consules perficere decretum senatus non ausi, de consensu scripsere Caesari. ille inter pudorem et iram cunctatus, postremo rescripsit nulla iniuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam, et pro magnitudine delicti poenam statui par fuisse. ceterum se, qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere: statuerent ut vellent; datam et absolvendi licentiam. his atque talibus recitatis, et offensione manifesta, non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia, ceterive quae probaverant deseruere, pars, ne principem obiecisse invidiae viderentur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi et ne gloria intercideret.

(50) Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quod multa et probrosa in patres et sacerdotes composuisset iis libris quibus nomen Codicillorum dederat. adiciebat Talius Geminus accusator venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum ius. quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii, convictumque Veientonem Italia depulit, et libros exuri iussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

(51) Sed gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur, concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. valetudo ex eo coniectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus et impedito

1. *ausit* pr. M. — 2. *cesari* M. — 5. *paenam statuit* M. — *ceterum sequi se ueritatem* M. — 7. *bellent* M. — *adsoluendi* M. — 8. *trasea* M. — 9. *sententiā* M. — 12. *criminae* M. — *uegento* M. — 13. *partes* M. — 15. *neronū* M. — 16. *conuictuncque* M. — *vegentone* M. — 18. *abendi* M. — 20. *valetudine* M: *valitudine* B. — *an*] *aut* M. Correxit Rhenanus. — *valetudo* M: *valitudo* B.

ex interpolatione substitutum in Bud.). Post exemplum Thraseae iam liberius statuerunt.» Dubbn. — *discessionem*] Burnouf: *le consul ayant autorisé le partage*; Louandre: *lorsque le consul eut autorisé le partage des voix;* satis significanter. — *A. Vitellius*] postea imperator. — *numero tuti*] Ut Hist. 2, 52: *Nemo privatim expedito consilio inter multos societate culpae tutior.* Doed.

50. *Fabricius Veiento*] Puto illum esse, qui A. Fabricius Dioni 61, 6. dicitur, quique praetor canes Circensibus ad currus adiunxit. Lips. Veiento ille, qui tamquam vilis delator famosusque adulator Domitiani et Nervae memoratur a Plinio Epp. 4, 22., et Iuvenale 3, 185. 4, 113. 6, 113., idemne sit, an alius, parum constat. — *Codicillorum*] Hoc est, ut 15, 64: *testamenti*, cuius formam in famosis illis libris animi causa expresserat. «Noto fuisse morem, ut in testamentis convicia quaedam et probra liberius scriberent; quae ante Augustum inobservata et permissa, scilicet, quia supremis illis tabulis et voci danda videbatur aliqua libertas. Frenum iniicere senatus voluerat, sed ille idem princeps, ut Suet. ait C. 56: *de inhibenda testamentorum licentia ne senatus quidquam constitueret, intercessit.* (Bachius quidem intelligendos arbitratur libellos cuiuscunque generis, ut 11, 34: *codicillos, libidinum indices.* Verum forma, quam eis tribuit Lipsius, sane ingeniosior est.) — *Talius*] Muretus malebat *T. Allius;* sed *Talias libertas* reperio apud Grut. 965, 7. et Murat. 1501, 2.; ergo fuerunt etiam *Talii* ingenui.

51. *an veneno*] Posterius tradunt Suet. Ner. 35: *Burro praefecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit;* et Dio 62, 13: *Βοῦῤῥον φαρμάκῳ διώλεσε.* — *in se*] intus. Celsus de Med. 7, 2. de abscessibus agens: *in iis negotium maius*

meatu spiritum finiebat. plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant, et Burrum intellecto scelere, cum ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse, «ego me bene habeo.» civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia [adulteria]. quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Faenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sofonium Tigellinum, veterem inpudicitiam atque infamiam in eo secutus. atque illi pro cognitis moribus fuere, validior Tigellinus in animo principis et intimis libidinibus adsumptus, prospera populi et militum fama Rufus; quod apud Neronem adversum experiebatur.

(52) Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores incli-

1. *iussu*] *ius* M. — 2. *inl.* M : *ill.* B. — *ads.* M : *ass.* B. — 4. *adversatum* M. Correxit Puteolanus. — 6. *flagitia. adulteria* (sic, puncto interposito) M (sed seclusi v. *adulteria*): *flagitia et adulteria* cum Guelf. Puteol. B. — 7. *Faenium* M : *Fenium* B. *Faenii* septem sunt apud Gruterum, decem apud Muratorium, *Fenius* unus apud Gruterum. — 8. *ofonium tigillinum* M. — 9. *inp.* M : *imp.* B. — 10. *cognatis* M. Vitium correxit Mercerus; praefert Doderlein. — *tigillinus* M. — 11. *ads.* M : *ass.* B. — 14. *uelud* M.

est, quae per se vitio *intus* *orto intumescunt et ad suppurationem spectant.* Ut Tacitus, Seneca Ep. 95, 16 : *tabes in se putrescentium.* Tumor non visebatur externus, ut fauces extenderentur; sed internus erat, ut meatus faucium paullatim angustior fieret.» Walth. — *spiritum finiebat*] «non amplius ducere poterat.» Dubn. «Spiritum non repente finivit, sed paullatim, ut faucium tumor augebatur.» Kiessl. Sic Ovid. Met. 7, 591 : *Non exoratis animam finivit in aris.* Oberl. — *hactenus*] hoc tantum, ut C. 3. 12, 42. 15, 60. Cfr. Hand Turs. III. p. 13. — In eo autem responso quae vis sit, dicet Seneca Ep. 24, 9 : *sicut illum Cn. Pompeii socerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri navem suam vidisset ab hostibus, ferro se transverberavit et quaerentibus, ubi imperator esset : Imperator, inquit, se bene habet.* Gron. — *flagitia adulteria*] Bachius praetulit hanc Med. lect. : «*Flagitia*», inquit, «quoniam h. l. ad vitam publicam imprimis spectant, opposita sunt *adulteriis*, privatis videlicet.» Verum ἀσύνδετον mihi ita dumtaxat placet, quatenus clare indicat v. *adulteria* esse gloss., cuius auctor explicare voluerit vv. *flagrantissima flagitia*; *in flagranti* videlicet apud ICtos posteriores imprimis usurpatur de iis, qui in adulterio vel stupro comprehenduntur. Cfr. Cod. 1. pr. de raptu virgg. 9, 13 : *ubi inventi fuerint in ipsa rapina et adhuc flagranti crimine comprehensi.* Glossema autem est simillimum illi 12, 67: *delectabili cibo* [*boleto*]. — *Faenium Rufum*] praefectum annonae. 13, 22., occisum deinde. 15, 68. — *Tigellinum*] ὑφ' ᾧ τὸ ξίφος ἦν τοῦ Νέρωνος, ait Philostr. Apoll. 4, 42. Postea sibimet ipse mortem conscivit. Hist. 1, 72. — *veterem inpudicitiam*] Erat enim *obscuris parentibus*, *foeda pueritia*, *impudica senecta*, ut ait Hist. l. l. Martial. 3, 20, 15: *Titine thermis, an lavatur Agrippae, An impudici balneo Tigillini?* uti eius nomen scribitur etiam in Cod. Mediceo infra C. 60. Suet. Galba 15. et Schol. ad Iuven. 1, 155. loco admodum confuso atque corrupto. «Quod ait de vetere impudicitia h. l., intelligit, credo, stuprum eius cum Agrippina, matre Neronis; qua causa a Caio in exsilium pulsus. Dio 59, 23: ἐν τούτοις δὲ τότε φεύγουσι καὶ ὁ Τιγελλῖνος ὁ Σωφόνιος, ὡς καὶ Ἀγριππῖνην μεμοιχευκώς, ἐξέπεσεν. Lips. (*Iuvenem egentem, verum admodum* *pulchrum* vocat Schol. Iuven.

nabat. hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi asciscere, et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum evenisset. nam oblectamentis principis palam iniquum detractare vim eius equos regentis, illudere voces, quotiens caneret. quem ad finem nihil in re publica clarum fore quod non ab illo reperiri credatur? certe finitam Neronis pueritiam, et robur iuventae adesse. exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus maioribus suis. (53) at Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem eius magis aspernante Caesare, tempus sermoni orat, et accepto ita incipit: «quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi moderatio

1. *tanquam* M B. — 2. Habet *privatum modum* M, non *privatum supra modum* Guelf., Rhenani, Waltheri, Ritteri, Doederleinii. — 3. *amen.* M. — 4. *supergrederetur* (praep. per comp.) M. — *obiciebant* M: *obiiciebant* B. — *uni* in M. est ex corr. — 6. *evenisset* M: *venisset* cum Lips. Ed. 1598. B. — 7. *nichil* M. — 8. *re.p.* M. — *repperiri* M. — 11. *hiis* M. — *et familiaritatem*] *effamiliaritatem* M. — 15. *nichil* M.

l. l.) — *pro cognitis*] Sicut exspectari poterat ex moribus utriusque sat notis. Dübn. Quot tricis hic locus involutus fuerit ante Mercerum et Pichenam, vide, si vacat, apud Lipsium, Ernestium, Waltherum. (Med. *cognatis* praefert Doederlein explicans: «similibus vel principi vel plebi. Nam Tigellinus homo flagitiosus, per flagitia Neroni similis et quasi cognatus, ideoque apud eundem validus erat; Rufus contra, civium et militis utilitatibus et annonae intentus, popularibus plebique cognatis et convenientibus moribus apud populum gratiosus ac validus erat.» Quam quidem interpretationem amplecti nequeo; nimis enim ambiguum atque admodum obscurum foret v. *cognatis* sic usurpatum.)

52. *modum evectas*] ut 12, 36: *fama eius evecta insulas.* — *quasi*] propemodum, ut Cic. Acad. 4, 26: *quasi pedalis.* Ern. — *carmina*] Num tragoedias, quae eius nomine feruntur, intelligebant criminatores? — *evenisset*] «significat sortem divinam et quod fit ex voto, atque egregie convenit adulatorum ori.» Walth. Bachius affert 4, 33: *delecta ex iis - - rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.* Sal. Cat. 9: *pax evenerat.* Nimis vulgare videtur Lipsii *venisset* et, si Tacitus ita scripsisset, vix unquam corruptum foret. — *detractare*] «Haec exquisitior et antiquior scriptura exstat etiam in Cod. Farnesiano Dial. de Or. 11. 12. 26.» Bach. Contra Cod. Perizonianus tribus hisce locis *detrectare.* — *voces*] Eodem sensu, quo Cicero apud Suet. Vit. Terent. 5: *Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti, Conversum expressumque Latina voce Menandrum In medio populi sedatis vocibus effers, Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens;* h. e. *Ausdrucks- und Vortragsweise.* Walth. — *quem ad finem*] quousque tandem, *bis zu welchem Ziel oder Grad*, ut Cic. Catil. 1, 1: *Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Doed. — *exueret magistrum*] amoveret, relinqueret; a Graecis sumptum, qui dicunt ἐκδύσασθαί τινα pro repudiare, imprimis de magistris. Ern.

53. *spei tuae admotus*] Summa cum modestia rhetor exprimit illud, quod historicus 12, 8. sic: *ut Domitii pueritia tali magistro adolesceret.* 13, 2: *Burrus et Seneca - - rectores imperatoriae iuventae.* Sensus igitur: «magister tibi datus sum, quo spes, quam omnes iamiam de te con-

eius. utar magnis exemplis, nec meae fortunae sed tuae. abavus tuus Augustus Marco Agrippae Mytilenense secretum, G. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit; quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, praemia acceperant. ego quid aliud munificentiae adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata, et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudimentis affuisse videor, grande huius rei pretium. at tu gratiam inmensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam 'egone, equestri et pro-

1. *ne* M. Emendatum in Guelf. et a Puteol. — *atavus* M. Correxit Lipsius. — 2. Habet *Marco* omnibus litteris M. — *mytelensense* (sic) M. — *G.* M: *Gaio* B. — *mecenati* M. — 5. *munificentiae* M: *munificentiae* [*tuae*] B, ut habent Guelf. Harl., Bodl. Agr. (non item Bud.) Interpolatio est admodum ingrata vel propter seqq. *iuventae tuae*. — 7. *p̄tium* M. — 8. *inm.* M: *imm.* B. — 9. Habet *ipse* M, non *ipsum* Guelf.

ceperant, facilius compleretur.» — *sed tuae*] id est, ipsius Augusti, cuius idem fuit fastigium ac tuum. — *abavus*] Doederlein praefert Med. lectionem *atavus* tamquam magis oratoriam; «v. enim *abavus* tenui stemmatum potius vel chronicorum sermoni relinquendum ac seponendum esse.» Audirem, nisi Seneca ipse in loco non minus rhetorico de Clem. 1, 10: *Ignovit abavus tuus victis.* Atque profecto h. l. *atavus*, commendatum etiam a Bachio, in Senecae ore nihil nisi incredibile σφάλμα μνημονικὸν videretur. «*Avi* et *atavi* non nisi in plurali ponuntur pro maioribus, et *avum meum* posse de alio quam de mei parentis patre dici, id vero etiam nego.» Ern. — *Mytilenense*] De hac scriptura v. 6, 18. Plin. H. N. 7, 45: (Augusto) *pudenda Agrippae ablegatio.* Suet. Oct. 66: *Desideravit nonnunquam -- et M. Agrippae patientiam et Maecenatis taciturnitatem, cum ille ex levi rigoris suspicione et quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se relictis omnibus contulisset; hic secretum de comperta Murenae coniuratione uxori Terentiae prodidisset.* Dio 53, 32: *μαθὼν τὸν Μάρκελλον οὐκ ἐπιτηδείως τῷ Ἀγρίππᾳ -- ἔχοντα, ἐς τὴν Συρίαν εὐθὺς τὸν Ἀγρίππαν, μὴ καὶ διατριβή τις καὶ ἀψιμαχία αὐτοῖς ἐν τούτῳ οὖσι συμβῇ, ἔστειλε. καὶ ὃς ἐκ μὲν τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν, οὐ μέντοι καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο, ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων, ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατήγους ἔπεμψεν, αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψε.* Vellei. 2, 93: *Post Marcelli obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam, ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones praesenti se subduxerat tempori, reversus inde filiam Caesaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem, feminam neque sibi neque rei publicae felicis uteri.* — *Maecenati*] Ann. 3, 30: *Sallustius aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit; idque et Maecenati acciderat.* — *peregrinum*] Quasi non esset Romae. Dübner. — *iactatus*] «*Iactari* proprie dicuntur, qui aut in turba aliqua ab uno loco in alterum truduntur, ut consistere non possint, aut fluctibus et maritima tempestate deprehensi sunt; hinc qui quacunque ratione vexantur; deinde qui multum versantur in re aliqua.» Ern. — *pro ingentibus meritis*] iis meritis respondentia, ea non superantia. Idem. — *quid aliud munificentiae*] Sane est genitivus, neutiquam, ut nonnullis placuit, dativus pendens e v. *adhibere*, qua in interpretatione utique cum Ernestio asciscenda esset ex Agr. aliisque Codd. interpolatio *tuae*. In v. autem *munificentiae* tenuem in semet ipsum εἰρωνείαν quaesivit Seneca vel verus vel personatus Taciti; sine qua dixisset *munerum* simpliciter pel potius *grati animi officiorum.* Scilicet nimis artificiosa mihi quidem videtur Waltheri interpretatio: «V. *munificentia* hoc loco insolite dictum videtur de opere praestando, ductum a militibus *munificibus* (Veget. Mil. 2, 7. et 19. coll. Festo in *Beneficiarii*:), quorum est omnia munia militiae obire; opponuntur *beneficiarii* milites, iis muneribus soluti.» «*Munificentiam* eo sensu

vinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles et longa decora praeferentes novitas mea enituit? ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos exstruit, et per haec suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat?' una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. (54) sed uterque mensuram inplevimus, et *tu*, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. cetera invidiam augent. quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet; sed mihi incumbit:

2. *decora*] *cura* M. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 3. Habet *talis* M, non *tales* Oberl. — *extruit* (sic) M: *instruit* B cum Harl. Bodl. Ies. Bud. et Puteolano. — 6. *inpl.* M: *impl.* B. — *tu* om. M. — 7. *caetera* M. — *agent* M. Correxit Puteolanus. Cfr. C. 58. *agebantur* M pro *augebantur*. (Iacobus malebat *alent*.) — *iacent* M. Correxit Lipsius; illud praetulere Walther, Ritter, Doederlein. — 8. *incumbt* cum lin. super litt. *bt* (*incumbunt*). Correxit Lipsius; illud praetulere Walther, Ritter, Doederlein.

nemo, opinor, dixit.» Rup. — *in umbra*] «Quae in privata vita tractavi, formavi.» Sumptum ex Cicerone, ni fallor, apud quem de Legg. 3, 6. etiam sunt *umbracula eruditorum et otium*, quae opponuntur *soli* et *aciei*, hoc est, administrationi rei publicae. Non hic de schola cogitandum cum Pichena. Ern. Quintil. 1, 2, 18: *solitaria et velut umbratica vita.* «Locutio a Graecis repetita, ἐν σκιᾷ τεθραμμένα, opposita τοῖς ἐν ἡλίῳ καθαρῷ τεθραμμένοις. Plat. Phaedr. p. 239. C.» Bach. — *educata*] Similiter Cic. Orat. 12: *educata huius* (generis ἐπιδεικτικοῦ) *nutrimentis eloquentia ipsa se postea colorat et roborat.* — *quibus*] est dativus, nec cum Reg. Spir. leg. *e quibus* (mihi) *venit.* Hoc modestissime rursus dicit: «Studia mea ideo maxime claritudinem adepta sunt, quia omnibus manifestum erat ea potissimum tui formandi gratia suscepta esse; atque haec ipsa conscientia grande eorum praemium mihi reputo.» — *pecuniam circumdedisti*] Agr. 20: *egregiam famam paci circumdedit.* — *provinciali loco*] Cordubae in Hispania ex equestri familia Romana. Duebn. — *longa decora*] antiquam honorum seriem. Cfr. Hist. 1, 15: *tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae* (gentis) *decora nobilitati tuae adiecisse.* — *exstruit*] Plerique (atque ipse Bekker cum Harl. Bodl. Ies. Bud. Puteol.) ediderunt *instruit*: sed *exstruere* est *anlegen*, ut 11, 1: *hortos extollebat*, id quod simul complectitur v. *instruere*, ornare supellectile, signis, tabulis pictis cet.; et per se spectatum etiam *hortos instruere* rectum est. Papinianus in Dig. 34, 4, 24: *Pater hortos instructos filiae legavit* cet.; simulque significat aedes ac porticus in hortis exstructas. — *incedit*] In hoc v. est significatio ostentationis ac superbiae. Ern. — *tam lato fenore*] *lato*, quia fenerationem suam extenderat usque in Britanniam (Dio 62, 2.) ac probabiliter per alias quoque provincias longinquiores. Iuven. 10, 15: *Temporibus diris igitur iussuque Neronis Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos Clausit - - Tota cohors.*

54. *mensuram*] intra quam utrique iam subsistendum est. — *cetera*] «quae, si tua alia etiam mihi circumdaturus esses, nimium quantum hanc mensuram excederent neque iam ad mutuae inter nos amicitiae rationes pertinerent.» Significat praesertim nimiam hortorum, latifundiorum, divitiarum magnitudinem, qua etiam intra iustos fines redacta, aeque testata maneret utriusque amicitia. — *ut omnia mortalia*] «quoniam quidem tu hominum summus es.» — *iacet - - incumbit*] Multo aptius haec sententia ad *invidiam* refertur. Error Med. ortus est ex accommodatione ad vv. propiora *cetera - - quae*, uti male iungebant, qui plurales substituere. Hos quidem artificiosa interpretatione plausibiles reddere nonnulli conati sunt: «Te, etsi opes tuae ac potentia mortalem modum excedunt, invidia cui superior es, tangere nequit; sed nimiae opes quamvis multo tuis minores, me privatum hominem onerant atque deprimunt.» Vel, ut ait Doederlein: «Verborum numeri subiecto comparativae enuntiationis, *omnia mortalia*, accommodati sunt, non, ut vulgaris

mihi subveniendum est. quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitae, senex et levissimis quoque curis inpar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. iube rem per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore praestringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. superest tibi robur et tot per annos visum fastigii regimen; possumus seniores amici quietem respondere. hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse qui et modica tolerarent.» (55) ad quae Nero sic ferme respondit: «quod meditatae orationi tuae statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui

2. *inp.* M: *imp.* B. — 3. *iube rem per procuratores* Balterus: *iuuere* (altero *u* corr. in *b) pcuratores* cum *p* caudato, omisso *per*, M, *iube eas per procuratores* Edd. ante Ritterum; (sed non placet *opes administrari*), *iube per procuratores* Ritter, Doederlein; (sed accusativo carere vix possumus.), *iube res meas*, vel *rem meam per procuratores* suspicatur Doederlein; sed non placet *meas* vel *meam* post vv. *opes meas.* Balteriana contra ratio contemptum quendam exprimit: «rem (meam), qualiscunque est,» quasi eam parvi pendat. — *aministrari* M. — 5. *pstringor* M litt. *p* cum lin. transversa, id est, *perstringor*, ut edebant ante Bipontinos. Emendavit Cannegieterus Diss. ad Avian. p. 320. — 7. Habet *visum* M. — Habet *quietem* M, non *quiete* Puteolani et Edd. ante Bekkerum. — 9 *que* M. — *et quod* M. Correxit Lipsius.

usus poscebat, primariae subiecto, *quae* scil. *invidia.* Cic. Brut. 75: *omni ornatu orationis tamquam veste detracta*, non *detracto.*» Quem ad locum Ellendt confert Cic. pro l. Man. 5, 11: *Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt*; utrumque tamen exemplum eo differt, quod attractio ista est in participiis dumtaxat, non, ut hic foret, in verbis primariis. Equidem num. singul. praetuli cum Bekkero. («*M. Letellier, dans ses Tableaux histor., n'a pas craint de lire* iacet *et* incumbit, *en observant avec raison que la pensée de Sénèque resterait en quelque sorte incomplète, si le mot* invidiam *se trouvait jeté dans la phrase, sans développement et sans liaison avec le trait qui la termine.*» Burnouf.) — *mihi subveniendum est*] «aequum est iam te mihi succurrere contra aliorum invidiam.» Moneo propter Louandre minus accurate simulque languide vertentem: *(l'envie) m'avertit de songer à moi.* — *adminiculum*] I. Fr. Gronovius intellexit de causaria missione; immo est «qualecunque adiumentum, cuius ope requiescerem.» — *iube rem*] «familiarem meam cet.» — *praestringor*] «Animus meus praestringitur, ut oculus fulgore, atque hebetatur, quia nunc haud prorsus libere studiis sapientiae vacare queo, tantum temporis cum mihi absumant multiplices illae rerum mearum curae.» *Perstringi* autem in hac imagine merum errorem esse, iam plerisque constat. Cic. Vatin. 10: *Dignitas et splendor praestringebat oculos Vatinii*, ubi item multi libri *perstringebat*. Et confer praesertim Kritzium ad Vellei. 2, 118, 4: *omnem animi eius aciem praestrinxerant.* Bachius quidem appellat Hist. 1, 84: *cuius splendore - - obscuritatem perstringimus*, ubi nos cum Gronovio *praestringimus*; et Plin. H. N. 2, 18, 80: *solis radii visus perstrinxere nostros*, quo loco sane mutatum nondum est, sed mutandum. — *revocabo*] «a curis illis avocabo ad animum excolendum atque vitam emendandam.» — *visum*] «Hoc verbo simul comprehenduntur anni, quos Nero ante suum principatum in domo imperatoria egit et per quos quamquam nondum ipse civitatis rector, vidit tamen et cognovit fastigii regimen (quod postea penes ipsum fuit).» Walth. Scilicet dudum ante Claudii necem summae spei innutritus erat Nero ac per matrem principatum quasi participaverat. Arbitrariam Puteolani correctionem *nixum* retentam a Duebnero interpretantur: «tot annorum serie firmatum regimen summae rerum.» — *quietem respondere*] id est, nostra ex parte spondere, repromittere (de qua significatione v. *respondere* vide Dirk-

me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti. abavus meus Augustus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit, sed in ea ipsa aetate cuius auctoritas tueretur quicquid illud et qualecunque tribuisset; ac tamen neutrum datis a se praemiis exuit. bello et periculis meruerant: in iis enim iuventa Augusti versata est. nec mihi tela et manus tuae defuissent in armis agenti. sed quod praesens condicio poscebat, ratione consilio praeceptis pueritiam, dein iuventam meam fovisti. et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt: quae a me habes, horti et fenus et villae, casibus obnoxia sunt. ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. unde etiam rubori mihi est quod praecipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis. (56) verum et tibi valida aetas, rebusque et fructui rerum sufficiens, et nos prima imperii spatia ingredimur, nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me

1. *avus* M. Manifestum vitium auctore Lipsio correxit Ernestius. — *ms* cum lin. M. — 2. *mecenati* M. — 3. *ipse* Agr., ut volebat Ern. — *actoritas* M. — *qualecũque* M. — 8. *eterna* M. — 9. *faenus* M. — *obnoxiae* M. — 12. *os* cum lin. M. — 14. *inp.* M: *imp.* B.

seu in Manuali:) fere nostrum *Ruhe gewährleisten*, *garantir*. «Itaque», inquit, «nunquam fiet, ut negotiis publicis nos ingeramus, nedum res novas tentemus, utpote qui tibi simus *amici* iam *seniores*, quos ipsa aetas ab actuosa vita revocat ac nihil aliud quam quietem sectari iubet.» Simul tecte significat dumtaxat a iunioribus viris (veluti ab Othone) timeri posse coniurationes ac seditiones; nullum contra principi a senibus periculum imminere. Verum hanc *quietem*, quam spondet sive praestat Seneca, non prorsus probari sibi Nero mox indicat verbis: *nec quies*, *si reliqueris principem* cet. Ceterum in toto hoc colloquio uterque et magister Stoicus et discipulus princeps calliditate atque astu mirifice inter se certant. Nimis contra artificiosa mihi videtur Ritteri interpretatio: «Bene notandum, quod praecedens *regimen* pro *gubernaculum* dicitur, ut apud Ovidium Metam. 3, 593.; itaque illud *quietem respondere* fortasse ex nautico, ut ita dicam, sermone petitum est; quippe Nero gubernator in puppi ad regimen sedens, dum seniores consulit, quid videant, illi respondent, «quietem.» Coniecturas, quibus hic locus sane difficilior vexatus est, quaere apud Waltherum; Duebner dedit *quietem spondere*; Doederlein proposuit *quieti iam respondere*, «hoc est, nos allicienti et ad se vocanti.» — *vexisse*] magis solitum sane foret *evenisse*, quod proposuit Heinsius.

55. *quod*] Med. *et quod* vel per errorem ortum est ex vv. praecedd. *et modica* vel ex geminatione litterarum *it* in v. *repondit*. — *occurram*] *occurrere* pro respondere, ut Suet. Oct. 15: *una voce occurrens*, *moriendum esse*. Cic. de Fato 18. Walth. — *abavus*] In Med. *avus*; rhetoricum colorem rursus nonnulli agnoscere volunt. (Ritter provocat ad 2, 27. 43. 53., ubi *amita* pro *amita maiore* et *avunculus* idem qui *proavunculus*.) — *ipsa*] Agr., ut proposuit Ernestius, *ipse*. Perperam. Sententia est, Augustum tunc nec minore nec grandiore aetate, quam cuius auctoritas tueretur *quicquid* cet. *(gerade in dem Lebensalter.)* Walth. — *quicquid illud*] Cfr. C. 53. *quicquid hoc*. Quia hoc quoque minus vulgare est, Agr. Reg. Spir. omisere *illud*, Faërnus volebat *illis*. — *libertinos*] ut Pallantem tunc nondum necatum. — *tenuerunt*] Non tam explicarim «obtinuerunt», quam «secure possederunt sine ullo periculo ea perdendi.»

56. *verum et tibi*] His verbis callide Nero praeceptorem ad maioris etiam largitionis spes concipiendas erigere conatur, ut eum mox (15, 60.) magis etiam impro-

Claudio postponis. sed quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas, ornatumque robur subsidio inpensius regis? non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore omnium versabitur. quodsi maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.» his adicit complexum et oscula, factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit: sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantis, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur.

(57) Perculso Seneca promptum fuit Rufum Faenium inminuere Agrippinae amicitiam in eo criminantibus. validiorque in dies Tigellinus, et

1. Habet *postponis* M, non *praeponis* Guelf. Bud. Edd. ante Ernestium. — *parsim.* M: *parcim.* B. — *quesiuit* M. — 2. *te*] *me* M. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — *libertas* M. Emendarunt iidem. — 3. Habet *ornatumque* M (sed addita ab alia manu litt. *i* cum lin.), non *inornatumque* Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. Edd. ante Pichenam. — 4. *inp.* M: *imp.* B. — *pecunia* M. — 8. *adicit* M: *adiicit* B. — 11. *caetus* M. — *comitantis* M: *comitantes* B. — 12. *valetudine* M: *valitudine* B. — *studiis domi* M: *studiis* omisso v. *domi* cum Oberlini operis B. — *adt.* M: *att.* B. — 13. *Fenium* M B. Vide ad 13, 22. et 14, 51. — *inm.* M: *imm.* B. — 14. *tigillinus* M.

viso pervertat. — *Claudio*] Qui L. Vitellium (imperatoris patrem) ter ad consulatum evexit et aliis praemiis ornavit, adulatorem consummatum. Doebn. Simul amarissima inest sententia: «*Claudio*, qui te in exsilium illud Corsicum pepulit.» Simul significat se in omnibus, etiam per ingenium, multo superiorem esse Claudio. Aliter Bachius: «Nisi forte putasti te minorem esse quam Vitellium neque te tantis praemiis dignum, quantis Vitellium olim ornavit Claudius, sive me non posse nec velle paria tibi largiri atque Claudius Vitellio largitus est.» — *postponis*] Haec Med. lectio unice vera est, falsissima altera *praeponis*, praelata a Kiesslingio. Amara cum *εἰρωνείᾳ* hoc dicit: «nisi forte te minorem reputas Vitellio, me Claudio: cum uterque nobis probe conscii simus, quanto tu Vitellio, etsi ter consuli, ego fatuo illi Claudio praestemus.» — *Volusio*] De L. Volusio cfr. 13, 30. Eius pater sine dubio fuit ille L. Volusius, cuius mortem refert 3, 30. Haud recte plerique post Lipsium interpretes ad hunc referunt locum Silii Italici 5, 261: *Rullo ditissimus agri Occumbis, generose Volunx* cet., ubi manifesto de bellatore Afro, non de Volunce sive Volusio aliquo Italo loquitur poëta. Vide ibi Drakenb. — *quin - - revocas*] Notissimum nunc est vividam hanc esse imperativi exprimendi formulam (*quomodo non - -, quidni - -*) semper cum indicativo, ut apud Ter. Phorm. 2, 3, 82: *quin, quod est ferundum, fers?* Liv. 1, 57: *Quin, si vigor iuventae inest, conscendimus equos invisimusque praesentes nostrarum ingenia?* ubi Alschefski quoque interrogandi signum posuit; hoc Tacito loco plerique, etiam Bekker, simplex punctum. (Cfr. Walch Emendd. Liv. p. 56.) «Haec verba, quibus Nero merita Senecae de se denuo recenset, ordinem sententiarum turbant et interrumpunt. Multo aptius supra legerentur post illa, *iuventam meam fovisti.*» Doed. Immo admirabili arte Taciti, summi scribendi magistri, qui nihil non suo loco posuit, personatus Nero post novorum beneficiorum honorumque illecebras repente philosophi animum hac exhortatione, ut ita dicam, aggreditur atque irretit, quo Stoicus meliora rursus de discipulo ad virtutem perducendo speret. Atque ipsa haec inexspectata sententia egregie refert speciem orationis haud meditatae, sed ex intima animi sententia

malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur; conpertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis illi Germaniae exercitus commemorat. non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare; cui caveri utcunque ab urbanis insidiis praesentia: longinquos motus quonam modo comprimi posse? erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspectos Asiae populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat. nec ultra mora. Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet. relatum caput eius illusit Nero tamquam

2. *conp.* M: *comp.* B. — *sillam* M. — 3. *asyam* M. — *sillam* M. — *nabronensem* M. — 6. *utcũque* M. — 7. *praesentiora* M. Correxit Puteolanus. (*praesenti cura* Agr. Heinsius, Ryckius; *praesenti opera* volebat Lipsius, *praesenti ore* Doederlein.) — 8. *suspectos* M: *suspensos* Lipsio auctore B. — 9. *sillam* M. — 10. *temeritate* pr. M. — *repperire* (sic) M. — 12. *stoycorum* M. — 13. *adp.* M: *app.* B. — *moras* M, manifesta corruptela ex geminata seq. litt. *s*, uti mox *Antistiis soceri*. Recepit Doederlein. — *silla* M. — 15. *prelatum* M, *perlatum* Agr. Emendatum in Bud. Guelf. — *tanquam* M B.

suapte sponte provenientis. — *ornatumque robur subsidio*] Singula verba summa cum peritia sunt delecta: «Ornasti», inquit, «instruxisti optimis praeceptis consiliisque adolescentiam meam; iam adolevi *(robur)*; nunc igitur *subsidio* et adminiculo mihi eris, verum tanto *impensius* hoc officio fungare, quaeso; etenim haec tua nova cura etiam difficilior erit, quam prius illud tuum magisterium.» — *grates agit*] Seneca de Ira 2, 33: *Notissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: Iniurias, inquit, accipiendo et gratias agendo.*

57. *gratiores*] eo ipso, quod princeps iis foret implicatus nec iam participe scelerum carere posset. Moneo, quia amico in mentem venit *graviores*. — *Plautum*] C. 22. — *Sullam*] 13, 47. — *diversas*] fluctuantes olim inter Agrippinam et Neronem. «Quas spes Tigellinus fortasse inde confingit, quod impetum Neronis in Agrippinam aliquatenus cohibuerat Burrus. Cfr. Neronis verba de Aniceto C. 62.» Duebn. (Minus recte Burnouf: «*Selon Tigellin, Burrus, tout en se ménageant auprès de Néron, songeait à son successeur; il feignait le dévouement au prince, mais il travaillait secrètement à établir son crédit auprès de ses rivaux, ou Sylla, ou Plautus, ou tout autre. C'est ainsi que, au dire de Tigellin, il nourrissait de doubles espérances.*») — *praesentia*] Si quidquam latet in Med. *praesentiora* neque vero merus est *ἀβλεψίας* error, id erit Agr. et Heinsii *praesenti cura.* — *dictatorium*] Sullae, qui erat e posteris clari dictatoris. Duebn. — *suspectos*] ob claritudinem avi Drusi. Consulto non scripsit Tacitus *suspensos*, quod ei tribuere volebat Lipsius: notionum enim varietatem praetulit homonymis. — *avi Drusi*] Nam mater Plauti erat Iulia, filia Drusi, neptis Tiberii. Duebn. — *simulatorem*] Ut 13, 47: *socors ingenium eius in contrarium trahens.* Doed. — *turbidos*] Hinc *ἀντίθετον* illud Baconis de Augm. sc. 6, 3. (I. p. 328. Ed. Bouillet): *Non Epicuri schola, sed Stoa veteres res publicas perturbavit.* Brot. — *mora*] Ad Med. *moras* Doederlein comparat Sophocl. Ant. 573: *μὴ τριβὰς ἔτι!*, ubi tamen est imperativus huic narrationi haud aptus. Littera *s* accessit mera ex geminatione. — *relatum*] a percussoribus Romam (unde

praematura canitie deforme. (58) Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia pluribus salus eius curabatur; et spatium itineris ac maris tempusque interiectum moverat famam; vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus praesidentem et, clari atque insontes *si* interficerentur, praecipuum ad pericula. quin et Asiam favore iuvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. vana haec, more famae, credentium otio augebantur; ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem, et mandata L. Antistii soceri attulit: effugeret segnem mortem, † otium suffugium, et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces. nullum interim subsidium aspernandum. si sexaginta milites (tot enim advenie-

1. *canitiae deformae* M. — *plautio* M. — 3. *fama* M. — *fingebat* ultimae syll. superscr. *n* M. — 4. *et clari* M: *et si clari* Ernestius, *si clari* B, *et*, *cum clari* Doederlein. — *insontes si interfic.* Baiterus: *insontes interfic.* M B. — 5. *asya* M. — *fabore* M. — 7. *nova* M. — *transissent. Una* M. Correxit Boxhornius; *transisse. et vana* mavult Doederlein. — 8. Habet *more* M, non *in ore* Guelf. Puteol. *odio* Gronovius; recepit Walther. — *agebantur* M. Correxit Modius. — *caeterum* M. — 9. *caeleritate* M. — *L.* M: *Lucii* B. — *antistiis* M. — 10. *effugere* M. — *ocii suffugium* Agr., *odii suffugium* N. Heinsius, *otium*, *suffugium mitteret*; *magni* Doederlein. Malim equidem *obvium suffugium*. Or. — 11. *miseratione͂* M, cum quo et ceteris Codd. (praeter Bud. a sec. manu) item Edd. vett. *miserationem* Walther. — 12. *aspernantium* M. Correxit Puteolanus.

profectus erat in exsilium) e Massilia. Prorsus sic, et quidem sine varietate, C. 59: *caput interfecti relatum.* Ergo non necessarium Agr. *perlatum*, receptum a Duebnero, probatum a Doederleinio.

58. *petitum*] tentatum, ut deficeret a Nerone et cum Plauto consilia iungeret. (De Corbulone cfr. C. 26.) Ern. — *nec milites* cet.] Explica: «milites ad caedem missos neque numero validos (erant LX.) neque animo promptos fuisse; eosdem, posteaquam iussa efficere nequiverint, ad Plautum transisse res novas molientem.» Minus recte alii explicant «Plautum ad spes novas transisse», id quod aliter sane exprimendum fuisset. — *vana*] Altera haec est miri illius Boxhornii coniectura praeclara pro Med. *una*. Cfr. p. 528, v. 14; ubi Med. *uana* pro *una*. — *more famae*] Sic Hist. 4, 50: *veraque et falsa more famae in maius innotuere.* — *otio augebantur*] hominum otiosorum sermone, semper hoc unum interrogantium *τί καινόν;* ut est Act. Apost. 17, 21: *Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον.* Neque vero obliviscere Horatiani illius Epod. 5, 43: *Et otiosa credidit Neapolis* cet. Intolerabilis est Gronovii coniectura *odio*. *Agebantur* qui defendunt explicant «agitabantur,» at vero haec iunctura *otio agere* s. *agitare* vix cuiquam placere potest. Admodum enim mirum foret *ὀξύμωρον*. — *L. Antistii*] Cfr. 16, 10. — *otium*] Pro hoc corrupto Duebner dedit *odium*, interpretatus: «odium omnium in Neronem ipsi fore suffugium.» Verum neque haec ratio satisfacit, quippe cum tota ista sententia per se haud improbanda, nimis mance expressa mihi videatur. Bachius recepit Waltheri *otiantium suffugium*, id est, hominum desidum; sed pravum hoc quoque propter iuncturam nimis inconcinnam cum seqq. *et magni* cet. Atque requireretur potius *pavidorum*, ut 16, 25: *segnes et pavidos* cet. Cognoscenda etiam Doederleinii ratio: «Haec corrupta sunt, mutilatione, opinor. Suspicor: *Effugeret segnem mortem; otium, suffugium mitteret; magni nominis* cet. Mandatorum soceri haec erat summa: tam segnem inultamque mortem effugeret, exuendo otio, quo adhuc tutus fuisset, relinquenda Asia, in quo suffugio adhuc delituisset, bellum denique movendo.» Sed ubinam bellum movere potuisset nisi in Asia ipsa, adiutore Corbulone? Aptissimum videtur *obvium suffugium*, id est, «paratum quoque amicorum ope facile pervenire ibique vel tuto degere vel, si velit, etiam audere aliquid possit.»

bant) propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura quae adusque bellum evalescerent. denique aut salutem tali consilio quaeri, aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse. (59) sed Plautum ea non movere, sive nullam opem providebat inermis atque exsul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla sollicitudine turbatum. sunt qui alios a socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiae, Coeranum Graeci, Musonium Tusci generis, constantiam opperiendae mortis pro incerta et trepida vita suasisse. repertus est certe per medium diei nudus exercitando corpori. talem eum centurio trucidavit, coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat. caput interfecti relatum; cuius aspectu (ipsa principis verba referam) «cur», inquit, «Nero,» ***, et posito metu nuptias Poppaeae, ob eiusmodi terrores dila-

2. *adusque*, ut scribit etiam Handius, nos: *ad usque* divise M B. — 3. *nichil* M. — *audienti* M. — 5. *exul* M. — *tedio* M. — 7. *tanquam* MB. — *nichil* M. — 8. *greci* M. — 9. *uitas uasisse* M. — 12. *capud* M. — 13. *aspectũ* M. — *referebam* M. Vitium correxit Puteolanus. (*referebant* Guelf. Bud.) — *cur* M: *quin* Rhenano auctore B. — *inquid* M. — 14. Post v. *Nero* exciderunt nonnulla. — *et posito* M: *deposito* cum Guelf. Ies. Puteol. B. — *poppeae* M.

— *adusque*] cfr. Hand Turs. I. p. 189: «Qui et praepositionem et adverbium, interdum, ut videtur, versus explendi causa, usurparent, poëtae fuerunt Augustei aevi, Horatio non antiquiores, et recentioris prosae orationis scriptores, Gellius, Appuleius, Ammianus et alii.» (Tacitum non memorat.) — *quaeri*] acquiri.

59. *Coeranum*] «Coeranus mihi irrepertus, nisi quod Plinius Indice libri 2. inter auctores (externos), quos delibavit, recenset *Ceranum.*» (Silligius sine var. dedit *Coerano philosopho.)* «In Senecae Ep. 66. valde celebratur huius aevi *Claranus* quidam philosophus:» (sine var. apud Fickert.) «Numquid ibi *Coeranus?*» (Non credo, quoniam eum *condiscipulum suum* vocat, quod ad Romanum, non ad Graecum hominem nos ducit.) «Sed Musonius notior, qui Vulsiniis in Etruria natus, *equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus est*, ait Tacitus H. 3, 81.» (Adde Ann. 15, 71., ubi vide.) «Nomina illi C. Musonius Rufus, uti ex Hist. 4, 40. et Plinio colliges Epp. 3, 11. Supervixit ad imperium Vespasiani, ut iure culpes Suidam, interfectum eum a Nerone bis adfirmantem. Vide eum in vv. *Μουσώνιος* et *Κορνοῦτος.*» (Suidas in *Μουσώνιος* p. 2532. Gaisf. se ipse quodammodo refutat. Primum dicit: *Διὰ γοῦν τὴν παῤῥησίαν - - ὑπὸ Νέρωνος ἀναιρεῖται.* Deinde affert locum Iuliani *τοῦ παραβάτου: ὁ δὲ Μουσώνιος ἐπεμέλετο βαρῶν (τειχῶν*, ut postea explicat), *ὁπηνίκα φεύγειν αὐτὸν ἐπέταττε Νέρων.)* «Melius veriusque Philostratus 7, 16: *καὶ μὴν καὶ Μουσώνιον τὸν Τυῤῥηνὸν πολλὰ τῇ ἀρχῇ ἐναντιωθέντα τῇ νήσῳ ξυνέσχεν, ᾗ ὄνομα Γύαρα κτλ.*; unde rediit post Neronis interitum.» Lips. — *opperiendae*] patienter exspectandae. Non fuit profecto, cur Heinsius coniiceret *appetendae* hocque probaret Ernestius. — *talem*] Nudum eum contrucidatum esse ne genitalibus quidem velatis, rei indignitatem auget, ut spadonem Graeculum viris militaribus Romanis, tamquam si hi essent *satellites* regis alicuius Asiatici, praepositum. — *manipulo*] parum proprie. Erant sexaginta tantum. (C. 58.) Dicitur igitur h. l. vel pro centuria, quae minimum sexaginta habebat, vel pro manu quacunque. Ern. — *referam*] Med. *referebam* merus est error; nec pro hoc imperfecto afferre debebant perfectum apud Suet. in Vita Hor.: *Exstant epistolae, e quibus argumenti causa pauca subieci: Sume tibi aliquid iuris* cet. — *Nero*] Mutilatum Neronis dictum talem fere sententiam habebat:

tas, maturare parat, Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem. sed ad senatum litteras misit de caede Sullae Plautique haud confessus, verum utriusque turbidum ingenium esse, et sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi. decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus tamen ludibriis quam malis.

(60) Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans. exin Poppaeae coniungitur. ea diu pellex, et adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obicere. destinaturque reus cognomento Eucaerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. actae ob id de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri; ex quibus una instanti Tigellino castiora esse muliebria Octaviae respondit quam os eius. movetur tamen primo civilis discidii specie; domumque Burri, praedia Plauti, infausta dona, accipit. mox in Campaniam pulsa est addita militari custodia. inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora pericula

1. *parat* Guelf. Ies. Bud.: *paras* Mureto auctore B. — *octaviam quas* M. — 2. *ageret, nomine* M: *agat, et nomine* Rhenano auctore B. — 4. *rei.p.* M. — 6. *tā* M, *tam* Spir. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 9. *exim popeas* M. — *pelex* M. — 11. *obicere* M: *obiicere* B. — *Eucaerus* (*Εὔχαιρος*) Freinshemius: *Eucerus* M B. — *alexandrina* M. Errorem ex accommodatione ad v. praecedens ortum correxit Lipsius. — 12. *ptybias* (*p* cum lin. transversa), id est, *per tibias* M. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 13. *uicti* M. — *ut*] *si* M. Correxit Puteolanus. — *ann.* M: *adn.* B. — *domine tuere* M. — 14. *uana* M. — *tigillino* M. — 16. Habet *praedia* M. Ante Bekkerum edebant *et praedia.* — *campania* M. — 18. *ex* M: *et ex* cum Puteolano B.

Cur, inquit, Nero esse voluisti? Aliud sane ac diversum affert Dio 62, 14: *τὸν Πλαῦτον ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσάν οἱ ἰδών, «Οὐκ ᾔδειν,» ἔφη, «ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν,» ὥσπερ φεισάμενος ἂν αὐτοῦ, εἰ τοῦτο προηπίστατο.* Dord. Ceterum prope incredibile est haec omnia *cur, inquit,* - - *populi gravem* a plerisque attributa esse Neroni, vv. *cur* mutatis in *quin*, et *posito* in *deposito*, *parat* in *paras*, *ageret nomine* in *agat et nomine*. Verum primus vidit Walther, quem tamen rursus deseruit Ruperti. Rectissime ille: «Quis non sentit haec a Nerone atque tali occasione aliena non solum propter totius periodi structuram, sed etiam propter postrema eius verba: *quamvis* - - *gravem*, quae Nero certe non addidit?» — *nomine patris*] Hoc est, Claudii causa. Nam exprobrare assidue videbatur se verum esse Claudii sanguinem, et Neronem insititium. Freinsh. — *haberi*] ut Hist. 1, 79: *Externa sine cura habebantur.* — *gravioribus*] Sensus est: «gravi quidem et severo decreto, quod tamen ipsum deridiculo potius fuit, quam quod senatu motis dehonestamentum atque ignominia inde redundaret, siquidem ipse senatus probe sciebat illos iam trucidatos esse; *con più scherno che danno* Davanzati.

60. *Alexandrinus*] Med. *Alexandrina* restituere Bachius, Walther, Duebner. Sane 11, 24: *Clausus, origine Sabina.* Verum differentia haec est, quod hic populi nomen cum v. *origine* iungitur, nostro in loco nomen urbis. Credo equidem meram esse accommodationem ad v. *natione.* — *ex quibus una*] Dio 62, 13: *μόνη ἡ Πυθιὰς οὔτε τι κατεψεύσατο αὐτῆς, καίπερ πικρότατα βασανισθεῖσα, καὶ τέλος ὡς ὁ Τιγελλῖνος ἐνέκειτο αὐτῇ, προσέπτυσέ τε αὐτῷ καὶ εἶπε· «Καθαρώτερον, ὦ Τιγελλῖνε, τὸ αἰδοῖον ἡ δέσποινά μου τοῦ σοῦ στόματος ἔχει.»* — *movetur*] amovetur, ut C. 32. et 59.,

sunt. † his quamquam Nero paenitentia flagitii, coniugem revocavit Octaviam. (61) exin laeti Capitolium scandunt, deosque tandem venerantur. effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt. itur etiam in principis laudes † repetitum venerantium. iamque et Palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere. mutataque quae per seditionem verterant, et Poppaeae honos repositus est. quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet, quamquam id sibi vita potius, sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi quae vix bello evenirent. arma illa adversus principem sumpta; ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur: omitteret modo Campaniam et in urbem ipsam pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur.

1. Habet M *his quanquam Nero penitentia.* Locus est mutilus atque irrita adhuc fuerunt Criticorum eum restituendi studia, quorum conatus vide, si placet, apud Waltherum. Doederleinio in mentem venit: *His* (ob haec) *Nero*, *nequaquam paenitentia.* Parum veri similis, sed Tacito haud indigna est Cod. Agric. lectio a Ryckio recepta: *his motus Nero, an paenitentia flagitii. (motus* sane ex interpolatione Codd. etiam Guelf. Harl. Bodl. Ies.) — 2. *exim* M. — 3. *poppeae prorugunt* (sic) M. — 5. *etiam* M: *et* cum Bipontinis et Oberlino B. Ceterum hic quoque locus est corruptus. Criticorum coniecturae apud Waltherum nihil iuvant, etsi Grotius ingeniose nec tamen satis probabiliter: *laudes; repetitur veneratio* (deorum); novissimam Doederleinii *laudes ob repetitum* (nomen substantivum) *venerantium* equidem approbare non possum. — 6. *emisi* M. — *turbatos* M: *turbam* cum Reg. Corb. Bud. B.; id quod ex mera interpolandi licentia provenit. — 7. *mutata quaeque* M. — *poppeae* M. — 8. *tumet metu* M. — 10. *quanq.* M B. — 11. *clyentelis* M. — 12. Habet *ausi* M, non *ausis* Lipsii. — 14. *repp.* M.

et *moliri* pro *amoliri* Silius 7, 264. 13, 48: *dextra molitus in ipso Custodes aditu templi.* — *civilis discidii*] divortii ex legibus facti, qualia tunc perquam frequentia; opponitur expulsioni violentae. — *sapientia*] hic simpliciter pro cautione ac prudentia. — *his quamquam*] Bach et Duebner dedere: *his* (vulgi questibus) *Nero*, *haudquaquam paenitentia* cet.; quo uti poterunt interpretes; Taciti manus nondum restituta est. — *coniugem*] Hoc est, ut coniux rursus esset, sive in coniugium. Doed.

61. *tandem*] de re impatienter ab omnibus exspectata. Duebn. Diu enim nihil nisi tristia acciderant civitati; tum primum post longum tempus evenit, quod gratulatione dignum esset. Doed. Longum nimis visum hominibus hoc videre; esse tamen deos, esse caeleste numen. Ern. — *spargunt floribus*] Virg. Aen. 6, 884: *Purpureos spargam flores animamque nepotis His saltem accumulem donis.* Ovid. Trist. 4, 2, 49: *Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum, Undique iactato flore tegente vias.* Liv. 33, 13: *Omnes tendere ad imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque iacientium, haud procul periculo fuerit.* Herodianus 1, 7. de Commodi adventu in urbem: τοιοῦτον δὴ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι, εὐφημίαις δὲ παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Lips. — *laudes repetitum venerantium*] Rursus locus desperatus. Duebner amplexus est Heinsii coniecturam: *repetitam*, explicans: «eatenus principis laudes, ut non tam ipsum venerarentur, quam repetitam ab eo coniugem, revocationem coniugis.» Boetticheri autem et Doederleinii *repetitum* vereor, ut fuerit nomen substant. apud Latinos. Id tantummodo video v. *venerantium* ortum esse ex superiore *venerantur.* — *ausi*] Ad clien-

quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem? an quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit? malle populum Romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci! denique, si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam, vel consuleret securitati iusta ultione. et modicis remediis primos motus consedisse: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos. (62) varius sermo, et ad metum atque iram accommodatus, terruit simul audientem et accendit. sed parum valebat suspicio in servo, et quaestionibus ancillarum elusa erat. ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen affingeretur. et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, praefectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse; locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret. nec manu aut telo opus: fateretur Octaviae adulterium. occulta quidem ad praesens sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit, vel, si negavisset, necem intentat. ille insita vecordia, et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quam iussum erat fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps.

2. *ces.* M. — *mallet* M. Correxit Puteolanus. (*malle et* Doederlein.) — 3. *tybicinis egyptiis sobolem* M. — 6. *forẽ* M. — *maritos* superscr. *ũ* M. — 9. *eluserat* M. Correxit Lectius. — 12. *ammisum* (sic) M. — Distingui nequit, utrum M habeat *malorum*, an *maiorum*. — 15. *instaret* M. — 16. *manus* M. — 18. *sec. ad moenos* M.

telas et servitia relatum est *κατὰ τὸ νοούμενον*. Doed. — *malle populum*] Nisi subest corruptela, accipiendum hoc pro infinitivo indignationis: qui sane clarius sic foret significatus *malle* scilicet *populum*. Alii pro interrogatione habent, quae tamen etiam obscurior est, unde Duebner cum Handio Turs. I. p. 241. *mallene - -?* — *dominam*] Acerbe dictum pro coniuge imperiosa, cui maritus in omnibus obnoxium se praeberet necesse foret. — *consedisse*] considere solere, ut aoristus Graecus. Duebn. — *maritum*] et, occiso Nerone, in principatu successorem.

62. *elusa erat*] Poppaea; *eluserat* (Octavia) probat Doederlein pro «evaserat,» comparans C. 41: *ultionem elusurus*; et sine obiecto H. 3, 47: *vacuo mari eludens*, «effugiens.» Probabilior tamen Iacobi Lectii correctio. — *ut memoravi*] C. 3. — *malorum facinorum*] Ut Plaut. Men. 5, 7, 15: *O facinus indignum et malum!* Tibull. 2, 4, 25: *Illa malum facinus suadet*. Tacitus 12, 8: *At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret*. Gron. Atque hoc sane unice aptum; tamen *maiorum*, qui comparativus huc non quadrat, praetulere Gruterus et Walther, etsi recipere non ausus, ut postea fecit Bach. — *facilitate*] promptus ac paratus ad nova flagitia, quippe qui talibus iam ante assuefactus esset: *à qui ses premiers crimes rendaient les autres faciles* Burnouf. — *in Sardiniam*] quae sane *secessum amoenum* nequaquam praebebat.

63. *praefectum*] classi Misenensi, Anicetum; eum ab Octavia corruptum esse, quae sperasset fore, ut classem suam ille ad societatem consiliorum adversus Neronem adduceret. Ern. — *incusatae*] C. 60. — *Agrippinae*] viduae Germanici; nam ea quoque a. u. 782. Pandatariam (hodie *isola Vandotina)* relegata est. Suet. Tib. 53. — *Iuliae*] filiae illius, bis in insulam relegatae a. u. 792. et 796. — *primum*] Pichena coniecturam Lipsii *primus* recepit. Male. Nam clarum est verbo *primum* respondere *tum* et *postremo*. Ern. — *an-*

tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exsilium toleravit et fato obiit. (63) at Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta edicto memorat, insulaque Pandataria Octaviam claudit. non alia exsul visentium oculos maiore misericordia affecit. meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae. sed illis robur aetatis affuerat: laeta aliqua viderant, et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre; tum ancilla domina validior, et Poppaea nonnisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio gravius. (64) ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et milites, praesagio malorum iam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur, communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium sed sine exitio pertulisset. restringitur vinclis, venaeque eius per omnes artus exsolvuntur; et quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, praefervidi balnei vapore ene-

1. *sardinia* M. — *exilium* M. — 2. *ad* M. — *socianda* M. — 4. *compertae dicto* M. — *pandecteria* M. — 5. *exul* M. — 8. *pres. seuit.* M. — *recordationē* M. — 10. *nichil* M. — 11. *poppea* M. — 14. Habet *vita* M, non *victa*, ut narrat Iac. Gronovius. — 18. *vinclis* M: *vinculis* B. — *exolv.* M. — 19. *pssus* M. — *lauebatur* M.

cilla] Acte liberta. 13, 2. — *crimen*] quod paullo superius denotatur, *abactos partus conscientia libidinum*. Bach.

64. *puella*] haud raro de nuptis iunioribus dicitur, ut 16, 30. ac saepe apud poëtas; cfr. Horat. 3, 22, 2. Propert. 3, 13, 23: *hic nulla puella Nec fida Euadne nec pia Penelope.* — *iam vita - - acquiescebat*] «Hoc est, etiamsi omnibus vitae bonis privata, libertate, patria, securitate, tamen mortis eadem adhuc carebat beneficio, quiete.» Doed. Comparat Walther Corn. Nep. Hannib. 13: *Sic vir fortissimus - - anno acquievit septuagesimo.* Sic etiam in titulis Pisanis non Christianis *HIC ADQVIESCIT*. Vide Inscr. m. Lat. 2313. 4084. 4491. Aliter, sed ut videtur, minus recte, post Waltherum, Duebner: «Nondum tamen a se impetrabat, ut mortis sibi consciscendae mentem haberet.» Nobiscum facit Louandre: *cette jeune femme était arrachée à la vie par le pressentiment de son malheur, sans avoir la paix qu'on trouve dans la mort.* — *sororem*] Neronis a Claudio adoptati. Pseudoseneca Oct. 658: *soror Augusti, Non uxor ero.* — *communesque Germanicos*] Germanici enim communes Octaviae et Neronis maiores fuerunt. Nam Drusus, qui primus Germanici cognomen accepit, tam sibi quam filiis id quaesivit, teste Dione 55, 1: *Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθείς.* Iste ergo Drusus tam Octaviae quam Neroni vere communis, cum illius avus esset, huius abavus. Claudius etiam utrique communis, illi natura, huic adoptione pater. Quin et C. Caesar, quem proprie Germanicum vocaverunt, illius patruus, huius avus. Freinshem. — *iubetur, cum - - pertulisset. restringitur* cet.] Verbis *cum* cet. Tacitus memorat, quibus obtestationibus mortis iussu accepto eam retardare saltem, si non vitare frustra conata sit Octavia; tum pergit per *ἀσύνδετον restringitur*, quod alius fortasse sic explesset: «Sed, cum nimis moraretur interfectores, *restringitur* cet.» Doederlein quidem meum ad sensum mi-

catur. additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppaea vidit. dona ob haec templis decreta. quod ad *eum* finem memoravimus, *ut* quicunque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

(65) Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est, Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem, quod inmensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut G. Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. unde Pisoni timor, et orta insidiarum in Neronem magna moles, sed inprospera.

1. *seuit.* M. — 2. *poppea* M. — Habet *haec* M, non *hoc* Guelf. Spir. — *decretaque ad* M. Correxit Puteolanus. — *eum* om. M. — 3. *memorabimus* M. Correxit Puteol. — *ut* om. M. (*dona ob haec templis decreta quem ad finem memorabimus? quicunque* Doederlein.) — *quicũque* M. — 4. *nossent* M. Correxit Puteolanus. — 6. *publice* M. — 7. *adulationẽ* M. — 9. *adversatum* superscr. *rum*, huic *rum* a recenti manu superscr. *ros* M. — 10. *inm.* M: *imm.* B. — 11. *G.* M: *Gai* B. — 13. *nerone* M. — *sed*] *et* M, quod praefert Doederlein: verum satis inconcinnum foret *et orta* - - *et inprospera*, atque litt. *s* manifesto absorpta est ab eadem praecedente. — *inprospera* M: *improspera* B. — *Cornelii Taciti liber quartus decimus explicit. Incip.* (cum lin.) *liber quintus decimus* M.

nus apte distinxit: *iubetur. Cum - - pertulisset, restringitur* cet. (*Iam* cum v. *viduam*, non cum v. *testaretur* iungendum esse patet.) — *restringitur*] Pro frequentioribus vv. *stringitur*, *constringitur*. Ern. Alterum exemplum affert Forcellinus ex Appul. Flor. 17: *Quid, si manus manicis restringantur?* — *atrocior*] «Nam atrocius etiam quam nex tam saeva et violenta illud ludibrium videbatur, primum lacerari mortuae corpus, deinde caput tamquam maleficae circumferri; tertio permittere, ut aemula eius aspectu pasceret oculos.» Ern. — *ad eum finem*] Secure interpretare: «Eo consilio hic saltem in Octaviae supplicio diserte memoravimus, ut lectores moneremus (praesertim in libri fine), idem ut praesumptum habeant de ceteris caedibus et antea et posthac narratis.» «*Ad eum finem* Latine non dicitur pro *eo consilio*;» *quem ad finem* nihil aliud significat nisi *quamdiu*, *quousque*. Doed. Verum aliud est *quem ad finem?* per interrogationem, aliud *ad eum finem aliquid facere, ut*, cet. Atque nobiscum faciunt Forcellinus et Freund, Latinitatis haud spernendi auctores. — *praesumptum habeant*] «iam praesumant, veluti si probe id scissent.» Sic Liv. 42, 61: *Praeiudicatum eventum belli habetis.*

65. *libertorum potissimos*] Suet. Ner. 35: *Libertos divites et senes, olim adoptionis, mox dominationis suae fautores atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito intercepit.* — *Doryphorum*] De hoc Dio 61, 5: *Δορυφόρῳ, τῷ τὰ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ βιβλία διέποντι* (qui ei a libellis erat), *πεντήκοντα ἅμα καὶ διακοσίας μυριάδας* (centies sestertium) *δοθῆναι ἐκέλευσε. Dorуphorus* autem frequens libertorum nomen. Vide Gruteri Indicem. — *Pallantem*] Dio 62, 14: *τὸν δὲ Πάλλαντα διεχρήσατο, ὅτι καὶ πλοῦτον πολὺν ἐκέκτητο, ὥστε καὶ ἐς μυρίας μυριάδας* (quater milies HS.) *αὐτὸν ἀριθμεῖσθαι κτλ.* — *Romanus*] Hispo, de quo 1, 74. Ruperti cogitat de Fabio Romano 16, 17. — *orta*] ex illis ipsis criminationibus et proprio ex timore. — *sed inprospera*] de quibus in sequenti libro C. 48. seqq. Lectionem M. *et inprospera* Walther defendit ex vv. 1, 13: *avidum et minorem.*

EXCURSUS I. AD LIB. XIV. CAP. 27.

neque coniugiis suscipiendis] Milites itaque olim sine uxore, ut apparet. Nec ritu, sed lege id vetitum ait Dio 60, 24: Τοῖς στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε Claudius. Resolvisse hoc ius Severus imperator videtur, si recte capio Herodianum 3, 8: τοῖς δὲ στρατιώταις ἐπέδωκε χρήματα πλεῖστα, ἄλλα τε πολλὰ συνεχώρησεν, ἃ μὴ πρότερον εἶχον. καὶ γὰρ τὸ σιτηρέσιον πρῶτος ηὔξησεν αὐτοῖς, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε γυναιξί τε συνοικεῖν. Certe enim de coniugio legitimo capiendum videtur, quia contubernii militibus, opinor, semper ius. A Iunone arcebant eos, non a Venere Romanae leges. Testis Livius 43, 3., qui quattuor milia hominum a senatu petisse oppidum, ubi habitarent, ait, qui nati in Hispaniis ex militibus Romanis et mulieribus Hispanis, cum quibus nullum connubii ius. Immo peregrini milites, id est, non cives, non amicas modo habuisse videntur, sed uxores, nisi me inducunt frustra tabulae Vespasiani et Domitiani aevo; quibus insculptum: *civitatem datam militibus e classe Ravennate et cohortis III. Alpinorum itemque connubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data, aut quas postea duxissent.* Tamen pugnat in eam sententiam Tertullianus, qui suo etiam aevo caelibes fuisse milites ostendit. Aevum autem eius sub Severo. Ait in Exhort. ad Castit. C. 12: *Scilicet solis maritorum domibus bene est! Perierunt caelibum familiae, res spadonum, fortunae militum aut peregrinantium sine uxoribus. Non enim nos et milites sumus?* Severi ergo permissum aut ad praetorianos tantum pertinuit: aut verba arte capienda, ut tantum permiserit συνοικεῖν γυναιξί, cohabitare feminis, sub eodem tecto agere et contubernales habere, non legitimas uxores. Sed non repugnat, inquies, toti huic sententiae Livius, qui diserte uxores militibus attribuit? Ut ecce 21, 41. in Scipionis exhortatione ad milites: *Unus quisque se non corpus suum, sed coniugem ac liberos armis protegere putet*; et alibi. Respondeo, temporariam tunc (bello Punico secundo) militiam fuisse, nec legibus suis, ut postea, devinctam. Capiebantur mittebanturque milites, non pro stipendiorum tempore, sed bellorum. At, perpetua et firma XXV. annorum militia instituta, hoc quoque inductum de caelibatu. Sane etiam iurisconsulti hac causa causam solvendi matrimonii militiam numerant. L. 60: *Bona gratia dissolvi matrimonium illud dicitur, quod propter sacerdotium, sterilitatem, valetudinem, militiam retineri non potest.* Lipsius.

Tabulae illae, quarum fragmentum exhibet, pertinent ad Diplomata illa militaria, de quibus post Marinium *Fr. Arv.* p. 433. nunc consulendi sunt Clemente Cardinali *Diplomi imperiali. Velletri* 1835. (*Pref.* p. II.) et Ios. Arneth *zwölf Römische Militär-Diplome. Wien* 1843. Damus hic Neronianum apud Arnethium p. 27. optime conservatum: NERO. CLAVDIVS. DIVI. CLAVDI. F. GERMANICI. CAESAR.‖N. TI. CAESARIS. AVG. PRON. DIVI. AVG. ABN. CAES‖AVG. GERMAN. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VIIII‖ COS. IIII. PEDITIB. ET. EQVITIB. QVI. MILIT. IN‖COH. VII QVAE. APPELLANTVR. I. ASTVR. ET GAL‖LAECOR. ET I. HISPAN. ET I. ALPINOR. ET I. LVSI‖TANOR. ET. II. ALPINOR. ET II. HISP. ET V. LVCIENS‖ET. GALLAECOR. ET SVNT. IN. ILLYRICO. SVB. L. SAL‖VIDIENO. SALVIANO. RVFO. QVI. QVINA. ET. VICENA‖STIPEND. AVT. PLVRA. MERVER. QVOR. NOMIN‖SVBSCRIPT. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQ‖EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM CVM‖VXORIB. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST‖CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SIQVI. CAELIB. ESSENT‖CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM. TAX‖SINGVLI. SINGVLAS. A. D. VI. NON. IVL. CN. PE‖DANIO. SALINATORE. L. VELLEIO. PATERCVLO‖COS. COH. II. HISPAN. CVI. PRAEEST. C. CAESIVS‖APER. EQVITI. IANTVMARO.

ANDEDVNIS. FIIVARCIANO. DESCR. ET. RECOGNITA EX. TABVLAI AENEA. QVAE. FIXA. EST. IN. CAPITOL. AD. LAIITVS. SINISTR. AEDIS. THENSAR. EXTRISECVS (sic). Refertur ergo hoc diploma ad a. u. c. 813. d. 2. M. Iulii.

EXCURSUS II. AD LIB. XIV. CAP. 30.

Druidaeque circum cet.] *La religion des Druides, abolie par un édit de Claude* (Suet. 25.), *et chassée de la Gaule et de la Bretagne, trouvait un dernier refuge dans les montagnes des Ordoviques et des Silures, et dans l'île de Mona. Là, elle s'unissait au sentiment de l'indépendance nationale pour repousser la conquête, et elle ajoutait au patriotisme toute l'énergie d'une croyance persécutée. Le passage suivant de M. Amand Thierry (Hist. des Gaulois, partie III., ch. 2.) mettra cette idée dans le plus grand jour, et servira de commentaire au récit de Tacite: «Apre, inculte, d'un aspect lugubre et affreux, Mona avait été choisie depuis des siècles par les Druides, pour le siège le plus secret de leur culte. Le haut collège du sacerdoce y résidait, et les colléges inférieurs des prêtres et des prêtresses, échappés aux massacres de la Gaule et à ceux de l'est et du midi de la Bretagne, accouraient de toutes parts s'y grouper autour de leurs pontifes; ils formaient un conseil suprême, en rapport avec les peuples confédérés de l'ouest, et dirigeaient leurs opérations. De là partaient des ordres, des prédictions, des encouragemens, des menaces, tout ce que le fanatisme de la croyance peut ajouter à celui de la patrie et de la liberté. Là, sous de vieux chênes consacrés, sur d'informes autels, le sang humain ruisselait chaque jour; là étaient conduits et gardés tous les prisonniers, pour y périr l'un après l'autre par le couteau des devins, par la flamme, ou dans de plus douloureuses tortures.»* Burnouf. — Ita scilicet optimus scriptor, Thierry, ex hoc Taciti loco et ex Agric. 14: *Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem* tragicam hanc scenam exornavit. Cfr. Lingard *Geschichte von England* I. p. 17. seqq. Lappenberg *Geschichte von England* I. p. 9. seqq.

ANNALIUM

LIBER QUINTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. Vologeses rex Parthorum bellum mente volvit, instigantibus fratre Tiridate et Monobazo Adiabeno, quem Tigranes vexarat. 3. Corbulo Syriae tuendae providet. 4. Parthi Monese duce Tigranocerta obsident. 5. Vologesi Corbulo inducias offert et impetrat. 6. — 8. Caesennii Paeti Armeniae recens praefecti vanitas, ferocia, imperitia, iactantia. 9. — 11. Ab invadenda Syria Corbulo absterret Parthos, qui Armeniae et Paeto incumbunt. Hic aegre Corbulonem auxilio vocat Parthis prementibus. 12. Is in Armeniam profectus fugientes obiurgat, suos hortatur. 13. Vologeses instat Paeto. 14. 15. Disceptatio inter Romanos et Parthos ex qua Paeti foeda compositio. 16. Corbulo in Armeniam venit. 17. Paeto increpito Syriam repetit. 18. Romae inania de Parthis tropaea. Frumentum plebis. Vectigalia.

19. SC. de simulatis adoptionibus. 20. 21. Claudius Timarchus Cretensis accusatur, quod Thrasea Paetus ad bonum publicum vertit. 22. Decretum grates praesidibus non agendas. Portenta. 23. Ob filiam Neroni natam immodica gaudia et frustranea. In Thraseam principis odium.

24. Legati Parthorum Romae irrisores. 25. Bello Armeniaco praeficitur Corbulo. Paetum Caesar facetiis insectatur. 26. 27. Corbulo in Armeniam ducit exercitum, legatos Parthorum audit, defectores Armenios ulciscitur. 28. — 30. Tiridates a Corbulone pacem petit, et posito apud effigiem Caesaris insigni regio impetrat, comiterque excipitur a Corbulone. 31. Vologesis pro fratre sollicitudo.

32. Alpinos maritimos Nero in ius Latii transfert. Equitum Romanorum in circo locos sedilibus plebis anteponit. Feminae illustres senatoresque in arena. 33. Nero ipse Neapoli scenam inscendit. 34. Theatrum ruit. Beneventi Nero munus Vatinii spectat. 35. Torquatum Silanum mori adigit. 36. Iter frustra meditatur in Orientem. 37. Convivia luxu foeda celebrat, ministro Tigellino. Pythagorae nubit. 38. 39. Clades Romae ex incendio, forte an dolo principis, qui in remedium multa popularia usurpat. 40. 41. Cladis magnitudo. Novae urbis condendae consilium. 42. Ex patriae ruinis immensam domum exstruit Nero. Maiora frustra molitur. 43. Novae urbis facies. 44. Petita diis piacula, frustra. Incendii invidia in Christianos devoluta misere excruciatos. 45. Italiam, socios, templa spoliat Nero; aversantem id Senecam veneno petit.

46. Gladiatorum eruptio apud Praeneste. Classis ad Misenum amissa. 47. Prodigia. 48. Coniuratio Pisonis in Neronem. 49. 50. Coniuratorum nomina, mores, odiorum in Neronem causae. Iis accedit Rufus praefectus praetorio. Subrii impetus. 51. Epicharis classem tentans proditur. 52. Coniuratorum impetus retardatus a Pisone ob sacra mensae. 53. Aliud coniuratorum consilium. 54. Scevini imprudentia. Milichus servus herum defert, qui egregie se defendit, sed muliebri astutia deprehenditur. 55. 56. Natalis coniurationem fatetur, Pisonem, Senecam nominat, Lucanus matrem. 57. Epicharis tormentis dilacerata mirum fidei exemplum praestat. 58. Nero reos audit, quos violenter urget Rufus dissimulata conscientia. 59. Piso neglectis amicorum monitis occiditur. Eius testamentum et uxor. 60. 61. Caedes Laterani et Senecae. Huius defensio spreta. 62. Supremi sermones. 63. Amica contentio cum uxore. 64. Cuius mortem inhiberi Nero imperat. Senecae cruciatus, mors, funus. 65. Ipse destinatus imperator a Subrio. 66. Rufus proditur. 67. 68. Subrii Flavii, Aspri, aliorum constantes voces et exitus. Rufi mollities. 69. Nero Vestinum quamvis insontem interimit. 70. 71. Mox Lucanum, Senecionem, Quinctianum, Scevinum. Simulata per urbem gaudia. Indicibus praemia, suspectis militiae vacatio, aliis exsilia. 72. Turpiliano, Nervae, Tigellino triumphalia, Nymphidio consularia insignia data. 73. Nero adversum rumores se purgat. Gallionis periculum. 74. SC. ob servatum Neronem. Pugio Scevini dicatus Iovi Vindici.

Gesta haec annis paullo amplius tribus, C. Memmio Regulo, Verginio Rufo; C. Lecanio Basso, M. Licinio Crasso; P. Silio Nerva, C. Iulio Attico Vestino coss.

(1) Interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis rebus regemque alienigenam Tigranen Armeniae impositum, simul fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursum Romana et continui foederis reverentia diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis illigatus. atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae exstimulat: quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat; idque primores gentium aegre tolerabant, eo contemptionis descensum ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis tot per annos inter mancipia habiti. accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod praesidium aut unde peteret rogitans. iam de Armenia concessum, proxima trahi; et nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus per silentium aut modice querendo gravior erat: non enim ignavia magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna aequius quod validius; et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse. (2) igitur commotus his Vologeses concilium vocat, et proximum sibi Tiridaten constituit, atque ita orditur: «hunc ego eodem mecum patre genitum, cum

2. *alienigena tigranē* M. — *tyrid.* M. — 3. *magnitudinē* M. — Habet *rursum* M, non *rursus* Spir. — 4. *faederis* M. — 5. *yrcanorum* M. — 7. *ext.* M. — *tygr.* M. — 9. *egre tollerabant* M. — 14. *dedetis* M. — *tyrid.* M. — 15. *aut*] *haud* M. Correxit Beroaldus. — 18. *private* M. — 19. *tyrid.* M.

1. *Interea*] Resumuntur gesta 14, 26. narrata. Duebn. Cfr. Dio 62, 19. seqq. — *fastigium*] maiestatem ac potentiam. — *foederis*] scil. cum ipsa Parthorum gente icti; motus hactenus narrati de Armenia concitati erant. Duebn. Bellum apertum inter Parthos et Romanos post improsperum illud M. Antonii a. 718. nullum gestum erat; foedus autem refertur maxime ad a. 734., quo Phrahates captivos et signa olim Crasso et Antonio adempta Augusto remisit. — *defectione Hyrcanorum*] Cfr. 13, 37. 14, 25. — *Adiabenos*] Adiabene olim Assyria inter Lycum et Caprum fl., nunc *Botan*, pars regionis *Kurdistan*. — *quam per latrocinia*] latius atque diutius, quam in solitis incursionibus dumtaxat praedae abigendae causa inceptis fieri solet. — *obsidis*] Tigranis. 14, 26. — *dolorem eorum*] Refer ad *primores gentium;* non est enim «earum rerum», ut volebat Ernestius. — *Monobazus*] Dio 62, 20. 23. 63, 1. — *Adiabenum regimen*] post obitum, opinor, Izatis, qui supra 12, 13. *Adiabenorum rex* dicitur et Monobazo patri successit, etsi Monobazus, frater eius, natu maior fuit. Cfr. Ioseph. A. I. 20, 2. Ruperti. Iosepho teste, Iudaicam is religionem profitebatur. — *Parthi*] Supple cogitatione: *se ad Romanos desciturum; nam levius* cet. Doed. Monobazus more minitantium quaedam silentio premit et obscure tantum significat, quae intelligi quam disertis verbis dicere malebat, additis tamen unde consilium suum intelligi posset. Walth. Ernestius *et* transposuit ante v. *proxima*, Oberlinus delevit, neuter sensum perspiciens. — *per silentium*] triste erga fratrem servatum. — *gravior*] Non significat, ut vulgo explicant, *molestior;* sed: «altius commovebat fratrem Vologesen;» *er machte nur desto tiefern Eindruck* Gutmann, *il produisait - - une impression plus profonde encore* Louandre. In iis, quae sequuntur *non enim* cet., Vologesis meditationem exponi pu-

mihi per aetatem summo nomine concessisset, in possessionem Armeniae deduxi, qui tertius potentiae gradus habetur: nam Medos Pacorus ante ceperat. videbarque, contra vetera fratrum odia et certamina, familiae nostrae penates rite composuisse. prohibent Romani, et pacem nunquam ipsis prospere lacessitam nunc quoque in exitium suum abrumpunt. non ibo infitias: aequitate quam sanguine, causa quam armis retinere parta maioribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute corrigam. vestra quidem vis et gloria *in* integro est, addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est et a dis aestimatur.» simul diademate caput Tiridatis evinxit; promptam equitum manum, quae regem ex more sectatur, Monesi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum auxiliis; mandavitque Tigranen Armenia exturbari, dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis vires intimas molemque belli ciet, provinciis Romanis minitans. (3) quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit; occulto praecepto, compositius cuncta quam festinantius agerent: quippe bellum habere quam gerere malebat. scripseratque Caesari proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Suriam ingruente Vologese acriore in discrimine

3. *certam in familiae* (sic) M. Correxit Rhenanus vitiosum *certamen familiae* Puteolani. — 4. Habet *nunquam ipsis* M. Ante Waltherum edebant *ipsis nunquam.* — 5. *absitium* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — 7. *moioribus* vel *moloribus* M. (Distingui nequit.) — 8. *in* om. M. — 9. *estim.* M. — 10. *tyrid.* M. — *euincxit* M. — 11. *mandabitque tygr.* M. — 12. *exturba* M. Correctum in Guelf. Harl. Bodl. Ies. et a Puteol. — *hirc.* M. — 15. *tygr.* M. — 16. *cuncta confestinantius* M. Emendavit Rhenanus ex Bud. — 17. *malebant* M. — 18. *syriam* M. — *uologeses* M.

tant Burnouf et Duebner: ego cum Gutmanno aliisque hic video Tiridatis exhortationes, quibus *gravior (eindringlicher)* erat quibusque propterea fratrem commovit. (Freinshemius quidem et Ruperti Cod. secuti sic distinxere: *per silentium haud modice* (gravis), *querendo gravior erat,* quam rationem nullo modo probare possum. Nimis est enim affectata et contorta.) — *de alienis*] vel tutandis vel acquirendis. Duebn.

2. *concilium*] Strabo 11. p. 515: *Τῶν Παρθυαίων συνέδριόν φησι Ποσειδώνιος εἶναι διττόν· τὸ μὲν συγγενῶν, τὸ δὲ σοφῶν καὶ μάγων, ἐξ ὧν ἀμφοῖν τοὺς βασιλεῖς καθίστησιν.* — *summo nomine*] regis Parthorum (*βασιλέως τῶν βασιλέων*), a quo pendebant reges Medorum et Armeniorum. — *videbar*] mihi, ut 16, 30. — *non ibo infitias*] Monendum locutionem periphrasticam, apud Ciceronem non obviam, pro verbo *infitiari*, a scriptoribus prosae orationis nonnisi cum negatione coniungi. Cfr. Doederlein *Syn.* IV. p. 32. Bach. — *evinxit*] *cinxit* Cod. Reg. e gloss. — *Monesi*] Dio 62, 20. et 22., cui est *Μοναίσης* et rectior sane scriptura etiam Latine videtur *Monaeses*, ut edidi Horat. C. 3, 6, 9.

3. *Verulano Severo*] 14, 26. — *Vettio Bolano*] de quo Agr. 8: *praeerat Britanniae placidius, quam feroci provinciae dignum est.* — *habere*] ita ut in epistolis Romam missis gloriari posset se bello implicatum esse, etsi re vera prorsus remisse id consulto gerebat. Aliter in prima Editione Gutmann: *weil er lieber der Angegriffene als der Angreifer sein wollte,* item Louandre: *il aimait mieux repousser la guerre que la déclarer.* Sed neutrum Taciti verbis inesse existimo. Optime Burnouf verbum verbo reddere ausus: *il aimait mieux avoir la guerre que la faire.* Molestam quidem ac periculosam belli partem in alium amoliri conabatur, ipse tamen suum exercitum retinere nec pro-

esse. atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat, tumultuariam provincialium manum armat, hostiles ingressus praesidiis intercipit. et quia egena aquarum regio est, castella fontibus inposita; quosdam rivos congestu arenae abdidit. (4) ea dum a Corbulone tuendae Suriae parantur, acto raptim agmine Moneses, ut famam sui praeiret, non ideo nescium aut incautum Tigranen offendit. occupaverat Tigranocertam, urbem copia defensorum et magnitudine moenium validam. ad hoc Nicephorius amnis haud spernenda latitudine partem murorum ambit; et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. inerantque milites et provisi ante commeatus; quorum subvectu pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi ira magis quam metu ceteros accenderant. sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla comminus audacia: raris sagittis neque clausos exterret et semet frustratur. Adiabeni cum promovere scalas et machinamenta inciperent, facile detrusi, mox erumpentibus nostris caeduntur. (5) Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunae ratus misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae illatam: socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri. omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus apud oppidum Nisibin septem et triginta milibus passuum a Tigranocerta distantem adit regem et mandata ferociter edidit. Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi;

1. *eufr.* M. — *Tũ multi uaria* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 4. *harenae* M. — *syriae* M. — 5. *praehiret* M. — 6. *tygranẽ* M. — *tygranocertam* (non *tyranoc.)* M. Ante Bekkerum edebant *Tigranocerta.* — 7. *magnitudinẽ* M. — Habet *hoc* M. Ante Waltherum edebant *haec.* — 8. *ambiit* M. — 9. *inherantque* M, non *inheserantque,* ut narratur apud Bekkerum. — 14. *ced.* M. — 17. *circumsedere* M. Ex Agr. correxit Ryckius; retinuere Walther et Duebner. — *obsidionẽs* (sic) M. — 19. *legionem* M. Correxit Puteolanus. — 20. *tygr.* M. — Habet *adit* M, non *adiit* Guelf. Ern.

priam gloriam prius partam discrimini exponere. — *ingressus*] Intelligo loca per quae ingredi provinciam soleant aut possint Parthi. Nam nondum ingressi eo tempore. *Intercipere* exprimit Graecorum *διαλαμβάνειν*, quo Polybius 5, 99. et alii saepe de impositis itineri praesidiis utuntur. Ern. — *quia egena*] quia etiam alioquin egena aquarum erat, paucis illis, qui ibi erant, fontibus castella imposuit; nam prorsus omni aqua intercludere Parthos volebat. Frustra sane I. Fr. Gronovius, probante Ernestio, proposuit *quo - - esset;* id quod addere nihil omnino attinebat, cum per se consilium, quo castella illa imposuerat, pateret. — *abdidit*] pro vulgari *obruit.*

4. *Tigranocertam*] 12, 50. Forbiger *Geographie* II. p. 604. — *magnitudine*] adeo, ut Appianus Mithr. 84. producat moenia Tigranocertae in altitudine ad L. cubitos; quae in imo adaptata equorum stabulis. Lips. — *Nicephorius*] Orientem versus ab Euphrate fluente; hodie *Khabur, Sered* sive *Biblis.* Forbiger *Geographie* II. p. 598. — *repentinis*] repente ingruentibus, ut Cic. de Rep. 2, 3., ubi his opponuntur *hostes exspectati.* — *ira - - accenderant*] Notabili zeugmate pro: *ira magis accenderant, quam metu perculerant.* Doed.

5. *circumsideri*] In Med. lect. *circumsedere* ingratissimus est duplex accusativus, adeo ut Quintilianus 8, 2, 16. vitiosam et male compositam dicat *φράσιν visum a se hominem librum scribentem* et hanc accusativi geminationem propter amphiboliam damnet etiam 7, 9, 10. Porro multo effi-

nec praesentia prospere fluebant. irritum obsidium; tutus manu et copiis Tigranes; fugati qui expugnationem sumpserant; missae in Armeniam legiones, et aliae pro Suria paratae ultro irrumpere; sibi inbecillum equitem pabuli inopia: nam exorta vis locustarum ambederat quicquid herbidum aut frondosum. igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia et firmanda pace respondet. Monesen omittere Tigranocertam iubet; ipse retro concedit. (6) haec plures ut formidine regis et Corbulonis minis patrata ac magnifica extollebant. alii occulte pepigisse interpretabantur, ut omisso utrinque bello et abeunte Vologese Tigranes quoque Armenia abscederet. cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? cur deserta per otium quae bello defenderant? an melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti? dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret, Corbulo meritae tot per annos gloriae non ultra periculum faceret. nam, ut rettuli, proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat, et adventare Caesennius Paetus audiebatur. iamque aderat, copiis ita divisis ut quarta et duodecima legiones addita quinta, quae recens e Moesis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Paeto obedirent, tertia et sexta et decuma legiones priorque Suriae miles apud Corbulonem manerent; cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. sed neque Corbulo

1. Habet *irritum* M, non *inritum*, ut traditur apud Walth. — *manu*] *moenibus* Neulus. — 3. Habet h. l. *Suria* M. — *inb.* M: *imb.* B. — 4. *ui locustarum aberat* M. Correxit Lipsius. — 7. Habet *omittere* M, non *amittere* Corb. Spir. — *tygranocertam* M, non *tyranocertam*, ut narratur apud Bekkerum, ante quem edebant *Tigranocerta*. — 8. *hec* M. — *patrata ac magnifica* M: *patrata magnifice* Puteolano auctore B. — 9. *interp̄tabantur* M. — 10. *tygr.* M. — 11. *exercitũs* (sic) M. — *tygr.* M. — 13. *contenti*, superscr. ab eadem manu *re*, M. — 16. *retuli* M. — 19. *cappadacumque* M. — *oboedirent* M. — 20. *syriae* M.

cacior est Cod. Agr. lectio: «socium quidem amicumque regem adhuc esse, ac tamen Romanos circumsideri.» — *potius*] additum, quo mitior ac precibus similior videretur postulatio; Lipsius *ocius*, Boxhornius *protinus* substituendo imperiosiorem faciunt Corbulonem, quem moderatum et paci servandae intentum narrat Tacitus. — *Nisibin*] magnam Mesopotamiae urbem, etiam hodie *Nisibin* sive *Nessabin*. Forbiger *Geographie* II. p. 631. — *vitandi*] Genitivus gerundii saepe pendet ex verbis, in quibus latet notio substantivi, ut hoc loco *studium*, *consilium*, quod latet in praedicato *infixum;* vide C. 21. Duebn. et Doed. Cfr. 2, 43: *monuit - - insectandi.* 3, 69: *cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi.* 15, 21. — *manu*] «ad milites, *copiis* ad commeatus reliquosque usus militares referendum est, ut C. 16. H. 3, 15. 4, 22. At Neuius suspicatur *moenibus*, *et copiis*, coll. A. 12, 45. H. 2, 32: *tutas viris murisque urbes.* 3, 57: *moenibus situque tutam.* Speciose (nisi quod lenius etiam *munitu et copiis* emendasset), non necessario. Doed.» Omni probabilitate destituta est illa coniectura, neque vero Tacitus usurpasset *munitu* nisi cum vv. *facilis*, *difficilis* cet.

6. *patrata ac magnifica*] Hoc profecto multo melius quam vulgare illud Puteolani *patrata magnifice*. Videlicet volebat Tacitus, ut lector in his Corbulonis laudibus immoraretur, quo clarius earum vanitatem animadverteret. — *ut rettuli*] C. 3. — *Caesennius Paetus*] Hic primum memoratus. Praenomen ei *Lucio*. Cfr. Dio 62, 20. seqq. Ioseph. B. I. 7, 9. — *e Moesis*]

aemuli patiens; et Paetus, cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil caedis aut praedae, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitans: se tributa ac leges et pro umbra regis Romanum ius victis impositurum. (7) sub idem tempus legati Vologesis, quos ad principem missos memoravi, revertere inriti, bellumque propalam sumptum a Parthis. nec Paetus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecumam Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, tristi omine. nam in transgressu Euphratis, quem ponte tramittebant, nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. hostiaque, quae muniebantur, hibernaculis adsistens semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit. et pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat. (8) ceterum Paetus spretis ominibus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariae provisu, rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis, ut ferebat, Tigranocertis, vastandisque regionibus quas Corbulo integras omisisset. et capta quaedam castella, gloriaeque et praedae nonnihil partum, si aut gloriam cum modo aut praedam cum cura habuisset. longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, et instante iam hieme, reduxit exercitum, conposuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas. (9) interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit; et ne

2. *nichil* M. — 3. *expugnatione* M. — 4. *uologaesis* M. — 5. *inr.* M: *irr.* B. — 7. *duodecumam* M: *duodecimam* B. — Fort. *C. Flavius.* V. Fast. Cons. a. 804. 821. 834. Bait. — 8. *tristionē nam* M. — 9. *eufr.* M. — *tramittebant* M: *tramittebat* B. — 10. *consiliaria* M. — *ostia quaeque* M. — 11. *ads.* M: *ass.* B. — 13. *caeterum* M. — *hominibus* M. — 15. Habet *recip.* M, non *recup.* Guelf. Spir. — *tygr.* M. — 17. *nonnichil* M. — 18. *que* M. — 20. *conp.* M: *comp.* B. — *cesarem* M. — 21. *corbulonū quam* M.

Sine causa Ruperti volebat *e Moesia*; pro regione saepe ponuntur incolae. — *cui satis*] Hiller volebat *cui non satis*, haud perspiciens *erat - - haberetur* positum esse pro vulgari *fuisset - - habitus esset*.

7. *Funisulanus Vettonianus*] Titulum, qui ad hunc Funisulanum spectat, Romae repertum, paullo ante publicatam Broterii editionem hic exhibet:

L. FVNISVLANO
L. F. ANI. VETTONIANO
TRIB. MIL. LEG. VI. VICT. QVAE
STORI. PROVINCIAE. SICILIAE
TRIB. PLEB. PRAET. LEG. LEG. IIII.
SCYTHIC. PRAEF. AERARI. SATVR
NI. CVRATORI. VIAE. AEMILIAE. COS.
VII. VIR. EPVLONVM. LEG. PRO. PR.
PROVINCIAE. DELMATIAE. ITEM. PRO
VINC. PANNONIAE. ITEM. MOESIAE
SVPERIORIS. DONATO
BELLO. DACICO. CORONIS. IIII.
MVRALI. VALLARI. CLASSICA. AVREA
HASTIS. PVRIS. IIII. VEXILLIS IIII.
PATRONO
D D.

In Fastis quidem non memoratur; adeo ut, si inscriptio sincera, consul fuerit suffectus; mirum etiam quod, qui dedicarint, non dicitur. — *Calavius Sabinus*] Tres sunt *Calavii* apud Mur. — *equus*] Plutarch. Crass. 36. inter prodigia pariter futurae cladis sic narrat: *ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον ὑποβρύχιος ἠφανίσθη.* Item Obsequens 129. inter ea, quae Pansae consuli evenerunt: *Equus pharetratus in ipsius conspectu festinans concidit.* Dionys. A. R.

ponti iniciendo impedimentum hostiles turmae afferrent (iam enim subiectis campis magna specie volitabant), naves magnitudine praestantes et connexas trabibus ac turribus auctas agit per amnem, catapultisque et balistis proturbat barbaros; in quos saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur. dein pons continuatus, collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate et ostentatione virium ut Parthi omisso paratu invadendae Suriae spem omnem in Armeniam verterent. (10) ubi Paetus imminentium nescius, quintam legionem procul in Ponto habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesen magno et infenso agmine auditum. accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia. qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset. verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. et tunc relictis hibernis, non fossam neque vallum sibi sed corpora et arma in hostem data clamitans, duxit legiones quasi praelio certaturus. deinde amisso centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis praemiserat, trepidus remeavit. et quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia tria milia delecti peditis proximo Tauri iugo imposuit, quo transitum regis arcerent; alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. coniux ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi, data in praesidium co-

1. *impedimentuum* M. — 3. *conexa* (sic) M. — 4. *quo* M. — *permanebant* M. Emendatum in Guelf. et a Puteol. — 7. *paratui* M. — 8. *syriae* M. — 9. Habet h. l. *promiscuis* M. — 12. *fama* M. (*fama - - sperata erat* volebat Iac. Gronovius probante Ernestio.) — 17. *ballum* M. — 18. *centurionē* M. — 20. *fiduciā* M. — 21. *pedites* M. Correxit Pichena. — 22. *coniux* M: *coniunx* B.

10, 24., ex quo apparet equum unum pluresve cum ornatu imperatorio, et consulari (si eum magistratum dux gessisset) e publico datos; non aliud, quam speciem et notam dignitatis. Lips. — *consularia insignia*] concessa Caesennio. Proprie intellige: nam consul is nunquam fuit testibus Fastis, in quibus non memoratur; atque subditiva est inscriptio a Ryckio ad 14, 29. allata. — *adsistens*] ut mactaretur statim post *perfectam* munitionem, sed *semifacta* aufugit. — *arsere*] ut 12, 64: *Signa ac tentoria militum igne caelesti arsere;* est meteorum electricum.

8. *ominibus*] Cur Doederlein praetulerit Guelf. Bud. Spir. *omnibus*, non exputo, nisi forte est operarum error. Sane *ominibus* per se quoque aptius satis firmatur Med. vitio *hominibus*. — *longinquis*] Ut ἀντίϑεσις magis etiam appareret, omisit particulam adversativam.

9. *magna specie*] «ita ut magna esse videretur eorum multitudo.» Duebn. Ceterum *subiectis campis magna specie volitabant* hexameter. Ruperti. — *catapultis*] pr. hastae trabesque, *balistis* saxa mittebantur.

10. *infrequentia*] exiguus militum numerus, quia per commeatus illos nimis multi abierant a legione in locos amoenos ac voluptarios. — *eludi*] callide declinari. Cfr. 1, 35. 2, 52. — *tractu belli*] trahendo, ducendo bellum. Duebn. — *Arsamosata*] Plin. 6, 9: *oppidum Armosata* (sic) *Euphrati proximum.* Polyb. 8, 25: *Ἀρμόσατα* (sic) *κεῖται ἐν τῷ Καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ, μέσον Εὐφράτου καὶ Τίγριδος*. Abulfedae est *Schemschath.* Cfr. For-

horte ac disperso milite, qui in uno habitus vagum hostem promptius sustentavisset. aegre compulsum ferunt ut instantem Corbuloni fateretur. nec a Corbulone properatum, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur. expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iussit. (11) at Vologeses, quamvis obsessa a Paeto itinera hinc peditatu inde equite accepisset, nihil mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum centurione Tarquitio Crescente turrim, in qua praesidium agitabat, defendere auso, factaque saepius eruptione et caesis qui barbarorum propius suggrediebantur, donec ignium iactu circumveniretur. peditum si quis integer, longinqua et avia, vulnerati castra repetivere, virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant. ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita subpeditet, retenturos. (12) ille interritus, et parte copiarum apud Suriam relicta ut

2. *et egre* M, ex geminatione litt. praecedentium. — 3. *subsidiis* M. — 4. *iteneri* M. — 7. *nichil* M. — 9. Habet *factaque* M, non *facta*, ut inde a Puteolano usque ad Waltherum edebant. — *erruptione* M. — *cesis* M. — 10. *prorius* (sic) M. — 12. *seuit.* M. — 15. *p̄cibus* M. — 16. *uitā* M. — *subp.* M: *supp.* B.

biger *Geographie* II. p. 604. — *instantem*] Durum mihi semper visum. Credo verum esse *necessitatem*. Ern. Immo intellige *hostem*, quod proxime praecedit. Walth. — *tribus legionibus*] tertia, sexta et decima. Cfr. C. 6.

11. *sed vi*] Faërnus *sed* delebat, quod est sane alienum et durum. Ern. Nemo profecto haesisset in innocentissima hac particula, si Tacitus scripsisset: *non mutavit consilium, sed vi* cet. Atque variatae constructionis per ablat. absol. prorsus eadem est ratio. («Quamquam Paetus undique itinera obsederat, Vologeses tamen exterruit equites alares, quippe qui non mutaret consilium, sed vim ac minas adhiberet.» Bach.) — *factaque*] Particulae *que*, *et* invicem sibi respondent, ut apud Graecos *τε - καί*. Bach. Sic 4, 3: *seque ac maiores*. 4, 34: *et uterque opibusque atque honoribus perviguere*. 12, 37: *ipsique et coniugi*. Walth. — *circumveniretur*] Bud. *circumvenirentur*; sed singularis optime refertur ad centurionem illum, complectens, ut consentaneum est, etiam milites, qui sub eo erant. — *avia*] scil. *petivere*, quod ex v. *repetivere* assumendum. Doed. — *retenturos*] se et milites suos. Ante Pichenam, qui recepit Med. lectionem, edebant *retenturum*.

12. *Commagenam*] septentrionalem Syriae partem, cuius caput Samosata, hodie *Semisat*. — *onusta frumenti*] ut Plaut. Aul. 4, 2, 4: *aulam onustam auri*. — *Paccium*] At supra 13, 36. perfunctum eo honore ait: *Curam praesidiorum Paccio Orfito primipili honore perfuncto mandat*. Lips. Difficultatem declinare conatus est Duebner haec adnotans: «Fortasse eundem, de quo 13, 36.» Idem si est, quidni post illam curam praesidiorum rursus primipili ordinem duxerit? — *obtendentes*] Ipso hoc verbo satis significat aliquas saltem ex his causis obtentui tantum sumptas fuisse. Ceterum, ut dixi ad 13, 36., in Inscriptionibus memorantur semper *Paccii*, non *Pactii*. — *immitem*] «victoribus solum mitem, non desertoribus.» Doebn. Significarat hoc iam I. Fr. Gronovius, cuius adnotationem sic dilatavit aliquanto Walther: «Se nullam fugae excusationem accipere nec desertoribus ignoscere; se fugitivis immitem et nonnisi victoribus mitem esse.» Profugi Paeti milites a Corbulone, quem obvium habuissent, recipi cupiebant; is autem severitatem imitatus

munimenta Euphrati inposita retinerentur, qua proximum et commeatibus non egenum, regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit. comitabantur exercitum, praeter alia sueta bello, magna vis camelorum onusta frumenti, ut simul hostem famemque depelleret. primum e perculsis Paccium primipili centurionem obvium habuit, dein plerosque militum; quos diversas fugae causas obtendentes redire ad signa et clementiam Paeti experiri monebat: se nisi victoribus immitem esse. simul suas legiones adire, hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere. non vicos aut oppida Armeniorum sed castra Romana duasque in iis legiones pretium laboris peti. si singulis manipularibus praecipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus apisceretur, qui adtulissent salutem et qui accepissent! his atque talibus in commune alacres (et erant quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum diu noctuque iter properabant. (13) eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo inbellis aetas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea

1. *eufr.* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 2. *exim* M. — 5. *Paccium* M: *Pactium* B. — 6. *fuge* M. — 10. *p̄tium* M. — 12. Habet *apisceretur* M. — *adt.* M: *att.* B. — 15. Habet *diu* M, non *die* Harl. Bodl. Ies. Guelf. Puteol. — *p̄mere* M. — 16. *in bellis* divise M, *imbellis* B. — 17. *adp.* M: *app.* B.

est Q. Metelli Macedonici, qui in Hispania quinque cohortes, quae hostibus cesserant, testamentum facere iussas ad locum recuperandum misit, minatus eas *non nisi post victoriam receptum iri.* Doed. — *praecipua*] inter coronas militares nobilissima. Plin. 16, 4: *civica corona, militum virtutis insigne clarissimum.* — *imperatoria manu*] Gellius quidem 5, 6: *Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in proelio, testem vitae salutisque perceptae dat.* Verum etiam libera re publica eum ad honorem tribuendum imperatoris permissu opus fuisse consentaneum est; alioquin enim tam insigni honore facile abuti potuissent amici in amicos, praesertim ubi testes idonei, quos interrogaret imperator, non adfuissent. De principum temporibus ex 3, 21. discimus civicam coronam iure proconsulis tribui potuisse. Cfr. Suet. Tib. 32. — *apisceretur*] Locus difficilis et ab interpretibus multum vexatus, velut cum Lipsius proponeret *adspiceretur*, Ritter v. *apisceretur* ut «inane et supervacaneum» secluderet, Doederlein v. *apisceretur* passive dictum vel leni remedio correctum *apiscerentur* post verba *quod illud et quantum decus* transponendum suaderet. Explica: *ubi par eorum numerus apisceretur* decus illud coronae civicae, καθ' ὑπερβολὴν pro *mereretur*; nam omnia haec XII. milia hominum illa ipsa corona donare res inaudita et propter fastum praesertim sub Nerone duci ipsi periculosa sane fuisset. Tum exponit Corbulo, quomodo *parem* illum *numerum* intellexerit, eorum scilicet, qui adtulissent salutem et eorum qui accepissent: vel, si mavis cum Duebnero: «Ubi tantus esset numerus eorum, qui salutem attulissent et coronandorum, nimirum numerus par retractis ab interitu, qui erant legiones duae.» Perbene Burnouf: *combien serait glorieux le jour où il y aurait autant de couronnes civiques à distribuer qu'il y avait eu de citoyens en péril.* Eius adnotationem integram dabimus in Excursu ad h. l. — *in commune*] ἐς τὸ κοινόν, communiter, universe; «omnes», etiam ii, quos proprii caritatis stimuli non incenderent. — *diu*] Sic Hist. 2, 5: *noctu diuque.*

13. *castellum*] Arsamosata. C. 10. — *adpugnare*] ut 2, 81. Primus e Med. (et Spir.) dedit Pichena, ante quem ceteris

temeritate hostem in praelium eliceret. at illi vix contuberniis extracti, nec aliud quam munimenta propugnabant, pars iussu ducis, et alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes, ac vis *si* ingrueret, provisis exemplis Caudii et Numantiae. neque eandem vim Samnitibus Italico populo aut Poenis, Romani imperii aemulis. validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse. qua desperatione exercitus dux subactus primas tamen litteras ad Vologesen non supplices sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis semper Romanae dicionis, aut subiectis regi quem imperator delegisset,

3. *ut*] *aut* M. Vitium correxit Rhenanus. — *ac vis si* Walther: *ac vis* M, *ac si vis* cum Guelf. et Puteolano B. — 4. *Caudii et Numantiae. neque eandem* Orellius: *caudio nenum antineque eandem* M (non, ut narratur apud Bekkerum, *caudine numantineque eandem)*, *Caudinae ac Numantinae cladis. neque eandem* cum Guelf. et Puteolano B. Sed offendimus in part. *ac* statim repetita, et *cladis* est ex mera interpolatione, pro qua alteram *deditionis* exhibet Cod. Agr. *caudi* M. antiqua est scriptura pro *Caudii*, *e* autem praeceptum ex v. *et*. — 5. *aut Poenis* M (scriptum *paenis): aut Hispanis* [*quam Parthis*] I. Fr. Gronovio auctore B. — *Romani*] *ac Romani* Duebner coni. — *emulis* M. — 7. *uologesesi* (sic) M. — 9. *rei* M.

e Mss. edebant *oppugnare.* — *iussu ducis*] qui ipse quoque e castris erumpere non audebat. — *ignavia*, *ut Corbulonem opperientes*] Propriam ignaviam, quae eos impediebat, ne eruptionem facere auderent, ita dissimulabant atque excusabant, ut dicerent se, priusquam advenisset Corbulo, dimicare non posse. Med. lectionem *aut* restituere Bach et Duebner praetulitque Doederlein, ita defendens: «*Pars* militum intra contubernia se tenuit» (hoc vero minime significant vv. *illi vix contuberniis extracti:)* «*pars* munimenta propugnabat iussu ducis, *pars* ibidem agebat sua sponte, aut prorsus otiantes, aut anxie Corbulonis adventum prospectantes; nemo autem erumpere vel cum hoste ad pugnam invitante confligere cupiebat; denique solatium captivitatis, si Vologeses expugnasset castra, circumspectabant alia Romanorum sub iugum missorum exempla.» At vero Tacitus non tria, sed duo dumtaxat militum genera describit, alterum tarde obedientium, qui e contuberniis vix tandem egressi erant in munimenta propter Paeti iussum, nec tamen ignavi vocari poterant; alterum turpiter ignavorum, qui quidem palam obtentui sumebant adventum Corbulonis esse opperiendum, clam autem sese consolabantur prioribus ignominiae exemplis; etenim in his vv. *ac vis si* - - *Numantiae* profecto nihil aliud inest quam iterata ignaviae notio, neutiquam vero alia aliqua affectio animi reprehensione aeque digna, atque ignavia. — *provisis*] «iam ante praeparatis ac quaesitis.» Amare dictum: *s'étant pourvus de* . . . Notae sunt clades Caudina (a. u. 433.) et Numantina (a. u. 617.) Duebn. — *neque eandem*] Cum vix putem fore, ut quisquam Duebneri quamvis ingeniosam coniecturam *ac Romani* recipiat, haec ita explicanda erunt: «neque vero eandem atque nunc Parthis (id est multo minorem quam Parthis) fuisse olim vim Samnitibus aut Poenis, etsi utrisque diverso tempore Romani imperii aemulis.» — *aut Poenis*] Dispari modo haec Med. lectio nuper defensa est a Duebnero et a Doederleinio. Ille, praeeunte ex parte Walthero, sic disputat: «*a Poenis*] Non a Karthaginiensibus, sed ab Hispanis, nono anno post Karthaginem deletam, illata Romanis clades Numantina: nihilominus cum artissime cohaereat Numantinum bellum cum Punicis et in Hispania diu cum Poenis esset dimicatum, a militibus *Poeni* ab illo bello minime alieni, fortasse vulgi Romani quadam consuetudine, poterant citari. De re non absimili dictum 6, 12: *exustum sociali bello Capitolium* pro *civili bello*, quod illud mox excepit.» Contra Doederlein: «Samnites ac Poeni soli dici possunt imperii Romani aemuli; quorum illi de Italiae, hi de orbis terrarum imperio cum Romanis certaverunt; reliquae gentes, ut Hispani, Germani, Parthi, satis habuerunt suam ipsi libertatem adversus Romanos defendere.

hostilia faceret: pacem ex aequo utilem; ne praesentia tantum spectaret. ipsum adversus duas legiones totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuvarent. (14) ad ea Vologeses nihil pro causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten rescripsit; illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent; adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul et de legionibus Romanis statuerent. missi post a Paeto nuntii et regis colloquium petitum, qui Vasacen praefectum equitatus ire iussit. tum Paetus Lucullos Pompeios et si qua Caesares obtinendae donandaeve Armeniae egerant, Vasaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memorat. et

1. *equo* M. — *utile* M. — *ne* M: *nec* cum Puteolano B. — 2. *regnis* M. — *ad* M. — 4. Habet h. l. *nihil* M. — *paucorum* M. — *tyridatê* M. — *rescribsit* M. — 5. Habet *quid* (*qd* cum lin. transversa in *q*) M, id est, *quid*, non *quod*, ut narrant. (*quo* Cod. (?) Ursini, probante Doederleinio.) — 6. *de* cum lin. M. — *simul et*] *simul ut* mavult Bekker. — 7. *post hac paeto* (sic) M. Emendatum est in Spir. — *petitu* M. — 9. *quaces* (sic) M. — *opt.* M. — *donandeue* M. — 10. *paenes* (priori loco) M. — Habet *memorat* M. Ante Bekkerum edebant *memoravit*.

Freinshemius aliique *Hispanis ut Romani* substituerunt, quia respiceretur Numantina clades, in qua nullae Poenorum partes fuissent. Perperam. Non enim haec tam arte cum praecedd. cohaerent, neque respiciunt ad cladem Caudinam ac Numantinam, sed nil nisi casus tulit, ut bis deinceps Samnitium facienda esset mentio. Duo ac diversa ignavorum solatia distingue: primum, si sub iugum mittemur, hoc patiemur non sine exemplo; deinde: si vincemus, ab hostis vi ac virtute excusationem habebimus, qui plus valeat aliis Romanorum hostibus, etiam illis, qui cum Romanis non de libertate solum sed etiam de imperio certaverunt. Vide C. 11.» Atque haec Doederleinii interpretatio mihi potior videtur Waltherianâ. — *quoties fortuna contra daret*] Eadem locutio Hist. 1, 65. pro: adversa esset Romanis, hostibus faveret. Ob insolentiam in Bud. interpolatum *contradiceret*. — *ex aequo*] utrique parti aeque. Doebn. — *utilem*] Frustra, puto, Med. scripturam *utile* Bachius tueri conatus est Virgiliano illo *triste lupus stabulis*, et infra C. 34: *illic triste* - -, *providum et secundis numinibus evenit*. — *bellum iuvarent*] sustinerent, donec victoria tandem potirentur.

14. *illum locum*] Plerique interpretantur: «ubi tunc ipsum esset prope Rhandeam oppidum et Arsaniam fl.» Dio 62, 21. Et sane pro hac interpretatione afferri potest C. 28., ubi colloquium inter Tiridaten et Corbulonem habetur in loco, *in quo nuper obsessae cum Paeto legiones erant*. At cum nondum pro certo scire posset Vologeses, ubi ipsum uterque frater conventurus foret, praestat infinite accipere cum Walthero: *locum*, ubi primum omnes tres una futuri essent, *tempus*, propter diversa ceterorum itinera sane incertum, quo commune consilium iniri posset. — *cernerent*] pro magis solito *decernerent*. Cic. de Legg. 3, 3, 6: *QVODCVNQVE. SENATVS. CREVERIT. AGVNTO*. — *dignum Arsacidarum*] Cfr. 3, 34: *dignum tantae rei*. De rara constructione v. *dignus* cum genitivo consule Lexica, quibus adde Marcianum Dig. 49, 14, 18, 9: *ne alioquin poenam patiatur dignam suae personae*. Hic Tacitus *ἀμφιβολίαν* vitavit *Arsacidis adiecisse* et *dignum Arsacidis*. Sequentia ita explana: «adiecisse deos rem dignam fastigio Arsacidarum, ut non solum de Armenia, quae iam haud dubie in Arsacidarum potestatem venerit, sed simul etiam de sorte legionum Romanarum statuerent.» — *post a Paeto*] *posthac Paeto* defendit Bach ex 1, 1: *claris scriptoribus memorata*, quae constructio sane familiaris est Tacito; hic tamen nimis ambigua, neque vero Med. habet *posthac*, sed *post hac*. — *vim*] *δύναμιν* ipsam retinendi largiendive Armeniam. Alibi *imagini* opponitur *res*, ut Vell. 2, 30: *imaginem tribuniciae potestatis sine re Sulla reliquerat*.

multum in vicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quae pepigissent adhibetur. placuitque liberari obsidio legiones, et decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque et commeatus Parthis tradi; quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi ad Neronem legatos. (15) interim flumini Arsaniae (is castra praefluebat) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis: sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant. namque iis usui fuit; nostri per diversum iere. addidit rumor sub iugum missas legiones et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est. namque et munimenta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias, captiva olim mancipia aut iumenta adgnoscentes abstrahentesque. raptae etiam vestes, retenta arma, pavido milite et concedente, ne qua praelii causa exsisteret. Vologeses armis et corporibus caesorum aggregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam expleverat. flumen Arsaniam elephanto insidens, proximus quisque regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricantium. sed qui ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere. (16) ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit ut horreis ignem inicerent, contraque

1. *disseptato* M. — 2. *his que* M. — *adthibetur* (sic) M. — 5. *arsanieti* M, unde Lipsius efficiebat: *Arsaniae etenim is*, receptum a Walthero. — 6. *experientis* M. Correxit Grotius. Cod. scripturam praeferunt Bach et Doederlein. — *docimentum* M. — 7. *uictorie* M. — 8. *iugũ* M. — 11. *adnosc.* M, *agnosc.* B. — *abstraentesque* M. — 12. *exist.* M. — 13. *cesorum* M. — *aggeratis* Heinsius. Recepit Walther. — 15. *expleberat* M. — 18. Habet *fidum* M, non *firmum* Guelf. Bodl. Ies. Puteol. — *caeterum* M. — *suppiditauisse* M.

15. *Arsaniae*] Arsanias fl. a Militene meridiem versus per Sophenen in Euphraten labitur, hodie *Arsen*. Plin. 5, 24, 20. 6, 27, 31. Dio 62, 21: *ὁ Πάρθος ἀφῆκεν αὐτοὺς* (Paetum cum suis) *προδιομολογησάμενος, ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτῷ Ἀρσανίαν ζεύξωσιν· οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο* (*πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει*, scilicet adveniens:) *ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηται σφίσιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν ἦν, ἀμέλει οὐδὲ τότε διὰ τοῦ ζεύγματος ἀνεχώρησεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἐπ' ἐλέφαντος, οἱ δὲ ἄλλοι ὥσπερ τὸ πρότερον.* Propter quem locum Lipsius volebat *neque iis usui fuit*, quod recte refutat Freinshemius ex vv. seqq. *sed qui ingredi ausi sunt*, addens: «praeterea eum magno fuisse usui ad quotidianos transitus et commeatus aliaque bello necessaria transvehenda.» — *expedientis*] «obtentui sumentis faciliorem sibi fore decessum per hunc pontem, quam si aliud iter ingrederetur.» Disconvenit huic loco et propter miram constructionem *sibi experiri* et propter sensum Med. *experientis*; cur enim post pactum illud *experiendum* demum fuisset, an decedere posset necne? siquidem omnia itinera in Cappadociam aeque tuta erant, dummodo ex fide bona ageret Vologeses, qua de re dubitari vix poterat. — *rumor*] Cui rumori etiam Suetonius fidem habuit Ner. 39: *ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub iugum missis aegreque Syria retenta.* — *quorum simulacrum*] Hoc dicit: «re vera Armenii eiusmodi contumeliis nostros affecerunt, quae non longe afuerunt ab ignominia Caudina atque ipsis prope aeque gratum spectaculum praebuerunt, ac si Paetum sub iugum misissent.» Louandre: *Le bruit courut en outre que les légions avaient passé sous le joug, et subi les autres humiliations de la défaite, les Arméniens ayant simulé tous ces outrages* cet. — *aggregatis*] Heinsii *aggeratis* Walther firmat exemplis 1, 61: *ossa disiecta vel aggerata.* 6, 19: *dispersi aut*

prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere afuisse. adicit iure iurando Paeti cautum apud signa, astantibus iis quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci annueret. quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta milium spatium emensum esse Paetum, desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit ut diversitatem exprobraret. maesti manipuli ac vicem commilitonum miserantes ne lacrimis quidem temperare. vix prae fletu usurpata consalutatio. decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae, felicium hominum affectus: sola misericordia valebat, et apud minores magis. (17) ducum inter se brevis sermo secutus est. hoc conquerente inritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri, ille integra utrique cuncta respondit: converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam abscessu Vologesis infirmatam. non ea imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum, quando in incerto ha-

1. *prodiderint* superscr. *t* litteris *nt* M. — 2. Habet *itinere* M, non *itineri* Gueif. Spir. — *affuisse* superscr. *u* a manu recenti M. — Habet *adicit* M. Ante Bekkerum *adiecit*. — 3. *ast*. M: *adst*. B. — 4. Habet *referrentur* M, non *referentur* Bud. Puteol. — *littere* M. — 5. *augende* M. — 9. *aput* M. — 10. *mesti* M. — 14. *conquerentium* M. Correxit Faërnus. Si quid tamen latet, aptum foret *conquerente tam inritum* cet. — *inr*. M: *irr*. B. — 17. *uologeses* M.

uggerati. — *proximus quisque regem*] *Prope* et comparativi superlativique inde ducti cum accusativo aeque ac dativo struuntur. Plaut. Poen. 5, 3, 1: *qui te proximus est*. Caesar B. G. 1, 54: *Ubii proximi Rhenum incolunt*. Liv. 8, 32: *proximi tribunal*.

16. *contraque prodiderit Corbulo*] in commentariis, opinor, aut historia harum rerum. Plinius certe Corbulonem inter scriptores recensuit, 5, 24, 83. et 6, 8, 23. Lips. Contra alii: «in epistolis ad imperatorem missis, servatisque in Actis senatus vel diurnis.» — *pabulo attrito*] omni paene consumpto. — *apud signa*] in castrorum *principiis* (1, 61.); illic enim signa, et plerosque castrorum sollemnes actus apud principia notabis celebratos; ius ibi dictum (Liv. 28, 24.); edicta ibi proposita (Vulcatius in Avidio Cassio 6.); litterae lectae et habitae allocutiones (Spartianus in Pescennio 4.); castigatio et interdum animadversio ibi (Suet. Oth. 1. Frontinus Strat. 4, 1, 15.); signum etiam pugnae propositum. (Isidorus Origg. 19, 22.) Lips. — *una die quadraginta milium*] trepidissima sane fuga. Etenim Vegetius 1, 9: *Militari gradu viginti milia passuum horis quinque dumtaxat aestivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quattuor milia peragenda sunt*. — *ut diversitatem*] militum Paeti per splendorem suorum. Exercitus Romani quando sibi obvii fiebant, insignibus suis, armis, vestibus quique quantum possent exsplendescere non parcebant. Duebn. — *exprobraret*] ut pudorem illis incuteret, qui non eo apparatu venissent, sed multo dissimili, scilicet qui fugientium esse solet. Ern. — *minores*] inferiores fortuna, ut C. 20. Et hoc magis miseratio usurpata, quia infelices illi deterioris condicionis erant quam ipsi, nec invidia obstaret miserationi. Ern.

17. *laborem*] itineris tam properati. Duebn. — *integra*] *noch sei für beide nichts*

beantur Parthorum conatus, Suriam repetiturum. sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum praevenientem equitem adsequeretur. exin Paetus per Cappadociam hibernavit. at Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraheret castella trans Euphraten, amnemque, ut olim, medium faceret. ille Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat. et postremo concessit rex; dirutaque quae Euphraten ultra communiverat Corbulo, et Armenii sine arbitro relicti sunt. (18) at Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu integro adhuc bello, neque tum omissa, dum aspectui consulitur spreta conscientia. quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae sustentaret. cuius pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absum-

2. *oranda* M. — *itenerum* pr. M. — 3. *ads.* M: *ass.* B. — *petus* M. — *cappadocia* M. — 4. *uologeses* M. — *corbulone* M. — 5. Habet *olim* M, non *omnium* Bud. Edd. a Rhenano usque ad Pichenam. — 7. *diruta queque* M. Correxit Puteolanus. — Habet *Euphraten ultra* M, non *ultra Euphraten*, ut Rhenanus et Edd. ante Waltherum. — *comminiuerat* M. Correxit Puteolanus ita: *communierat*. Ut nos, Bekker. — 8. Habet *sine arbitro* M, non *suo arbitrio* Bodl. Puteol. et Edd. ante Iac. Gronovium. — *tropea* M. — 10. Habet *neque tum* M, non *neque dum*, ut narratur apud Bekkerum. — *amissa* M. Spir. Correxit Puteolanus. — *spreto* M, Spir. Correxit idem. — 11. Habet *plebis* M, non *plebi* Ies. — 12. *tyberim* M. — *annone* M. — *sustentaret* M: *ostentaret* cum Agr. post Ryckium et plerisque Edd. B. — 13. *ptio* M. — *nichil* M. — 14. *tyberi* cum lin. i. e. *Tyberim* M. — *assumpsisset* M. Emendatum in Guelf. Bud. et a Rhenano.

verloren Gutmann, *que rien n'était perdu ni pour l'un ni pour l'autre* Louandre. — *optimam Fortunam*] Sine causa ἐπίθετον suspectum erat Ernestio; *bona Fortuna* persaepe cum dicatur, quidni etiam *optima?* hoc quidem sensu: «orandam esse Fortunam, ut quam maxime fieri posset, secunda esset;» qua quidem ratione satis significat sese bonam Fortunam vix aut omnino non sperare. — *equitem*] Si forte equitatus Parthorum, quo plurimum valebant, Syriam invasurus esset. Mire post Ricklefsium Walther, Bach, Duebner intelligunt de Corbulonis equite. Sed is primum post iter tam molestum non minus defatigatus esse debebat quam pedes, dein sufficiebat, ut Corbulo eum aequis cum hoc passibus incedere iuberet. — *adsequeretur*] antequam hostis penitus in Armeniam penetrasset. — *detraheret*] deduceret praesidia e castellis. — *diversis*] hic et illic collocatis. — *arbitro*] id est, domino.

18. *integro*] nondum fuso Paeto. Duebn. — *neque tum*] cum huius fuga Romae cognita esset. — *aspectui*] magnificentiae, qua urbs ornabatur tropaeis illis et arcubus ad finem perductis. — *frumentum plebis*] quod plebi singulis mensibus dividebatur, sive *frumentum publicum*, ut est apud Grut. 244, 4. Inscr. m. Lat. N. 754. Ceterum conferatur, qui totam rem frumentariam Romanorum diligenter perscrutatus est, E. Kuhn *über die Korneinfuhr in Rom im Alterthum*, in Bergk *und* Caesar *Zeitschr. für Alt.* 1845. p. 1080. — *sustentaret*] Nimis diu Agr. interpolatio *ostentaret* decepit Editores. Ryckio, qui eam recepit, dicenti: «Qui frumentum corruptum in Tiberim jacit, is potius minuit, quam sustentat annonam:» recte respondit Walther: «Immo qui frumentum corruptum retinet, is ostentat penuriam esse frumenti et securitatem annonae minuit; qui vero in Tiberim iactat, is ostentat tantum frumenti adesse, ut corruptum proiici liceat; annonae securam igitur reddit plebem, hoc est, *securitatem annonae sustentat*. Nolebat quippe Nero plebem

psisset. tris dein consulares, L. Pisonem, Ducenium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus publicis praeposuit, cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum iustos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium rei publicae largiri.

(19) Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu quos adoptaverant. magna cum invidia senatum adeunt; ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant. satis pretii esse orbis quod multa securitate, nullis oneribus gratiam honores cuncta prompta et obvia haberent. sibi promissa legum diu exspectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus longa patrum vota repente adaequaret. factum ex eo senatus consultum ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.

(20) Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus, ut solent praevalidi provincialium et opibus nimiis ad iniurias minorum elati: una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dictitasset in sua potestate situm an proconsulibus, qui Cretam ob-

1. *L.* M: *Lucium* B. — *Ducenium* M: *Ducennium* B. — 4. *R P.* M, *rei* mg. M. — 5. *prauissi* (in fine versus) *mos* M, *prauus mos* a rec. m. corr. M. — 7. *patre* M. — 8. Habet *magna* M, non *qui magna* Puteol. Edd. usque ad Ernestium rursusque Oberlin. — *adeuntibus nature* M. Correxit Rhenanus. — 10. *p̄tii* M. — 12. *exp.* M. — 16. *exim* M. — *tymarcus* M. — *caeteris* M. — 18. *contumelia* M.

anxiam esse ob clades externas. Cfr. C. 36: *plebi - - quae praecipua cura est, rei frumentariae angustias si abesset metuenti.»* Atque haec ipsa *securitas* effecit, ut frumenti pretio nihil addi posset a negotiatoribus. («Pertinet huc Neronis nummus, in quo conspicitur Ceres sedens et ante eam mulier stans cum cornu copiae, item navis parte; circum legitur: *ANNONA. AVGVSTI. CERES. SC.*» Ryck. Cfr. Akerman I. p. 165.) — *portu in ipso*] Ostiensi. — *L. Pisonem*] 13, 31. — *Ducenium*] qui sub Galba praefectus urbi. H. 1, 14., ubi rursus Med. simplici *n*, quae scriptura firmatur Inscriptionibus apud Grut. 32, 5. 100, 2. Murat. 1338, 2. — *Pompeium*] 13, 53. Sen. de Brev. vitae C. 18. — *iustos reditus anteissent*] reditus publicos legibus constitutos ac finitos profusionibus suis supergressi essent.

19. *adsciscerent filios*] Nam ex lege Papia Poppaea de maritandis ordinibus praescriptum erat: *Qui candidatorum plures liberos habebit, praefertor.* Cfr. 2, 51. Plin. Epp. 7, 16. Doed. — *inter patres*] Intellige non inter senatores, sed inter eos, qui vere et natura, non adoptione sola patres essent. Item infra *longa patrum vota.* Doed. *Neben den wirklichen Vätern* Gutmann. — *emitterent manu*] patria potestate. Cod. 7, 40, 2: *postquam manu paterna - - fuerint liberati.* — *magna cum invidia*] amaris cum querelis, quae odium adversus simulatos illos patres concitarent. Cfr. 4, 53: *invidiam ac preces orditur.* — *adeunt*] «veri patres», non «filii adoptati», ut perperam interpretatur Bach. — *satis pretii esse orbis*] quorum hereditas omni genere illecebrarum ambiebatur. Vide Horat. Sat. 2, 5. Iuvenal. Sat. 12. Duebn. Adde Hist. 1, 73.

20. *criminibus, ut*] pro *quibus*, Graeco more, ὡς loco pronominis ponendi. — *penetraverat*] eo usque arrogantia ac protervia progressa erat, ut contumeliam faceret vel senatui, ex quo prodibant proconsules a Timarcho tanto despectui ha-

tinuissent, grates agerentur. quam occasionem Paetus Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat provincia Creta depellendum, haec addidit: «usu probatum est, patres conscripti, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt. nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est. ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse. (21) olim quidem non modo praetor aut consul sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent et, quid de cuiusque obsequio videretur, referrent; trepidabantque gentes de existimatione singulorum. at nunc colimus externos et adulamur; et quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur. decernaturque et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa et precibus expressa perinde cohibeatur quam

3. *p. c.* M. — 6. *paena* M. — 7. *prouinciarium* (sic) M. Edd. anteriorum *provinciarum* ex errore M correxit Pichena. — 9. *niehil* M. — 10. *iudicia* M. — 13. *estimatione* M. (*extimatione* ceterorum Codd. et Puteolani correxit Ernestius.) — 14. *nutu* M. — 16. *optentandi* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — *p̄cibus* M. — *cohibeantur* M. (Ritter, Doederlein.) Correctum in Guelf. a sec. m. et ab Acidalio.

bili. — *grates agerentur*] Grates illae non verba dumtaxat erant, sed proderant ad sequentes honores assequendos. Plin. Pan. 70: *Bene suffragiis consularium virorum urbes, populi, gentes inferuntur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi gratias agere.* — *Cinciam*] Vide 11, 5. 13, 42. — *Iulias leges*] Una memoratur Augusti de ambitu. Suet. Aug. 34. et 40. — *Calpurnia scita*] Nam L. Calpurnius Piso tribunus plebis erat a. u. 605., cum illam legem (sive plebiscitum) perferret, qua lege provinciales repetundarum accusare poterant praesides improbos et quaestio perpetua de ea re Romae instituta est. Duebn. — *nam culpa*] Cato Censorius apud Liv. 34, 3: *Sicut ante morbos necesse est cognitos esse quam remedia eorum, sic cupiditates prius natae sunt quam leges, quae iis modum facerent.* — *in civium iudicio*] Nove pro apud cives iudicium esse. Doed. Hoc dicit, «indignum esse provinciales, peregrinos igitur, iudicare de meritis aut improbitate praesidum Romanorum.» *Alibi* de personis sane rarum. Afferunt Lexica Ter. Hec. 3, 1, 14. Liv. 29, 25. Hic simul significatur locus, ubi tale iudicium fieri non debeat, id est, in provincia.

21. *privati*] partim senatores cum liberis legationibus, partim equites Romani illustres, qui iter in provinciam aliquam habebant, quibusque hoc negotium interdum mandabatur. — *de existimatione singulorum*] quale iudicium post reditum in urbem facturi essent de provincialium delictis. — *ostentandi*] pendet ex nomine suppresso *occasio* vel *facultas*, quod latet quodammodo in v. *potentiam*, ut C. 5. et 2, 43. Doed. — *cohibeatur*] «Si pluralis verus est, referendus simul ad malitiam et crudelitatem.» Ern. Sed tamen minus concinnum hoc videtur. — *inclinat*] in partem deteriorem. — *aequabilius*] ut Sal. Cat. 2: *aequabilius atque constantius sese res humanae haberent.* Et sane multo aptius hoc videtur quam aliorum *aequalius*. — *cohibebitur*] Petersenio Doederleinioque «multo fortius et accommodatius ad oratoris consilium» videtur Med. *cohibetur*; mihi affectata potius temporis variatio post v. *regentur*. Atque recordemur, quam saepe in Med. exciderint syllabae, praesertim inter se similes.

22. *abnuentibus*] Videlicet reformidabant principem vel propter invisum ei huius sententiae auctorem. — *consulibus*] Nam solis consulibus ius relationis, nec sine relatione perfici potuit ullum senatus consultum.

malitia, quam crudelitas. plura saepe peccantur dum demeremur quam dum offendimus. quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus. inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus; quae si arceantur, aequabilius atque constantius provinciae regentur. nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibebitur.» (22) magno adsensu celebrata sententia, non tamen senatus consultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatum. mox, auctore principe, sanxere, ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum propraetoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.

Isdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta. et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit. defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.

(23) Memmio Regulo [et] Verginio Rufo consulibus natam sibi ex

5. *aequalibus* M. Ut nos, Groslotio auctore Ern. et B; *aequalius* praetulere Walther et Bach. — 7. *cohibetur* M. Emendavit Lipsius. — *ads.* M: *ass.* B. — 9. *sansere* pr. M. — 12. *effigies* (in fine versus) *usque in* M. Correxit Puteolanus. — 14. *pompei* M. — 15. *lelia* M. — 16. *et* suspectum seclusi. — Habet *Verginio* M, non *Virginio* Guelf. — *consule* M.

Ideo Vespasiano concessum: *VTI. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVS. CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT.* Lips. (Inscr. m. Lat. I. p. 567.) Et quae per egressionem relationis dicta erant, a consulibus erant ex integro referenda, si SCtum fieri deberet. 13, 26. Ern. — *relatum*] actum referendi, substantive, quae forma nunc apud solum Tacitum reperitur hic et alio sensu Hist. 1, 30: *relatu virtutum*, «enumeratione»; Germ. 3: *relatu carminum*, «decantando carmina.» — *sanxere, ne quis*] Reperio iam ante sanxisse id Augustum, de quo Dionis verba ista 56, 25: *οὐ μὴν ἀλλ' ἐκεῖνό τε ἀπεῖπε καὶ τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων μήτε ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς τιμήν τινα διδόναι· ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν.* Sed diversum tamen hoc Neronianum consultum, quoniam illud Augusti post dies LX. permittit laudationes, hoc plane et plene tollit. Lips. — *propraetoribus prove consulibus*] Legitima haec est formula, ut constat ex Murat. 582, 1: *NEI. QVIS. MAGISTRATVS. PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS* cet.; item Grut. 629. f. Non debebat igitur Ernestius probare mutationem a Valesio ad Amm. 30, 5. propositam *proque consulibus.* — *neu quis*] provincialium. — *gymnasium*] de quo 14, 47. — *motu terrae*] Pompeiorum ruinam ad Nonas Februarias anni sequentis differt Seneca Q. N. 6, 1: *Pompeios, celebrem Campaniae urbem - - consedisse terrae motu vexatis quaecunque adiacebant regionibus - - audivimus, et quidem hibernis diebus, quos vacare a tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Februariis hic fuit motus Regulo et Verginio consulibus, qui Campaniam nunquam securam huius mali, indemnem tamen et totiens defunctam metu, magna strage vastavit.* Maiorem cladem urbs haec passa XVI. annis post, eruptione Vesuvii deleta. — *capta*] Cfr. 2, 86.

23. *Memmio - - Verginio*] Horum praenomina habes Inscr. m. Lat. N. 1683: *I. O. M. ET. GENIO. P. R. ET. VENALIC. C. C. (Caii.) LAPPI(i) MVTILVS. ET RVFVS. ET. L. L. (Lucii) RVBRI (i) ANTIOCHVS. ET. HYMNVS. VOTVM.*

Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque Augustam, dato et Poppaeae eodem cognomento. locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. iam senatus uterum Poppaeae commendaverat dis, votaque publice susceperat; quae multiplicata exsolutaque. et additae supplicationes templumque Fecunditati, et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum, utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur; ludicrum circense, ut Iuliae genti apud Bovillas, ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur. quae fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. rursusque exortae adulationes censentium honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem. atque ipse ut laetitiae, ita maeroris inmodicus egit. adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum inmoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse. secutam dehinc vocem Caesaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam iactaverit, ac Senecam Caesari gratulatum. unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.

(24) Inter quae, veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata

1. *poppea* M. — *augusta* M. — 2. *poppeae* M. — *colinia* M. — 3. *poppeae* M. — 4. *publicae* M. — 5. *addite* M. — 6. Utrum M habeat *actiace* an *actiecce* distinguere nequivit Balterus. — 7. *iobis* M. — *iulie* M. — 8. *uobillas* M. — 9. *exorte* M. — 10. *edemque* M. — 11. *meroris* M. — *inm.* M: *imm.* B. — 12. *inm.* M: *imm.* B. — 13. *pren.* M. — 14. *ces.* M. — *reconciliatu* M. — 15. *ces.* M. — 17. *interque ueris* M.

SOLVERVNT. L. M. (Libentes Merito) L. VERGINIO. RVFO. C.MEMMIO. REGVLO. COS. Romae. (L. Verginius Rufus non est alius, quam qui dein Germaniae praefuit superiori quique in tertio consulatu mortuus teste Plinio Epp. 2, 1., quem cum Nerva III. gessit a. 850. teste Frontino de Aquaed. Cap. 102. Secundi consulatus, qui suffectus, a. 822. mentio H. 1, 77. Ryck.) — *mortale gaudium*] Nove, sed egregie dictum pro gaudio, quod in vita tam fluxa et caduca mortalem decet. — *Augustam*] In nummis est *CLAVDIA. AVGVSTA.* et *DIVA. CLAVDIA. NERONIS. F.* Akerman I. p. 167. — *votaque publice*] Quorum memoria superest in Actis Fr. Arv. Tab. XVII. b.: *XII. K. FEBRVAR. In CapiTOLIO VOTA SOLVTA QVAE SVSCEPErant pro PARTV ET INCOLVMITATE POPPAEAE Augustae.* — *Fecunditati*] quae ut dea hic dumtaxat comparet. — *Actiacae*] Suet. Oct. 18: *Quoque Actiacae victoriae memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit ludosque illic quinquennales constituit.* Dio 51, 1: ἀγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερόν (οὕτω γὰρ τοὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζουσι) κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. — *religionis*] Cfr. Dionis ἱερόν. — *Fortunarum*] Antiatinarum. Ann. 3, 71., ubi vide Suet. Cal. 57. Martiali 5, 1, 3. sunt *veridicae sorores*. Macrob. Sat. 1, 23. Phil. a Turre Mon. vet. Antii p. 16. Bulenger de Sortibus in Thes. Graev. V. p. 363. — *Bovillas*] ubi sacrarium gentis Iuliae. 2, 41. — *divae*] Cfr. 16, 6. et 21. — *prohibitum*] aditu ad Neronem. — *ferunt*] Desumptum hoc ex commentariis vel epistolis illius temporis vel ex Thraseae vita ab Aruleno Rustico composita (Agr. 2.).

24. *in eandem formam*] eiusdem sententiae, cuius erant mandata. Dobbn. — *quamvis*] hoc est, quantumvis, quod ad v. *potentium* dumtaxat pertinet. Dobd. — *sacerdotii religione*] Quippe qui magus esset. Plin. 30, 2, 60: *Magus ad Nero-*

super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dii, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. nuper clausum Tigranen; post Paetum legionesque cum opprimere posset, incolumes dimisisse. satis adprobatam vim; datum et lenitatis experimentum. nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire, nisi sacerdotii religione attineretur. iturum ad signa et effigies principis, ubi legionibus coram regnum auspicaretur. (25) talibus Vologesis litteris, quia Paetus diversa tamquam rebus integris scribebat, interrogatus centurio qui cum legatis advenerat, quo in statu Armenia esset, omnes inde Romanos excessisse respondit. tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret. nec dubitatum de bello. et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Paeti piguerat. igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse attulisset. Suriaeque exsecutio C. Itio, copiae militares Corbuloni permissae; et quinta decuma legio ducente Mario Celso e Pannonia adiecta est. scri-

1. *opt.* M. — *committere* M. Spir. Emendatum in Guelf. et a Puteolano. — 4. *adprouatam* M, *approbatam* B. — 5. Habet *Tiridaten* M, non *Tiridatem*, ut narnatur apud Waltherum. — 8. *tāquam* M: *tanquam* B. — 11. *barba* (in fine versus) *rum* M. — *inr.* M: *irr.* B. — 12. *inhosta* M. — 14. *gerende* M. — 15. *inr.* M: *irr.* B. — 16. *p̄ces* M. — 17. *syriaeque* M. — *ex* (in fine versus) *cutio* M. — *C. Itio* Orellius: *citio* M, *Cincio* cum Harl. Ies. et Edd. inde a I. Fr. Gronovio B.

nem Tiridates venerat, *Armeniacum de se triumphum afferens* (id est, a. 816. Corbulo Tiridaten ad eam condicionem adegit, ut depositum ad Caesaris effigiem diadema non prius se gesturum sponderet, nisi Romae ex manibus eiusdem recepisset:) *et ideo provinciis gravis: navigare noluerat* (Hellespontum scilicet exiguo temporis spatio traiiciens, reliquum vero iter terrâ conficiens), *quoniam exspuere in maria aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.* — *effigies*] quae inter signa militaria colebantur.

25. *inriti*] *unverrichteter Dinge* Gutmann, *sans avoir rien obtenu* Louandre. — *Suriaeque exsecutio*] Syriae administratio, ut *exsecutio negotii* 3, 31. Provinciae nomen ponitur pro munere ei praesidendi. 1, 11: *munia rei publicae exsecuturos*. Walth. — *C. Itio*] Med. *citio*, ex quo eodem vel etiam maiore iure illud feci, quam Harl. Ies. et Edd. inde a Gronoviis *Cincio*. Vide me ad Horat. Carm. 1, 29, 1., ubi affero nummum cum Inscript. *L. ITI.* ex Eckhelio D. N. V. p. 227. (Morellii Thes. I. p. 201.), vel, si mavis, scribe *C. Iccio*, quamquam *Cincii* haud infrequentes in Inscriptt. At cum neuter nec *C. Itius* neque *Cincius* praeterea memoretur a Tacito et Dione, veri similius est homini alioquin ignoto ab illo, ut solet, tributum esse praenomen, quod aliquoties cum nomine prave copulat Med., ut in v. *C. Lutorius* (3, 49. 50. 51.) praebet *clutorius*. Pighius legendum censet *Cestio*, probante Ryckio, qui haec adnotat: «Cestium Gallum iam Syriae praefuisse, quando bellum in Iudaea culpa Gessii Flori conflatum, anno scilicet sequente, patet ex H. 5, 10. et Iosepho B. I. 2, 24.; unde necessaria videtur haec emendatio.» Recepit Brotierius. At vereor, ut rationes temporum recte subductae sint. Pagius quidem ad a. Chr. 66. Cestium a. Chr. 65. demum in Syriam missum et a. 66. belli Iudaici initium factum putat. Ern. Sic etiam Zumptius in Annalibus ad a. 66. Res igitur est incerta. — *Mario Celso*] a

bitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, et qui praetorum finitimas provincias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Gn. Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat. regressum Paetum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Caesar, his ferme verbis, ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret. (26) at Corbulo quarta et duodecuma legionibus, quae fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis parum habiles praelio videbantur, in Suriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. addiditque legionem quintam, quae per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecumanos recens adductos, et vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, quodque alarum cohortiumque, et auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua tramittere Euphraten parabat. tum lustratum rite exercitum ad contionem vocat, orditurque magnifica de auspiciis imperatoriis rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat. (27) mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quae vetustas obsaepserat, pergit. et venientes Tiri-

1. *praefectis. quae et* M. — 3. *Gn.* M: *Gnaeo* B. — 8. *syria* (sic) M. — 12. *illirico* M. — *egypto* M. — 13. *cohortium. quae et* M. — 14. *tramittere* M: *transmittere* B. — 15. *contionem* M: *concionem* B. — *imperatoris* M. Correxit Beroaldus. — 16. *adversā inscitiam* M. Correxit Freinshemius. — 17. *L.* M: *Lucio* B. — 18. *obsepserat* M.

Galba postea consule designato Hist. 1, 14., qui magistratus ei etiam a Vitellio servatus est. Hist. 2, 60. — *praefectis*] *Praefectos* per enallagen dictos puto. Solus enim Aegypti praeses intelligendus. Et Aegypti statim mentio et militum inde acceptorum. *Procuratores* intelligendi non rei privatae Caesaris, sed qui provincias minores vel Caesaris regerent, ut Iudaeam. Ern. — *Pompeio*] a. u. 688. Vellei. 2, 31: *ut esset Pompeio imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque ad quinquagesimum miliarium a mari.* Cicero pro lege Manilia, Plut. Pomp. 40., Dio 36, 6.

26. *Melitenen*] in Cappadociae vel proprie Armeniae minoris parte meridionali ad flumen aliquod Euphrati vicinum sitam, postea caput Armeniae secundae. Ibi etiam stativa legionis XII. Fulminatricis; hodie *Malatié;* diversa a Melitena, Susianae regione. Cfr. Forbiger *Geographie* II. p. 302. et 584. — *lustratum*] Mos erat exercitum recens acceptum lustrare suovetaurilibus, sicut fecit Aemilius Paullus apud Plut. Aem. 61: *τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβεν καὶ τὸν εἰωθότα συντελέσας καθαρμὸν αὐτῆς κτλ.*, item C. Flaminius apud Cic. de Divin. 1, 35. Idem factum ante, quam res geri inciperetur, ut a Caesare B. G. 8, 52. Ern. — *auspiciis imperatoriis*] Ductum imperator Corbuloni dederat, auspiciis sibi reservatis. — *adversa in inscitiam*] Optimam esse hanc Freinshemii emendationem prodit ipsa Med. scriptura *adversâ* (sic) *inscitiam*, nec tolerari potest nescio quod *ἀσύνδετον: adversa, inscitiam*, quod Doederlein sic interpretatur: «Quae Paetus partim adversa fortuna, partim sua inscitia male gesserat, silentio in quantum fieri poterat praeteriens.» Immo manifesto hoc dicit: «omnem adversitatis culpam avertit in Paeti inscitiam;» simul significans talem a se, viro vere militari, semper longe remotam fore. (Ad hunc v. *declinare* usum cfr. Sallustii Hist. Lib. 2. Fr. p. 204. Ed Gerl. min.: *Ad hoc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.*)

datis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non inmitibus: nec enim adhuc eo ventum ut certamine extremo opus esset. multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam. proinde et Tiridati conducere intactum vastationibus regnum dono accipere, et Vologesen melius societate Romana quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. scire quantum intus discordiarum, quamque indomitas et praeferoces nationes regeret. contra imperatori suo immotam ubique pacem et unum id bellum esse. simul consilio terrorem adicere, et megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum exscindit, plana edita, validos invalidosque pari metu complet. (28) non infensum, nec cum hostili odio Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur, eoque consilium eius fidum credebant. ergo Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam praefecturis indutias petit. Tiridates locum diemque colloquio poscit. tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessae cum Paeto legiones erant, cum barbaris delectus esset ob memoriam laetioris sibi rei, Corbulo

1. *had* M. — 2. *inm.* M: *imm.* B. — 4. *docimento* M. — *pinde* cum lin. transversa in litt. *p* M, id est, *perinde*, quod recepit Walther. — *tyrid.* M. — 5. *uologeses* M. — 7. *quanque* M. — 8. *imperatoris* M. — *immota* M. — 10. *pelluit* M. — *excindit* M. — 11. *nec cum* M: *nedum* cum Lipsio B. (factum hoc ex *necdum* Rhenani.) — 12. *consilio*, ultimae litt. superscr. ũ, M. — 13. *fidum cre* (in versus fine) *credebant* M. — 16. Habet *cum barbaris* M, non *cum a barbaris* Guelf. Puteol. seqq. Edd. ante Waltherum. — *est* M. Mutarunt Guelf. Puteol. — *memoria* M. — Habet *Corbulo* M. Ante Bekkerum edebant *a Corbulone*.

27. *Lucullo*] a. u. 685. in bello Mithridatico. Plut. Luc. 24. p. 508. Dio 35, 1—17. — *vetustas*] Intererant anni CXXXII. — *nec enim*] Particula *enim* utitur, quasi quaedam iam praecessissent in comi legatorum salutatione, quibus pacem servari posse significatum esset. — *documento adversus superbiam*] «Haec aptius supra legerentur post *mandatis non immitibus*. Saltem eo referenda sunt, non ad proxima.» Doed. Mihi contra haec vv. ubi collocavit Tacitus appositissima videntur. Significant enim legati prospera fortuna modo Romanos, modo Parthos usos esse, item adversa, ex quo utrosque discere debere vitandam esse superbiam. — *scire*] «Sententiam adiuveris, si scribas *sciret*.» Lips. «Immo intellige *se*.» Ern. Recte; significant legati Romanis penitus notam esse intutam ac periculosam regni Parthici condicionem. — *adicere et - - pellit*] Freinshemius volebat: *simul, ut - - adiceret*; sed Ernestius recte animadvertit Tacito et alibi infinitivum historicum et verbum finitum in eadem serie coniungi, cfr. 3, 26. 12, 51. Nimirum primum in universum exprimit quid simul fecerit Corbulo; deinde singillatim quaeque refert. Walth. — *megistanas*] primores regni, proprio gentis vocabulo *mehestân* in Graeci sermonis similitudinem deflexo. Duebn. Teste Anquetil-Duperron apud Burnoufium vocabulum illud reperitur in Zend-Avesta ac significat *maximos*, *summos*.

28. *cum hostili odio*] Ut 12, 48: *Omne scelus externum cum laetitia habendum.* — *neque atrox in summam*] «et ad summam rem decernendam (*sur le principal de l'affaire*) non erat atrox et cet.» Duebn. *Summa* erat pax, quam inter utrumque populum firmandam censebat. Sic H. 2, 16: *temeritas - - nihil in summam profutura.* — *praefecturis*] illis megistanum satrapiis, quas invaserat Corbulo. — *nuper*] C. 10. — *cum barbaris* cet.] Doederleinii rationi maxime obstat Med. *cum*, quod deleri iubet; sed vix «ex dittographia», ut ait, ex vv. *cum Paeto* ortum est. *Est* Med. ex solito eius vitio syllabas omittendi, ut C. 25. *inhosta* pro

non vitavit, ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret. neque infamia Paeti augebatur; quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. die pacta Tiberius Alexander, inlustris eques Romanus, minister bello datus, et Vinianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria aetate sed pro legato quintae legioni inpositus, in castra Tiridatis venere, honore eius, ac ne metueret insidias tali pignore. viceni dehinc equites adsumpti. et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterque dexteras miscuere. (29) exin Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem. ille de nobilitate generis multum praefatus, cetera temperanter adiungit: iturum quippe Romam, laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Caesaris insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere; et colloquium osculo finitum. dein pau-

1. *vitatus* M. Mutavit Bekker. *(erant, barbaris delectus est - - rei, Corbuloni non vitatus* Doederlein.) — 2. Habet pro certo *angebatur* M, non *augebatur* Guelf. Puteol. Lipsii. — 3. *tyb.* M. — 4. *inl.* M: *ill.* B. — 6. *inp.* M: *imp.* B. — *tyrid.* M. — *honore* Guelf. Puteol. al. Walther: *honor* M, *honori* auctore Lipsio B. — 7. *ads.* M: *ass.* B. — 9. *dexteras* M: *dextras* B. — *precip.* M. — 10. *capescentem* M. — *militum* M, Spir. Correxit Puteolanus.

inhonesta, *excutio* pro *exsecutio* cet.; *vitatus* autem per *ἀβλεψίαν* Med. scriptor librarius adaptavit ad v. *delectus*. — *angebatur*] «Ut 1, 52. 3, 21. Etenim alium quam filium Paeti misisset, si parcere Paeto voluisset.» Doed. Equidem sic accipio: «eo ipso, quod hoc Paeti filio mandavit, demonstrare voluit et Romanis et Parthis parvipendi a se Paeti casum neque vero duci infelici se succensere.» — *operire*] hoc ipso modo tegere atque oblitterare, quaecunque memoriam et dolorem infelicis illius expeditionis refricare potuissent. (*reliquias malae pugnae* insepulta cadavera eorum, qui mala pugna occubuerant, recte interpretatur Grotius). — *Tiberius Alexander*] origine Iudaeus, procurator Iudaeae post Cuspium Fadum. Iosephus A. 1, 20, 5: *Ἦλθε δὲ Φάδῳ Τιβέριος Ἀλέξανδρος διάδοχος, Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, γένει τε καὶ πλούτῳ πρωτεύσαντος τῶν ἐκεῖ καθ' αὑτόν, ὃς διήνεγκε καὶ τῇ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ τοῦ παιδὸς Ἀλεξάνδρου· τοῖς γὰρ πατρίοις οὐκ ἐνέμεινεν οὗτος ἔθεσιν.* (Vide Rudorff in Nieb. Mus. Rhen. II. p. 155. seqq. Doed.) Cfr. Hist. 1, 11. 2, 79. Pater Alexander Philonis fuit frater. Iosephus A. I. 18, 2. — *minister*] adiutor, exactor consiliorum Corbuloni adiunctus a Nerone. Gronov. Obss. 2, 20. Ern. — *senatoria aetate*] Quae tum fere erat vigesimus quintus aetatis annus, quo licebat petere quaesturam, primum honorum gradum. Cfr. Dio 52, 20. — *honore*] Facilior haec est emendatio ante eandem litteram *e* quam Lipsii *honori*. Cfr. Hist. 1, 44: *non honore Galbae*, propter honorem. — *dexteras*] Quod apud Persas sanctissimi foederis. Iosephus A. I. 18, 9: *Ὁ δὲ Ἀρτάβανος τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτούς, καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσιν τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίγνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτοῦ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδοιάσειεν, εἰ τοιᾶςδε ἀσφαλείας δόσις γένοιτο παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκότων.* Et Gemist. Pletho *Ἑλληνικῶν* 2, 9: *βασιλεὺς ὁ Περσῶν - - Μέντορα διὰ τὸ δεξιὰν δοῦναι περιεποίησε· μεγίστη γὰρ αὕτη παρὰ Πέρσαις πίστις.* Lips.

29. *tum placuit*] Rem sic narrat Dio 62, 23: *Συνῆλθον οὖν ἐν αὐτῇ τῇ Ῥανδείᾳ ὅ τε Κορβούλων καὶ ὁ Τιριδάτης· τοῦτο γὰρ τὸ χωρίον ἀμφοτέροις ἤρεσε·*

cis diebus interiectis, magna utrinque specie, inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi. medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat. ad quam progressus Tiridates, caesis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio. at nunc versos casus: iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum? (30) addidit gloriae Corbulo comitatem epulasque; et rogitante rege causas, quotiens novum aliquid adverterat, ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium bucina dimitti et structam ante augurale aram subdita face accendi, cuncta in maius attollens admiratione prisci moris affecit. postero die spatium oravit, quo tantum itineris aditurus fratres ante matremque viseret: obsidem interea filiam tradit litterasque supplices ad Neronem. (31) et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit, non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Corbulone

1. *utrimque* M. — 3. *dm* cum lin. M. — 5. *cesis* M. — *sublati* M. Correctum in Guelf., aliis Codd. et Spir. — *capiti* M. Mutavit Beroaldus. — 8. *iterum* M. Correxit Beroaldus. — 10. *aliquit* M. — 11. *auguralê* M. Correxit Lipsius. — 12. *ammir.* M. — 15. *pacorem* M.

τῷ μέν, ὅτι ἀπολαβόντες ἐς αὐτὸ τοὺς Ῥωμαίους, ὑποσπόνδους ἀφῆκαν, πρὸς ἔνδειξιν ὧν εὐηργέτηντο· τῷ δέ, ὅτι τὴν δύσκλειαν τὴν ἐν αὐτῷ πρότερον συμβᾶσαν σφίσιν ἀποτρίψεσθαι ἔμελλον. οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς λόγους τινὰς ἐποιήσαντο, ἀλλὰ καὶ βῆμα ὑψηλὸν ἠγέρθη καὶ ἐπ' αὐτοῦ εἰκόνες τοῦ Νέρωνος ἐστάθησαν· (cogita, in medio tribunali et in utroque cornu:) *ὅ τε Τηριδάτης - - προσῆλθέ τε αὐταῖς καὶ προσεκύνησε θύσας τε καὶ ἐπευφημήσας τὸ διάδημα ἀπό τε τῆς κεφαλῆς ἀφεῖλε καὶ παρέθηκεν αὐταῖς.* — *nec nisi manu Neronis resumere*] 16, 23. adventus Tiridatis in urbem tantummodo significatur. Vide ibi, quae excerpsimus ex Dione 63, 5. — *simulacris deum*] Proprie accipiendum reor de Iove, Iunone, Minerva, non cum Ruperto Ep. ad Reinesium 28. de imaginibus Iulii, Augusti et Claudii. — *in modum templi*] aeque augustum et religiosum fuit totum hoc spectaculum sub divo, ac si colloquium habitum esset in templo: *les images des dieux, dont l'aspect donnait à ce lieu la majesté d'un temple.* Burnouf.

30. *per centurionem*] Initio cuiusque quattuor vigiliarum ideo centuriones ordine obibant vigiles, ut omnia recte se habere aut, si quid novi accidisset, hoc ipsum duci renuntiare possent, item ut si quid forte novi iussus opus erat, id transmitterent. Cfr. Hist. 2, 29. Polyb. 6, 36. Veget. 3, 8. — *convivium bucina*] Polyb. 14, 3: *Ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις κατὰ τὸν τοῦ δείπνου καιρὸν τοὺς βυκανητας καὶ σαλπιγκτὰς πάντας σημαίνειν παρὰ τὴν τοῦ στρατηγοῦ σκηνήν, χάριν τοῦ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἵστασθαι κατὰ τοὺς ἰδίους τόπους.* Liv. 30, 5. Similiter igitur signum finiendi coenam bucina dabatur. — *augurale*] Vide 2, 12. — *aram*] pro dapum libamentis arae impositis. — *prisci moris*] Hoc ipsum Tiridatis admirationem augebat, quod in his omnibus explicandis Corbulo eum docebat priscum ac sollemnem esse Romanorum morem. — *affecit*] regem; neque vero opus est cum Gronovio supra scribere *rogitantem regem;* tot enim verba interposita in *ἀνακολούθου* causa fuerunt.

31. *Ecbatanis*] «Mirum quod dicat Pacorum *apud Medos* repertum, Vologesen *Ecbatanis*, quasi Ecbatana, quae Mediae caput, in Medis non fuerint.» Ryck. Hoc dicit, illum in parvo aliquo oppidulo Mediae vel etiam in castris in Media positis, hunc vero in eius ipso capite repertum

petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur foribusve eorum adsisteret; tantusque ei Romae, quantus consulibus, honor esset. scilicet externae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania tramittuntur.

(32) Eodem anno Caesar nationes Alpium maritimarum in ius Latii transtulit. equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum. namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit. spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam foedati sunt.

(33) G. Laecanio M. Licinio consulibus acriore in dies cupidine adi-

2. *opt*. M. — 3. *ads*. M: *ass*. B. — 4. *inherat* M. — Habet *vis* M, non *ius*. — 8. *nichil* M. — 9. *sancxit* M. — 11. *fedati* M. — 12. *G.* M: *Gaio* B. — *Laecanio* cum Murat. I. p. 305. et Fastis (Baiteri) M: *Lecanio* B. — *M.* M: *Marco* B. — *cos.* M.

esse. (Hodie appellatur *Hamadan*. Forbiger *Geographie* II. p. 590.) — *imaginem servitii*] veluti catenas aureas vel argenteas. — *ferrum*] acinacem, quo omni tempore vel inter epulas accincti erant Parthi. Iosephus 18, 2, 4: Orodem obtruncarunt Parthi, *ἐν σπονδαῖς καὶ τραπέζαις· μαχαιροφορεῖν γὰρ ἔθος ἅπασιν*. Ammian. 23, 6. — *traderet*] scilicet Corbuloni, sicut olim Tigranes rex Pompeio tradiderat. Plut. Pomp. 33: *καὶ τὸ ξίφος τοῖς ῥαβδούχοις ἀπολυσάμενος παρεδίδου*. Ne apud Neronem quidem Tiridates *τὸν ἀκινάκην, ὅτε προσῄει αὐτῷ, καταθέσθαι καίπερ κελευσθεὶς ἠθέλησεν, ἀλλ' ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξεν*, ut narrat Dio 63, 2. Dord. — *complexu - - adsisteret*] Duplex ritus. Priorem illustro e Spartiani Severo, de quo legato Africae C. 2: *In qua legatione cum quidam municipum suorum Leptitanorum, praecedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem* (qui eum caedebat) *praeconis cecidit*, «*Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli.*» Interdicti ergo provinciales complexu. Sed nec in fores statim illis aditus, uti eleganter Salvianus de Gubernat. dei 3, 82: *Intra ianuas non modo illustrium potestatum, sed etiam praesidum aut praepositorum non omnes passim intrare praesumunt, nisi quos aut iudex vocaverit aut negotium traxerit aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit, ita ut, si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut caedatur aut propellatur aut aliqua verecundiae atque existimationis suae labe multetur.* Quod augendae dignitati usurpatum a praesidibus, uti privatim a quibusdam per superbiam Romae. Lips. Cum ob magistratuum superbiam, tum ob operosam salutantium turbam die *foribus adsistebatur* ianitoribusque notescere pro magnifico accipiebatur. Brot. Cfr. Seneca de Brev. vitae 2. Suet. Ner. 37. Iuven. 3, 37. Martial. 10, 10, 5. — *vis*] *δύναμις, οὐσία*.

32. *Alpium maritimarum*] quibus Gallia dirimitur a Liguria, quaeque Alpes a mari et ostio Vari ad montem *Viso* et Padi fontes porriguntur. Nomina *nationum* vide in Augusti tropaeo apud Plin. 3, 20., quod tropaeum non Secusii *(Susa)* in Cottiis, sed in maritimis Alpibus fuisse docetur in *Théatre des états de S. A. R. le duc de Savoye* I. p. 72. Brot. — *ius Latii*] Latinorum veterum statum, Latinitatem. Sic Hist. 3, 55: *Latium externis dilargiri.* Plin. Paneg. 37: *novi cives, seu per Latium in civitatem seu beneficio principis venissent.* Cic. Phil. 14, 12: *Multa Siculis Caesar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda.* Suet. Oct. 47: *Merita erga populum Romanum allegantes Latinitate vel civitate donavit.* Media erat Latinitas inter ius Italicum et ius civitatis Romanae. Ex ea soli, qui magistra-

gebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. nam adhuc per domum aut hortos cecinerat, iuvenalibus ludis, quos ut parum celebres et tantae voci angustos spernebat. non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit: inde initium fore ut transgressus in Achaiam, insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus, maiore fama studia civium eliceret. ergo contractum oppidanorum volgus, et quos e proximis coloniis et municipiis eius rei fama civerat, quique Caesarem per honorem aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent. (34) illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit: nam egresso, qui affuerat, populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. ergo per conpositos cantus grates dis atque ipsam recentis casus fortunam cele-

1. Habet *promiscuas* h. l. M. — 2. *caecinerat* M. — Habet *iuvenalibus* M. — *tante* M. — 4. *transgressis in* M. Emendatum in Corb. Reg. Spir. — 7. Habet *civerat* M, non *acciverat* Bud. et Rhenani. — 9. *arbitrantur* M. Vitium correxit Rhenanus; restituit Walther. — 12. *conp.* M: *comp.* B.

tibus municipalibus functi erant, cives Romani fiebant. Cfr. Puchta *Geschichte des Rechts bei dem röm. Volk. Zweite Auflage. Leipzig* 1845. p. 236. — *equitum Romanorum locos*] Claudius senatoribus solis discretam in circo sedem tribuerat (Suet. Cl. 21. Dio 60, 7.): iam Nero etiam equitibus. Plin. H. N. 8, 7: *Caesar dictator euripis arenam circumdedit, quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens.* Suet. Ner. 11: *Circensibus loca equiti secreta a ceteris tribuit.* — *lex Roscia*] theatralis. Nam L. Roscius Otho tribunus plebis a. u. 686. legem tulerat, *ut equitibus Romanis in theatro quattuordecim gradus proximi* (pone senatores) *assignarentur.* Liv. Epit. 99. At de aliis locis, ut in circo, lex Roscia nihil caverat. — *feminarum*] Dio 61, 17: *ἐκεῖνο δὲ καὶ αἴσχιστον καὶ δεινότατον ἅμα ἐγένετο, ὅτι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες οὐχ ὅπως τοῦ ἱππικοῦ ἀλλὰ καὶ τοῦ βουλευτικοῦ ἀξιώματος ἐς τὴν ὀρχήστραν καὶ ἐς τὸν ἱππόδρομον τό τε θέατρον τὸ κυνηγετικὸν εἰσῆλθον, ὥσπερ οἱ ἀτιμότατοι.* Sic etiam sub Domitiano. Stat. Silv. 1, 6, 53: *Stat sexus rudis insciusque ferri Et pugnas capit improbus viriles. Credas ad Tanaim ferumve Phasim Thermodontiacas calere turmas.* Suet. Dom. 4: *venationes gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos dedit, nec virorum modo pugnas, sed et feminarum.* Adeoque id vulgatum, ut Severo imperante cavendum S. C. fuerit *μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν*, ut ait Dio 75, 16. Lips. — *plures*] quam prioribus annis; diverse a gladiatoribus servis, qui *pari* atque antea numero atque apparatu depugnabant. — *per arenam*] in quam descenderant alii sua prava libidine, alii coacti a Nerone. Cfr. 14, 14. Suet. Ner. 12.

33. *G. Laecanio*] Apud Plin. 26, 1, 5. (etiam in Ed. Sillig) *Q. Lecanius consularis* dicitur. Unde aut hic aut ibi est error. Ryck. In Inscriptt. hoc nomen plerumque scribitur *Laecanius; Lecanii* tamen sunt apud Murat. 1402, 7. et 1476, 9. — *M. Licinio*] Crasso, interfecto a Nerone. Hist. 1, 48. — *promiscuas scenas*] quae patent omnibus ad spectandum. — *iuvenalibus*] Vide 14, 15. — *Graecam urbem*] quae a Chalcidensibus ex Euboea condita servabat Graecorum sermonem ac mores, Graeca gymnasia, theatra, *ἀγῶνας*. Cfr. Vell. 1, 4. Liv. 8, 22. Plin. 3, 5, 9. — *contractum*] Neapolitanorum vulgus Neronis iussu congregatum. — *civerat*] Simplex pro magis usitato composito *acciverat*, ut ex Bud. Rhenanus et ceteri ante Pichenam.

34. *providum*] providentiae divinae documentum. — *theatrum collapsum*] Praecesserat videlicet terrae motus. Suet. N. 20: *ne concusso quidem repente motu terrae theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον.* — *compositos*] ex artis regulis factos ab ipso;

brans, petiturusque maris Hadriae traiectus, apud Beneventum interim consedit; ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumptus; dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret. (35) eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. isdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniae familiae claritudinem divum Augustum atavum ferebat. iussi accusatores obicere prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in rebus novis esse. quin eum nobiles habere quos ab epistolis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta. tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensioni merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis exspectasset.

(36) Nec multo post, omissa in praesens Achaia (causae in incerto fuere) urbem revisit, provincias Orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans. dehinc edicto testificatus non longam sui absen-

3. *faed.* M. — 4. *scurilibus* M. — Habet *in* M, non *inter* Corb. Spir. (Muretus.) — Habet *dehinc* M, non *deinde* Guelf. et Edd. ante Waltherum. — 8. Habet *Silanus* M, non, ut narrant, *Sillanus*. — 9. *abavum* Ruperto auctore Ryckius et Broterius. — *iussis* M. Correctum in Reg. Agr. Corb. — *prodicum* M. — 10. *qui ne innobiles* M. Correxit Rhenanus. — 11. *eplis* cum lin. transversa in litt. *l.* M. (Fortassis igitur etiam in his libris scribendum est *epistulis*. Bait.) — 13. *abrectique* M. — 16. *exp.* M. — 19. Habet *dehinc* M, non *dein* Rhenani. — *dicto* M.

poëticis enim studiis vacare solebat. — *maris Hadriae*] Graeco et poëtico more pro *Hadriatici*. Dübn. — *sutrinae tabernae*] Martial. 14, 96: *Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe, sed nasus longior ille fuit;* id quod explicandum ex Iuvenale 5, 46: *Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quattuor.* — *corpore detorto*] distorto, unde erat *deridiculus*, ut de Iulio Peligno ait 12, 49. — *in contumelias*] in convivarum delectationem patienter perpetiendas, ut esset inter copreas, uti vilissimos scurrarum vocat Suetonius Tib. 61. — *optimi cuiusque*] Dio 63, 15. ait adeo hostem optimatibus fuisse, ut semper in ore haberet: *Μισῶ σε, Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς εἶ.* — *etiam malos*] «Cave haec iungas; nam Vatinius malus et ipse, utpote criminator, opponi non potest malis. Immo *etiam* ad vv. *vi nocendi* referendum est; *malos praemineret* idem est, quod *malorum pessimus erat.*» Doed. Equidem *etiam* iungens cum v. *malos*, a quo separari ideo nequit, quod hoc absolute positum nimis languidum ac prope ignavum foret et gradationem omnino requirit, sic accipio: «Vatinius malitiosis suis facetiis plus interdum nocebat viris insontibus apud Neronem, cui eius scurrilitas maximopere placebat, quam Tigellinus aliique, qui unice ad odia sua explenda vel pecuniae cupiditate sine salibus morosos indices accusatoresve agebant.» Atque haud exiguam fuisse Vatinii potentiam prodit ex Hist. 1, 37: *iam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii*, et Dial. 11: *cum* (inquit Maternus) *in Neronis improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi* cet. Tribus his locis memoratur a Tacito, semel a Dione 63, 15., a Suetonio nunquam.

35. *Silanus*] consul a. u. 806. 12, 58. De eius morte cfr. Dio 62, 27. — *nobiles*]

tiam et cuncta in re publica perinde immota ac prospera fore, super ea profectione adiit Capitolium. illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. vidisse maestos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum *iter* aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri. ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere parendumque retinenti. haec atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine, et quae praecipua cura est, rei frumentariae angustias, si abesset, metuenti. senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur: dehinc, quae natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat. (37) ipse quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia totaque urbe quasi domo uti. et celeberrimae luxu famaque epulae fuere, quas a Tigellino paratas ut exemplum referam, ne saepius eadem prodigentia nar-

1. *in repperiende immota* M. Correxit Pichena. — *prospere* M. — 2. Habet *veneratus* M, non *veneraturus* Guelf. Harl. Bodl. cet. et Edd. a Puteolano usque ad Pichenam. — *ueste* M. — 3. *cuncto* M. — *exterente* M. — 4. *nũquam* M. — 5. *mestos* M. — 6. *tantum iter aditurus esset cuius* cum Guelf., Puteol., Beroaldo Walther: *tantum auditurus esset cuius* M, *tantum aditurus esset iter cuius* cum Rhenano B. — 11. *frumentaria* M. — 14. *evenerant* superscr. *t* litteris *nt* M. — *nichil* M. — 15. Habet *laetum sibi publicis locis* M, non, ut narrant, *laetum sibi publicis locum locis*. — 16. *celeberrime* M. — *aepulae* M. — 17. *exemplã* (sic: id est, *exemplam)* M, non *exemplar*, ut narrat Pichena, quod recepere Walther, Ritter, Doederlein. Correctum est vitium in Guelf. aliisque Codd. — Habet *referam* M, non *feram* Guelf. aliique Codd. — *sepius* M.

Dictum hoc ab accusatoribus per invidiosam ὑπερβολήν. Intellige homines nominis non prorsus obscuri, sed quorum res familiaris artior, unde factum, ut ad talia ministeria in domo amplissima obeunda descenderent, quae ab aliis civibus mandabantur libertis vel servis. Doederlein explicat: «libertos ingenio nobiles doctrinaque ac magis quam privati hominis rebus et negotiis opus est.» Verum simpliciter *nobiles* tales vocatos esse ab accusatoribus vix credibile est. (Ceterum *libellis* utebantur etiam in rebus pecuniariis ordinandis. Inscr. m. Lat. N. 3215: *M. CAECILIO - - A. LIBELLIS. FISCI.)* — *meditamenta*] praeparationes imperii mox obtinendi. Explicat ipse Tacitus 16, 8: *tamquam disponeret iam imperii curas praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos.*

36. *Achaia*] in quam profecturus erat vocis ostentandae gratia. C. 33. — *Vestae quoque*] *quoque* significat, postquam ceteros deos deasque veneratus erat. Cic. N. D. 2, 67: *Vestae vis ad aras et focos pertinet; itaque in ea dea, quae est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est.* — *nunquam timore vacuus*] 16, 15. eum *pavidum semper* fuisse tradit. — *plebi volentia*] passive, grata, iucunda, ut Hist. 3, 52: *Muciano volentia rescripsere.* Sal. Hist. Lib. 4: *volentia plebi facturus.* (Iug. 84: *plebi militia volenti putabatur.)*

37. *perinde laetum*] atque in urbe remanere. — *convivia*] Suet. N. 27: *Coenitabatque nonnunquam et in publico.* — *totaque urbe*] in his conviviis modo hic, modo illic in publico apparatis. — *a Tigellino*] De quo lege Schol. ad Iuven. 1, 155. — *exemplum*] Falsam lectionem *exemplar* explicant «quasi ἀρχέτυπον, in quo plena rei species repraesentata cernatur.»

randa sit. igitur in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. naves auro et ebore distinctae; remigesque exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur. volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. crepidinibus stagni lupanaria astabant illustribus feminis completa: et contra scorta visebantur nudis corporibus. iam gestus motusque obsceni; et postquam tenebrae incedebant, quantum iuxta nemoris, et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere. ipse per licita atque inlicita foedatus, nihil flagitii reliquerat quo corruptior

3. *distincte* M. — 6. Habet *et contra* M, non *contra*, ut cum Bud. Oberlinus. — *iam Iestus* M. — 9. *inl.* M: *ill.* B. — *faed.* M. — Habet h. l. *nihil* M.

— *stagno Agrippae*] Meminit Strabo 13. p. 590: *ἐκ Λαμψάκου δὲ μετήνεγκεν Ἀγρίππας τὸν πεπτωκότα λέοντα, Λυσίππου ἔργον, ἀνέθηκε δὲ ἐν τῷ ἄλσει τῷ μεταξὺ τῆς λίμνης καὶ τοῦ εὐρίπου.* Idem videtur *lavaorum Agrippae* apud Ammian. Marc. 29, 6, 19. Canina *Indicazione di Roma antica* p. 214: *Il lago di Agrippa si pone concordemente presso la chiesa di S. Andrea della Valle, come si deduce dalla denominazione che ebbe tale luogo per la valle evidentemente rimasta dallo scavo fatto.* «In hortis Agrippae prope Pantheon et locum, qui hodie dicitur *Palazzo della accademia ecclesiastica.*» Duebn. — *ratem*] Festus p. 273. Ed. Muell.: *Rates vocantur ligna inter se colligata, quae per aquam agantur, quo quidem vocabulo interdum etiam naves ipsae significantur. (Floss, radeau.)* Confer huius coenae descriptionem apud Dion. 62, 15. — *aliarum tractu navium*] Cur haeserit in his Ernestius, non video. Hoc additur, quia ratis potest alio quoque modo moveri, puta contis, remis, quod hic non factum indicatur. Oberl. Volebat scilicet Nero, ut convivio adderetur simul delectatio per aquam vehendi neque tamen illud molesta remigum turba impediretur. — *exoleti*] *Buhlknaben* Gutmann, *de jeunes infâmes* Burnouf. De talibus Dio 61, 10. Senecam criminans *καὶ μειρακίοις ἐξώροις ἔχαιρε.* — *per aetates*] qui v. c. XVI., qui XX. annos nati erant, una collocabantur, ita ut inter eos velut grata gradatio esset. — *Oceano abusque*] «Singulari modo dictum pro *ab Oceano usque;* cuius dictionis miror non plura exstare in recentioribus scriptoribus exempla. Ceterum quod Heinsius coniecit, *mari Oceano abusque,* probatum a Gesnero et Ernestio, id non necessarium videtur. Volucres et feras enim Tigellinus e diversis terris longinquis et animalia maris ex ultimo Oceano petiverat.» Hand Turs. I. p. 73. — *lupanaria*] Suet. Ner. 27: *Insignes ganeae et matronarum institoria copas imitantium.* — *incedebant*] Rhenanus et Heinsius malunt *incidebant.* Male. *Incedebant* est «oriebantur, ingruebant, se intendebant», uti Livius 1, 57. Vide 3, 26. Silius 8, 337: *incedere noctis, Quae tardent cursum, tenebras dolet.* Ern. Walther comparat nostrum *eintreten.* — *nemoris*] *Ἄλσος* illud in Strabonis loco supra memoratum. — *per licita atque inlicita foedatus*] ex consuetudine illa Latina, qua iungebant *sacra et profana, fanda nefanda, honesta inhonesta,* de qua egi ad Hor. Epod. 5, 87. Mira illa iunctura *per licita -- foedatus* (quod significat voluptatibus etiam cum mulieribus eum nimis indulsisse), ut in illis similibus *φράσεσι* satis eo defenditur, quod *foedatus* maiore sui parte ad vv. *atque inlicita* pertinet. — *contaminatorum*] Comparant Hor. C. 1, 37, 9: *Regina -- contaminato cum grege turpium morbo virorum;* ubi intelligendi spadones Cleopatrae, hic exoleti. — *Pythagoras*] Suet. N. 29: *Nero conficiebatur* (paedicabatur) *a Doryphoro liberto; cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit.* At Doryphorum Nero diu ante interfecerat. 14, 65. A Tacito stat Dio 62, 28. et 63, 13: *ἐκ τούτου* (post Poppaeae mortem) *συνεγένοντο ἅμα τῷ Νέρωνι Πυθαγόρας μὲν ὡς ἀνήρ, Σπόρος δὲ ὡς γυνή.* (De Sporo, qui teste Dione ibid. *κυρία καὶ βασιλὶς καὶ δέσποινα ὠνομάζετο,* multa Suetonius N. 28. 29. 46. 48. 49., Aurel. Victor de Caes. 5: *Nero desertus undique,*

ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. inditum imperatori flammeum; visi auspices, dos et genialis torus et faces nuptiales; cuncta denique spectata quae etiam in femina nox operit.

(38) Sequitur clades, forte an dolo principis incertum (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. initium in ea parte circi ortum

1. Habet *nomen* M, non *cui nomen* Guelf. Puteol. et seqq. Edd. ante Waltherum. — 2. *fuit immodum* M. — *sollempnium* M, *sollennium* B. — 3. *misit auspices* M. Correxit Rhenanus *m* geminatum ex praeced. littera. (*missi et auspices* suspicatur Doederlein.) — Habet *dos* M. — 7. *occiderunt* M. — *circy* M.

nisi a spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat, semet ictu transegit. Nihil Tacitus in libris quidem superstitibus. (Sulpicius Severus Hist. Sacr. 2, 28. Tacitum exscripsit, qui locus quidem inter paucissimos illos est, in quibus apud antiquos aperta reperiatur Taciti imitatio.) Baumgarten-Crusius ad Suet. l. l.: «Binominisne foedus homo fuerit, an successerit Doryphoro in libidinosa opera Pythagoras, an erraverit in nomine Suetonius (triplicem enim hanc viam inierunt viri docti. V. Interpr. ad Tac. et Reimar. ad Dionis l. l. item 63, 13.), ego non definio.» — *visi auspices*] Ita Rhenanus, vir ingeniosissimus, correxit Med. scripturam *misit auspices*, ortam ex praecedente littera *m* vel quia omnino in huius Cod. exemplari *mi* vix distingui poterat a *ui*. Hoc dicit: «ii, qui forte per vias illas deambulabant, viderunt auspices ad Pythagoram missos, dotem (puta pecuniae fiscos, alia fortasse, ut vasa pretiosa:) et torum genialem in alienam domum deportatum; etenim in omnibus legitimas nuptias Nero assimulare volebat; *spectatus* vero est a multitudine publicus ille foedissimus concubitus Neronis mulieris eiusque mariti Pythagorae.» Sic si distinguas inter vv. *visi* et *spectata*, nulla omnino inest repugnantia; vulgus scilicet maximopere delectabatur illo simulatarum nuptiarum obscoeno spectaculo publice praebito. (*man erblickte — man beobachtete.*) Aliter Doederlein: «*Visi*, Rhenanus, incommode ob seq. *spectata*;» (quam dubitationem moverat iam Iac. Gronovius coniiciens *institа* et hoc somnium tantum non adprobans Ernestius) «at Ms. *misit*. Suspicor *missi et auspices, dos; et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata* cet. Nam auspices una cum dote et signatoribus mittebantur a sponso; Suet. Claud. 26: *dote inter auspices consignata.* Ac de eiusdem Messalinae famosis cum Silio nuptiis Iuven. 10, 333: *dudum sedet illa parata Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis Sternitur; et ritu decies centena dabuntur Antiquo; veniet cum signatoribus auspex.* Et Valer. Max. 2, 1, 1: *Nuptiis etiamnunc auspices interponuntur, qui quamvis auspicia petere desuerint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant.* Cic. de Divin. 1, 46.» De his nuptiarum auspicibus vide Ann. 11, 27. Miram propter rationem vv. *visi auspices* suspecta erant Hillero atque Oberlino, quia nimirum de his silet Sulpicius Severus l. l. — *in femina*] in feminae nuptiis; tanto turpior haec obscoenitas in exoleto.

38. *dolo principis incertum*] Specta moderationem Taciti! Scriptorum, quos hodie legimus, Dio Cassius 62, 16. malae menti Neronis tribuit illud incendium, dudum animo volventis et Priamum felicem praedicantis, cui Troiae patriae incendium oculis cernere contigerit; Suetonius 38. veteres aedes ac tortuosas plateas urbis displicuisse Neroni scribit, ceteroqui spatium aureae suae domui desideranti. Duebn. Videlicet Suetonius et Dio *auctores* ab ipso Tacito memoratos, qui atrociora tradiderant, secuti sunt, ex indole humana cupidius deteriora credendi. — *acciderunt*] Primum per Gallos a. u. 365., Liv. 5, 41.; deinde a. u. 780., deusto monte Caelio, Ann. 4, 64.; mox a. u. 789., deusto Aventino et parte Circi, Ann. 6, 45. Bach. —

quae Palatino Caelioque montibus contigua est; ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit. neque enim domus munimentis saeptae vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita assurgens, et rursus inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa [aetate] aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars mora, pars festinans, cuncta impediebant. et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur; vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebantur. postremo, quid vitarent quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiere.

2. *ceptus* M. — 4. *septe* M. — 6. *rursus* M: *rursum* B. — 7. *hicque* M. — 9. Habet *fessa aetate aut* M; Lipsio auctore *aetate* seclusit B, *fessa senum ac* ex Agr. Ryckius et Edd. ante Bekkerum. — 10. Habet *mora* M, non *morans* Gueif. Spir. — 12. *ignis* M. — 13. *que* M. — *longinqua cre* (in versus fine) *crediderant* M. — *repperiebantur* M, *reperiebant* I. Fr. Gronovio auctore B.

per tabernas] quae in parte externa Circi fuere, auctore Dionysio Hal. 3, 68: *ἔξωθεν περὶ τὸν ἱππόδρομον ἑτέρα στοὰ μονόστεγος, ἐργαστήρια ἔχουσα ἐν αὐτῇ καὶ οἰκήσεις ὑπὲρ αὐτά.* Ern. Praeter has Dionysii officinas ibi poterant esse etiam tabernae ab illo non memoratae vel postea constructae. — *id mercimonium* cet.] Hac *παραφράσει* devitat propria illarum mercium, veluti olei, picis, resinae, sulfuris nomina, utpote historiâ minus digna. — *citus*] id est, concitatus, excitatus, non: celer. Doed. Sic 2, 6: *citae remis naves.* — *munimentis*] altis substructionibus. — *obnoxia*] scil. incendiis. — *artis itineribus*] Livius 5, 55. post Gallicum incendium id excusat: *Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui et alieni discrimine, in vacuo aedificant*, et addit, *eam esse causam, ut veteres cloacae, primo per publicum ductae, nunc privata passim subeant tecta formaque urbis sit occupatae magis quam divisae similis.* Lips. — *enormibus*] non ad normam lineamve rectam aedificatis, *unregelmässig.* — *fessa - - aetas*] ut ter praeterea Tacitus de senio: Ann. 1, 46. 14, 33. Hist. 1, 12. Recte Lipsius et Iac. Gronovius deletum voluerunt v. *aetate*; apud Ryckium et Oberlinum est gloss. Cod. Agr. *fessa senum ac rudis pueritiae aetas.* — *pars mora, pars festinans*] Haec variatio ipsum Taciti dicendi genus prorsus redolet, id quod non perspicientes nonnulli induxerunt *morans*, praelatum a Walthero. — *illis quoque igne correptis*] Sine causa propter haec sequens *etiam* deletum volebat I. Fr. Gronovius. Immo egregie haec omnia referunt et incendii pericula et trepidationem infelicium incolarum. «Ex domibus iamiam ardentibus evaserant primum in proxima, sed statim his quoque deflagrantibus, longinqua petebant.» — *etiam*] «ea quoque loca, quae nimis longinqua ab incendii ortu crediderant, quam ut ignis eo penetraret, ubi in ea fugerant, pariter flammis correpta reperiebantur atque aliud rursus refugium quaerere coacti erant.» Nolim cum Ernestio vv. *si evaserant* accipere pro *si evasissent*; immo re vera nonnullos talia in loca, sed frustra rursum evasisse puto. — *diurni - victus*] pendet ex v. *amissione*, quod repetendum ex v. *amissis*; nisi excidit potius *inopia* vel tale nomen, ut videtur Ernestio. Doed. Simplicius etiam videtur cum Duebnero explicandum: «*diurni victus* fortuna amissa;» quidni enim victus quoque adnume-

nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu. (39) eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. neque tamen sisti potuit, quin et palatium et domus et cuncta circum haurirentur. sed solatium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria aedificia exstruxit quae multitudinem inopem acciperent; subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. quae quamquam popularia in irritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse Troianum exscidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem. (40) sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per inmensum aedificiis, ut continuae violentiae cam-

2. *auctore* M. — 5. *mecenatis ortos* M. — 6. *domos* M. — 7. *solacium* M. — 8. *ortos* M. — 9. *edificia extruxit* M. — *suuectaque* M. — 10. *p̄tiumque* M. — 11. *que* M. — *quāquam* M: *quanquam* B. — 12. *rumori* M. — 13. *exscidium*, quae rectior sane est scriptura, praetuli: *excidium* M B. — 14. *ads.* M: *ass.* B. — *exq.* M. — 15. *proruptis* M. Correxit I. Fr. Gronovius. — *inm.* M: *imm.* B. — *edif.* M.

retur *fortunis*, significatione Latina? nam, ut ait Walther, in *fortunis* latet notio facultatum omnis generis, quae supplenda est ad genit. *diurni victus*. — *iussu*] ministrorum Neronis. Cur Ernestio placuerit vel Guelf. *iussum* vel Huetii *iussi*, haud exputo.

39. *Maecenatis*] Horti Maecenatiani in Esquiliis (noti ex Horatii Sat. 1, 8.). Bis autem a Nerone aedificata domus productaque ad Esquilias ipsas. Suet. N. 31: *Domum a Palatio Esquilias usque fecit; quam primo transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque auream nominavit.* Lips. — *monumenta Agrippae*] magnifica in Campo Martio, ubi praeter eius sepulchrum (Dio 54, 28.) porticus, thermae, Pantheon, horti, saepta, templum Neptuni et alia. Dubn. — *utensilia*] cibaria, ut 1, 70. et semper apud Tacitum, non de supellectile, ut falso interdum interpretes convertunt. — *ternos nummos*] in modium. Intellige autem de universi frumenti pretio, non solum de frumento publico, nam etiam, qui hoc non accipiebant, post tantam calamitatem per tempus certe aliquod sublevandi erant. — *Troianum exscidium*] Dio 62, 18: ᾖσεν ἅλωσιν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγεν, Ἰλίου, ὡς δὲ ἑωρᾶτο, Ῥώμης. Suet. N. 38: *Laetus flammae ut aiebat pulchritudine, ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit.* (Fortasse Arctini Milesii Ἰλίου πέρσιν vel adeo Stesichori. Doed. At multo probabilius est, quod alii credunt, fuisse carmen ab ipso Nerone compositum. Sunt, qui putent, eius quasi παρῳδίαν esse Petronii illam Troiae ἅλωσιν Satyr. Cap. 89.)

40. *Sexto*] Atrocius Suet. N. 38: *per sex dies septemque noctes.* Inscr. apud Grut. 61, 3. (Inscr. m. Lat. N. 736): *HAEC. AREA - - DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM. INCENDIORVM. ARCENDORVM. CAVSA. QVANDO. VRBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS.* cet. Conciliari facile Tacitus potest, quia mox addit ignem redisse; primum ut incendium sex dierum fuerit; alterum, trium. Lips. (Egregie autem hunc titulum a suspicionibus Maffeii Art. crit. lap. p. 281. vindicat Morcellius Styl. I. p. 59.) — *prorutis*] Vide I. Fr. Gronovium ad 1, 68. Drakenb. ad Liv. 4, 29. Fuerunt, qui Cod. *proruptis* defenderent ex Hist. 1, 86: *prorupto ponte*, ubi itidem cum Gronovio

pus et velut vacuum caelum occurreret. necdum posito metu redibat levius rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis; eoque strages hominum minor, delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere. plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat; videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae manebant, tres solo tenus deiectae: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et

1. *uelud* M. — *necdum post metus aut rediebat* (sic) *lebis rursum* M. Ut nos, Hillero auctore B. (*nec diu post metus haud redibat levis et rursum* Walther, *nec diu post metus redibat levis: rursum* Bach, *necdum positi metus; redibat haud levius rursum* Doederlein.) — 3. *dm* cum lin. M. — *dicata elatius* M. — 4. *tigillini* M. — 5. *condende* M. — 7. *quorum* M.

praetuli *proruto*, etsi, cum dicatur *rumpere pontem*, illud aliquanto excusatius foret quam *prorumpere aedificia*. — *redibat* cet.] Hilleri ratio sane ceteris omnibus Criticorum suspicionibus multo praestat; nominatim in Waltheriana *metus haud redibat levis* part. *haud* non suo loco posita videtur; quocirca, ut sensus sibi constaret, ego quoque post Oberlinum illam recepi. — *delubra*] Rhetoricum colorem his non male dedit Burnouf: *mais les temples des dieux, mais les portiques destinés à l'agrément laissèrent une plus vaste ruine.* — *praediis - Aemilianis*] Varro R. R. 3, 2: *eorum aedificia, qui habitant extra portam Flumentanam aut in Aemilianis;* quae quidem tam coniuncta ac prope contigua ipsi urbi fuisse, ut haec ipsa igni corriperetur, vix credibile est. Sed erat etiam vicus Aemilianus in VII. urbis regione, teste Sex. Rufo; atque *urbana praedia* rectissime dici testis est Cicero Verr. 2, 3, 86. — *videbaturque*] Sulpicius Severus Sacr. Hist. 2, 29. mutuatus hoc est a Tacito: *Sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque imperator gloriam innovandae urbis quaesisse.*

41. *Lunae*] Ovid. Fast. 3, 883: *Luna, regis menses; huius quoque tempora mensis Finit Aventino Luna colenda iugo.* In eo templo L. Mummius ex praeda Corinthiaca consecraverat artes Graecas, (Vitruv. 5, 5.), quas tunc omnes perisse consentaneum est. — *praesenti Herculi*] Rem narrat Liv. 1, 7. Dionys. Hal. 1, 40. Contra Ovid. Fast. 1, 581. ipsum sibi Herculem *constituisse* ait, *quae maxima* *dicitur ara.* — *vota Romulo*] Liv. 1, 12. — *Numaeque regia*] Plutarch. Num. 14: Ἐπεὶ δὲ διεκόσμησε τὰς ἱερωσύνας, ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα· καὶ τὸ πλεῖστον αὐτόθι τοῦ χρόνου διέτριβεν ἱερουργῶν ἢ διδάσκων τοὺς ἱερεῖς ἢ πρὸς ἐννοίᾳ τινὶ τῶν θείων πρὸς αὐτοὺς σχολάζων. Οἰκίαν δ' εἶχε ἑτέραν περὶ τὸν Κυρίνου λόφον, ἧς ἔτι νῦν τὸν τόπον ἐπιδεικνύουσιν. — *delubrum Vestae*] Festus p. 262. Müll.: *Rotundam aedem Vestae Numa Pompilius rex Romanorum consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit: eamque pilae forma esse, ut sui simili templo dea coleretur.* Dionys. Hal. 2, 66. Plut. Num. 11. — *penatibus populi Romani*] Inter locos primarios de penatibus P. R. est Cic. pro Sulla 31: *vos, dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic imperio praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc urbem populumque Romanum, qui haec tecta atque templa, me consule, vestro nomine auxilioque servastis.* Potest intelligi de dis patriis, quorum simulacra Troia ab Aenea in Italiam allata et in aede Vestae servari credebantur. Atque etiam est nummus Commodi apud Lips. de Vesta C. 9., in quo: *PENATES. P. R.*, infra *VESTA*, in area *S. C.*; nisi malis intelligere aedem deorum penatium, quam cum regia Numae et templo Vestae coniungit et in regione octava ponit Sex. Rufus. Sic capit Oudend. ad Suet. Oct. 76. et sic capi posse iam monet Lipsius l. l. Ern. Utrum ἱερὰ ἀπόῤῥητα praeter ignem sacrum in illo delubro fuerint et quaenam, an οὐδὲν

semusta. (41) domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacraverat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo, Numaeque regia et delubrum Vestae cum penatibus populi Romani exusta. iam opes tot victoriis quaesitae, et Graecarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerint, quae reparari nequibant. fuere qui adnotarent XIIII. Kal. Sextiles principium incendii huius ortum, quo et

1. Habet *semusta* M, non *semiusta* ut Guelf. et Edd. ante Waltherum. — *domū* M. — 3. *erculi* M. — 6. *quesitae et grecarum* M. — Habet *monumenta* M, non *monimenta* Rhenani et Edd. ante Bekkerum. — 8. *meminerint* M: *meminerant* Rhenano auctore B. — 9. *XIIII. kal.* M: *quarto decimo calendas* B. — *et quo* M. Correxit Rhenanus, illud probante Doederleinio.

ἔξω τοῦ φανεροῦ πυρός, in medio relinquit Dionysius l. l. De Palladio quidem constans erat fama. Ovid. Trist. 3, 1, 29: *Hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem; Haec fuit antiqui regia parva Numae. Inde petens dextram, porta est, ait, illa Palati; Hic Stator; hoc primum condita Roma loco est.* Atque imprimis cfr. Herodianus 1, 14. — Cfr. ad h. l. R. H. Klausen *Aeneas und die Penaten. Hamburg* 1840. II. p. 624., qui negat penates P. R. servatos esse in aede Vestae, (quae opinio orta videtur ex confuso cum illis Palladio; nec vero credibile est duobus locis et in aede Vestae et in propria penatium P. R. aede in Velia eos cultos esse:) sed hic intelligi notam illam *in Velia aedem deum penatium* Varronis L. L. 5, 54. Dionys. Hal. 1, 68: λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν ὑπ' Ἐλαίαις τὸ χωρίον· ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν Τρωικῶν θεῶν εἰκόνες κτλ.; ergo apud Tacitum *cum penatibus P. R.* significare «*ut et ipsi penates P. R.*» «*Die Partikel* cum *bezieht sich keineswegs darauf, dass die Penaten im Tempel der Vesta aufbewahrt wären, auch nicht dass sie sich in unmittelbarer Nachbarschaft befanden; neben dem Tempel der Vesta lag vielmehr die Capelle der Castores. Indem Tacitus den Untergang aller ältesten Heiligthümer erzählt, verbindet er die dem Begriff nach zusammengehörenden durch* cum.» Kl. — *monumenta*] libri, qui in bibliothecis privatis aut publicis interierunt. Ceterum ad v. *monumenta* cogitatione supple: «exusta sunt.» Frustra sane Ernestius malebat *quaesitas*. Nec cum Broterio et Walthero plene interpungendum ante v. *quamvis*. — *antiqua*] quae proinde maiorem fidem merebantur quam exempla recentiora, ex illis plerumque satis negligenter descripta. — *incorrupta*] nondum, ut tunc fiebat, hinc inde interpolata vel etiam breviata. — *reparari*] intellige potissimum de artibus Graecis, quamquam et scriptorum aliquot libri, quorum unum vel pauca dumtaxat exstabant exemplaria, perire poterant. — *quamvis*] Simplicissima interpretatio haec est: «multa quidem artium opera, quoquo modo fieri poterat, reparata sunt; multa tamen, incendio absumpta, quorum probe meminerunt seniores, qui ea ipsi olim viderant, quamvis in tanta resurgeret urbs pulchritudine, omnino reparari nequibant.» Reparatae scilicet sunt statuae ac tabulae pictae, quarum in locis urbis non deustis et in locupletum villis exstabant ἔκτυπα, quibus iam pro exemplaribus uti coacti erant artifices posteriores. (Aliter quidem Doederlein, praeeunte Walthero: «*quamvis* cum *tanta pulchritudine* coniungendum, non cum *multa meminerant*.» Ipse tamen cum sentiret perduram esse hanc constructionem, *in* delendum censuit, ut sint ablativi absoluti. Sed hoc quoque vix Latinum videtur: *quamvis* (quantumvis) *magnus* rectum est, *quamvis tantus* haud arbitror. — *meminerint*] Cum Walthero ac Duebnero Med. lectionem restitui. Accipiendum, ut Cap. initio *fuerit*, hoc sensu: «facile meminisse possunt, ut, ubi cum talibus colloquerer, ipse comperi.» *Seniores*, quorum testimonium interdum advocat Tacitus, sunt circiter septuagenarii et octogenarii, qui sane memoriam illius incendii conservabant tunc, cum Annales scriberet aut certe praepararet. *Meminerant* saltem

Senones captam urbem inflammaverint. alii eo usque cura progressi sunt ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.

(42) Ceterum Nero usus est patriae ruinis, exstruxitque domum in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu volgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem tentare et viribus principis illudere. namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut per montes adversos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera abrupta aut arentia; ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis causae. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno iuga connisus est; manentque vestigia irritae spei. (43) ceterum urbis quae

3. *caeterum* M. — *extr.* M. — 4. *pinde* cum *p* caudato *(proinde)* M. Emendatum in Guelf. — 8. *temperare* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 9. *hostia* M. — *tyb.* M. — 10. *litore* M: *littore* B. — *aliut* M. — 11. *caetera* M. — 14. *conisus* M. — *irrita* M.

prorsus necessarium non est. — *eo usque cura*] Inest his levis quaedam εἰρωνεία. — *totidem annos*] D. XIX. Iulii anni 364. Senones Romam intrarunt (Liv. 5, 41. 6, 1.) eodemque die incendium illud erupit; sed terminus; quem curiosissimi illi scrutatores ponebant, nunc obscurus; nec ratio constat in cognitis opinionibus de anno conditae urbis. Quodsi enim vulgarem sequaris de anno a. Chr. 754., usque ad urbem a Senonibus occupatam, sunt anni 365., inde ad incendium Neronianum 452., ut differentia sit annorum 87., ac si vel a Romulo nato, qui circiter 60. annos vixisse fertur, semper intererunt plus quam 20. anni. (»Fortasse intercidit post v. *numerent* sententia aliqua a *quot* incipiens.« Dørd.) — *numerent*] De scriptoribus loquitur, quorum scripta Tacito ante oculos erant. Walth.

42. *usus est patriae ruinis*] Obscurius dictum. De spatio intelligit Pichena; quod sequentibus maxime convenit. Videndum tamen, an etiam respiciat id, quod Suet. 38. tradit: *pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit.* Et infra C. 52: *spoliis civium exstructa domus.* Ern. Et spatium et reliquias, quas memorat Suetonius, Tacitus illis verbis complexus esse videtur Burnoufio. — *arva et stagna*] Suet. 34. et Martialis magis distincte loca ipsa describens 1, 2, 5: *Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri Erigitur moles, stagna Neronis erant. Hic, ubi miramur velocia munera thermas, Abstulerat miseris tecta superbus ager.* Lips. — *tentare*] Ms. *temperare*, honestiore vocabulo quam pro talibus talium hominum artibus. Dord. Et princeps et ipsi insaniebant; quocirca verbum foret h. l. prorsus ineptum. — *illudere*] petulanter ludere et pugnare quasi cum Neronis opibus, eas per lasciviam profundendo. Sic Hist. 2, 94: *tamquam in summa abundantia pecuniae illudere.* — *Averno*] Plin. 14, 6, 8: *Antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano; quod iam intercidit et incuria coloni locique angustia; magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Lips. (Ea fossa, perfecta si esset, fuisset CLX. millium passuum.) Mox ad v. *depressuros* in mg. Guelf. *defossuros*, quae est glossa. Illud elegans. Cic. Verr. 5, 27: *saxum in mirandam altitudinem depressum;* et non uno loco Plinius maior, in delectu talium verborum curiosus. Ern. (Plin. 37, 9: *depressis ad libramentum aquas puteis.)* — *squalenti litore*] id est, arido, sine arboribus aut fruticetis aut herbis et ne-

domui supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis, additisque porticibus quae frontem insularum protegerent. eas porticus Nero sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis, finivitque tempus intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat, utique naves quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent; aedificiaque ipsa, certa sui parte, sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est: iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes, et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet; nec communione parietum, sed propriis

1. Habet *domui* M, non *domus* Puteolani, Waltheri. — 2. Habet *erecta* M, non *erectae* Puteolani, Waltheri. — 3. *edif.* M. — 5. *extr.* M. — 8. *tyb.* M. — 9. *subuecta essent* M. Correctum in Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. Bud. et a Rhenano. — *caerta* M. — 11. *largitior* M. — *plu* (in fine columnae) *locis* M. — 12. *fluerent* superscr. *t* litteris *nt* M. — 13. *comunione* M.

dum aqua, omni prorsus carens humiditate. Pichena. Est autem Graecum (ex *αὐχμηρὸν*) et poëticum, quod genus non refugit Tacitus; sic *squalentes campi*, *arenae*, *squalida arva*. Vide Drak. ad Sil. 12, 373. Ern. — *gignendis*] praebendis, quantum sufficeret ad reddendam eam fossam navigabilem.

43. *Ceterum*] ut sexcenties, transitui ad novam narrationem inservit, neque mutandum in *cetera*, ad quod inclinat Doederlein. — *quae domui supererant*] spatia vacua, non occupata a Neronis domo, areae, in quibus iam privata *aedificia* exstrui poterant, unde cum eleganti variatione statim ponit *erecta* pro vulgari *completa*. — *cohibita - altitudine*] «Quod iam ante Augustus fecerat, eodem fine; id est, ad incendia arcenda» (ac, si erumperent, minus saltem periculosa habitatoribus reddenda) «et maxime ruinas. Strabo 5. p. 235: *πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις*. Traianus dumtaxat LX. pedes permisit, ut notat Aurelius Victor Epit. 13., qui modus fortasse et Neronianus fuit.» Lips. — *porticibus*] Suet. N. 16: *Formam aedificiorum urbis novam excogitavit, et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur; easque sumptu suo exstruxit.* — *Gabino*] Strabo 5. p. 238: *Γάβιον μὲν ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένη λατόμιον ἔχουσα μάλιστα τῶν ἄλλων.* — *Albanove*] Vitruvius 2, 7: *Sunt aliae* (lapicidinae) *molles, uti sunt circa urbem - - Fidenates, Albanae; quae genera ab igni satis tuta sunt, quia non ut Tiburtina, simul ut sunt ab igni tacta, dissiliunt ac dissipantur.* — *intercepta*] clam deducta ex aquaeductibus publicis. — *custodes*] quos *castellarios* a castellis aquarum vocabant (Inscr. m. Lat. N. 2899., ubi ut servi munus hoc memoratur); iidem etiam *aquarii* (Inscr. m. Lat. 3203.), diversi utique a multo honestioribus, quos Interpretes h. l. cum castellariis confundunt, *curatoribus aquarum* (Inscr. m. Lat. 60. 753. 1195. 3042.), qui aquaeductuum sustentandorum ac reficiendorum, ubi opus erat, cura fungebantur, uti apparet ex Inscr. m. Lat. 3887., ubi Allifanus aliquis memoratur, qui et alios magistratus municipales gessit et fuit *CVRator. AQVAE. DVCENDAE. ALLIFIS.* Voc. *custodes* per zeugma iunxit cum v. *haberet;* vitans verbosius illud *custodes constituerentur.* — *subsidia*] siphones et hamas. Plin. Epp. 10, 42., quae humiliora vocabula declinat *χαρακτῆρι*… — *in propatulo*] ut ab iis, qui auxilium ferrent, facile reperirentur. —

quaeque muris ambirentur. ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere. (44) et haec quidem humanis consiliis providebantur. mox petita dis piacula, aditique Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Volcano et Cereri Proserpinaeque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae quibus mariti erant. sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis

6. *petita a dis* M. Correxit I. Fr. Gronovius. — 7. *proserpineque* M. — 9. Habet *perspersum* M, non *prospersum*, ut Edd. ante Bekkerum. — 10. Habet *sellisternia* M, non *lectisternia*, ut e Cod. Reg. Ed. Spir. edebant ante Ryckium. — 11. *dm* cum lin. M.

ambirentur] Communio parietum iam olim vetita; legeque XII. Tabularum sancitum, ut spatium inter domus insulasve in latitudinem duos pedes et semissem pateret ad liberiorem circumeundi facultatem. *AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO*. Brot. Cfr. Dirksen *XII. Tafeln* p. 465. — *accepta*] grata vulgo, ut 6, 43: *acceptius in vulgum*. — *angustiae*] ut in omnibus antiquis oppidis Italicis, etiam Pompeiis; et quidem propter causas hic allatas; quo solis radii arcerentur, plus umbrarum praeberetur.

44. *petita dis piacula*] his per exegesin adduntur vv. *aditique Sibyllae libri*, ad indicandum, quanam ratione petita sint illa. Walther quidem ac Duebner praetulerunt Med. lectionem *petita a dis*, sed minus hoc concinnum, quoniam bis idem satis moleste dixisset: «petivere di piacula per Sibyllae libros aditique hi sunt.» Immo pars *provisionis*, quam memorat, haec quoque erat, ut piacula ad deos placandos anquirerentur. — *hausta aqua*] Deorum et templa et simulacra vel marina vel fluviatili aqua perspergi aut lavari solebant; ut Vestae aquis ex fonte Camenarum haustis. (Ovid. Fast. 3, 12.) Notissima autem lavatio Veneris Verticordiae et Matris Deum vel ex Ovid. Fast. 4, 136. et 337. Ruperti. — *sellisternia*] Quae deabus fiebant, *lectisternia* diis; ut viri in lectis discumbentes, feminae sellis insidentes coenabant, sic deorum dearumque statuae in lectis sellisve ad aras lautissimis cibis oppletas admovebantur. Duebn. Locus de hac re praecipuus est apud Val. Max. 2, 1, 2: *Feminae cum viris cubantibus sedentes coenabant, quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit; nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad coenam invitantur. Quod genus severitatis aetas nostra diligentius in Capitolio quam in domibus suis servat.* Vocabulum ipsum vix praeterea reperitur nisi apud Festum p. 298. Müll.: *soliar sternere dicuntur, qui sellisternia habent*, id est, qui sunt στρῶται dearum; et in Glossis Cyrilli: *sellisternium*, σελλάστρωσις. Cfr. Chimentellius de honore bisellii in Graevii Thes. Ant. VII. p. 2148. — *sed non ope humana*] Haec et quae sequuntur transcripsit rursus Sulpicius 2, 29: *Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos actaeque in innoxios crudelissimae quaestiones; quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi aut flamma usti; plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* — *per flagitia*] quae ob suspectissimas illas ἀγάπας (caritatis convivia) Christianis ab adversariis affingebantur. Atrocissima quaeque crimina propterea in eos collata ita complectitur Tertullianus Apolog. 7: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde, et post convivium incesto; quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebras, tum et libidi-*

decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies,

2. *quos.* M. — *paenis* M. — 3. *christus tyberio* M. — 5. *exitiabili* M. — *rursū* M; *rursus* B. — 6. *iudeam* M. — 7. *primum* M: *primo* B. — 9. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M. — *coniuncti* M. Emendatum iam in Mss. et Edd. vett.

num impiarum inverecundiam procurent. — *Christianos*] «Sive *Chrestianos*, ut scripsere per inscitiam illi. Quod nomen ortum demum observo imperio Claudii extremo. Suidas in *Χριστιανοί*. (Ed. Gaisford II. p. 3930. A.): *Ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως Ῥωμαίων Πέτρου τοῦ ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ* (quod Hieronymus in Chronico Ed. Roncall. p. 429. refert ad a. post Chr. 45.), *μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζαραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί*. Sed et *Iudaei* appellati antea, quod frustra negitant quidam. Aperte Arrianus 2, 9, 20: *ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, Οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται· ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος.* Ait *τοῦ βεβαμμένου.* Qui ergo tincti et baptizati praeter Christianos?» (At aliter et quidem rectius Arriani interpres in Ed. Paris. 1840. explicat vertens *illa disciplina tincti.* Cfr. Ern. ad Suet. Claud. 25.) «Suetonius Claud. 25: *Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.*» Lips. De nomine *Chrestus* vide Lactant. D. Inst. 4, 4, 7. — *Pontium Pilatum*] Qui sextus procurator Iudaeae cum potestate praesidis fuit. Iosephus 18, 3. Lips. Pilatus missus a Tiberio anno imperii XIII. post exactos muneris sui male gesti decem annos a Vitellio, Syriae praeside, Romam purgandi sui causa ire iussus, deinde a Caligula in exilium pulsus. Iosephus 18, 4, 2. Euseb. H. Eccl. 2, 7: *οὐκ ἀγνοεῖν δὲ ἄξιον, ὡς καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἐπὶ τοῦ σωτῆρος Πιλάτον κατὰ Γάϊον - - τοσαύταις περιπεσεῖν κατέχει λόγος συμφοραῖς, ὡς ἐξ ἀνάγκης φονευτὴν ἑαυτοῦ καὶ τιμωρὸν αὐτόχειρα γενέσθαι.* — *exitiabilis superstitio*] Plin. Epp. 10, 97: *Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam et immodicam.* Sic in Epistola Viennensium et Lugdunensium apud Euseb. H. E. 5, 1. extr. gentiles de Christianis: *ξένην τινὰ καὶ καινὴν ἡμῖν εἰσάγουσι θρησκείαν.* — *in crimine*] Sic Cic. de Inv. 2, 10: *ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit.* pro Sulla 30: *quoties quisquam est in hoc scelere convictus.* — *odio humani generis*] Incredibiliter haec interpretatus est Zyro, professor Bernensis: «propter odium, quo in eos cuncti ferebantur, ut incendiarii condemnati sunt.» Immo eadem est mens Taciti, quam H. 5, 5. expressit de Iudaeis: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* Indicia autem huius odii videbantur Romanis Christianorum abstinentia a spectaculis, a diebus festis, a sacrificiis et victimarum carnibus ac similia. — *flammandi*] flammis destinati. — *atque*] Mirum est Ernestium v. *atque* deletum voluisse, ante v. *hortos* transpositum Doederleinius; horribilem quippe huius supplicii modum per epexegesin sequentia indicant, quasi dixisset: «non simpliciter in rogo usti sunt, sed induti *tunica* illa *molesta* (Martial. 10, 25. Iuven. 8, 235.) cera vel pice ob-

in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur. (45) interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatium liberae vocantur. inque eam praedam etiam di cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate. ille libertus cuicunque flagitio promptus; hic Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, lon-

1. *usu* M. Correxit Puteolanus. — 2. *aurige* M. — 3. *circulo* M. Ex Agr. correxit Ryckius. — *quanq.* MB. — 4. *tanq.* MB. — 5. *seuit.* M. — 6. *euerse* M. — 7. *dii* h. l. M. — 8. *etas* M. — 9. *asyam* M. — 11. *saecundo* M. — *Carinate* Puteolanus, Walther: *caprinatae* M, *Caprinate* B. — *cuicūque* M.

lita, ludibrii causa quasi in usum nocturni luminis. Alii loci de huiusmodi supplicio sunt apud Senecam Ep. 14: *illam tunicam ignium et illitam et intextam.* Schol. ad Iuven. 1, 155: *Vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines papyro et cera supervestiebat et sic ad ignem admoveri iubebat, ut arderent.* De tota autem hac Christianorum persecutione cfr. Tertull. Apolog. 5: *Consulite commentarios vestros; illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse.* — *in usum - luminis*] «pro luminibus.» — *hortos suos*] in valle Vaticana. Cfr. 14, 14.

45. *pecuniis*] Quibus aurea domus Neronis construeretur. Dübn. Suet. N. 38: *collationibus non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias privatorumque census prope exhausit.* Dio 62, 18: *Χρήματα δὲ ὁ Νέρων παμπληθῆ καὶ παρὰ τῶν ἰδιωτῶν καὶ παρὰ τῶν δήμων, τὰ μὲν βίᾳ ἐπὶ τῇ προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ, τὰ δὲ παρ' ἑκόντων δῆθεν ἠργυρολόγησε, καὶ τῶν Ῥωμαίων αὐτῶν τὸ σιτηρέσιον παρεσπάσατο.* — *liberae vocantur*] ut Rhodus. His non plena libertas, iuris tamen exsequendi et proprii magistratus erant suarumque legum arbitrium, atque interdum etiam a pendendis tributis et vectigalibus immunitatem habebant, sed tamen tenebantur in fide populi Romani. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX. et XIII. — *triumphis*] Saepe apud Livium, Plinium aliosque commemorantur illatae templis a triumphantibus res pretiosae ex auro, quae domi habere religio erat, malebantque ad ornanda templa deorum quam suas domos conferre. Ern. — *abripiebantur*] Pausan. 10, 7, 1: *τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς ἔμελλεν ἄρα οὐδὲ τῆς Νέρωνος ἐς πάντα ὀλιγωρίας ἀπειράτως ἕξειν, ὃς τὸν Ἀπόλλωνα πεντακοσίας θεῶν τε ἀναμὶξ ἀφείλετο καὶ ἀνθρώπων εἰκόνας χαλκᾶς.* Plin. 34, 8, 19, 84. enumeratis plurimis statuis Graecis, ita pergit: *Atque ex omnibus, quae rettuli, clarissima quaeque sunt dicata a Vespasiano principe in templo Pacis aliisque eius operibus, violentia Neronis in urbem convecta et in sellariis domus aureae disposita.* — *Acrato*] De hoc Dio Chrysostomus in Rhodiaca §. 149. Vol. II. Ed. Emperii p. 410: *Ἴστε γὰρ Ἄκρατον ἐκεῖνον, ὃς τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ἅπασαν περιελθὼν τούτου χάριν* (statuas et tabulas pictas Neronis iussu undique asportandi) *καὶ μηδὲ κώμην παρεὶς μηδεμίαν, ὡς κἀνθάδε ἧκε, λυπουμένων δ' ὑμῶν, ὅπερ εἰκός, κατὰ θέαν ἔφη παρεῖναι μηδὲ γὰρ ἔχειν ἐξουσίαν μηδενὸς ἅψασθαι τῶν ἐνθάδε.* — *Secundo*

ginqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus. tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis, vitatumque a Seneca proditione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

(46) Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste tentata eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coërciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud alias tam immota pax): sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis movere; et gravi Africo, dum

1. *valetudine* M: *valitudine* B. — 2. *eger* M. — *egressũ* M. — 5. *persimplici* M (scil. *psimplici* cum lin. transversa in litt. *p.)*: *simplici* cum Bud. B. — 7. *temptata* M. — 8. *adesset* M: *aderat* ex Agr. Corb. B. (*adsidet* Doederlein.) — 9. *malarum moribus* M. — 13. *saeuientes* M. — *formis* M.

Carinate] Suspicari possis rhetorem illum esse, quem Dio 59, 20. scribit a Caio in exsilium missum, quia contra tyrannos declamitaverat, quemque Iuvenalis tangit 7, 204: *Sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi Carinatis.* Tinctum eum eloquentia litterarumque studiis Taciti verba indicant. Lips. Ceterum *Carinate* pro Med. *Caprinate* emendatum ex Iuven. et Dion. ll. ll. — *ore tenus*] hoc est, ut posset de philosophia, virtutibus vitiisque Graecorum more disserere, prorsus ut 16, 32. P. Egnatius ille, *qui auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidus.* Ern. — *induerat*] v. *induere* ad hunc modum dictum ex Gr. ἐνδύσασθαι copiose illustrat Gataker Advers. 1, 9. Ern. Claudian. in sec. cons. Stil. 121: *his moribus induit annos.* Ob. — *persimplici victu*] Ipse de se Epist. 83: *Panis deinde* (post balneum) *siccus et sine mensa prandium, post quod non sunt lavandae manus. Dormio minimum. Consuetudinem meam nosti; brevissimo somno utor et quasi interiungo.* Ep. 108: *Inde in omnem vitam unguento abstinemus, quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino carens stomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus.* (Supra Ep. 83. sumebat tamen balneum!)

46. *apud - Praeneste*] Ibi scilicet habebatur sub militari praesidio gladiatorum caterva procul dubio satis numerosa, ne quis novarum rerum cupidus ea facile ad turbas in urbe excitandas abuti posset: in urbem autem arcessebantur, quando edendi erant ludi gladiatorii. — *adesset*] Haec Med. scriptura oriri haud poterat ex illa interpolatorum *aderat.* Ergo sequimur Duebnerum haec adnotantem: «Subiunctivus, quia illa militum praesentia *causa* est coërcitae eruptionis.» Accipe igitur pro *quippe qui*, *utpote qui.* Etiam Doederleinii ingeniosa coniectura *adsidet*, tametsi per se recta (cfr. 13, 24. et 25.) ac significans, semper illi gladiatorio ludo Praenestino *assidere* praesidium militum, etiam Taciti tempore, tamen adeo probabilis non est, ut unquam recipi queat. — *iam - - rumoribus ferente populum*] Admodum cito hoc fieri poterat propter tam exiguam inter Romam et Praeneste distantiam. — *non exceptis*] in iussu suo; etiam turbido mari navigare iubens. Duebn. — *pelago*] Vocabulum Graecum a scriptoribus argenteae, quam dicunt, fere aetatis receptum, quo immensum maris aequor exprimitur. Cfr. Doederlein *Syn.* IIII. p. 73. Bach. Restringe hoc ad solutae orationis scriptores; nam apud poëtas inde a Lucretio *(pelageque severa)* est frequentissimum, imprimis apud Ovidium. — *Formiis*] oppido Latii, in *Terra di Lavoro*; pro eo habetur, quod hodie *Molo di Gaeta.* — *Africo*] Est Λίψ,

promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus inpacti triremium plerasque et minora navigia passim amiserunt. (47) fine anni volgantur prodigia, imminentium malorum nuntia. vis fulgurum non alias crebrior, et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum. bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum, aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias inmolare mos est, reperti. et in agro Placentino, viam propter, natus vitulus cui caput in crure esset. secutaque haruspicum interpretatio, parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.

(48) Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C.

1. *promunturium* M. — *litoribus* M: *littoribus* B. — *inp.* M: *imp.* B. — 6. *inm.* M: *imm.* B. — 7. *capud* M. — 8. *interp̄tatio* M. — 11. *caepta* M. — 13. *C.* M: *Gaium* B.

Libecchio, sud-ouest. — *Miseni*] ubi classis Romana, quam occidentalem dixeris, ordinariam stationem habebat, ut orientalis Ravennae. Cfr. omnino 4, 5. Quod hic certatim exscribunt ex Lipsio, Puteolos stationem fuisse classis Alexandrinae, mero nititur errore, orto ex locis male intellectis Strabonis 17. p. 793: *ταύτῃ* (per lacum Mareotidem) *τὰ ἐκκομιζόμενα ἐξ Ἀλεξανδρείας πλείω τῶν εἰςκομιζομένων ἐστί· γνοίη δ' ἄν τις ἔν τε τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Δικαιαρχίᾳ* (Puteolis) *γενόμενος, ὁρῶν τὰς ὁλκάδας ἔν τε τῷ κατάπλῳ καὶ ἐν ταῖς ἀναγωγαῖς ὅσον βαρύτεραί τε καὶ κουφότεραι κἀκεῖσε πλέοιεν·* et Senecae Epp. 77: *Gratus* Alexandrinarum navium tabellariarum *Campaniae adspectus est: omnis in pilis Puteolorum turba consistit* cet. Ergo intelliguntur naves onerariae (frumentariae) ac tabellariae, quae ex Alexandria ad Puteolos cursum habebant, non naves longae cum classiariorum praesidiis. «Promontorium autem istud infame naufragiis; Seneca l. l.: *Cum intravere Capreas et promontorium, ex quo* Alta procelloso speculatur vertice Pallas, *ceterae velo iubentur esse contentae: siparum Alexandrinarum insigne est.* Statius Silv. 3, 2, 23: *Prima salutavit Capreas et margine dextro Sparsit Tyrrhenae Mareotica vina Minervae.* Libabant ergo procellosae illi Palladi nautae, periculo maris defuncti.» Lips. — *Cumanis*] Cumae, oppidum maritimum Campaniae, a. 1203. plane dirutum.

47. *semper Neroni*] «Grotius delebat *semper*; quod raro cometae apparent. Nec nisi semel ante apparuerat stella crinita sub Neronis imperio a. u. 813. cfr. 14, 22. Ego mallem *Neroni* delere aut pro eo *tyrannis* legere, quod melius. Auctor mihi Suet. Ner. 36., ubi de eodem cometa agitur: *Ut ex Babilo astrologo didicit solere reges talia ostenta caede aliqua illustri expiare atque a semet in capita procerum depellere* cet. Ern. Mira profecto utraque *κρίσις*. V. *semper* non ad obrussam exigendum est, sed significat: «quoties cometes apparuit;» sive pluries sive bis dumtaxat id accidit. Quid, quod Plinius 2, 25, 92: *Cometes terrificum magna ex parte sidus, in nostro aevo circa veneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius, assiduum prope ac saevum.* — Quamquam *assiduum* hoc nescio quo colore rhetorico tinctum videtur, in quem tantopere propendebat Plinius. (De priore illo cometa videtur intelligendus locus Senecae N. Q. 7, 17: *Nec est quod putemus, hunc, qui sub Nerone Caesare adparuit et cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui D. Iulii ludis Veneris Genitricis circa XI. horam diei emersit.* Hic cometis detraxit infamiam, quatenus nulla eius apparitionem insecuta est calamitas. De eodem etiam Dio 61, 18.) — *gravidas hostias*] Pauca super eo sacrorum ritu. Trahere huc possis illud Festi (p. 57. Müll.): *Confeta sus dicebatur, quae cum*

Pisonem. is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud volgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversum amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia: lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat. idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec perseverum volunt. (49) initium coniurationi non a cupidine ipsius fuit; nec tamen facile memoraverim quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit quod tam multi sumpserunt. promptissimos Subrium Flavum tribunum praeto-

3. *nanque* M. — 6. *parsim.* M: *parcim.* B. — 7. *luxu* M: *luxui* B. — 9. Habet *coniurationi* M, non *coniurationis* Guelf. Reg. Agr. Corb. Spir. — 11. *flauium* M. Emendavit B e Capp. 58. et 67. (*Subrium Flavium* rursus praetulit Bachius. Quod Dio 62, 24. bis *Φλάβιον* vocat, est ex more Graeco, ut *Κυρίνιος* pro *Quirinus.*)

omni fetu adhibetur ad sacrificium. Lips. Adde eundem Festum in *Horda* (p. 102.): *Horda praegnans, unde dies, quo gravidae bestiae immolabantur, hordicidia.* Ern. Altera forma est *fordicidia.* Ovid. Fast. 4, 631: *Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo.* — *esset*] id est, esse ferebatur. Doed. — *repressum*] iam in utero loco suo emotum et retro versum sit, ut cum crure demum prodierit. Cic. Brut. 4: *fetus* (frugum) *repressus* cet. Ern. — *aut iter*] Minime scribendum *et iter*; prior enim prodigii huiusce pars *in utero repressum* refertur ad prius interpretationis membrum *non fore validum*, altera pars *aut iter iusta editum* ad alterum *neque occultum.*

48. *Silius Nerva*] In Fastis Balteri nominatur *A. Licinius Nerva Silianus.* Cfr. 4, 68., ubi eius pater memoratur. Fortasse demum post consulatum gestum a Licinio aliquo adoptatus est. — *nomina dederant*] proprie de tironibus, qui a magistratu delectum habente in militum album referuntur. Hist. 2, 97. (De tota autem hac coniuratione cfr. Dio 62, 24. seqq.) — *facundiam*] Has omnes laudes eius cecinit quicunque ille adolescens poëta in Panegyrico ad Pisonem. Lips. Quod carmen Statio C. Barthius et C. Beck, Saleio Basso Wernsdorfius tribuere; at res manet prorsus incerta. Facundiam autem Pisonis *in tuendis civibus* celebratur inde a v. 25. V. c. v. 30: *Hinc quoque* (ex eloquentia) *servati contingit gloria civis.* Cfr. Schol. ad Iuven. 5, 109: *Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit in latrunculatorum* (sic pro *latrunculorum*) *iussa* (l. *lusu*) *tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem* (l. *ludentem*) *concurreretur. Ob haec insinuatus C. Caesari; repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso, deinde remissae, repetiisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus* (sic) *vixit, meritis* (id est, largitionibus) *sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotquot annis ad equestrem censum dignitatemque provehere.* Indubitatum autem de Pisonis consulatu testimonium exstat in Paneg. Pis. 68: *Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa Gloria contigerit, qua tu, reticente senatu, Cum tua bis senos numeraret purpura fasces, Caesareum grato cecinisti pectore numen?* De anno consulatus suffecti ambigitur; in Balteri Fastis dubitanter assignatur anno 801. Varr. — *lenitati*] mitius voc. quam *mollitiae*; vitae commodae ac tranquillae, *une vie douce* Burnouf. Ernestii *levitati* merito nemo comprobavit. — *restrictum*] in coërcendo luxu, *perseverum* in puniendis vitiis e luxu potissimum ortis.

49. *non a cupidine*] imperium adipiscendi, sed a timore, ut ait 14, 65.; hic mire haud significat. — *Subrium Flavum*]

riae cohortis et Sulpicium Asprum centurionem exstitisse constantia exitus docuit. et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus [consul designatus] vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus adsimulatione: Lateranum consulem designatum nulla iniuria sed amor rei publicae sociavit. at Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris capessivere. nam Scaevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida: Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus contumelias ultum ibat. (50) ergo dum scelera principis, et finem adesse imperio, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos iaciunt, adgregavere Tullium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Augurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Marcium Festum, equites Romanos; ex quibus Senecio, e praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni

1. *extit.* M. — 2. *anneus* M. — Vv. *consul designatus* seclusi cum Bekkero. — 4. *premebant* superscr. *t* litteris *nt* M. — *adsimulatione* M: *aemulatione* Lipsio auctore B. — 5. *disignatum* M. — *amore* M. — *rei.p.* M. — 10. *multum* M. — 11. *imperia* M. — *deligendum qq;* (prius *q* cum lin. transversa, id est, *quique)* M. Correxit Lipsius. — 13. *uulgacium* M. — *Augurinum* M: *Tugurinum* cum Spir. B. — 14. *senaecio* h. l. M. — 15. Habet *eo pluribus* M, non *eo propriis* Puteolani. — 16. *periculi* M.

Cfr. C. 50. 58. 65. 67. — *Sulpicium Asprum*] Cfr. C. 50. 68. — *Plautiusque Lateranus*] Cfr. 11, 30. 36. 13, 11. 15, 60. — *consul designatus*] Haec vv. in altera Ed. seclusit Bekker, cum in priore seclusisset vv. mox seqq. *consulem designatum*; sed hoc loco posteriore posita perquam scite significant, Lateranum nullam a Nerone perpessum esse iniuriam, immo summum honorem accepisse. — *intulere*] id est, secum attulere ad coniurationem. (Comparat Doederlein Cic. de Orat. 2, 53, 214: *Non enim - - misericordiam aut invidiam aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commovere*, ubi Ellendt in Ed. minore nescio unde dedit *impuleris.)* — *ostentare*] Pharsaliae libros, ut singuli compositi erant, aliave poëmata publice recitare. — *vanus adsimulatione*] Utique restituere ego quoque debui hanc Med. lectionem, quae oriri vix poterat ex planissimo illo voc. *aemulatione*, per se, si in Cod. esset, sane rectissimo, quod Lipsio auctore in plerisque nunc Edd. dominatur. Iam videamus verae lectionis interpretationes: «*Vanus adsimulatione* Nero dicitur, qui ea vanitate uteretur, ut Lucani carmina adsimulare» vellet.» Walther. «*adsimulatione*] scilicet studiorum, *vanus*; dum similia consectatur et aemulum agit.» Duebner. Atque hoc verum equidem iudico, ut *vanus* sit «se ipse vanitate sua decipiens»; etsi cum Bachio Doederlein: «*Vanus* est, qui spe excidit, ut Hist. 2, 22: *ne irrisus ac vanus iisdem castris adsideret*. *Adsimulare* autem idem est quod *aequiparare*, ut 1, 28: *suis laboribus defectionem sideris adsimulans*, coll. 11, 11. 15, 39. Agr. 10.» Sed bellam narratiunculam hic confinxit Lipsius: «Quinquennali ludicro, cum Orpheum Lucanus recitasset, coronatus contra Neronem est, quod aegre tulit citharoedus princeps:» quam exinde omnes interpretes nimis secure repetiverunt. At vero ea tota sine ulla viri summi culpa orta est ex falsa lectione Stat. Silv. 2. 7, 58., ubi Lucani diem natalem celebrat: *Ingratus Nero dulcibus theatris Et noster tibi proferetur Orpheus*, ubi *praeferetur* Lipsius sane cum Codd. legens in impenetrabiles et ipse et asseclae tenebras incidere; verba enim ita intelligi omnino nequeunt. Verae lectionis a Ryckio et a Marklando, sed in *δευτέ-*

erat. ceteris spes ex novis rebus petebatur. adscitae sunt super Subrium et Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus, Gavius Silvanus et Statius Proximus tribuni cohortium praetoriarum, Maximus Scaurus et Venetus Paulus centuriones. sed summum robur in Faenio Rufo praefecto videbatur, quem vita famaque laudatum per saevitiam inpudicitiamque Tigellinus in animo principis anteibat, fatigabatque criminationibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni intentum. igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partes descendisse crebro ipsius sermone facta fides, promptius iam de tempore ac loco caedis agitabant. et cepisse impetum Subrius Flavus ferebatur in scena canentem Neronem adgrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum exstimulaverant, nisi impunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus adversa. (51) interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum, Epicharis quaedam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat), accendere et arguere coniuratos; ac postremum lentitudinis

2. Habet *Silvanus*, non *Silanus*, M. — 4. *Faenio* M: *Fenio* B. Cfr. Ann. 14, 51. — 5. *seuit.* M. — *inp.* M : *imp.* B. — 6. *tigill.* M. — 7. *metu* M. — 9. *sermonis* accommodatum ad v. *ipsius* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. Aliter in Spir.: *sermonibus*, quod recepit Walther. — 10. *flaus* M. — 11. Habet *ardente domo* M. — 13. An *pulcherrimum ad facinus animum*? Or. — *extimulauerat*, superscr. penultimae litterae *n* M.

ραις demum *φροντίσι*, memoratae atque confirmatae a Cod. Rehdigeriano sensus clarus ac perspicuus hic est: «Proferetur a te theatris dulcibus (id est, quae in quinquennali certamine tunc te recitantem tantopere admirata sunt) Nero (Neronis laus carmine praedicata) ingratus (postea in te) et noster (Calliopes, quae loquens inducitur, filius) Orpheus. Suetonius in vita Lucani: *Prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.* — *nulla iniuria*] «Verba *consulem designatum* paullo ante addita repetit h. l. Tacitus, ut demonstret Lateranum non modo nullam iniuriam a Nerone accepisse, sed summum etiam beneficium, consulatum.» Walth. Repetitionem haud agnosco, sed gloss. in superioribus vv. video. — *mollitia*] De pathicis, ut 11, 2.

50. *finem adesse*] Quem cometes portendere ac promittere credebatur; cfr. C. 47. Doed. — *rettuli*] C. 49. — *militares manus*] singulariter hoc dictum pro *viris militaribus*. — *Faenio*] Cum *Faenii* permulti reperiantur in Inscriptt., non erat, cur retineretur Edd. *Fenio*. — *in metum*] in periculum ipsi Faenio notum, unde metus. — *impetum*] consilium non satis consulto, sed cupidius captum, etsi de loco, ubi exsequendum esset, ambigebat. — *ardente domo*] Neronis domui aureae ignem iniicere destinaverat, ut in tumultu ille facilius interficeretur. Brot. Vix aliter explicari hoc potest; etsi mirum mihi accidit, tali in casu Neronem sine ullo custode futurum fuisse, nisi forte hoc Subrius speravit de ultima eius consternatione ac desperatione. Certe etiam ad nocturnas illas grassationes (13, 25.) cum comitibus exibat. De alia qua domo ardente, id est, de alibi orto incendio, cuius spectaculi avidus fuisset, accipi posse non puto; clarius hoc expressisset Tacitus. I. Fr. Gronovii *madens vino* omni caret probabilitate; et quod Herelio in mentem venit, *sordente domo*, «taedio spreta et fastidita», contortum est atque obscurissimum. — *pulch. animum*] Manca haec videntur.

51. *spem ac metum*] conatum cum spe ac metu coniunctum. Ern. — *sciscitata*] sane ex amico; id quod tecte seqq. verbis significat Tacitus scriptoris historici dignitatis ubique memor. — *accendere*] ad audaciam lente deliberantes, *arguere* igna-

eorum pertaesa, et in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefacere et conscientia illigare connisa est tali initio. erat navarchus in ea classe Volusius Proculus occidendae matris Neronis inter ministros, non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur. is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et quam in irritum cecidissent aperit, adicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse inpelli et plures conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. ergo Epicharis plura; et omnia scelera principis orditur. † neque senatui quod manere. sed provisum quonam modo poenas eversae rei publicae daret. accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia exspectaret. nomina tamen coniuratorum reticuit. unde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea quae audierat ad Neronem detulisset. accita quippe Epicharis, et cum indice composita, nullis testibus innisum facile confutavit. sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur. (52) coniuratis tamen metu proditionis permotis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat, balneasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole. sed abnuit Piso, invidiam praetendens, si sacra mensae diique hospitales caede qualiscunque

1. *pertesa* M. — 2. *conisa* M. — *erat navarchus* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Puteol. Beroaldus, Rhenanus: *erant* (in fine versus) *uarchus* M, *erat chiliarchus* cum Spir. et Lipsio B. — 3. *uolusiu* M. — 4. *his* M. — 6. *quaestus* M. — 7. Habet *oreretur* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 9. *let.* M. — 10. *qd (quod)* M: *quid* B. Locus est corruptus. — 11. *paenas* M. — *rei.p.* M. — 12. *multum* M. Ex Bud. correxit Rhenanus. — 13. *p̄tia* M. — *exp.* M. — 14. *inr.* M: *irr.* B. — 18. *cedem* M. — *uaias* M. — 19. *amaen.* M. — *ualneasque* M. — 21. *diique* M: *dique* B. — *ospitiales* (sic) M. — *cede* M. — *qualiscũque* M.

vos. — *pertaesa*] Constructio posterioris Latinitatis. Cicero dixisset: *cum Epicharin lentitudinis eorum pertaesum esset.* Bach. — *labefacere*] avertere a fide in Neronem. Id. — *navarchus*] Manifesto vera haec est emendatio corruptelae Med., interpolatio vero lectio Ed. Spir. *chiliarchus*, qui foret tribunus classiariorum. *Navarchos* habes in Inscr. m. Lat. NN. 3615. 3634. Cic. Verr. 3, 80. 5, 24. Veget. 5, 2: *Singulae Liburnae singulos navarchos, id est, quasi navicularios, habebant, qui, exceptis ceteris nautarum officiis, gubernatoribus et remigibus et militibus exercendis, quotidianam curam et iugem exhibebant industriam.* — *ut rebatur*] Quantum se provehendum esse rebatur. Duebn. — *Epicharis plura*] ultra talibus in sermonibus progressa est. — *neque senatui quod manere*] Locus desperatus; qui servant *quid*, quomodocunque interpretantur: «neque senatui quidquam potentiae atque auctoritatis remanere;» id quod pro *quid* sane requireret *quidquam*. (Grotius: *neque senatui fidem manere*; Hillerus: *ne senatum quidem manere* scil. in fide. Interpretibus suadeo: *neque, senatum quod maneret*, id est, «non esse, cur quidquam exspectaret a senatu tam ignavo.» — *quae vera*] id est, quorum veritas ob testium defectum nondum patebat. Ern.

52. *crebro ventitabat*] Lipsius in mg. Ed. 1574: *crebro eo ventitabat*, Heinsius *creber eo ventitabat*, quod recepere Bipontini et Oberlinus; at *eo* satis ex narrationis tenore intelligitur. — *mole*] apparatu et comitatu solito ipsique Neroni interdum molesto. Sic Iosephus 18, 6, 9: *ὄγκον πραγμάτων* de imperio. Ern. —

principis cruentarentur: melius apud urbem in illa invisa et spoliis civium exstructa domo vel in publico patraturos quod pro re publica suscepissent. haec in commune, ceterum timore occulto ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque G. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium invaderet, prompte daturis *operam* qui a coniuratione integri essent, quique miserarentur Neronem tamquam per scelus interfectum. plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem oreretur, vel delecto imperatore alio sui muneris rem publicam faceret. etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero vetus adversum insontem odium expleverit. (53) tandem statuere circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata, quia Caesar rarus egressu domoque aut hortis clausus ad ludicra circi ventitabat, promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. ordinem insidiis composuerant ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens. tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi

2. *extr.* M. — *re.p.* M. — 3. *caeterum* M. — *L.* M: *Lucius* B. — 4. *G.* M: *Gai* B. — 5. *daturis operam*] *daturis* in fine columnae, omisso v. *operam*, quod suppletum est in Guelf. et a Puteolano. — 6. *tanq.* M B. —7. *ingentum* M. — 8. *libertatem oreretur* Pichena: *libertate moreretur* M, *libertatem moveretur* cum Iac. Gronovio B, quae sane falsissima est scriptura. *Moreretur* illud M, ex eo unice ortum est, quod forma *oreretur* alibi ab ipso servata hic ei falsa videbatur. — 9. *rem.p.* M. — 12. *exequi* M. — *cesar* M. — 13. *promptiores quae* M. — 14. *erat* superscr. *n* litteris *at* M. — 14. *composuerat* superscr. *n* litteris *at* M. Vv. *laetitia - - - composuerant* bis deinceps exhibet M. — 15. *depcabundus* M. — 16. *accedens* M. Correxit Rhenanus. — *pmeretque* M. — 18. *audientiae* M. Correctum in Vatic. et Spir. — *habuissent* habet M, non *plus habuisset*, ut ex manifesta interpolatione edidere Ritter et Doederlein. Vide Waltherum etsi h. l. non nimis clarum. — *adc.* M: *acc.* B.

sacra mensae] ut 13, 17. 1, 42: *sacra legationis.* 2, 65: *sacra regni.* — *L. Silanus*] Augusti abnepos, filius eius, de quo 13, 1. Cfr. 16, 9. 12. Vide tamen Ryckium, qui *adnepotem* facit. — *G. Cassii*] optimi illius iureconsulti, de quo 12, 12. et alibi. — *oreretur*] «ne ad veterem libertatem civitati reddendam exsurgeret.» — *sui muneris*] «ita ut novus princeps imperium dono sibi datum a Vestino ultro agnosceret ideoque propter hoc meritum, quod ipsi semper imputari poterat, quodammodo obnoxius illi fieret.» Cfr. 4, 57: *cum dominationem ipsam donum eius* (Liviae) *accepisset* (Tiberius.) — *expleverit*] Vide C. 68. Falsum scilicet id crimen coniurationis argumentum praebuit, ut vetus odium postea exsatiaret.

53. *Cereri*] In Kalendario Maff. Inscr. m. Lat. II. p. 388. ad *PR. EID.* mensis Aprilis (die 12. m. Apr.) *LVD. CERERI.* et in Vaticano, ibid. p. 389: *LVD. CERIAL.*, deinde in illo ad XIII. Kal. Maias (die 19. m. Apr.) *CER. LVD. IN CIRC.* Ovid. Fast. 4, 389. seqq. Havercamp. ad Thes. Morell. I. p. 275. et Eckhel D. N. V. p. 252. ad nummum ita inscriptum: *MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT.* «Hinc patet, quae h. l. narrantur, mense Aprili huius anni gesta; quod firmat Anonymus vetus auctor vitae Lucani: *Sua sponte (coactus vita excedere) venas sibi praecidit periitque pridie Kal. Maias Attico Vestino et Nerva Silano consulibus.*» Ryck. — *animi* cet.] Eadem constructionis variatione Hist. 1, 53: *Caecina - - corpore ingens, animi immodicus.* — *ut quisque audentiae habuisset*] Trans-

partes expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis [in Etruria] sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat, gestabatque velut magno operi sacrum. interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia Claudii Caesaris filia ad eliciendum volgi favorem; quod G. Plinius memorat. nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est. (54) sed mirum quam inter diversi generis ordinis aetatis sexus, dites pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo Scaevini; qui pridie insidiarum multo sermone cum

1. *expostulanti* M. Spir. — Habet *Scaevino* M, non *Scevino*, ut Edd. ante Bekkerum. — Vv. *in Etruria* Ernestio auctore seclusit B. — 2. *ut alii*] *utilia* M. — *frentano* M. Correxit Cluverius Ital. ant. Lib. 2, 3. — *dextraxerat* M, non *deas traxerat*, ut narratur apud Bekkerum. — 3. *magno operis* M. Correxit Pichena, ante quem cum Guelf., aliis Codd. et Puteol. edebant *magni operis*. — *oper*. M. — 4. *Faenius* M: *Fenius* B. — 5. *volgi* M: *vulgi* B. — 6. *G.* M: *Gaius* B. — 7. *aut inane aut spem* M. Correxit Pichena, ante quem cum Harl. Bodl. Ies. Puteol. edebant *et inane aut ipsi*. (*aut inani spei* cum Agr. Ryckius.) — 9. Habet *nisi si* M, non *nisi* Reg. Spir. — 12. *caepit* M.

tulit Graecam structuram ὡς ποδῶν εἶχον, ὡς ὀργῆς ἔχω, ut *audentiae* iungendo. Doed. — *in Etruria*] Uti visum Ernestio, Bekkero et Muellero *Etrusker* II. p. 54., sic ego quoque haec vv. pro gloss. habeo *Ferentino in oppido;* neutiquam vero cum Doederleinio ita transponi potest *Fortunae in Etruria Ferentino in oppido*. Haud improbabiliter Mueller l. l. arbitratur non duas diversas deas hic indicari, sed unam Nortiam, Etruscorum deam, quam in referendo hoc Scaevini incepto alii scriptores *Salutem*, alii *Fortunam* appellarint. Certe propter vv. C. 55. *religione patria* intelligi nequit templum Salutis Romae in monte Quirinali situm, a Iunio Bubulco votum et pictum a Q. Fabio a. u. 450. (Plin. 35, 3, 6.) — *Ferentino*] Suet. Oth. 1: *Maiores Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere - - atque ex principibus Etruriae*. Strabo 5. p. 226. in Etruriae descriptione iungit Φερεντινὸν καὶ Φαλέριον καὶ Φαλίσκον καὶ Νέπιτα. Cfr. Mannert *Italien* I. p. 408. (Med. *Frentano* parum probabiliter referretur ad *Frentanos*, populum Samniticum. Cellar. Geogr. ant. I. p. 702. Mannert *Italien* I. p. 695. Quod autem Bachius dedit *Ferentano* (Apuliae oppido), omni destitutum est auctoritate, etsi sic Codd. aliq. et Edd. vett.) — *detraxerat*] Ut donaria in templis, cum consecrantur, *reponi*, sic, cum auferuntur, *detrahi* proprie dicuntur. Suet. Vit. 8: *gladius delubro detractus*. Ner. 32: *detracta templis dona*. Ern. — *gestabatque*] clanculum (nam in urbe cum telo esse non licebat), sed interdum intimis amicis monstrabat, addens eum esse *magno operi sacrum*. — *Antonia*] 12, 2. 68. 13, 23., Cornelii Sullae uxor. — *G. Plinius*] in libris XXXI. *a fine Aufidii Bassi*. Plin. Epp. 3, 5. — *quoquo modo*] seu vere seu falso.

54. *mirum quam*] θαυμαστὸν ὅσον, cui propius *mirum quantum* dicit Cicero Orat. 26. et Livius 1, 16. 2, 1. — *proditio*] «Plutarchus de Garrul. 7. longe aliter elatam et apertam narrat coniurationem. Sed ne tibi imponat, non istam. Duplex enim in Neronem coniuratio, Pisoniana et Viniciana, ut auctor Suet. 36. Ad Vinicianam ergo refer illa Plutarchi.» Lips. «Viniciana posterior et Beneventi conflata atque detecta, teste Suetonio l. l., praeterea tam obscura, ut praeter Suetonium nemo illius meminerit. Veri simile autem in reditu Neronis ex Achaia cum in Vatinii gratiam substitisset, Beneventi contra eum conspiratum. Quod cum Dio praeterierit aut potius Xiphilinus, apud Tacitum vero perierit cum actis anni 820.,

Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, de quo supra rettuli, vetustate obtusum increpans asperari saxo et in mucronem ardescere iussit, eamque curam liberto Milicho mandavit. simul affluentius solito convivium initum, servorum carissimi libertate et alii pecunia donati. atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet. postremo volneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare eundem Milichum monet, sive gnarum coniurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc primum arreptis suspicionibus, ut plerique tradidere de consequentibus. nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit, simulque inmensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria. etenim uxoris quoque consilium adsumpserat muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat,

2. *retuli* M. — 3. *aspernari* M. — *et immucronem* (sic) M. — 5. *karissimi liberta* (versus finis) *tate* (sic) M. — *mestus* M. — 7. *parare*] *partiebatq;* (sic) M. Mutavit Puteolanus. (*parata habeat* Doederlein.) — 8. *melicum* h. l. M. — *sibe* M. — 9. *suscipionibus* M. — 10. *saecum* M. — 11. *inm.* M: *imm.* B. — *paecunia* M. — 12. *accepte* M. — *utenim* (sic) M. Correctum in Guelf. Harl. Bodl. Ies. et a Puteolano. — 13. *ads.* M: *ass.* B.

nunc ignoramus. Immo de Pisoniana Plutarchum intelligendum et urbis Romae mentio et aliae circumstantiae suadent.» Ryck. Plutarchus l. l. ita: *Τὴν δὲ Ῥωμαίων πόλιν ἐκώλυσεν ἐλευθέραν γενέσθαι, Νέρωνος ἀπαλλαγεῖσαν, ἑνὸς ἀνδρὸς ἀδολεσχία. Μία γὰρ ἦν νύξ, μεθ' ἣν ἔδει τὸν τύραννον ἀπολωλέναι, παρεσκευασμένων ἁπάντων· ὁ δὲ μέλλων αὐτὸν ἀποκτιννύναι, πορευόμενος εἰς θέατρον, ἰδών τινα τῶν δεδεμένων ἐπὶ θύραις μέλλοντα προσάγεσθαι Νέρωνι καὶ τὴν αὑτοῦ τύχην ἀποδυρόμενον, ἐγγὺς προσῆλθεν αὐτῷ καὶ προσψιθυρίσας, Εὔχου, φησίν, ὦ ἄνθρωπε, τὴν σήμερον ἡμέραν παρελθεῖν μόνον, αὔριον δέ μοι εὐχαριστήσεις. Ἁρπάσας οὖν τὸ αἰνιχθὲν ἐκεῖνος καὶ νοήσας, οἶμαι, ὅτι «Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπών, ἀνέτοιμα διώκει,» τὴν βεβαιοτέραν εἵλετο σωτηρίαν πρὸ τῆς δικαιοτέρας. Ἐμήνυσε γὰρ τῷ Νέρωνι τὴν φωνὴν τοῦ ἀνθρώπου· κἀκεῖνος εὐθὺς ἀνήρπαστο, καὶ βάσανοι καὶ πῦρ καὶ μάστιγες ἐπ' αὐτόν, ἀρνούμενον πρὸς τὴν ἀνάγκην, ἃ χωρὶς ἀνάγκης ἐμήνυσε.* Tota quidem res est incerta, maxime quia in his rebus minoribus saepe mirum in modum variant scriptores. — *rettuli*] C. 53. — *saxo*] nobili v. pro *cote*. — *ardescere*] «Ut cote asperatus, dum fricatu incalescit, mucronem acutum acciperet.» Lucanus 7, 139: *nisi cotibus asper Exarsit mucro.* Horat. C. 2, 8, 15: *Cupido semper Ardentes acuens sagittas Cote cruenta*, per prolepsin, «ut ardescant.» Duebn. et Doed. — *Milicho*] Nomen servile, a *μείλιχος*, mitis, suavis. — *vagis sermonibus*] modo huius, modo illius argumenti, sed diversi, *unzusammenhängende Gespräche* Gutmann; retinere potuit Louandre: *des discours vagues.* Cod. Agr. e gloss. *variis.* Alio sensu Claudien. Prob. et Olybr. Cons. 31: *Vivit adhuc completque vagis sermonibus aures Gloria fusa Probi*, ubi est fama late sparsa. Cfr. Ann. 2, 39: *vago rumore*, sine certo auctore. — *parare*] Haud prorsus certa haec qualiscunque Puteolani correctio pro Med. vitio *partiebatq;* neque vero certior Doederleinii *parata habeat.* Aequo certe iure scribas *paret.* — *de consequentibus*] Diverse interpretantur: «ex iis, quae continuo comitabantur ac sequebantur facinus, hoc colligentes.» Duebn. post Brotierium. «*de consequentibus*] scil. rerum scriptoribus, qui post illa tempora vixere atque scripsere. Sic Cicero dixit *consequens* et *posterum tempus* synonymice.» Ern. Equidem priorem interpretationem cum Waltbero amplector, ut sit *ἐξ ἀκολούθων.* — *ultro*] insuper, praeter praemiorum spem, etiam interitus metum.

multosque astitisse libertos ac servos, qui eadem viderint; nihil profuturum unius silentium; at praemia penes unum fore, qui indicio praevenisset. (55) igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos pergit; et cum foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans, deductusque ab ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves coniuratos, et cetera quae audierat, coniectaverat, docet. telum quoque in necem eius paratum ostendit, accirique reum iussit. is raptus per milites et defensionem orsus, ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum respondit. tabulas testamenti saepius a se, et incustodita dierum observatione, signatas. pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. enimvero liberales semper epulas struxisse, et vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam. fomenta volneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, ut sese pariter indicem et testem faceret. adicit dictis constantiam; incusat ultro intestabilem et consceleratum, tanta vocis ac vultus securitate ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scaevino ac secreta collocutum, et esse utrosque G. Pisonis intimos. (56) ergo accitur Natalis, et diversi interrogantur quisnam is sermo, qua de re fuisset. tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant; inditaque vincla. et tormentorum aspectum ac minas non tulere. prior tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus,

1. *seruo* M. — *nichil* M. — 3. *caepta* M. — 4. *adf.* M: *aff.* B. — 5. *etaphroditum* M. — 6. *coniuratos* M: *coniurationes* cum Guelf. et Puteol. B. — *caet.* M. — *audierat* superscr. *v* litterae *i* M. — *coniectaverat* M: *coniectaveratque* cum Puteol. B. Melius foret *coniectaveratve*. — 10. *sepius* M. — 13. *diffideret enimuero liberales semper epulas struxisse diffideret enimuero uitam hamenam* (sic) M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 14. *egisse enim uitam* Agr. — 15. *caet.* M. — 16. *ut sese*] *I;sisse* (id est, *Iussisse*) M. Ut nos, cum Agr. Pichena. — 19. Habet *ac secreta* M, non *et secreta* Harl., neque *ac secreto* Puteol. — 20. *G.* M: *Gai* B. — 21. *qua*] *quae* M.

55. *Servilianos*] Memorantur etiam Hist. 3, 38. Suet. Ner. 47. — *Epaphroditum*] Qui Neroni a libellis fuit. Suet. Ner. 49. Dom. 14. Est ille ipse, cui nobilis servus Epictetus. (Suidas in Ἐπίκτητος· φιλόσοφος, δοῦλος δὲ Ἐπαφροδίτου, τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως Νέρωνος.) Hominem satis describit narratiuncula Arriani Epict. 1, 26, 11: Ἐγώ τινα οἶδα κλαίοντα, Ἐπαφροδίτου τῶν γονάτων ἁπτόμενον, καὶ λέγοντα ταλαιπωρεῖν, ἀπολελεῖφθαι γὰρ αὐτῷ μηδέν, εἰ μὴ ἑκατὸν πεντήκοντα μυριάδας (sexagies mille). Τί οὖν ὁ Ἐπαφρόδιτος κατεγέλασεν, ὡς ἡμεῖς; Οὔ· ἀλλ' ἐπιθαυμάσας λέγει, Τάλας, πῶς οὖν ἐσιώπας; πῶς ἐκαρτέρεις; Cfr. Suidas in Ἐπαφρόδιτος. — *graves coniuratos*] tales, qui propter potentiam re vera timeri deberent, summum discrimen afferre possent, δεινούς; quod cum parum intelligerent, Guelf. Puteol. perverse scripserunt *coniurationes*, vitium propagatum usque in Bekkerianam, etsi veram Med. lectionem indicaverat iam Pichena. — *religione patria*] quod telum iam pater avusque ut sacrum coluissent. — *incustodita*] utrum dies felices essent necne, neque a se de ea re mathematicos consultos. — *testamento diffideret*] Nimirum metuens, ne creditores rescinderent libertates testamento dumtaxat datas. Duebn. —

simul arguendi peritior, de Pisone primum fatetur, deinde adicit Annaeum Senecam, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. tum cognito Natalis indicio Scaevinus quoque, pari inbecillitate, an cuncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere: post promissa inpunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atillam matrem suam, Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos, nominavere. (57) atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem, et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet saepsisset. (58) quin et urbem, per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et

1. *anneum* M. — 2. *sibe* bis M. — 3. *oprim.* M. — 4. *inueccillitate* (sic) M, *imb.* B. — 6. *quintilienusque* (sic) M. — 7. *inp.* M: *imp.* B. — 8. Habet *Atillam* M. — *quintilianus* M h. l. — Habet *Glitium* M, non *gligium*, ut narratur apud Bekkerum. (*Glitii* autem quattuor sunt apud Gruterum, totidemque apud Muratorium.) — 9. *praecipuae* M, non *praecipue*, ut narratur apud Bekkerum. Emendatum in Guelf. et Edd. vett. — 10. *apichari* M. — 11. *tormenti* M. — *iuuet* M. — *atillam* M. — 13. *questionis* M. — 15. *fascae* M. — 17. *conisa* M. — *exprexit* M. — 19. *Romani*] *R.* M. — *intactis* M. Correctum in Corb. Agr. Farnes. — *carissimã* M. — 21. *quintilianus* M. — 22. *quanq.* M B. — *sepisset* (sic) M.

ut labaret indicium] «ita, ut fide vix dignum iam videretur, nisi cet.» — *secreta*] Puteolani *secreto* minime opus. Ovid. Metam. 4, 224: *matri secreta loquenti*. WALTH.

56. *arguendi peritior*] Melius noverat, quibus hominibus indicio suo deferendis Neroni gratum facere posset. DUEBN.

57. *non ignes*] laminae ardentes. Dio 62, 27: *Ἄξιον δὲ μνησθῆναι καὶ γυναικός τινος Ἐπιχάριτος· αὕτη γὰρ ἔν τε τῇ συνωμοσίᾳ ἐξετασθεῖσα καὶ πᾶσαν αὐτὴν ἀκριβῶς πιστευθεῖσα οὐδὲν τοπαράπαν, καίπερ πολλάκις ὑπὸ τῆς Τιγελλίνου δεινότητος βασανισθεῖσα, ἐξέφηνε.* — *contemptus*] a magnanima femina, confessionem constanter aspernante; ergo irrita manserunt tormenta totum per diem ei adhibita. — *dissolutis*] distortis et equuleo vel ponderibus pedibus extentis. — *fasciae*] Quae alibi *strophium*, *ταινία*. DUEBN. Nonius p. 538. Merc.: *Strophium est fascia brevis, quae virginalem horrorem cohibet papillarum.* Hinc etiam *mammillare* Martial. 14, 66. Cfr. Böttiger *Sabina* Ed. alt. I. p. 184. 197. II. p. 114. — *arcum sellae*] Cfr. Arnob. 2, 23: *arquata sella*. Sed quod comparant Petron. 75. *arcisellium*, ibi est *artisellium*, *Lehnsessel*, ubi Hildebrand ad Arnobii l. l. vult *ambisellium*. — *Lucanus quoque*] Non sine acerbitate dictum: «vel ipse ille Lucanus,

amne, velut in custodiam dedit. volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum, pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere. atque ubi dicendam ad causam introissent, laetatum erga coniuratos, sed fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum super Neronis ac Tigellini saevas percunctationes Faenius quoque Rufus violenter urgueret, nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios. idem Subrio Flavo assistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret, renuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis. (59) fuere qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut Rostra escendere, studiaque militum et populi tentare. si conatibus eius conscii aggregarentur, secuturos etiam integros; magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret. nihil adversum haec Neroni provisum. etiam fortes viros subitis terreri; nedum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret. multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et

1. *uelud* M. — 3. *vincta* M: *iuncta* ceteris cum Edd. B. — 5. *latatum* M. — Habet *sed* M, non *si* Bud. Beroaldi, Waltheri. — 7. *tigillini* M. — *Faenius* M: *Fenius* B. — 8. *urgueret* M: *urgeret* B. — 9. *asist.* M. — 10. *cedemque* M. — 11. *rennuit* M. — 13. Habet *escendere* M, non *conscendere* Guelf. Bud. Spir., cett. Edd. ante Lipsium. — 14. *temptare* M. — 16. *nichil* M. — Habet *haec* M, non *hoc*, ut Edd. ante Bekkerum. — 17. *tigillino* M. — *pelicibus* M. — 18. Habet *confieri* M, non *fieri* Guelf. Puteol.

in Pharsalia tam generosus semper libertatis praedicator.»

58. *continua hinc et vincta agmina*] «continua hominum inter se vinctorum agmina.» Cum Bachio et Duebnero hanc Med. lectionem (*uincta:* sic) recepi; ita etiam Louandre: *ils traînaient sans cesse - - des troupes d'accusés chargés de chaînes.* Cfr. Suet. Ner. 36: *Coniurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam.* Qui defendent Editionum *iuncta*, dicent Tacitum consulto homonyma iunxisse, quo lectores diutius in contemplandis his miserorum agminibus continuis immorarentur. Ceterum fatendum *uincta* et *iuncta* in antiquissimis Codd. distingui vix posse; sed accurate examinata scriptura illud pro certo repperit Baiterus meus. — *hortorum*] Servilianorum, in quibus degebat Nero. — *laetatum*] Arrisisse aliquando quacunque occasione cuiquam e coniuratis, frontem exporrexisse et vultum hilariorem finxisse ad adventum, adspectum, occursum, alloquium, dictum gestum motumve alicuius. Gron. — *sed fortuitus*] Si verum est, *sed* h. l. significat *sed etiam.* Duebner retinuit *si*, Bipontini malebant *et.* — *adnuentique*] nutuque quaerenti, an Nero in hac ipsa quaestione interficiendus esset. Dœrr. Ex interpolatione Cod. Agr. Ryckius *innuentique.*

59. *ille scenicus*] Iuvenal. 8, 198: *citharoedo principe*, item de Nerone. — *corporibus*] Spectat ad tormenta, quae a paucis corporibus perferri ac vinci possunt. Ern. — *sperare*] Pisonem; quae Cod. lectio, in qua inest mitis amicorum eius reprehensio, mihi quidem Tacito ubique constructionem mutare solito restituenda videbatur pro correctione Guelf. *sperari.* — *dum amplectitur*] Est inter maxime insignia exempla constructionis part. *dum* cum indicat. praes. etiam in oratione obliqua. — *miles potius*] melius esse deseri a milite ac plebe et rei publicae causa mori cum gloria. Ern. — *praeriperetur*]

corporibus sperare: cruciatui aut praemio cuncta pervia esse. venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece afficerent. quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat! miles potius deesset et plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret. immotus his et paululum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat: nam vetus miles timebatur quamquam favore inbutus. obiit abruptis brachiorum venis. testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat. nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus: hic patientia, illa inpudicitia Pisonis infamiam propagavere. (60) proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit, adeo propere ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. raptus in locum servilibus poenis

1. *sperare* M: *sperari* cum Guelf. et Puteol. B. — Habet *cruciatui* M, non *cruciatu* Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Puteol., ceterae Edd. ante Bekkerum. — 2. *uincerent* M. — 3. *rem.p.* — 5. *adpr.* M: *appr.* B. — 6. *supma* M. — 7. Habet *firmabat* M, non *firmat* Bud. Rhen. — *qs* cum lin. transversa in litt. *q (quis)* M. Correxit Beroaldus. — 8. *quanquam* M: *tanquam* auctore Rhenano B. — 9. *inb.* M: *imb.* B. — *faedis* M. — 11. Post v. *matrimonio* hiatus in M, verum non in rasura, sed propter membranam ipsam. — Habet *abstulerat* M, non *abstulerant*, ut narratur apud Bekkerum. — 12. *Atria* (*Atrii* quattuor sunt apud Gruterum, duo apud Muratorium) M: *Arria* cum Beroaldo B. — Habet *Silus* M, non *Silius* Guelf., alii Codd., Edd. a Rhenano usque ad Ern. — *inp.* M: *imp.* B. — 14. Habet *consulis designati* omnibus litteris M, non *cons. des.*, ut narratur apud Waltherum. — 15. *breve*, *mortis* distinxit Doederlein. — *paenis* M.

«Si vita ei prius eriperetur, quam inceptum suum exsequeretur gloriamque inde sibi pararet.» — *adprobaret*] laudandam exhiberet. Dübner. — *quamquam favore*] scilicet Neronis, ut Hist. 2, 85: *legiones imbutae favore Othonis.* Dübner. Sane haec Med. unice vera lectio, restituta iam a Bachio, quae optime exprimit malam Neronis conscientiam atque inde ortam animi abiectionem, quippe qui ne veteri quidem militi confiderit, quamvis tanto favore eum amplexus esset, sed caecam tironum obedientiam praetulerit. Rhenani *tamquam* totam sententiam invertit ad Pisonis favorem, quem quibus artibus apud veteranos acquisierit, non sane facile perspicitur, utpote qui vir militaris nunquam fuerit. — *mulieris - - marito*] variata, ut saepenumero solet, constructione. — *Silus*] De hoc cognomine, cui plerique interpretes et Germani et Francogalli male substituunt nomen gentile *Silius*, cfr. Drakenb. ad Liv. 32, 28. — *hic patientia*] quod tam facilis fuisset in amicum, qui ipsi tam ignominiose coniugem eripuisset.

60. *illud breve mortis arbitrium*] Doederlein distinguens post v. *breve* haec adnotat: «*Breve* pro substantivo est, ut alibi *triste*. Sensus est: *ne parvum quidem illud beneficium*, ut eligeret mortis genus et ipse exsequeretur.» Mihi placet simplicior ratio, ut iungantur vv. *illud breve mortis arbitrium*, «ut libere destinaret sibi ac praepararet mortem, qualiscunque ipsi placuisset, eamque statim oppeteret, postquam cum libertis amicisve breve per tempus collocutus esset.» — *servilibus poenis*] *Sestertium* locus, non Romae, sed extra urbem (ab ea distans MMD. passibus, unde nomen:), ubi cruces, patibula defixa, cadavera abiecta, aliaque quae ad supplicia plebis ac servorum. Plut. Galba 28: *τὸν δὲ Γάλβα τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐιτελλίου δούλοις ἐδωρήσαντο. Λαβόντες δ' ἐκεῖνοι καὶ πάντα τρόπον αἰκισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες ἔῤῥιψαν, ᾗ τοὺς ὑπὸ τῶν Και-*

sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec tribuno obiciens eandem conscientiam.

Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. solus quippe Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent. et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. haec ferre Gavius Silvanus tribunus praetoriae cohortis, et an dicta Natalis suaque responsa nosceret percunctari Senecam iubetur. is, forte an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. (61) Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse; nec sibi prom-

1. *manus tatii* M. — 3. *cedes annei* M. — 4. Habet *manifestum* M. (om. Ies.) — Habet *quando* M, non *quoniam* Bud. — 6. *egr.* M. — *aditū* M. — 7. *amicitia* M. — 9. *caeterum* M. — *posonis* M. — *grauius* (ut sunt nonnulli apud Grut.) M. *Gavius* dedit ex C. 50. et 71., ubi ita Med., B, ante quem Rhenano auctore edebant *Granius*. *Gavius* nomen est perquam frequens in Inscrr. — 14. *sepsit* M. — 17. *valetudinis* M: *valitudinis* B.

σάρων κολαζομένους θανατοῦσιν· ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται. Lips. — *constantis silentii*] Arrianus Epict. 1, 1, 19: *Οὐ θέλεις οὕτως ἐκτεῖναι τὸν τράχηλον, ὡς Λατέρανός τις ἐν τῇ Ῥώμῃ, κελευσθεὶς ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἀποκεφαλισθῆναι; ἐκτείνας γὰρ τὸν τράχηλον καὶ πληγεὶς καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν πληγὴν ἀσθενῆ γενομένην ἐπ' ὀλίγον συνελκυσθεὶς, πάλιν ἐξέτεινεν. Ἀλλὰ καὶ ἔτι πρότερον, προσελθόντι Ἐπαφροδίτῳ τῷ ἀπελευθέρῳ τοῦ Νέρωνος καὶ ἀνακρίνοντι αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ συγκρουσθῆναι, Ἄν τι θέλω, φησὶν, ἐρῶ σου τῷ κυρίῳ.* — *Senecae*] Dio 62, 24: *Ὁ δὲ δὴ Σενέκας καὶ ὁ Ῥοῦφος ὁ ἔπαρχος ἄλλοι τέ τινες τῶν ἐπιφανῶν ἐπεβούλευσαν τῷ Νέρωνι.* Plin. H. N. 14, 4, 5: *Annaeo Seneca, principe tum eruditionis ac potentiae, quae postremo nimia fuit super ipsum.* — *hactenus*] non plura. — *ex Campania*] Ubi extremis annis multus fuit, rarior in aula, et sapientiae studiis occupatus. Epistolae ibi et Quaestiones naturales sub hoc tempus structae. Lips. — *suburbano*] Sunt, qui ex Senecae Ep. 104. *Nomentanum* esse colligant; res est incerta; Plinius l. l. *in Nomentano decimi lapidis ab urbe diverticulo.* Bach. — *Paulina*] Quam nobilissimam feminam Dio 61, 10., appellat; filiam fortasse Pompeii Paulini, qui supra C. 18. consularis dicitur et vectigalibus publicis praepositus. Lipsius.

61. *salutem privati hominis*] «Pisonis; cuius salutem fortasse utilibus consiliis vel etiam deprecando pro eo apud Neronem iuvare potuisset, verum proprio cum periculo, quod cur temere subiret, causam non habuisse.» . *Privato* autem *homini* sese opponit consulatu functum a. u. 815. — *nec sibi promptum*] Ipse ad Neronem de Clem. 2, 2: *Non blandiar auribus tuis; nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere quam placere adulando.* Lips. — *libertatem Senecae*] Efficacius hoc quam *suam*, id quod praeterea ambigui aliquid habuisset. Cfr. 2, 70: *non usque eo defectum Germanicum* pro *se.* Hist. 2, 77: *ne tamen Mucianum* (me) *socium spreveris.* Liv. 1, 20: *plures Romuli quam Numae*

ptum in adulationes ingenium. idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. ubi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensum confirmavit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. nam et Silvanus inter coniuratos erat, augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. voci tamen et aspectui pepercit, intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret. (62) ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos. simul lacrimas eorum modo sermone,

3. *poppea et tigillino* M. — *seuienti* M. — 5. *nichil* M. — 6. Habet *deprensum* M. (*deprehensum* cum Guelf. Edd. ante Waltherum.) — 7. Habet *reditum* M. — 8. *Faenium* M: *Fenium* B. — 9. *exeq.* M. — *onnium* M. — 15. *iam et tamen* M: *iam et* Ernestio auctore B, *iam tamen et* cum Bud. Rhenanus, *iam attamen* Pichena, *iam*, *tamen* cum Agr. Ryckius. — *habeat* M: *habebat* cum ceteris Codd. (praeter Bud., qui *hebat)* Spir. Puteol. B. — 17. *tam* M. Correxere Muretus et Acidalius.

similes reges putabat fore (Numa). — *Fabius Rusticus*] Cfr. 13, 20. — *fatali*] quasi fati quadam necessitate omnibus indita, ut 5, 4: *fatali quodam motu; wie vom Schicksal verhängt (unselige* Gutmann, *irrésistible* Louandre). — *voci - - pepercit*] pudore quodam et culpae conscientia commotus ipse mortem ei denuntiare non sustinuit.

62. *testamenti tabulas*] Alii explicant testamentum, quod diu ante scripserit (C. 64. extr.) nonnulla vel mutaturus vel additurus. Rectius, puto, alii de tabulis, in quibus tunc ipsum facere posset testamentum; nam infra *codicillos* memorat de sepulturae modo dumtaxat, quos *codicillos* a *testamento* distinguere solent ICti, ut Gaius 2, 273: *Codicillis nemo heres institui potest neque exheredari, quamvis testamento confirmati sint.* — *unum iam*] Nam bona eius publicatum iri significaverat centurio ex Neronis iussu testamentum fieri vetando. Doed. — *et tamen pulcherrimum habeat*] Incredibile est, quot et quanti in hac Med. lectione verissima errores commissi sint, ut videre licet apud Waltherum et vero etiam apud Doederleinium, qui haec adscripsit: «*et tamen* aut in *attamen* vel in *tamen et* mutandum est, aut sic struendum saltem, ut *et*, id est, *etiam*, ad *pulcherrimum* pertineat.» At quid quaeso fortius generosiusque a Seneca dici potuit quam «hoc unum iam, et tamen simul pulcherrimum se amicis relinquere, imaginem vitae suae?» Prorsus autem infregere huius loci efficaciam illi, qui pro Senecae *habeat* Tacito tribuerunt *habebat*. «Quod autem Ernestius censet de iactantia, quae sit in verbis, *si* tamquam a Seneca dicta accipiantur, nihil est; *pulcherrimum* Seneca dicit non omnium omnino, sed eorum, quae relinquere amicis possit.» Walth. — *tum*] id est, praeterea, insuper, ut Hist. 1, 46. Id. Necessaria sane emendatio pro Med. *tam*. Ceterum reiicienda est Brotierii ac Burnoufii distinctio: *cuius si memores essent bonarum artium*, *famam tam* (sic) *constantis amicitiae laturos.* — *sermone*] tranquillo ac familiari, cui opponitur v. *intentior*, concitatius severiusque loquens. — Ad to-

modo intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret. (63) ubi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque, temperaret dolorem aeternum suscipere, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret. illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, «vitae» inquit «delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis. non invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.» post quae eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia san-

1. *intetior* (sic) M. — 2. *imminentiā* M. — 3. *aliut* M. — 4. *post*] *quā* M. — 5. *velut in* M : *in* cum Reg. Bud. B. — 6. *fortitudinem* M : *formidinem* cum Guelf. Harl. Ies. Bud. Spir. B. — 7. *susciperet* M. Correxit I. Fr. Gronovius. *(dolori, ne (nec* cum Bipontinis Oberlinus) *aeternum susciperet* cum Bud. Agr. Spir. Edd. ante Bekkerum; quam lectionem rursus praetulit Duebner. — 8. *acte* M. — *solaciis* M. — 9. *ads.* M : *ass.* B. — 15. *parco* M : *parvo* cum Guelf. Bud. B. (De secunda manu ita exhibente in M, quam vidisse se testatur Iac. Gronovius, nihil notavit Baiterus.) — *effugias* M.

tum autem h. l. conferendus est Schol. Iuven. 5, 109: *Seneca sub Claudio quasi conscius adulteriorum Iuliae, Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui, etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in Palatium adductus, saevum immanemque natum et sensit cito et mitigavit, inter familiares solitus dicere, «Non fore saevo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat saevitia.» Huic postremo, quod habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianae, Nero per tribunum ultimam necessitatem denuntiavit.* Deinceps Taciti locum exscribit; ita quidem, ut nihil, quod ad criticum usum faciat, afferat.

63. *velut in commune*] Male part. *velut* cum Codd. interpolatis Reg. Bud., quorum nulla est auctoritas, deleverunt etiam recentissimi editores, Bekker, Ruperti, Duebner, Doederlein; in *ultro* temere mutavit Guelf. Sensus hic est: «Haec disseruit *velut* (poterat scribere *uti*, *sicuti*) cunctis aeque excipienda, et uxori et amicis, qui aderant; vultu quoque significans haec ad omnes circumstantes pertinere neque uxorem neque hunc vel illum amicorum prae ceteris intuens.» Haec simplicissima ratio; nimis enim artificiosa mihi videtur Doederleinii interpretatio: «ad amicos conversus tamquam ad omne genus humanum, ad quod permanarent per audientes supremae illae voces. Sunt enim vulgatae, ut extremo capite et C. 67. narratur.» At quae vulgata sunt veluti proprio libello intelligo ea dumtaxat, quae postquam venas abruperat, *advocatis scriptoribus tradidit*, de morte, de animae immortalitate, ut fere Socrates in Phaedone; quae vero hic memorantur ab iis, qui adfuerant, posteris prodita esse arbitror. — *adversus praesentem fortitudinem*] «diverse a praesenti fortitudine, sicut Graecum *παρὰ τὴν παροῦσαν ἀνδρείαν* comparationem indicat: «non quidem ad muliebrem mollitiem delapsus, sed paululo saltem magis mollitus quam pro cetera eius fortitudine, quam praesenti tempore» (paullo ante ac mox rursus) monstrabat *(im Widerspruche gegen seine (sonstige) Festigkeit ein wenig erweicht)*. Similiter (ut adnotavit Roth ad Agr. p. 238.), H. 2, 12: *ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus*; vel Ann. 14, 44: *quod contra singulos*

guini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad inpatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo. (64) at Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, *iubet* inhiberi mortem. hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec inplacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum,

1. *seuisque* M. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 4. Habet *abscedere* M, non *abscederet* Rhenani. — 6. *supersideo* M. — 7. *iubet inhiberi mortem* Orellius: *inhiberi mortem imperat* cum Guelf. Harl. Bodl. Ies. ac Puteolano B, *inhiberi mortem* omisso verbo M, unde *inhibere mortem* Rhenanus. Verum cum Paulinae mors re vera inhibita sit, infinitivus historicus imperfecti significationem habens huc non quadrat. — 8. *p̄munt* M. — 9. *promptūs* M. — 10. *inpl.* M: *impl.* B. — *fama societatem* M. Spir. Emendatum in Ed. Puteolani. (Illud placet Doederleinio.) — 14. Habet *lentitudine* M, non *lenitudine* Reg. Puteol. — 15. *anneum* M.

utilitate publica rependitur; quod nos dicimus: *auf Kosten einzelner.*» Doed. Contra, qui amplectuntur sane falsam interpolationem *formidinem*, ita explicant: «Quasi dicas, aspectu praesentis terroris, coram circumstante necessitate dira; cuius sensum, hactenus repressum, maiorem reddere debebat dilectissimae uxoris dolor.» Duebn. (Sic etiam Louandre: *légèrement attendri par le spectacle de son malheur.)* — *rogat oratque*] Hac formula utitur etiam Cicero Verr. 4, 30. Rosc. Am. 49. ad Fam. 5, 18. — *temperaret*] «abstineret a dolore aeterno suscipiendo.» Intolerabilis est Med. corruptela, quam ita interpungentes commendant: *temperaret dolorem; aeternum susciperet, sed* cet. Legitima autem, etsi rarior, v. *temperare* cum infinitivo constructio. Vide Lexica. — *illa contra*] Dio ubique iniquior in Senecam 62, 25: *Ὁ δὲ δὴ Σενέκας ἠθέλησε μὲν καὶ τὴν γυναῖκα Παυλίναν ἀποκτεῖναι, λέγων πεπεικέναι αὐτὴν τοῦ τε θανάτου καταφρονῆσαι καὶ τῆς σὺν αὐτῷ μεταλλαγῆς ἐπιθυμῆσαι· καὶ ἔσχισε καὶ τὰς ἐκείνης φλέβας.* — *unice dilectam*] Seneca Ep. 104, 2: *Paulina mea - - mihi valetudinem meam commendat. Cum sciam spiritum illius in meo verti, incipio, ut illi consulam, mihi consulere.* — *delenimenta*] «veras voluptates.» Duebn. Sic *vitae blandimenta* C. 64. et Hist. 2, 53. — *parco*] Cum ita habeat Med., non est, cur praeferamus *parvo*, lectionem auctoritate destitutam. — *cruciatibus*] *σφαδασμῶν*, convulsionum. — *scriptoribus*] servis vel libertis litteratis. Dio 62, 25. paullo aliter: *οὐ μέντοι πρότερον* † *ἑαυτῆς* (an *τελευτῆς*?) *ἥψατο πρὶν τό τε βιβλίον, ὃ συνέγραφεν* (statim ante mortem), *ἐπανορθῶσαι καὶ τἆλλα (ἐδεδίει γὰρ μὴ καὶ ἐς τὸν Νέρωνα ἐλθόντα φθαρῇ) παρακαταθέσθαι τισί.* — *invertere*] «meis adeoque aliis verbis exponere», ut talibus in orationibus atque colloquiis solebant historici antiqui.

64. *iubet inhiberi mortem*] Propter tractuum similitudinem *iubet* ante *inhiberi* potius quam post *mortem* v. *imperat* excidisse reor. — «*an ignarae*] an ita iam e sanguinis nimia detractione defecerit animo, ut non intelligeret ac sentiret sibi obligari brachia.» — *tractu*] diuturnitate, ut C. 10: *tractu belli.* Duobus autem voc. usus est *tractu et lentitudine*, quo lector immoraretur in hac imagine, quam diu

orat, provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio exstinguerentur, promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus, et cluso corpore adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem illum Iovi liberatori. exin balneo inlatus, et vapore eius exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret. (65) fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. quin et verba Flavi vulgabantur, non referre dedecori, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

1. *qd* (id est, *quod*) *anti* (sic) M. — 2. *extinguerentur* M. — Habet *frigidus iam artus* M, non *frigidis iam artubus* Agr., Beroaldus, Lipsius. — 3. Habet *cluso* M, non *clauso* alii Codd. et Edd. ante Waltherum. — 5. *exim* M. — *inl.* M: *ill.* B. — 6. *sollenni* MB. — Habet *praescripserat* M, non *perscripserat* Puteolani. — 7. *prediues et prepotens* M. — *suppmis* (sic) M. — 8. *flauium* M. Correxit Bekker, ut mox *Flavi* pro *flauii* M.

Seneca cum morte colluctatus sit. Mire Ernestius interpretatus est: «*tractu* scilicet sanguinis, qui dicitur *trahi*, cum per venas emittitur.» — *venenum*] cicutam. — *frigidus iam artus*] Calefacto tantum corpore vim suam exserit cicuta, cum natura sit frigidissimum venenum, ut ostendit Plin. 25, 13: *Semini et foliis refrigeratoria vis; quos enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis.* Ideoque Athenis, qui bibere cicutam debebant, ambulare iubebantur. Plat. Phaed. extr. Fabinsh. Adde Scribonium Largum de Compos. med. 179: *Cicutam potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur; ultimoque praefocantur, qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt.* — *cluso*] Codd. aliquot et Edd. *clauso;* verum altera forma est etiam Hist. 1, 33. Germ. 34. et 45. — Ceterum Ernestius ita accepit, quasi medicamenta praesumpta vim veneni impedierint; mihi videtur potius sic intelligendum: «in corpus senile et iamdiu extenuatum venenum solitam alias vim haud exercuit:» *son corps fermé à l'action du poison.* Louandre. Certe nihil unquam dixit de antidotis, quibus se praemunierit Seneca. — *stagnum*] Singulari usu h. l. pro labro, solio, vase aquario maiore solitis; scilicet humile vocabulum vitare voluit. — *calidae aquae*] ut sanguis citius efflueret vel ut venenum in calidum corpus permearet. Lips. — *libare*] Prorsus ita Thrasea moriturus 16, 35: *Libemus, inquit, Iovi liberatori.* Causa viris magnis huius in supremis ioci a more Graecorum, qui discessuri e convivio libabant Iovi servatori, sic isti e vita Iovi liberatori. Athen. 15, 5: *τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδεδομένῳ ποτηρίῳ Δία σωτῆρα ἐπιλέγουσι.* Suidas in v. *Ἀγαθοῦ δαίμονος· Ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν Ἀγαθοῦ Δαίμονος, ἐπιῤῥοφοῦντες ἄκρατον καὶ τοῦτο λέγειν ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ· χωρίζεσθαι δὲ μέλλοντες, ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ.* Lips. Adde Schol. Pind. Isthm. 6, 10: *Διὸς δὲ σωτῆρος ἔλεγον τὸν τρίτον κρατῆρα, διὰ τὸ τοὺς τοῦτον πίνοντας σταθεροὺς γίνεσθαι· τοὺς δὲ μετὰ τοῦτον εἰς ἄτην καὶ ἀνομίαν καὶ ἀσέλγειαν τρέπεσθαι· ἔλεγον δὲ αὐτὸν καὶ τέλειον, διὰ τὸ τέλειον εἶναι τὸν τρίτον ἀριθμὸν ἀρχὴν ἔχοντα καὶ μέσον καὶ τέλος.* Dord. Ceterum apud Latinos vix alibi quam his duobus Taciti locis et in Lambecii Fastis excerptis ad 6, 25. memoratum reperies *Iovem liberatorem;* a Graecis eum sibi sumpsisse videntur et Seneca et Thrasea. Pind. Olymp. 12, 1: *καὶ Ζηνὸς Ἐλευθερίου - - Σώτειρα Τύχα*, ubi Schol. explicat *ἐφόρου τῆς ἐλευθερίας.* Thucyd. 2, 71: *θύσας ἐν τῇ Πλαταιῶν ἀγορᾷ Διὶ Ἐλευθερίῳ ἱερά.* Suidas in *Ἐλευθέριος*

(66) Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, accensis indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tolerabant. ergo instanti minitantique renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque ultro, redderet tam bono principi vicem. non vox adversum ea Faenio, non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus, ceterisque, ac maxime Cervario Proculo equite Romano, ad convincendum eum connisis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vinciturque. (67) mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus. interrogatusque a Nerone quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset, «oderam te,» inquit, «nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari

1. *accensis quoque ind.* ex falsa repetitione e versu praeced. sumpta M. Correxit Lipsius. — 2. *Faenium* M: *Fenium* B. — 5. *Faenio*] *faenius* M, *Fenio* B. — 7. *equite Romano* Orellius: *equit* cum lin. super litt. *t* (*equiter* pro *equite.r.)* M, *equite* B. — *conisis* M. — *iussū* M. — 8. *adst.* M: *ast.* B. — 9. Habet *Flavus* h. l. M.

p. 1201. A. Galsf. — *balneo*] sicco et Laconico, quae etiam *sudatoria* vocabantur. Sic 14, 64: *Octavia praefervidi balnei vapore enecatur.* — *codicillis*] Vide ad C. 62. — *cum etiam tum*] quos codicillos scripserat eo tempore, quo adhuc divitias, potentiam haberet, nondum semotus cura rerum publicarum. Nam morte denuntiata non licuisse testamentum scribere supra vidimus. Ern.

65. *Subrium Flavum*] Cfr. C. 49. 50. 53. — *insontibus*] Pro *ab insontibus*, ut saepe apud Tacitum. «*Insontibus* ad Subrium centurionesque referendum, qui ut ipsi puri et insontes vivebant, ita principem insontem flagitabant; diversi illi a nobilibus coniurationis sociis, qui ipsi degeneres, et Subrii quidem iudicio *effeminati* (C. 67.), Pisonem delegerant, cui *procul gravitas morum et voluptatum parcimonia* erat. Nempe *quasi* cum *delecto* coniungendum est. Longe aliter» (sed male) «Kiesslingius: quasi essent insontes, si ille ob claritudinem virtutum ad summum fastigium delectus esset.» Doed. Cum non intelligerent, Guelf. et Puteol. scripserunt *insonti*. — *non referre dedecori*] «nihil interesse ad dedecus, idem remanere in re publica dedecus.» Male Ryckius habuit pro genitivo v. *dedecorum*. — *demoveretur*] ut 13, 14: *demovet Pallantem cura rerum.* Inde a Puteolano usque ad Iac. Gronovium perperam edebant *dimoveretur*. — *canebat*] Vide C. 48.

66. *fefellit*] latuit, ut Hist. 2, 98. — *accensis indicibus*] tanta ira concitatis, ut indices exsisterent. — *vicem*] «omnia ultro confitendo gratum se monstraret erga principem tam bene de ipso meritum.» Cfr. 13, 20. — *praepediens*] ut Hist. 2, 68: *fletu praepediente* (vocem). Drak. ad Liv. 28, 1, 6. — *equite*] In nota Med. *equit* cum lin., id est, *equiter*, nihil aliud latere potest quam *equite Romano*, quod fidenter edidi; nam sine hoc epitheto vel *illustris*, *splendidus*, *insignis* apud historicos vix absolute ponitur de uno. Sic, unum ut exemplum afferam, 2, 48: *Patulei divitis equitis Romani hereditatem.*

67. *eorundem*] qui Faenium Rufum detulerant. — *sacramenti*] Non temere sacramenti mentio; nam milites sub imperatoribus ante omnia iurabant in principis salutem. Arrian. Epict. 1, 14, 15: *Τούτῳ τῷ θεῷ (τῷ ἑκάστου δαίμονι) ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν.* Suet. Cal. 15: *De sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adiiceretur, Neque me liberosque meos cariores habebo quam Caium et sorores eius.* Lips. — *oderam te*] Haec ita effert Dio

meruisti. odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius exstitisti.» ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, volgata erant; nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. poena Flavi Veianio Nigro tribuno mandatur. is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam Flavus ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus, «ne hoc quidem» inquit «ex disciplina.» admonitusque fortiter protendere cervicem, «utinam» ait «tu tam fortiter ferias!» et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem iactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo. (68) proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio praebuit, percunctanti Neroni cur in caedem suam conspiravisset, breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse. tum iussam poenam subiit. nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. at non Faenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit.

Opperiebatur Nero ut Vestinus quoque consul in crimen attraheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam vetustis in eum simultatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem credebant. ceterum Neroni odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam

1. *caepi* M. — 2. *ext.* M. — 3. *volgata* M: *vulgata* B. — 4. *nichil* M. — 6. *paena* M. — *Veianio* M: *Veiano* B. — 7. *quam*] *quamuis* M. (*qua visa* Freinshemius, *quam visam* Walther et Doederlein suspicati sunt.) — 15. *paenam* M. — *caeteri* M. — 16. *Faenio* M: *Fenio* B. — 18. *attraheretur* Orellius: *atraheretur* M, *traheretur* B. — 21. *caeterum* M. — *Neroni* M: *Neronis* B. — 22. *inima* M. — *sodiali ate* (sic) M. — *caeperat* M. — *paenitus* M.

62, 24: *Καὶ ἐφίλησά σε παντὸς μᾶλλον, καὶ ἐμίσησα· ἐφίλησα μὲν ἐλπίσας ἀγαθὸν αὐτοκράτορα ἔσεσθαι· ἐμίσησα δέ, ὅτι τὰ καὶ τὰ ποιεῖς, οὔτε γὰρ ἁρματηλάτῃ οὔτε κιθαρῳδῷ δουλεύειν δύναμαι.* — *incomptos*] Liv. 4, 41: *Adversus haec Tempanii oratio incompta fuisse dicitur, sed militariter gravis.* Longe autem praestat Med. lectio *incomptos et validos* illi a Lipsio Rhenano falso tributae atque comprobatae *incomptos, sed validos.* Scilicet cum in Bud. deessent vv. *et validos*, ea insititia esse Rhenanus sine causa rebatur. — *tribuno*] Tribuni ergo interdum supplicium ipsi manu sua sumebant; uti supra C. 60. Lateranus *manu Statii tribuni trucidatur*, cui caput abscisum esse ex Arriano didicimus. Et 11, 38. Messalina *ictu tribuni transfigitur.* Apud Senecam etiam scriptum est Ep. 4: *C. Caesar iussit Lepidum Decio tribuno praebere cervicem.* Notari volo; nam alias speculatores fere ad supplicia sumenda destinati, non insignes milites. Lips. — *scrobem*] in quam cadaver abiiceretur; hic ipse adspectus destinatus erat ad augendum supplicii terrorem; at Sutrium minime commovit. — *tam fortiter*] «quam ego fortiter cervicem protendero.» Duebn. — *sesquiplaga*] ictu uno et dimidio; ex praecepto Caligulae. Suet. Cal. 30: *Non temere in quemquam nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque iam praecepto: Ita feri, ut se mori sentiat.*

68. *at non Faenio*] Scite opponit praefecti praetorio ignaviam centurionum fortitudini atque constantiae. — *subveniri potuisse*] Suet. Ner. 36: *cum coniurati*

despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facetiis inlusus, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. accesserat repens causa, quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi iunxerat, haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse. (69) igitur non crimine, non accusatore exsistente, quia speciem iudicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus Gerellanum tribunum cum cohorte militum inmittit, iubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat. cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens, an dissimulando metu, cum ingressi milites vocari eum a tribuno dixere. ille nihil demoratus exsurgit, et omnia simul properantur: clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur. circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, e mensa exitium opperientium, et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.

1. *inl.* M: *ill.* B. — 3. *repens* M: *recens* cum Lipsii operis B. — *iuncxerat* M. — 4. *haud*] *aut* M. — 5. *exist.* M. — *ispeciem* M. — *indiciis* M. Correctum in Guelf. Harl. Bodl. Ies. et a Puteolano. — Habet *induere* pr. M, non *adiungere*, quod a rec. m. superscriptum est, ut adaptaretur v. corrupto *indiciis;* hinc editum a Bachio, Rittero, Doederleinio *indiciis adiungere.* — 6. *Gerellanum* M: *Gerelanum* cum Guelf. et Puteol. B. (*Ceretanum* malebat Reinesius.) — 7. *inm.* M: *imm.* B. — *occuparet* M. Spir. — 9. *decora quae* M. — 10. Habet *conviviumque* M, non *convivium* Put. — *celebrat* M, non *celebrabat*, ut narrat Ernestius. Correctum est in Guelf. Spir. — 11. *nichil* h. l. M, supra v. 9. *nihil.* — 13. *presto* M. — *ualneo* M. — 14. *aqua ũsa* (in fine versus, id est, *versa) mersatur* M. — 15. Habet *omissi* M, non *emissi* Spir. — 16. *et mensae* M. Correxit Franc. Medices apud Pichenam, *ex mensa,* et sic B. Ego malui *e mensa* propter molliorem sonum. Or. — *et* ante v. *imaginatus* omittit Guelf. probante Doederleinio; non accedo. — 17. *inr.* M: *irr.* B.

quidam crimen ultro faterentur, *nonnulli etiam imputarent*, *tamquam aliter illi nisi morte succurrere*, *dedecorato flagitiis omnibus.* Dio 62, 24. et aliquanto plenius Ed. Sturz IX. p. 104., hoc dictum item Sulpicio tribuens: *Ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην οὐδὲ παῦσαι ἀσχημονοῦντα, εἰ μὴ διὰ τοῦ ἀνελεῖν σε.* — *praecipitem*] temere festinantem, ut Hist. 4, 37: *vulgus sine rectore praeceps.* Est ergo: «temerarium ac propterea societati consiliorum parum aptum.» — *repens*] repentina ac recens, ut 6, 7. — *Messalinam*] quae postea Neronis uxor. Suet. Ner. 35: *(post Poppaeam duxit) Statiliam Messalinam.* — *Qua ut potiretur virum eius Atticum Vestinum consulem in honore ipso trucidavit.* Alteram causam addit Tacitus, Neronis vetus in eum odium.

69. *speciem*] «Ipse personam iudicis (legitimi) apud senatum suscipere non poterat;» quia accusator nullus exstiterat. Qui, ut Walther ac Duebner, servant *indiciis induere*, explicant: «veritatis speciem conciliare indiciis»; sed cuiusnam, quaeso, *indiciis?* — *velut arcem*] Loquitur quasi de tyranno, qui urbis arcem, *ἀκρόπολιν*, iamiam occupasset; mox declaratur verbis, *imminentes foro aedes.* — *delectam*] quasi ad militiam et ad oppugnandum principem. — *pari aetate*] Loquitur praesertim de servis iunioribus, qui in apparandis conviviis comparebant; ceteri iam maiores natu semovebantur, vel, ubi hero visum, venum dati erant. — *omissi sunt*] a custodibus nullam iam curam eorum gerentibus, adeoque dimissi. «Verbum *omittere* et Tacito et aliis dicitur de iis, quae non custodimus, ut *munimenta omittere* 4, 51.» Ern.

(70) Exin M. Annaei Lucani caedem imperat. is profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum, quo volneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obisse tradiderat, versus ipsos rettulit, eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac et Quintianus et Scaevinus, non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove memorando.

(71) Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis; alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. atque ille gaudium id credens, Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia inpunitate remuneratur. Milichus praemiis ditatus Conservatoris sibi nomen, Graeco eius rei vocabulo, adsumpsit. e tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit; Statius Proxumus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. exuti dehinc tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur. Novio Prisco per amicitiam Senecae, et Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam convictis data exsilia. Priscum Artoria Flaccilla coniux comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opi-

1. *exim mane na et lucani cedem* M. Correxit Rhenanus. (*Marci* omnibus litteris B.) — 3. *carmena a se* M. — 5. *obisse* M: *obiisse* B. — *supma* M. — 6. *quintilianus* M. — 10. *dextram oculis* (in versus fine) *oculis* (sic iterum) M. — 12. *inp.* M: *imp.* B. — 13. *ads.* M: *ass.* B. — 14. *caecidit* M. — 17. *extimarentur* M. — 19. *exilia* M. — *Artoria* M: *Antonia* cum Codd. volgaribus et Put. B. (*Artorii* plures in Inscrr.) — Habet *Flaccilla* M, non *Flacilla* Guelf. Put. — *coniux* M: *coniunx* B. — 20. *comitate* M. — *et gnatia* M.

70. *versus ipsos*] Sunt baud dubie isti Pharsal. 3, 638. de Lycida: *Scinditur avolsus, nec sicut volnere sanguis Emicuit lentus; ruptis cadit undique venis; Discursusque animae diversa in membra meantis Interceptus aquis. Nullius vita perempti Est tanta dimissa via; pars ultima trunci Tradidit in letum vacuos vitalibus artus; At tumidus qua pulmo iacet, qua viscera fervent, Haeserunt ibi fata diu; luctataque multum Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.* Ad Phars. 9, 805. seqq. cum Vertranio referri nequit.

71. *ornare lauru domum*] suam quisque. Plin. 15, 30, 39: *Laurus sola et domus exornat et ante limina excubat.* Iuven. 6, 71: *Ornentur postes et grandi ianua lauro.* — *ipsius*] Neronis. — *Graeco - - vocabulo*] Σωτῆρος. — *vanitate exitus*] id est, ambitioso exitu. «Veniam ab imperatore impetravit, statim et postquam impetraverat, sua manu cecidit, ut urbi ostentaret rarum aliquod facinus, quippe moriens, cum vivere posset. Id vero dici poterat vanitatis exemplum» (quod a Tacito reprehendi ex ipso voc. *vanitate* apparet). «Nam si amore civitatis aut maerore calamitatis publicae vitam sperneret, non debebat veniam accipere sed contemnere. Alia res fuit in Silano; is absolutus mortem sibi conscivit.» Walth. «Nempe *acceperat* non est ἔλαβεν, sed ἐδέξατο, dari sibi passus est.» Död. — *corrupit*] haud nimis digno modo irritam reddidit. — *existimarentur*] odii adversus principem suspecti essent. — *Glitio*] De Glitiis vide Rivautella Marmor. Taur. II. p. 32. in inscr. *Q. Glitii Galli.* Doni Inscr. VI. 35. p. 234. — *Egnatia Maximilla*] Ea ex gente, cuius supersunt denarii apud Morel. Thes. II. p. 159. cum inscriptione *MAXSVMVS | C. EGNATIVS, CN. F. CN. N.* —

bus, post ademptis; quae utraque gloriam eius auxere. pellitur et Rufius Crispinus, occasione coniurationis, sed Neroni invisus quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat. Verginium *et Musonium* Rufum claritudo nominis expulit: nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat. Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum, Aegaei maris insulae permittuntur. at Cadicia uxor Scaevini et Caesonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti. Atilla mater Annaei Lucani sine absolutione, sine supplicio dissimulata.

(72) Quibus perpetratis Nero, et contione militum habita, bina nummum milia viritim manipularibus divisit, addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum, et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud Palatium quoque effigies eorum sisteret. consularia insignia Nymphidio; de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladium erit. igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat, ex G. Caesare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et

1. *rufrius* M. — 2. *poppeam* M. — 3. Desunt vv. *et Musonium* M; supplevit Lipsius. — 5. In Inscrr. *Blicii.* — 6. *uelud* M. — 7. *egei* M. — In Inscrr. *Caedicii.* — *caesennius* M. Emendavit Lipsius ex Martial. 7, 44., ubi, ut nos, etiam Schneidewin. — 8. *paena* M. — *acilia* M. Ut nos, Lipsius. — 9. *annei* M. — *absolutiones in supplicio* (sic) M. Emendavit (ex Beroaldina?) Lipsius. — 10. *contione* M: *concione* B. — 11. *ptio* M. — 13. *turpiano* M. Correxit Lipsius. — 14. *tigillino* M. — 15. *tigillinum* M. — 17. *nymphidio quaunc* cum lin. super litt. *c.* M. — 18. *ipsa* M. Correxit Puteolanus. — 19. *G.* M: *Gaio* B.

utraque] amor in virum, deinde infortunium ademptarum opum. Dübn. — *et Musonium*] Haec vv. casu excidere rectissimeque supplevit Lipsius: inconcinnum enim foret *Verginium, Rufum - - Musonius*, priore loco cognomine, posteriore nomine gentili posito. — *Verginius*] inter rhetores memoratur a Quintil. 3, 1, 21. una cum Plinio et Tutilio. *Flavus Verginius* vocatur ab eodem 11, 3, 126. Fuit magister Persii. Suet. in huius vita p. 1002. Oud. — *Musonius*] 14, 59. Hist. 3, 81. 4, 10. et 40. Dio 62, 27: Ῥοῦφος μέντοι ὁ φιλόσοφος ἐφυγαδεύθη. Gell. 5, 1. 9, 2. 16, 1. Reliquias ex eius Ἀπομνημονεύμασι servavit Stobaeus Flor. XVII. Cfr. Ritter et Preller Hist. phil. p. 438. — *Caesonius*] de quo Martialis 7, 44: *Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est, Cuius adhuc vultum vivida cera tenet. Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem Ausus es et profugi, non tua, fata sequi.* Ex seqq. versiculis constat eum fuisse inter Senecae amicos et consulem, in Fastis quidem haud memoratum. — *Atilla*] C. 56.

72. *ex modo*] non stato aliquo pretio frumenti, sed pro eo, quod quoque tempore obtinebat. Suet. N. 10: *Constituit praetorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum.* Dio 62, 27: Τί δ' ἄν τις καταλέγοι, ὅσα ἐπὶ τῇ ἐπιβουλῇ ταύτῃ ἢ τοῖς δορυφόροις ἐδόθη ἢ τῷ τε Νέρωνι καὶ τοῖς αὐτοῦ φίλοις ὑπέρογκα ἐψηφίσθη; — *Nervae*] postea imperatori. — *Nymphidio*] Sabino, praefecto praetorii cum Tigellino. — *ipse*] Med. *ipsa*, quod servavit Spir., ortum ex accommodatione ad v. *cladium.* — *pars Romanarum cladium*] Ut Silius 5, 329: *Italae pars magna ruinae Appius.* Sen. Tranq. 14: *Gaianae cladis magna portio Canus.* Dobr. — *procerus*] *Fuerat enim Caligula corpore enor-*

torvo vultu erat, sive G. Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri eius illusit. (73) sed Nero vocato senatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit. etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros et insontes ob invidiam aut metum exstinxisset. ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere quibus verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. at in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem Senecae fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem increpuit Salienus Clemens, hostem et parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut oblitterata mansuetudine principis novam ad saevitiam retraheret. (74) tum dona et grates deis decernuntur, propriusque honos Soli (cui est vetus

1. *G.* M: *Gaius* B. — 3. *dampnatorum adiuncxit* M. — 4. *tanq.* M B. — 5. *et insontes* M: *insontes* cum Corb. B. — *exstincxisset* M. — *ceptam* M. — 9. *dimissis* M. Emendatum a Puteolano. — 12. *compositā aut obliteratā* (sic) *mansuetudinē* M. Correxit Lipsius. — 13. *seuitiam* M. — *tum decreta dona* M. Auctore I. Fr. Gronovio post Oberlinum v. *decreta* delevit B.

mi, gracilitate maxima cervicis et crurum, oculis et temporibus concavis, fronte lata et torva. Suet. Cal. 50. — *illusit*] quasi per ludibrium ea ut vili meretrice abusus est. *(missbrauchen, abuser.)*

73. *vocato senatu*] «Haec verba mihi suspecta sunt, quia iam paucis versiculis ante senatum Nero vocasse dicitur. Si de alio conventu senatus hic agitur, quod non abnuam, tamen non credibile mihi haec verba esse ab elegante scriptore; saltem addidisset *iterum* aut aliud quid.» Ern. «Auctor haec addidit, ut sequentia iungantur non cum proxime antecedentibus, ubi de Nymphidio disseruit, sed cum superioribus, ubi dixerat senatum a Nerone vocatum. Recipit igitur his verbis filum orationis interposita narratione interruptum.» Walth. «Simul ideo repetit, ne quis putet etiam de praemiis Petronii, Nervae, Tigellini in senatu actum esse.» Dord. — *viros et insontes*] id est, «etiam insontes,» ut 1, 4: *Augusti senectus aegro et corpore fatigabatur.* Mire in hoc haeserunt, alii cum Corb. omittentes *et*, Bipontini *veros et insontes* conicientes. — *revictam*] certis testimoniis convictam, *erwiesen*, ut 6, 5. Alii explicant *repressam, oppressam*; at vero hoc omnibus manifestum est, cum dubitari potuisset, utrum re vera Piso cum ceteris coniurasset, an tota res a delatoribus conficta esset. — *fatentur*] «Ergo, quo tempore Tacitus haec scripsit, ii adhuc vixere (aut scripta saltem eorum exstitere. Dord.) Quod ni sit, legendum *fatebantur*, idque mihi vero similius videtur. Pro imperfecto praesens irrepsisse in Tacitum non uno loco vidimus» Ern. Multo aptius est ἀντίθετον inter perfectum et praesens. — *maeroris*] e iactura suorum. Hi maxime effusi in adulationem, ne dolere viderentur. Ern. — *Gallionem*] Duo memorantur fratres Senecae, Annaeus Mela, pater Lucani poëtae, et M. Annaeus Novatus, qui a Gallione postea adoptatus L. Iunius Gallio dictus est. Ille ipse est Gallio, qui proconsul Achaiae Paulum apostolum a Iudaeis ad suum tribunal adductum imperante Claudio dimisit, Act. Apost. 18, 12. Brot. Dio 58, 18. Hieronymus in Chron. ad a. post Chr. 66. p. 435. Ed. Roncall.: *Iunius Annaeus Gallio, frater Senecae, egregius declamator propria se manu interfecit.* (Cfr. Ryckius ad h. l.) — *deterritus*] hortationibus patrum deterreri, retinere se passus est, ne cet. *(donec - - deterritus est, ne*] hexameter heroicus, ut 1, 1. Bach.) — *odii*] exercendi. Dord.

74. *tum dona*] V. *decreta* intrusum in Med. ortum videtur ex bis scripto, dein priore loco prave correcto v. *decernuntur*.

aedes apud circum, in quo facinus parabatur), qui occulta coniurationis numine retexisset; utque circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur, mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti exstrueretur eo loci ex quo Scaevinus ferrum prompserat. ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, inscripsitque Iovi vindici. in praesens haud animadversum; post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, † quorundam ad omina dolum sui exitus verteretur: nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.

2. *ciracensium cerialium* M. — 3. Habet *mensisque* M, non *mensis quoque* Reg. Corb. Spir. — 4. *extr.* M. — 7. *repperio* M. — 10. *tanq.* M B. — 11. *veneratio item* M. — *hominum*] *numinum* Ursinus et Muretus. — Vv. *quorundam - - verteretur* corrupta sunt. (*quod ad omina olim sui* cum Puteolano Walther, *quondam ad omina* [*dolum*] *sui* Ritter.) — 12. *dm* (cum lin.) M. — 13. *desierit. Corneli* (sic) *Taciti Expl. Liber XV. Incip.* (cum lin.) *liber XVI.*

Contra Lipsius *decernuntur* deletum volebat; sed praestat Gronovii ratio. *Dona* autem manifesto, quae dis sunt oblata. (Doederleinii opinionem memorasse sufficiet: «Si *decreta* genuinum est, distinctione sensum adiuvabo: *Tum decreta dona* (scilicet iis, qui de coniuratione aperienda bene meruerant); *et grates deis decernuntur.* Duplex verbum posuit, ne *dona* quisquam ad *deos* referret:» — ut sane facio ego.) — *aedes apud circum*] De qua Tertul. Spectac. 8: *Circus Soli principaliter consecratur, cuius aedes medio spatio, et effigies de fastigio aedis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.* — *Cerealium*] Cap. 53. — *templum Saluti*] «Neminem hic haesisse miror. Nam ex templo Salutis sive Fortunae prompserat Scaevinus pugionem: C. 53. Quomodo eodem loco templum Saluti poterat exstrui?» Doed. Difficultatem animadvertere iam Burnouf et Duebner atque ita solvere: «Censuisse videntur, ut veteris templi loco splendidius exstrueretur.» — *sacravit*] Ritu veteri et recepto. Suet. Cal. 24: *Tres gladios in necem suam praeparatos Marti Ultori addito elogio consecravit.* Vit. 10: *Pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum.* Dio in Caracalla 77, 23: *καὶ τὸ ξίφος, δι᾽ οὗ τὸν ἀδελφὸν ἀπεκτόνει, ἀναθεῖναι τῷ θεῷ ἐτόλμησε.* Lips. — *Iulii Vindicis*] a. u. 821. post Chr. 68. Suet. Ner. 40. Dio 63, 22. Arcanam quandam coniunctionem homines superstitiosi perspicere sibi videbantur inter fortuitum Iulii Vindicis nomen et inscriptionem illam *IOVI. VINDICI.* — *divo Neroni*] ut iamiam apotheosi eius facta; contra inscriptio templorum Augusto vivo exstructorum erat *ROMAE ET AVGVSTO*, sine v. *DIVO.* — *quorundam* cet.] Haec foede corrupta, et perquam dubia est Puteolani correctio, recepta etiam a Duebnero. Sensus hic fere fuit: «non defuisse tamen, qui in hac Anicii sententia omen propinqui exitus Neronis praesagire sibi viderentur.»

BURNOUFII
EXCURSUS AD LIB. XV. C. XII.

Si singulis manipularibus cet.] *J'ai traduit cette phrase le plus littéralement qu'il m'a été possible, et je crois en avoir tiré un sens clair et satisfaisant: «Pour «un citoyen sauvé de la mort, on mérite une couronne civique: or ceux qu'on vient «délivrer du péril sont en danger de périr tous, et on va tous les sauver; s'il était «possible que le général donnât, à chacun des soldats qui l'aurait méritée, une «couronne spéciale et individuelle*, praecipua, *quel jour glorieux et triomphant que «celui où ce noble prix serait distribué à autant de soldats de l'armée libératrice «qu'en contenaient les deux légions délivrées!» Toutefois il semble que dans cette opposition,* qui attulissent salutem et qui accepissent, *Tacite ait un peu visé à la finesse; et Ernesti demande ce que fait à la gloire cette parité de nombre entre ceux qui sauvent et ceux qui sont sauvés. Mais Ernesti se trompe sur l'idée de Tacite: la parité de nombre n'est pas entre les deux armées, mais entre une partie de l'une et la totalité de l'autre, entre la partie des soldats de Corbulon qui recevrait la couronne civique, et la totalité des légions de Pétus, qui aurait été arrachée à la mort. De plus,* eorum qui attulissent salutem *désigne non les soldats libérateurs en particulier, mais l'armée libératrice en général: dans cette armée, autant de soldats obtiendraient la couronne civique*, par numerus apisceretur, *qu'il y aurait de citoyens qui lui devraient leur conservation*, et qui (salutem) accepissent, *c'est à dire, autant qu'il y avait de légionnaires dans l'armée assiégée. De cette manière, on ne trouve plus rien de cette naïveté qui choque Ernesti*) et qu'offre la traduction de Davanzati;* «Quanta gloria vi fia veder pari numero d'incoronati e salvati;» *et celle de Gordon*, «How much more «signal and extensive must be the renown, when the lives preserved, and they «who preserve them, were thus equally numerous?» *M. Dureau de Lamalle adopte un autre sens:* «Chacun d'eux pouvait se flatter de recevoir de la main de «son général cette couronne si glorieuse qu'obtiennent les libérateurs des ci«toyens; et, alors, quel honneur signalé pour une armée entière où l'on «compterait autant de libérateurs que de soldats!» *Mais, dans la première partie, le traducteur change en une promesse positive ce qui n'est qu'une supposition oratoire; et, dans la seconde, il est impossible de retrouver le texte. Petrucci fait de* praecipua *le mot dominant du premier membre, et il entend* tribueretur *comme* tribui soleret; *sa phrase revient à celle-ci: «Si la plus noble des couronnes est «celle qu'un soldat reçoit de la main de son général pour avoir sauvé un citoyen, «quelle sera la gloire d'une armée entière qui remportera cette couronne pour avoir «sauvé une autre armée?» J'ai dû indiquer ce sens, très juste en soi, et si on le considère indépendamment du texte; mais je persiste dans celui que j'ai développé plus haut. Petrucci lui-même déclare que, dans ce passage difficile, il a cherché quelque chose de raisonnable, sans examiner s'il rendait exactement le latin.*

---

*) *Ce commentateur, pour sortir d'embarras, suppose que la couronne civique est prise au figuré, pour la gloire, l'honneur, et que les soldats assiégés mériteront cet honneur aussi bien que ceux qui viennent les délivrer. On voit facilement que cette explication est tout-à-fait inadmissible.*

A N N A L I U M

LIBER SEXTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. — 3. Illudit fortuna vanitati Neronis per Bassum, qui thesaurum in Numidia defossum iactat, quem Nero frustra quaerit. 4. Lustrali certamine victoria cantus oblata Neroni et corona facundiae. 5. In eo spectaculo auditorum molestia et Vespasiani periculum. 6. Poppaeam mortuam laudat Nero apud Rostra.

7. — 9. Pulsi Cassius et Silanus necantur. 10. 11. L. Vetus cum Sextia socru et Pollutia filia perit 12. Accusatoris praemia. Mensium nova nomina. 13. Turbine ventorum vastata Campania. Pestilentia. Lugdunensem cladem princeps solatur. 14. 15. Sosiani fraude Chaldaeorum consultores, P. Anteius et Ostorius Scapula, delati mortem iussi properant. 16. Taciti super tot cladibus querelae. 17. Rufius Crispinus coactus se interficit. Mella falsis litteris circumventus, similique arte Cerialis. 18. 19. C. Petronius, erudito luxu notus, Tigellini invidia exosus, venas sibi incidit. Flagitia principi codicillis exprobrat. 20. Inde Siliae exsilium.

21. — 23. Thraseam Paetum accusant Cossutianus et Eprius, Baream Soranum Ostorius Sabinus. 24. Ad Neronem codicillos dat Thrasea. Is patres vocari iubet. 25. 26. Consultat Thrasea an in curia defensionem tentet. 27. Nero senatum armis obsidet, infrequentiam patrum arguit. 28. — 30. Marcellus Eprius Thraseam, Helvidium, Agrippinum, Montanum, Ostorius Baream cum filia Servilia accusant. 31. Eorum miserabilis defensio in senatu. 32. 33. Egnatius pseudostoicus perfide in Soranum agit; cui Cassius Asclepiodotus egregiam fidem praestat. Thraseae, Sorano, Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius, Paconius Italia pulsi. Montanus patri concessus. Accusatores remunerati. 34. Thrasea libat Iovi liberatori.

Anni unius haec gesta, quia reliqua libri fatum invidit, C. Suetonio, L. Pontio Telesino coss.

(1) Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caeselli Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit, vectusque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudine inmensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae, sed

1. *Inl.* M: *Ill.* B. — *neronis* M. Correctum in Guelf. et Spir. — Habet *et promissa* M, non *ex promisso* Reg. Guelf. (a sec. m.) Spir. — 2. Habet *Caeselli* M, non *Ceselli* Spir. Put. — *plenus* M. — *turuida* M. — *nocturne* M. — 3. *dubie* M. Correctum in Guelf. (a sec. m.) Spir. (*haud dubiae rei traxit* suspicatur Doederlein.) — 4. *agros* M. — *inm.* M: *imm.* B.

1. *vanitatem*] vanas spes ac levissimam credulitatem, qua sibi fortunam unice favere opinabatur. — *turbida*] male sana, vecordi, ut haud raro apud poëtas; non enim ad rerum novarum studium refertur. — *nocturnae quietis imaginem*] rhetorice pro vulgari *somnio*. — *haud dubiam*] Fortasse quis cum Bachio defenderit Med. *haud dubie*, ut sit «*minime dubitans*», quemadmodum Liv. 37, 18: *Eumene summae rei discrimen haud dubie detrectante.* Attamen v. *spem* vix carere potest *ἐκτιθέτῳ;* nude enim positum languet nimium quantum. — *retraxit*] Compositum hoc significat vim, qua usus sit in tam coacta neque naturali somnii interpretatione sibi confingenda. Coniectura *haud dubiae rei traxit*, etsi ingeniosa, nescio quomodo languidior mihi videtur. — *emercatus*] a Neronis, puta, libertis, ad quos ipsos per

rudi et antiquo pondere. lateres quippe praegraves iacere, astantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis. ceterum, ut coniectura demonstraret, Dido Phoenissam Tyro profugam condita Karthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur. (2) igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem, mittitque qui velut partam praedam adveherent. dantur triremes et delectum navigium iuvandae festinationi. nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama tulere. ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur; † auaratoribus

1. *asst.* M. — 2. *eui* M. — 3. *caeterum* M. — *demonstrat* M. Correxit e vestigiis Guelf. Ernestius. — *fenissam* M. — 4. *cartagine* (sic) M, *Carthagine* B. — 5. *paecunia* M. — 7. *missis uisoribus per* M. Emendavit Ernestius. — *adferre* (in versus fine) *rentur* M, *afferrentur* B. — 8. *partam* M: *paratam* cum Acidalio B. — *adveherent* M: *aveherent* Ernestio auctore B. — 9. *nauigium* M: *remigium* Boxhornio auctore B. — 10. *prodentis* (sic) M. Correxit Boxhornius. — 11. *celebratur* M. Spir. Correctum a Puteolano. — *auaratoribus* (sic) M: *anaratoribus* uncis inclusum B, *a narratoribus* cum Bipontinis, Oberlin, *ab auctoribus* Agr., *ab actoribus* Iac. Gronovius, *ac rhetoribus* vel *ac vatibus* Lipsius, *a cantoribus* Ern. (Corrupti verbi *auaratoribus* prima syllaba videtur esse praepositio *ab*, ceterae vero dittographia sequentis vocis *oratoribus*. Itaque scripserim *ab oratoribusque*. Bait.)

ianitores et atrienses donis oblatis primum aditum parare debebat. — *lateres*] *Platten, lingots.* — *columnis*] *Barren.* — *quae - - occulta*] scil. *latuerint*, quod ipsum verbum in Codd. aliquot et in Edd. ante Lipsium ex interpolatione post v. *bonis* intrusum est. — *demonstraret*] «ut aiebat Caesellius ille»; Cod. *demonstrat* restituerunt Walther, Bach, Duebner probante Doederleinio, qui haec adnotat: «Mss. *demonstrat*, anacolutho Graecis Latinisque usitatissimo, mixtis structuris: *ut c. demonstrat - - abdidit*, et: *demonstrat - - abdidisse*. Ter. Ad. 4, 5, 14: *Ut opinor has non nosse te.* Herm. ad Vig. p. 745.» (Ante Ernestium Freinshemio auctore edebant *demonstret.*) — *Dido*] Forma accusativi poëtica ex Virgilii Aen. 4, 383. et Velleio 1, 6, 4. satis nota. Bach. — *alias*] pro *alioquin*, ut saepe apud Plinium maiorem.

2. *missis, per quos*] Med. *missis visoribus per* haud dubie e glossemate; vox enim *visor* inaudita antiquis reperitur per mediam aetatem, ut Cangius docet in Lexico. — *partam*] «iamiam;» id quod multo efficacius quam Acidalii atque Ernestii *paratam*. Cfr. Hist. 4, 70: *velut parto imperio fruebatur.* — *adveherent*] Romam; et hoc ipsum verbum egregie insanam Neronis cupiditatem exprimit, iamiam se thesauris illis potitum esse opinantis. Sane sine ulla causa Ernestius mutavit in *aveherent*. Ante nos verum restituere Walther, Duebner, Doederlein. — *navigium*] collective, «delecti nautae,» ut *remigium* pro *remigibus*. Prorsus autem improbabile est Boxhornii illud *remigium*. — *prudentes*] Populus fatuus summa credulitate de nuntio illo inter se sermocinabatur; prudentes contra dubitanter eam famam accipiebant, adeoque diversissimae hominum erant tota de re sententiae. (*Pendant ces jours, on ne parla que de cet événement: le peuple, parce qu'il y croyait, les gens éclairés, pour s'en moquer.* Louandre) Etiam Gutmannus nostram rationem sequitur. Cfr. praeterea Hist. 4, 40: *diversa* (contraria) *fama Demetrio*. Med. lectionem *prodentis* ex solita in eo confusione litterarum *o* et *u*, *e* et *i* ortam, etsi restitutam a Walthero, Bachio, Duebnero, Doederleinio vel propterea aspernatus sum, quod propter nimiam eius ambiguitatem in ea explananda in prorsus diversa abeunt; Walther enim: «ita ut secundum credulitatem prodentis exsisteret diversa fama. Nimirum eundo crescit fama et in diversas abit fabulas credulitate prodentis»; contra Duebner: «ob credulitatem eius, qui rem in publicum prodebat, Neronis.» Neutra sen-

oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est. non enim solitas tantum fruges nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et obvias opes deferre deos, quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingebant, securi de facilitate credentis. (3) gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. quin et inde iam largiebatur; et divitiarum exspectatio inter causas paupertatis publicae erat. nam Bassus, effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia, non falsa antea somnia sua seque tunc primum elusum admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit. quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regiae gazae.

(4) Interea senatus, propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus, adicitque facundiae coro-

1. *ads.* M: *ass.* B. — 2. Habet M hoc ordine verba, non, ut inde a Rhenano ante Waltherum edebant: *tantum solitas fruges nec metallis confusum.* — 3. Habet *provenire terram* M. Vide Waltherum. — 4. *minores* M. — 7. *exp.* M. — 9. *ads.* M: *ass.* B. — 10. *ads.* M: *ass.* B. — 11. *antea* M: *ante* B. — 12. *ammirans* M. — 15. *offrt* M.

tentia admodum apta aut satis clare expressa. Cur autem, ut Walther contendit, *populus* et *prudentes* sibi opponi nequeant, equidem haud video. — *ludicrum*] anno 813. institutum (14, 20.), ut hic, in quo versamur, annus alterum afferat lustrum. Duebn. — *auaratoribus*] Qui pro hoc voc. monstro legunt *a narratoribus*, in diversa rursus abeunt. Oberlinus explicat *a poëtis*, comparans Quintil. 1, 9, 6: *narratiunculas a poëtis celebratas* cet. Doederlein: «Historiarum recitatores fuisse suspiceris, ut Dio 67, 1: *ἀγῶνας καὶ ποιητῶν καὶ λογογράφων* memorat a Domitiano instauratos.» Verum *narratores* non sunt *λογογράφοι*. Nec defendi potest cum Walthero ex Suet. de clar. Rhet. 1: *Declamatores - - et narrationes tum breviter - -, tum latius explicare consuerant*, ut hic significentur declamatores. (Cod. Agr. *ab auctoribus* probante Ryckio. Ceterum Interpretibus auctor sum, ut amplectantur Ernestii *a cantoribus*; insunt sane sequentibus verbis poëticae imagines satis splendidae et *adulatorio dedecori* (6, 32.) convenientissimae.) — *provenire terras*] «novo genere fetus esse fecundas et fertiles.» Gron. *Provenire* sic haud raro *laete, prospere, abundanter produci et crescere*, ut *proventus*. — *obvias*] sine labore parandas, ut aureo seculo. — *servilia*] Post hoc v. *ingenia* excidisse ratus est Ernestius; immo iunge *alia servilia*, id est, putida commenta, qualia a servis, quo heris adulentur, excogitari solent.

3. *gliscebat - luxuria*] Referenda haec ad domum auream, piscinam fossamque Neronis. Suet. 31: *Non in alia re tamen damnosior quam in aedificando.* — *effosso agro*] Simillima vecordia Pompeii exercitum incidit, cum is in eadem Africa contra Domitium et Iarbam bellum gereret eiusque milites ad aurum a Poenis, ut somniabant, terra defossum effodiendum se per plures dies dederunt, donec frustra defatigati incepto tandem absisterent. Plut. Pomp. 11. — *regiae gazae*] abditarum Didonis reginae opum, quarum spem fecerat. Duebn.

4. *lustrali*] supra *quinquennale ludicrum*, quinque solidis annis vertentibus instauratum sexti initio. Neque vero discrepare videtur Suetonius Ner. 21: *Neroneum agona ante praestitutam diem revocavit;* minime enim refert utrum eum vel integro mense praeceperit. Cfr. tamen disputationes chronologicas Scaligeri Emend. temp. p. 460., Petavii Doctr. temp. II. 15., Pagii Crit. Bar. ad a. Chr. 60. excerptas

nam, qua ludicra deformitas velaretur. sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se aequum adversum aemulos, et religione iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat; mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret (haec enim verba dixere), ingreditur theatrum, cunctis citharae legibus obtemperans, ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret, ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. postremo flexus genu, et coetum illum manu veneratus, sententias iudicum opperiebatur ficto pavore. et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus iuvare solita, personabat certis modis plausuque composito. crederes laetari; ac fortasse laetabantur per incuriam publici flagitii. (5) sed qui remotis e municipiis severamque adhuc et antiqui moris retinentes Italiam, quique per

1. *nichil* M. — 2. *adversū* M: *adversus* B. — *emulos* M. — 3. *ads.* M: *ass.* B. — 5. *cithare* M. — 7. *uiserent* M. Mutatum in Ies. a sec. m. et a Puteolano. — 8. *caetum* M. — 11. *iniuriam* M. Correxit Acidalius.

ab Ernestio ac fusius etiam a Rupertio partim ad h. l., partim ad 14, 20. Adde Suet. Ner. 12: *Instituit et quinquennale certamen Romae more Graeco triplex, musicum* (et quod nos sic vocamus, et poëticum et oratorium), *gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia.* — *ludicra deformitas*] cantus in scena; *facundia* certe ars erat generosa. — *aequum*] se adversum aemulos ex aequo agere exuto principe ideoque item ex aequo cum ceteris iudicandum. *Adversum*, ut Graecum πρός. Dübn. — *ingreditur theatrum*] Sueton. Vit. 4: *Vitellius praesidens certamini Neroneo, cupientem inter citharoedos contendere nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem ideoque egressum theatro revocaverat, quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque praebuerat.* — *publicaret*] «populo exhiberet ac monstraret;» verbum autem insolitum fuisse sequentibus vv. significatur. — *quam indutui gerebat*] Sic Appul. Florid. 1, 9. p. 35. Hildebr.: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam - -, cinctui balteum - -, amictui pallium candidum.* Ammian. Marc. 30, 7: *indutibus imperatoriae maiestatis ornatus.* — *viserentur*] Verum hoc videtur, etsi non defuere, qui ad Cod. lect. *viserent* supplerent *spectatores.* — *flexus genu*] Immo et sollemnia histrionum verba haec pronuntians: Κύριοί μου, εὐμενῶς μου ἀκούσατε. Suet. Ner. 21. — *manu veneratus*] In culpa ponit Tacitus. Tamen imperatoribus postea id servatum, ut sollemni ritu populum adorarent in circo. Claudianus pulchre De VI. Cons. Honorii 611: *O quantum populo secreti numinis addit Imperii praesens Genius, quantamque rependit Maiestas alterna vicem, cum regia circi Convexum gradibus veneratur purpura vulgus Assensuque cavae sublatus in aethera vallis Plebis adoratae reboat fragor unaque totis Intonat Augustum septenis arcibus Echo.* Lips. Cfr. Suet. Ner. 12. — *sententias iudicum*] Suet. Ner. 23: *Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adversariorum aemulatione, quo metu iudicum, vix credi potest.* Dio 63, 9: *Πῶς ἄν τις καὶ ἀκοῦσαι, μὴ ὅτι ἰδεῖν ὑπομείνειεν τοὺς ἀγωνοθέτας τούς τε μαστιγοφόρους φοβούμενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἅπασιν ἀναλίσκοντα, μὴ ἐλεγχθεὶς μαστιγωθῇ. - - Καὶ πάντα, ὅσα οἱ τυχόντες ὑποκρίνονται, κἀκεῖνος καὶ ἔλεγε καὶ ἔπραττε καὶ ἔπασχε, πλὴν καθόσον χρυσαῖς ἁλύσεσιν ἐδεσμεύετο.* — *iuvare*] favore, plausu incitare studium histrionis. Liv. 1, 25: *Tum clamore Romani adiuvant militem suum;* quod idem C. 12. vocat *favore addere animum.* Ern. — *certis modis*] Modulatum hunc clamorem *concentum* appellat Plin. Paneg. 2: *Et populus quidem Romanus dilectum principum servat, quantoque paullo ante concentu formosum alium* (Domitianum), *hunc fortissimum personat.* Dio 73, 2: *ὅσα τε εἰώθασιν ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου θεραπείᾳ εὐρύθμως πως*

longinquas provincias lascivia inexperti officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare neque labori inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros, ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum inpari clamore aut silentio segni praeteriret. constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obtritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac voltus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur. unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversum illustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium.

1. *longinquas* cum Pichena Walther, Ritter, Doederlein: *lonquas* (sic) M, in quo, ut saepe, excidit syllaba; *longas* B. — *lascivia inexperti* G. Otto: *lasciviā experti* M, *lasciviae inexperti* cum Puteolano B. — 2. *labore* M. Correxit Rhenanus. — 5. *inp.* M: *imp.* B. — *consistit* M. — 9. *ocultis* M. — 10. *inr.* M: *irr.* B. — 11. Habet *adversum* M, non *adversus*, ut edebant ante Bekkerum.

ἐκβοᾶν, ταῦτα τότε μετασχηματίζοντες ἐς τὸ γελοιότατον ἐξῆδον.

5. *antiqui moris*] Genitivi pendentes a v. *Italiam*, non a participio *retinentes*. Duebn. Notavit hoc propter interpolationem Cod. Agr. *severaque et adhuc antiqui moris retinente Italia*, eadem constructione, qua 2, 38. 5, 11. *Antiqui moris Italia* opponitur parti eiusdem iamiam urbis contagio corruptae. — *longinquas*] Quibus placet falsum illud *longas*, defendunt ex Sil. Ital. 6, 628: *Nam remeans longis olim Tirynthius oris.* — *lascivia inexperti*] Magis mihi placuit haec Ottonis (Divinatt. Livian. p. 41.) emendatio, quam altera Puteolani *lasciviae inexperti*, ob H. 1, 8: *bello inexpertus.* 2, 75: *legionis civili bello inexpertae.* Liv. 23, 18: *exercitum - - bonis inexpertum et insuetum.* — *officio legationum*] De his legationibus urbium vide Dig. 50. Tit. 7. *De legationibus*; exempli causa 4, 7: *Praecipitur autem edicto Divi Vespasiani omnibus civitatibus, ne plus quam ternos legatos mittant.* — *labori*] Walther restituit *labore*; *sufficere* enim absolute dici, ut 1, 13: *quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent.* Credidit illi Bachius; non ego. Multo efficacius est: «neque labori tanto ac praeterea inhonesto pares esse.» — *manibus nesciis*] «cum manus ad continuum plausum non assuetae celeriter defatigarentur.» — *turbarent gnaros*] cum *certis illis modis* plaudere nescirent. — *sedilibus*] «assidendo in sedilibus;» quod per substantivum solum satis intelligitur. Suet. Ner. 23: *Cantante eo, ne necessaria quidem causa excedere theatro licitum erat. Itaque et enixae quaedam in spectaculis dicuntur, et multi taedio audiendi laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro aut morte simulata funere elati.* Etiam Dio 63, 15. dicit quosdam *προσποιεῖσθαι ἐκθνήσκειν καὶ νεκρῶν δίκην ἐκ τῶν θεάτρων ἐκφέρεσθαι.* — *gravior inerat metus*] Cfr. Philostrat. Vit. Apoll. 4, 39. Ed. Kayser p. 82: *καταλύουσι δ' αὐτοῖς ἐν πανδοχείῳ περὶ τὰς πύλας - -, ἐπειδὴ καιρὸς ἑσπέρας ἤδη ἐτύγχανεν, ἐπὶ κῶμον ἔρχεται μεθύων ἄνθρωπος οὐκ ἀγλευκῶς τῆς φωνῆς ἔχων, περιῄει δὲ ἄρα κύκλῳ τὴν Ῥώμην ᾄδων τὰ τοῦ Νέρωνος μέλη καὶ μεμισθωμένος τοῦτο, τὸν δὲ ἀμελῶς ἀκούσαντα ἢ μὴ καταβαλόντα μισθὸν τῆς ἀκροάσεως ξυνεκεχώρητο αὐτῷ καὶ ἀπάγειν ὡς ἀσεβοῦντα.* Atque addit Apollonium ipsum et comites eius, cum affici non viderentur, accusatos ab eo ut *πολεμίους τῆς θείας φωνῆς*, sed mercedula tamen data hominem placasse. Ex Lips. — *palam*] scilicet *praesentibus*. Id enim latet in seq. *occulti*, id est, *occulte praesentibus*. Doed. — *redditum odium*] pr. Bud. *editum*, quod volebat Grosiotius. Sed *reddi* dicuntur, quae ultionis studio fiunt (*vergelten*). Cfr. 14, 33: *tamquam reddituri supplicium.* Walth. Est: «posteriore demum tempore exercitum in eos est odium, quod illis veluti d e b e r e t u r.»

ferebantque Vespasianum, tamquam somno conniveret, a Phoebo liberto increpitum, aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem maiore fato effugisse.

(6) Post finem ludicri Poppaea mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est. neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant, odio magis quam ex fide: quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur. ductae tamen publicae exsequiae, laudavitque ipse apud Rostra formam eius, et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus.

(7) Mortem Poppaeae ut palam tristem, ita recordantibus laetam ob inpudicitiam eius saevitiamque, nova insuper invidia Nero complevit prohibendo G. Cassium officio exsequiarum; quod primum indicium mali. neque in longum dilatum est, sed Silanus additur, nullo crimine, nisi

1. *tanq.* M B. — *coniveret* M. — *phebo* M. — 2. *p̄cibus* M. — 3. *permitiem* (sic) M. — 4. *poppea* M. — 10. *exeq.* M. — 12. *poppeae* M. — 13. *inpud.* M: *impud.* B. — *seuit.* M. — 14. *G.* M: *Gaium* B. — *exeq.* M.

— *Vespasianum*] Suet. Vesp. 4: *Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut discederet saepius aut praesens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam; prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti etiamque extrema metuenti, Iudaea provincia cum exercitu oblata est.* — *maiore fato*] Quoniam inde ad principatum pervenit. Ernestius sic explanat: «quia maioribus rebus destinatus erat, nec posset adeo a Nerone perimi.» Conferre iubet Bentl. ad Horat. Epp. 2, 1, 6., ubi vir summus falsam suam coniecturam, postea in uno Codice repertam *Post ingentia fata* pro *facta* commendat. Addit Doederlein narrationi Suetonii: «sive bis idem commisit Vespasianus, sive eandem rem ac semel narrat, de tempore et loco discrepans a Tacito.» — *Phoebo*] Fuit is Neroni ex officio admissionis. Suet. Vesp. 14. collato Dione 66, 11. Memoratur in Inscr. apud Grut. 640, 7: *TI. CLAVDIO. AVG. L. PHOEBO. CLAVDIA. PANNYCHIS.*

6. *iracundia*] Suet. Ner. 35: *Poppaeam ictu calcis occidit, quod se ex aurigatione sero reversum gravida et aegra conviciis incesserat.* Dio 62, 27: *καὶ ἡ Σαβίνη ὑπὸ τοῦ Νέρωνος τότε ἀπέθανε. Κυούσῃ γὰρ αὐτῇ λὰξ εἴτε ἑκὼν εἴτε ἄκων ἐνέθορεν.* — *amori*] Suet. l. l.: *Poppaeam dilexit unice.* — *non igni abolitum*] Plinius H. N. 12, 18: *Periti rerum affirmant* (Arabiam) *non ferre tantum annuo fetu, quantum Nero princeps novissimo Poppaeae suae die concremaverit.* Sane, si non subest error, dicendum illum fuisse honorarium rogum, concrematum tunc, cum Poppaeae *ductae* sunt *publicae exsequiae.* — *conditur*] Dubitari potest, sitne a *condire*, *ταριχεύειν*, an a *condere* scil. arca, capulo. Utrique rationi favet Cic. Tusc. 1, 45: *Condiunt Aegyptii mortuos et domi servant; Persae etiam cera circumlitos condunt.* Sed utrumque simul molesti aliquid habet redundantiâ, sive *differtum condire* iunxit Tacitus sive *condere* et *inferre*. Doed. Sine ullo dubio est a v. *condire*, uti acceperunt etiam Gutmann et Burnouf; redundantia autem, quae videtur, consulto quaesita a Tacito, quo aliquanto immoraretur in more peregrino, Romanis prorsus insolito. — *Iuliorum*] Supra 3, 4. et 9: *tumulus Augusti* et *Caesarum* appellatur. — *divinae infantis*] Augustae. Cfr. 15, 23.

7. *recordantibus*] absolute et praegnanter positum pro *intra animum*, opp. *palam*. Ernestius haec vitiosa ratus coniecit: *ita laetam, recordantibus impudicitiam.* Doed. Sed longe praestare Taciti ipsius manum quivis videt. — *G. Cassium*] De hoc cfr. 6, 15. 12, 11. 12. Plin. Epp. 7,

quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta iuventa praecellebant. igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque disseruit; obiectavitque Cassio quod inter imagines maiorum etiam G. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam «duci partium»: quippe semina belli civilis et defectionem a domo Caesarum quaesitam. ac *ne* memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, iuvenem genere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret. (8) ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patruum eius Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas, praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa: nam Silanus intentior metu et exitio patrui ad praecavendum exterritus erat. inducit posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent. trahebantur ut conscii Volcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius

3. *a rae publicas* M. — 4. *G.* M: *Gai* B. — *cassi* M. — 5. *duci* M: *dux* cum Guelf. Spir. Put. B. — *ces.* M. — 6. *ac memoria* M. Correxere Faërnus et Ursinus. — 7. *ads.* M: *ass.* B. — *L.* M: *Lucium* B. — Habet *praeruptum* M, non *promptum* Guelf. a sec. m., Agr. Edd. ante Lipsium. — 9. *tanq.* M B. — 11. *intetior* M. — *et etio* M. — 14. *uolcacius* M.

24. Suet. Ner. 37. — *dilatum*] Acidalius malebat: *neque in longum dilatus est*, praeter necessitatem; tu supple *malum*. — *Silanus*] 15, 52. (Augusti abnepos.) «Suspicor eum esse, cui postea statua in foro posita, curante Capitone; qua de re Plinii Epp. 1, 17. Corrupte hoc nomen scriptum in Schol. Iuvenalis ad illud Sat. 1, 33: magni delator amici] *Heliodorum dicit Stoicum philosophum, qui Licinium Silanum, discipulum suum, cum argueretur coniurationis, infitiantem, praeter domesticam delationem etiam testimonio oppressit.* Lege *L. Iunium.* Lips. — *duci*] Qui mutarunt in *dux*, non animadverterunt hanc quasi monumenti honorarii fuisse inscriptionem, quales, ut videtur, erant in basibus, quibus imagines imponebantur, potius quam in ipsis imaginibus. Atque cfr. Suet. Vit. 10: *lapidem Memoriae Othonis inscriptum.* Simile est, quod narrat Ambrosius Offic. 1: *Si tyranni aliquis habeat imaginem, nonne obnoxius est damnationi? Memini legisse me quosdam capitali supplicio damnatos, quia Bruti et Cassii interfectorum Caesaris imagines asservarent.* Ex Lips.) — *ac ne*] In Med. *ne* excidit ob sequentem syllabam *me* et ab hac absorptum est. Oberl. — *praeruptum*] Praeruptus, uti praefractus, de iis, qui rigida effrenique audacia sunt. Lips. *Praerupta dominatio* est 5, 3. Ern. Translatio sumpta est a montibus praecipitibus, quos item *praeruptos*, *praefractos* nominant, ac differt Ciceronis pro Rosc. Am. 24: *prorupta audacia*, quod explicandum ex Cap. 5: *eo prorumpere hominum - - audaciam.* Reg. Guelf. cet. *promptum* languidum est glossema. — *novis rebus*] «Ablativus est. Sensus autem: «quem, si res novaret ac Neronem imperio depulisset, populo ac militi ut novum acceptumque principem ostentaret.» Doed. Quidni sit dativus? «quem virum clarum et modestum Cassius ut suum socium ostentaret, atque ita populum ac militem ad noves res incitaret.»

8. *Torquatum*] 15, 35. — *inania*] vel levia etsi vera fuissent; nunc autem ne vera quidem. Doed. — *exterritus*] absterritus, ut 2, 62. 13, 37. et 57. — *indicum*] ut Heliodorum, de quo vide supra. — *Lepidam*] Duas filias C. Appio Silano peperit Aemilia Paulla, Iuniam Calvinam, de qua 12, 4. et 8., et hanc Iuniam Lepidam. Ryck. — *diros*] magicos imprimis, vel ab ea homines immolatos esse. — *Volcatius Tullinus*] Credo *Tertullinus*, supervixitque ad principatum Vespasiani. Hist. 4, 9: *Volcatius Tertullinus tribunus plebei intercessit.* Lips. — *Marcellus Cornelius*] Quem Galba deinde interfecit. Hist. 1, 37: *Quam gloriam ad principatum attulit, nisi occisi Obultronii*

senatores et Calpurnius Fabatus eques Romanus; qui appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum quasi minores evasere. (9) tunc consulto senatu Cassio et Silano exsilia decernuntur: de Lepida Caesar statueret. deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et senectus eius exspectabatur. Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus; post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. illic indignissimum casum sapienter tolerans, a centurione ad caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. at centurio, quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens premi a militibus iubet. nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a centurione volneribus adversis tamquam in pugna caderet.

(10) Haud minus prompte L. Vetus socrusque eius Sextia et Pollutia filia necem subiere, invisi principi tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum L. Veteris. sed initium detegendae saevitiae praebuit interversis patroni rebus ad accusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae proconsule exsolvit Nero in praemium accusationis. quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi, Formianos

3. Habet *tunc* M, non *tum* Spir. Walther. — Habet *consulto senatu* M, non *senatus consulto* Beroaldus, Walther. — 4. *exilia* M. — 5. *senatus* M. Correxit Franc. Medices. — *tanq.* M B. — 6. *ostia* M. — 7. Habet *Barium est* M. Ante Waltherum edebant *est Barium*. — 8. *caede* M. — 9. *pemittere* cum lin. transversa in litt. *p*. M. — 11. *p̄mi* M. — 13 et 15. *tanquam* MB. — 14. *L.* M: *Lucius* B. — *polutia* M. — 15. *inuisit* M. — *uincendo* M. Correxit Puteolanus. — *interfectum a se* mavult Ernestius, sane speciose. — 16. *luci* M, *Lucii* B. — *detegende seuit.* M. — 19. *uertere asyae* M.

Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania? Noto eo, quia Tacitus ipse admonet evasisse eos hoc discrimen et Neroni superfuisse. Lips. — *Calpurnius Fabatus*] ille prosocer Plinii Secundi. Lips. Ad quem pertinet inscriptio apud Grut. p. 382, 6., quam ad h. l. protulere Alciatus et Ryckius. Ern. Cfr. Plin. Epp. 4, 1. 5, 12. 7, 32.

9. *senectus*] hoc est, mors eius ob senectutem propinqua non maturabatur caede, diverse a Silano, cuius naturalis mors non exspectabatur. Dord. De exsilio Cassii convenienter cum Tacito Pomponius de Orig. iur. §. 47: *C. Cassius Longinus plurimum in civitate auctoritatis habuit, donec eum Caesar* (Nero) *pelleret, expulsusque ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano.* De eximia eius scientia supra 12, 12: *Ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum.* Plin. Epp. 7, 24: *Laetor, quod domus C. Cassii, huius qui Cassianae scholae princeps et parens fuit, servist domino non minori.* Lips. — *a centurione - - caderet*] Cfr. Bremi ad verba Nep. de Reg. 3, 3: *a morbo perire.* Ruperti. — *adversis*] in pectus adactis.

10. *L. Vetus*] L. Antistius Vetus, consul a. 808. (13, 11.), socer Rubellii Plauti (14, 58.), cuius uxor *Antistia* dicitur 14, 22., ubi vide. — *inplexa luctu*] Haec adeo male habuere Criticos, ut Trillerus Obss. crit. 3, 2. vellet *impleta*, Bipontini *inflexa*, Acidalius ortum putaret ex praecedente *amplexa* et longe aliud quid a Tacito scriptum esse. Ernestius attulit Cic. Tusc. 5, 1: *angoribus et molestiis implicati.* Addit Oberlinus: «Ciceronis locus sane huic vulgato favet. Nec obstat vox soni similis versus praecedentis; sic paullo post etiam *egressus*, *egressa* propius sese contingunt.» Nec vero debebat

in agros digreditur. illic eum milites occulta custodia circumdant. aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas, vidua inplexa luctu continuo, nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent. tum hortante patre Neapolim pergit. et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec princeps inmobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit. (11) ergo nuntiat patri abicere spem et uti necessitate. simul affertur parari cognitionem senatus et trucem sententiam. nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere. quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum aderat pecuniae; et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri iubet. tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique et singulis vestibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquerent suos superstites et morituros. servavitque ordinem fortuna; ac senior prius, tum cui prima aetas, exstinguuntur.

1. *degreditur* B in Ed. maiore adversus M. — 4. *inplexa* M: *implexa* B, qui seclusit auctore Acidalio. — 5. Habet *Neapolim* M. Ante Waltherum edebant *Neapolin*. — 7. *mulieri* M. — 8. *heIulatu* M. — 9. *inm.* M: *imm.* B. — *p̄cibus* M. — 12. *ces.* M. — 13. *fed.* M. — 15. *sup̄ma* M. — 17. *iliam* (sic) M. — 18. *p̄cantes* M. — 19. *relinqueret* M. Correctum in Guelf. et Edd. vett. Illud restituit Walther. — 20. *senior* Spir.: *seniore* M, *seniorem* Bud., *seniores* cum Acidalio B. — *extiguntur* (sic) M.

v. *inplexa* secludi a Bekkero; siquidem recte defendit Roth ad Agr. p. 163: *Ein Schreibfehler erzeugt nicht ein so treffendes und malerisches Wort;* unde Ruperti: «γραφικῶς dictum.» — *nec ullis alimentis nisi*] Interpolationem Cod. Agr. *nec ullis alimentis usa nisi* male recepit Ryckius. — *quondam*] primo imperii eius anno 808. Ann. 13, 11. — *dederet liberto*] Ciceronianum est, hoc est, in liberti gratiam condemnaret insontem. Rosc. Am. 3. et alibi; Tacitus iterum C. 20. Ern. — *inmobilem*] perinde immobilem adversus preces atque invidiam vel odium, quod Pollutia ei conciliabat. Duebn. Amant autem Livius et Tacitus *iuxta* pro *aeque*, *perinde*. Ann. 1, 48. 2, 56. 4, 59. Liv. 9, 13. 23, 28.

11. *uti necessitate*] necessitati parere, se accommodare. Ern. — *proxime*] constructione eadem vv. *proximus*, *propior* qua *prope* cum accus. usurpantur. Significat «convenienter homini libero,» quantum scilicet tunc fieri poterat. — *novissimo servitio*] servili in ipsa demum morte actu. Sic 11, 3: *Tantum illi securitatis novissimae fuit.* — *vestibus*] Doederlein interpretatur *vestibus stragulis*; ac sane etiam cum sibi *abscinderent* venas, indutum fuisse Veterem toga, stolis matronas consentaneum; *vestes* vero hic memoratae impedire debebant, ne forte in ipsis mortis ultimis convulsionibus minus decenter nudarent corpora. — *ut relinquerent*] «quisque precabatur, ut primus mortem obiret;» singularis Med. post *precabantur* intolerandus est. — *senior*] Sextia Veteris socrus, Pollutiae avia. — *cui prima*] pro *cui prima quaeque*. Prima itaque exstinguitur Sextia, tum Vetus, denique Pollutia. Haud recte alii vv. *prima aetas* ad Pollutiam referunt, quia haud dubie

accusati post sepulturam, decretumque ut more maiorum punirentur. et Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens. ea caedibus peractis ludibria adiciebantur. (12) Publius Gallus eques Romanus, quod Faenio Rufo intimus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datur. et mensis qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur, Maius Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duo iam Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Iunium fecissent.

(13) Tot facinoribus foedum annum etiam dii tempestatibus et morbis insignivere. vastata Campania turbine ventorum, qui villas arbusta fruges passim disiecit, pertulitque violentiam ad vicina urbi; in qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie, quae occurreret oculis. sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. non sexus, non aetas periculo vacua. servitia perinde et in-

3. Habet *Publius* omnibus litt. M. — *Faenio*] *Fenio* M. h. l., B. — 5. *premium opere* M. — 9. *iunctum* M. Correxit Lipsius. — 10. *faedū mannum* M, non *faedum in annum*, ut narratur apud Bekkerum. — *dii* M : *di* B. — 12. *ad uicnia urbi* (non *ad menia urbi)* M. Correctum in Agr. Reg. Spir. — 14. *occurret* M.

infra mediam vitae humanae partem egerit; decepti nimirum 13, 13., ubi *prima aetas* Neroni adolescenti tribuitur. — *post sepulturam*] Eorum mortem se ignorare simulabat Nero. — *more maiorum*] Cfr. 2, 32. Suet. Ner. 49. — *sine arbitro*] alieno; centurione puta, qui missus a principe eam praescriberet vel etiam ipse exsequeretur. Cfr. C. 33 : *mortis arbitrium.*

12. *Faenio Rufo*] 15, 66. 68. — *inter viatores tribunicios*] Qui spectasse videntur non abiuncto a tribunis loco (utique pone eos), uti iis apparere possent. Hoc autem inter praemia, quia tribunos honestissimo loco spectasse vel hinc colligas, quod Iulio Caesari inter honores decretum: *καθέζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ πλὴν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἐψηφίσαντο. τότε γὰρ ἐπί τε τοῦ δημαρχικοῦ βάθρου καὶ μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων θεάσασθαι ἔλαβε.* Dio 44, 4. Itemque postea Augusto: *ἐπὶ τῶν αὐτῶν βάθρων συγκαθέζεσθαι τοῖς δημάρχοις ἔλαβε.* 49, 15. Lips. — *Neroneum*] Cfr. 15, 74. — *Germanici*] Nam integrum Neronis nomen erat *Nero Claudius Caesar Augustus Germanicus.* — *testificante*] «Scilicet in commentariis, unde haec Tacitus hausit.» Walth. Immo in senatu, ut 12, 7 : *Haud defuere, qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi acturos testificantes* cet. Nimirum Tacitus memoriae tradere voluit, vilem adulationem etiam viri tam illustris, quam fuerat Orfitus, utpote qui, dum haec censet, huiusmodi causam aboliti nominis Iunii mensis attulerit. — *Cornelio Orfito*] consule a. 804. Cfr. 12, 41. — *transmissum*] omissum, in Fastis praeteritum atque oblivioni traditum in Iuniae gentis dedecus, postquam ei substitutum erat *Germanici* nomen. Similis insania Commodi teste Lampridio II. p. 505. Hack.: *Menses quoque in honorem eius pro Augusto* Commodum, *pro Septembri* Herculem, *pro Octobri* Invictum, *pro Novembri* Exsuperatorium, *pro Decembri* Amazonium *ex signo ipsius adulatores vocabant.* Atque superest titulus, cui inscriptum . . . *IDVS COMMODAS.* Inscrr. m. Lat. N. 884. Ad usum v. *transmittere* cfr. etiam Hist. 4, 9. — *Torquati*] Iunii Silani Torquati, de quibus 15, 35. et 16, 8.

13. *vis pestilentiae*] Videtur fuisse cholera morbus, quem sic describit Aretaeus Lib. 2, 5. Ed. Boerhave p. 17 : *Ἡ χολέρη παλινορσός ἐστι φορὴ τῆς ὕλης τῆς ἐν τῷ παντὶ ἐς τὸν στόμαχον καὶ τὴν κοιλίην καὶ τὰ ἔντερα, ὀξύτατον κακόν· - - ἢν δὲ ἐς τελευτὴν ἥκῃ τὸ κακόν, ἀτὰρ ἱδροῖ ὤνθρωπος· - - ἀφωνίη, σφυγμοὶ σμικρότατοι καὶ πυκνό-*

genua plebes raptim exstingui, inter coniugum et liberorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. equitum senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.

Eodem anno delectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt supplendis Illyricis legionibus, ex quibus aetate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent; quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.

(14) G. Suetonio L. Telesino consulibus Antistius Sosianus, factitatis in Neronem carminibus probrosis exsilio, ut dixi, multatus, postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem accepit, inquies animo et occasionum haud segnis Pammenem eiusdem loci exsulem

1. *ext.* M. — *tanq.* M B. — 4. *sevit.* M. — 5. *dilectus* M. — *asyam* M. — 6. *Illyricis*] *illiricis* M, *Illyrici* B. Cfr. 1, 16: *Pannonicas legiones.* Ibid. 31: *Germanicas legiones* cet. — *valetudine* M: *valitudine* B. — 7. *sextertio* M. — 9. *urbis* del Furia: *turbis* M (ex geminata litt. *t*), *turbidis* cum aliis Codd. et Edd. vett. B. — 10. *G.* M: *Gaio* B. — *L.* M: *Lucio* B. — *cos.* M. — 11. *exilio* M. — 12. *tanquā* M. Correctum in aliis Codd. et Edd. vett. — *codes* M. — 13. *exulem* M.

τατοι, ὁκόσοι ἐπὶ ξυγκοπῇ· ἐντάσιες ἐμέτου ξυνεχέες κενεαί, προθυμίαι τενεσμώδεις, ξηραί, ἄχυλοι· θάνατος ἐπώδυνος καὶ οἴκτιστος σπασμῷ καὶ πνιγὶ καὶ ἐμέτῳ κενῷ. — *cremabantur*] Sensus rapida Taciti brevitate paene obscuratus hic est: «qui dum deflent, tam subito ipsi sunt correpti pestilentia et exstincti, ut eodem rogo cremari possent.» Dord. Nihil equidem obscuri hoc in loco video: «*dum assident*, dum curant, quantum possunt, aegrotos, ipsi morbo pestilente correpti ei intra brevissimum tempus succumbebant, adeo ut uno eodemque rogo simul cremari possent.» (Ad v. *assident* cfr. Horat. Sat. 1, 1, 81: *habes qui Assideat, fomenta paret* cet.) — *cladem Lugdunensem*] ex incendio conceptam, quod denarrat et deplorat Seneca Ep. 91: *in hac ruina una nox interfuit inter urbem maximam et nullam* cet. Accidit centesimo anno a colonia deducta, eodem Seneca notante, ut solatium hoc tarde adhibitum a Nerone sit, septimo post incendium anno. Nam deducta Lugdunum a Munatio Planco a. u. 711. Lips. Neque adeo magnum fuit solatium Francorum Gallicorum 738240. — *urbis casibus*] Puto, cum incendium aliquod ingens urbem Romam afflixisset, res alioquin ignota. Nimis infinitum vulgatum illud *turbidis* locum cedere debuit multo probabiliori Furiae coniecturae.

14. *G. Suetonio*] Paullino, persaepe a Tacito memorato, ut 14, 29. Agr. 5. 14. 16. cet. Plin. H. N. 5, 4: *Suetonius Paullinus, quem consulem vidimus, primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem aliquot milium spatio.* — *L. Telesino*] Laudat ut philosophum et insignem virum plus uno loco Philostratus: 4, 40. 7, 11. 8, 12: *ἀσπασάμενος μᾶλλον τὸ φεύγειν ὡς φιλόσοφος ἢ ὡς ὕπατος μένειν·* eundemque exsulasse ea re sub Domitiano scribit. Nomen ei fuit *C. Luccius* vel *Lucius Telesinus* ut est in Inscr. (Pighiana) apud Grut. p. 1102, 4. demonstratum Ruperto Ep. 48. p. 447. Adde Ryckium ad h. l. et Pagium Crit. Bar. ad h. a. Unde putem fuisse in Tacito *Lucio* vel *Luccio Telesino*, et librarios, qui praenomen esse putarent, hinc dedisse *L. Telesino.* Praenomen ei *C.*, unde Ryckius putat Tacitum scripsisse *Caiis Suetonio* (et) *Lucio* vel *Luccio Telesino*, ut 14, 1. item volebat. Ern. In aliis quoque Inscrr. apud Grut. et Mur. memoratur gens *Lucia* vel *Luccia.* — *ut dixi*] Vide 14, 48. — *occasionum haud segnis*] ut 14, 34: *aliorum segnis*, id est, cetera negligens; rariore constructione pro *ad occasiones*, *in occasionibus haud segnis.* — *eiusdem loci*] in-

et Chaldaeorum arte famosum, eoque multorum amicitiis innexum, similitudine fortunae sibi conciliat. ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit. neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinae invisum Neroni, opesque eius praecipuas ad eliciendam cupidinem, eamque causam multis exitio esse. igitur interceptis Anteii litteris, furatus etiam libellos quibus dies genitalis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem exsilii veniam inpetravisset: quippe Anteium et Ostorium imminere rebus, et sua Caesarisque fata scrutari. exin missae liburnicae, advehiturque propere Sosianus. ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset. monitus prius Anteius ne supremas tabulas moraretur. atque ille hausto veneno, tarditatem eius perosus intercisis venis mortem adproperavit. (15) Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eo missus cen-

1. *chaldeorum* M. — *innixum* M. Emendavit Lipsius. — 2. Habet *consultationes* M, non *consolationes* Puteolani. — 3. *simul an* (in versus fine) *annuam* M. — *a panteio* M, *a Publio Anteio* B. — 6. *antegi* M. — 8. *scribita ad* M. — 9. *incolumitatis* M. — 10. *exilii* M. — *inp.* M: *imp.* B. — 11. *exim* M. — 14. *antei* M. — *tigillinus* M. — *ext.* M. — *monitus prius Anteio* M, *monito prius Anteio* suspicabatur Acidalius, prob. Doederleinio. — *suppma stabulas* M. — 16. *adpr.* M: *appr.* B.

sulae nobis ignotae. Vide l. l. — *nuntios et consultationes*] ἓν διὰ δυοῖν pro *nuntios, qui eum consultarent.* — *dies genitalis*] ipse sane notus erat, quia quotannis ab Anteio eiusque amicis celebrabatur; sed *occultabatur* eiusdem horoscopus a Pammene computatus. — *Ostorii Scapulae*] *Publii*, de quo 12, 31. 35. 38. 39. Agr. 14. Huius autem viri peritia atque strenuitas militaris ab Anteio celebrata per se ipsa, etiam sine ulla comparatione, effeminatae Neronis vitae opposita tyrannum maximopere offendere debebat. — *Ostorium*] Marcum, Publii Ostorii Scapulae in Britannia mortui (12, 39.) filium. — *imminere rebus*] dictum per euphemismum quendam pro *moliri de occupando principatu* (ut ait Cic. de Rep. 2, 35.) et utcunque inter ipsos dividendo; *qu'ils avaient des vues sur l'empire* Burnouf, *qu'ils menaçaient l'état* Louandre. — *monitus*] Difficilis est optio inter vulgatam lectionem et Acidalianam a Doederleinio praelatam, *monito prius Anteio*, quoniam pro utraque par est Medicei auctoritas. Sane *monito* in *monitus* mutari poterat ex falsa accommodatione ad v. *auctor*. At abruptiore hoc sermone *monitus prius Anteius* rapidior fit narratio. — *prius*] antequam Tigellinus Anteii amicis pavore perculsis auctor exstitisset eius testamentum obsignandi. Fieri enim poterat, ut Anteius ipse nollet omnino testamentum facere, ita ut irritum fuisset illud consilium. Testes autem ad eam rem septem erant necessarii. Cfr. Gaius 2, 119. et 147: *si septem testium signis signata sint testamenta* cet. Ulpianus 28, 6: *si signatum testamentum sit non minus quam septem testium civium Romanorum signis.* — *ne supremas tabulas moraretur*] «ut illico testamentum faceret signandumque curaret;» quo satis clare ei instans mortis necessitas significabatur. Argutatur in his Ernestius explicans: «testamentum morantur, qui non moriuntur, ut id cognosci et ad effectum venire non possit.»

15. *finem Ligurum*] pro magis solito plurali. Sic Livius 35, 27: *Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est.* Cfr. Liv. 33, 37. et Gronovium ad 38, 15. — *civicam coronam*] 12, 31: *qua pugna filius legati M. Ostorius servati*

turio, qui caedem eius maturaret. causa festinandi ex eo oriebatur quod Ostorius multa militari fama, et civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis *robore* armorumque scientia metum Neroni fecerat ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis exterritum. igitur centurio, ubi effugia villae clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit. et quia venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus ut inmotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius iuguloque occurrit.

(16) Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset aliorumque taedium exspectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen et continuos aspernantium. at nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia restringunt. neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim quam ne oderim tam segniter pereuntes. ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium, semel edito

1. *cedem* M. — 2. *brittanniam* M. — 3. *ingenti corporis* (in versus fine) *corporis armorumque* M. Emendavit Beroaldus. — 4. *coniuratione̅* M. — 5. *in. P.* (cum lin.) *ostorio* M. — 6. Habet *saepe adversum hostes* M, non *adversum hostes saepe*, ut edebant ante Waltherum. — 7. *quanquam* MB. — 8. *inm.* M: *imm.* B. — *adpr.* M: *appr.* B. — 10. *re p.* M. — 12. *tedium exp.* M. — 13. *continuo* M. — 14. *mest.* M. — 15. *his* M. — *oderint* Agr. — 17. *captivitate̅* M. — *edito* M: *editam* B, quod est in Guelf. et apud Puteolanum.

civis decus meruit. — *iuguloque occurrit*] cum impetu admovit collum dextrae servi pugionem attollentis.

16. *meque - - aliorumque*] Nota duplex *que* pro *et - - et*, ut Liv. 24, 19: *quique Campanorum quique Hannibalis militum erant.* 42, 14: *quaeque dicta ab rege quaeque responsa erant.* — *satias*] Amat hanc formam Tacitus. Cfr. 3, 30. 54. 6, 38. Drakenb. ad Sil. 4, 110. Heindorf ad Cic. N. D. 3, 38, 90. — *at nunc*] «Supple cogitatione: *multo etiam magis tale taedium exspecto*; *nam patientia - - restringunt.* Doed.» Proprie tamen haec vv. ad solius Taciti maestitiam referuntur, exspectantis, quemadmodum par erat, ut eundem affectum sensuri forent lectores. — *defensionem*] «excusationem, cur *patientiae* illius *servilis* similes fere exitus tam fuse lateque enararrim.» — *ne oderim*] id est, «ne odisse dicar, videar, neque lectores opinentur me nescio quo odio ac despicientia actum in homines, qui tam segniter perierunt, eorum mortes tam accurate commemorasse; nam fuit ea non hominum culpa, sed ira numinum, quocirca illos contemnere et odisse nunquam in mentem mihi venire potuit.» (Comparat Doederlein Terent. Ad. 4, 1, 14: *Hisce opera ut data sit*, id est, ut hisce operam datam esse dicas.) *Qu'on me permette toutefois, et c'est la seule excuse que j'invoque auprès de ceux qui liront cet ouvrage, de ne point haïr les hommes qui se laissaient tuer avec tant de lâcheté.* Louandre. (Ceterum prorsus aliter, sed vix recte, Gronovius exposuit: «Causam reddit, cur non oderit, hoc est, non omiserit eorum mentionem. Id enim *odisse* vocat.») Falsam lectionem Agr. *oderint* probavit Oberlinus sic exponens: «Petit a lectoribus auctor, ut defensionem hanc segniter pereuntium admittant neque eos oderint, cum fatalis deorum ira subsit. Dent igitur illorum posteritati, ut illustrium nominum memoria conservetur.» — *captivitate urbium*] pro *expugnatione* scripsit etiam Hist. 3, 70. — *semel edito*] «postquam semel de ea re proditum, narratum est.» Dubn. Est ergo participium illud absolute positum omisso substantivo imprimis frequens apud Tacitum. 1, 46: *cognito.* 1, 49:

transire licet. detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam. (17) paucos quippe intra dies, eodem agmine, Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufius Crispinus ac Petronius cecidere, Mela et Crispinus equites Romani, dignitate senatoria. nam hic quondam praefectus praetorii et consularibus insignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iussae mortis nuntio semet interfecit. Mela, quibus Gallio et Seneca, parentibus natus petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur; simul adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis. idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. quo

1. *exeq.* M. — 2. Habet h. l. *promiscua* M. — *supmorum* M. — 4. *anneus* M. — (Habet *Mela* M, non *Mella*, ut est in multis Edd.) — *rufus* M. — *ac Petronius* M: *ac C. Petronius* Rhenanus, *ac Gaius Petronius* B. — 9. *petitionē* M. — *prep.* M. — 10. *adq.* M: *aeq.* M. — 12. *anneum* M.

intellecto. H. 2, 64: *nuntiato* cet. Vulgato *editum* si usus esset, quomodo et cur in *edito* transierit, exputari vix posset. — *transire*] nunquam ad eam rem reverti. — *promiscua sepultura*] qualis esse solet hominum de plebe.

17. *eodem agmine*] Nolim explicare «una inducti in senatum», id quod in quattuor caussis tam diversis fieri vix poterat: sed «statim unus post alterum», *coup sur coup* Burnouf, *à la file* Louandre. — *dignitate senatoria*] sive *illustres*, censum senatorium possidentes et lato clavo permissu imperatoris utentes. Duebn. Cfr. 2, 59. 11, 4. Marquardt Hist. Eq. Rom. p. 57. — *quondam*] sub Claudio. 11, 1. — *Gallio*] 15, 73. — *ambitionem*] quo homines mirarentur, crebroque de eo inter se sermocinarentur, cur diversus in hoc a fratribus, honoribus abstineret; sed haec ambitio erat *praepostera*, prava atque perversa, quia solitae aliorum ambitioni prorsus contraria. — *per procurationes*] Ad quas soli equites aut liberti admissi. Lips. Cfr. 2, 59. — *negotiis*] Haec vv. ablativi epexegeseos causa additi sunt, notante Doederleinio. Scilicet clarius indicare Tacitus voluit, in cuius generis procurationibus Mela versatus sit. — *dum rem familiarem*] Hieronymus in Eusebiano Chronico: *L. Annaeus Mela, Senecae frater et Gallionis, bona Lucani poëtae, filii sui, a Nerone promeretur.* Quae si vera lectio, opinandum a fisco aut fiscalibus quaedam abrepta et retenta. Sed ego ambigo neque censeo publicata bona, quia sua manu cecidit et damnationem praevenit. Quod si est, bene in Eusebio corrigas et ad haec Taciti: *ob bona Lucani poëtae, filii sui, a Nerone perimitur.* Lips. Immo etiam sine filii bonis erat homo ditissimus; non ergo ea unica interitus causa. (De Lucani divitiis cfr. Iuvenal. 7, 79.) Atque in Roncallii Editione p. 435. nulla omnino est lectionis varietas. — *requirit*] Lucani debitores appellat, debita exigit. — *accusatorem*] Nempe Fabius ille videtur debuisse Lucano certis nominibus, quae dum nimis diligenter exigit Mela, eius odium commovit. Ern. — *fingitur*] «At Med. *finguntur*; si vere, *mixta* neutro plurali et substantive accipiendum, pro *mixta consilia*, ut 15, 68: *consilia cum Vestino non miscuerant*. Agr. 38: *miscere invicem consilia aliqua*; et *scientia* ablativus causae est.» Doed. Incredibilia haec mihi videntur, ac puto *finguntur* ortum esse ex perperam intellecto v. *scientia*, quasi vero hoc esset neutr. num. plur. — *ad eum*] culpae convincendum, quam aliter quam propera morte luere non posset. — *additur*] I. Fr. Gronovius voluit *querentem scripsisse*; sed *additur* cum nominativo constructum, ut *dicitur*, *fertur* cet. Notandum hoc erat imprimis, quia Burnouf cum Reg. Corb. Bud. Spir. nuper edidit *scripsisset*, adnotans: *Il s'agit évidemment d'une phrase ajoutée, par la main d'un faussaire, au codicille de Méla*; id quod falsissimum est; *additur* enim significat «totam rem haud prorsus certam esse, tradi tamen a nonnullis; se eam in medio relinquere.» —

interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. mixta inter patrem filiumque coniurationis scientia fingitur, adsimulatis Lucani litteris. quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. at Mela, quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas, scriptis codicillis quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ita scripsisse, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi. quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. neque enim multo post vim sibi attulit, minore quam ceteri miseratione, quia proditam G. Caesari coniurationem ab eo meminerant. (18) de G. Petronio pauca supra repetenda sunt. nam illi dies

3. *finguntur* M. Corr. Puteol. — *adsimilatis* M, *assimulatis* B. — *quasi inspectas* M. — 6. *tigill.* M. — 7. *tanq.* MB. — 8. *scripsisset* M. — *rufrium* M. — 9. Habet *autem* M, non *tamen*, ut tradit Pichena. — 11. *minorē* M. — 12. *caeteri* M. — *G.* M: *Gaio* B. — 13. *G.* M: *Gaio* B.

Anicium Cerialem] Cfr. 15, 74. — *coniurationem*] Zonaras p. 557. Vol. II. p. 454. Pinder de Caligula: *Τοῦτον δὲ τὸν τρόπον βιοὺς πάντως ἐπιβουλευθήσεσθαι ἔμελλε. καὶ ἐφώρασε τὴν ἐπίθεσιν, καὶ συλλαβὼν Νίκιον* (scr. *Ἀνίκιον*) *Κερεάλιον καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σέξτον Παπίνιον ἐβασάνισε· καὶ ἐπεὶ μηδὲν ἐξελάλησεν, ἀνέπεισε τὸν Παπίνιον, σωτηρίαν αὐτῷ καὶ ἄδειαν ὑποσχόμενος, κατειπεῖν τινων ἢ ἀληθῶς ἢ ψευδῶς, καὶ ἐκεῖνον αὐτίκα καὶ τοὺς ἄλλους ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ἀπέκτεινεν.* In his Zonaras proditoris personam Papinio tribuit, quam Tacitus Cereali. Ceterum Reimar. ad Dion. 59, 25. recte dicit in eo falsum esse Zonaram, quod Papinium Cerialis filium facit. Lipsius Aemilii Lepidi coniurationem, de qua Suet. Cal. 24. et Dio 59, 22. mentionem faciunt, proditam a Ceriale existimat.

18. *G. Petronio*] «Delibero de eius praenomine, quod apud Plinium 37, 2, 7: *Titus* est, itemque Plutarchum in libello *Πῶς ἄν τις διακρίνοι τὸν κόλακα τοῦ φίλου*. C. 35. p. 60. Loqui eos de hoc eodem res indicio est. Plinii verba: *Titus Petronius consularis moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam eius exheredaret, trullam murrhinam trecentis talentis emptam fregit.* Plutarchus: *Ἢ τοὺς ἀσώτους καὶ πολυτελεῖς εἰς μικρολογίαν καὶ ῥυπαρίαν ὀνειδίζωσιν, ὥσπερ Νέρωνα Τῖτος Πετρώνιος.* Reperio et *Publium Petronium*, de quo ita Scholiastes vetus Iuvenalis in illud 6, 638: *sed clamat Pontia, feci*] *Pontia*, inquit, *Publii Petronii filia, quam Nero convictam in crimine coniurationis damnavit.* Lego *quem Nero convictum*; nam Pontia quidem ob necatos filios venis ultro incisis saltans exstincta est, ut addit.» Lips. (Heinrich dedit, ut iussit Lipsius.) Utrum autem tres diversi homines fuerint Taciti *Caius*, Plinii et Plutarchi *Titus*, Scholiastae *Publius Petronii* maxime ideo satis extricari nequit, quia *consularis* etiam *Titus* audit, ut Taciti *Caius*, neuter vero usquam in Fastis comparet. Ceterum certissimum est *codicillos* illos Cap. 19. non fuisse laceram illam fabulam, quae nobis superest sub *Petronii Arbitri* nomine, ut olim opinati sunt nonnulli maxime propter verba *sub nominibus exoletorum* de fictis nominibus male explicata. Verum tota res non ad Taciti interpretes pertinet, sed ad scriptores historiae litterariae, quorum duos ultimos simpliciter nominabo, Bähr *Geschichte der Röm. Litt.* Ed. III. p. 363., qui reliquias, quas habemus, ad Taciti Petronium refert, id quod mihi improbabile videtur, et Eckermann in Ersch et Gruber *Encyclopaedie*. Sect. III. Tom. IX. p. 323. seqq., et 472. seqq., qui incertissimas Niebuhrii opiniones amplexus est. At sincere potius fateamur rem obscurissimam prorsus dilucidari iam non posse; nos vero felices praedicemus, qui fabula etsi interdum lasciva, sed ab ingeniosissimo sane scriptore elaborata etiamnunc gaudere possimus. — *supra repetenda*] *φράσις* Salustii, pro qua alii *altius repetere*. Vide Cort.

per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. proconsul tamen Bithyniae, et mox consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit. dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem. ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione, et maiore parte familiae in vincla rapta. (19) forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur. nec tulit ultra timoris aut spei moras. neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum,

1. *somnium* M. Spir. Correxit Puteolanus. — *uite* M. — 5. *procos*. cum lin. M. — 6. *bithinie* M. — *consulẽ* M. — Habet *uigentem* M, non *ingentem* Reg. et Edd. ante Rhenanum. — 8. *ads*. M: *ass*. B. — *nichil* M. — 9. *adpr*. M: *appr*. B. — *tigill*. M. — 11. *adcreditur* M.

ad Cat. 5. Iug. 5. Ern. — *per somnum*] Tales tunc complures, quos exagitat Seneca Ep. 122: *Sunt, qui officia lucis noctisque perverterint nec ante diducant oculos hesterno graves crapula, quam adpetere nox coepit. - - Lucet: somni tempus est. Quies est: nunc exerceamur, nunc prandeamus. Iam lux propius accedit: tempus est coenae.* — *officiis*] *officia antelucana* appellat Plinius Epp. 3, 12. Cfr. et Suet. Aug. 78. Symmach. Epp. 1, 23. Oberl. — *erudito luxu*] Multo magis hoc ex Taciti usu, quam quod Cramer ad Schol. Iuvenal. p. 271. malebat: *eruditus luxu*. — *proconsul*] Fuit proconsul prius quam consul, quia Bithynia provincia consularis, mox consul, inter suffectos puta. Oberl. In Fastis non memoratur neque in Marinii Actis Fr. Arv. Noli autem eum confundere cum C. Petronio Turpiliano cos. a. 814., occiso demum a Galba Hist. 1, 6. — *imitatione*] «seu quia re vera ad vitia revolutus est eorum illecebris ipse captus, seu quia consulto et callide vitia grata Neroni imitabatur dumtaxat. — *elegantiae arbiter*] qui oblectamenta Neronis ordinaret ac quasi regeret, etiam consilia daret de signis ac tabulis pictis, de supellectile ceterisque rebus pretiosis parandis. *Schiedsrichter in Sachen des Geschmacks* Gutmann, *Tonangeber* Eckermann, *l'arbitre du bon goût* Burnouf. Cave autem hoc proprium aulae Neronianae munus fuisse opineris, ut olim nonnulli falso contendebant, sed est Taciti *φράσις* ingeniose ab ipso inventa.

19. *progressus*] quippe in Neronis comitatu, potius quam, ut alii volunt, «principem assequi volens»; id quod prorsus contrarium fuisset eius timoribus. — *attinebatur*] ei interdictum est iter cum principe prosequi; nimis saeve Eckermann l. l. vult Petronium in carcerem conditum esse, ubi certe tam eleganter mori non potuisset. Recte Francogalli interpretes: *Il reçut l'ordre d'y rester*. — *nec tulit ultra*] quia appropinquante Nerone sibi mortem instare potius metuebat, quam ultériorem vitam sperabat. — *praeceps*] adverbialiter, ut Ammian. Marc. 29, 5: *praeceps in exsilium acti*. — *carmina - - versus*] *carmina* intellige lyrica, *versus* recitationi tantum destinatos. *Faciles* autem sunt ludicri, iocosi, faceti de rebus amatoriis et similibus. Ern. — *epulas*] ut 15, 52: *epulas inibat*. Sic eleganter correxit Marklandus; *vias inire*, ambulare vel etiam gestari aut cisio vehi non convenit ingenio Petronii et huic tempori. Ern. Walther

et alloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. audiebatque referentes, nihil de inmortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. iniit epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset. ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitate cuiusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni. fregitque anulum, ne mox usui esset ad facienda pericula. (20) ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matrimonio senatoris haud ignota, et ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris. agitur in exsilium, tamquam non siluisset quae viderat pertuleratque, proprio odio. at Minucium Thermum praetura functum Tigellini simultatibus dedit, quia libertus Thermi

1. Habet *gloriam constantiae* M, non *constantiae gloriam*, ut edebant ante Waltherum. — 2. *nichil* M. — *inm.* M: *imm.* B. — 4. *iniit et uias* M. Emendavit Markland in Ep. crit. ad Harium p. 87. Illud restituit Walther. — *ut quam* M. Correxit Rhenanus. *(quanq.* B.) — 5. *fortuite* M. — 6. *tigill.* M. — 7. *exsoletorum* M. — *novitatem* Neuius prob. Doederleinio, — 10. *offetur* M. — 11. *aud* M. — *adsc.* M: *asc.* B. — 12. *exilium* M. — *tanq.* MB. — 13. *municium* M. Correxit Ryckius. — 14. *tigill.* M. — *dedit* Rhenanus probb. Acidalio, Bachio, Doederleinio: *deditum* M, *dedidit* cum pr. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Puteol. B. *(dedit ultum* Fr. Iacobus.)

quidem defendit Cod. lectionem; sed *inire vias* vix videtur Latinum pro *prodire*, *procedere in publicum*. — *quod plerique*] faciebant, verbis honorificis, plerumque etiam legatis, ut legitimis suis heredibus partem saltem bonorum suorum servarent. — *sub nominibus*] «memoratis ipsis nominibus virorum, qui muliebria passi erant, ac feminarum lascivarum, item narrata etiam *novitate* cet., id est, quid in quoque stupro novae ac monstruosae libidinis quaesitum esset.» Ablativum posuit quasi per quandam attractionem ad vv. *sub nominibus*, neque necessariam puto Neuii suspicionem *novitatem*. (Ceterum prorsus diverse Burnouf: « *Je pense avec Davanzati, Petrucci, Gordon, Crevier, Dotteville et autres, qu'il s'agit de noms supposés.*» At quomodo sub fictis nominibus poterat describere Neronis flagitia? Immo exoletos *(Lustbuben* Eckermann), feminasque, quibuscum hic rem habuerat nominatim traduxit. Atque, ut nos, Dureau de Lamalle: *Il écrivit les débauches du prince - - - avec les noms des hommes et des femmes qui en étaient l'instrument*; et Gutmann: *unter Benennung der geschändeten Männer und Frauen.* Scilicet una cum Nerone hos quoque laedere voluit Petronius, neque improbabile est praeter exemplar ad Neronem missum alia ab eo amicorum nonnullorum fidei commissa et post tyranni interitum in lucem protracta esse. Contrariam rursus sententiam secutus est Voltaire *Mélanges historiques* XIV.) — *anulum*] signatorium, talem, quali haud dubie abusi erant accusatores, nuper *assimulandis Lucani litteris*, vid. C. 17. Doed.

20. *ambigenti*] Scita est Burnoufii adnotatio: «*Il faut être juste envers Pétrone; s'il s'abandonnait pour son compte aux vices agréables, s'il réglait le ton et les amusemens de la cour, au moins nous voyons ici qu'il ne partageait pas les débauches honteuses et cachées du tyran. Autrement Néron n'avait pas eu besoin de chercher qui les lui avait révélées.*» — *ingenia*] flagitiosae libidinis inventiones, *die ausgekünstelten Lüste* Gutmann. — *proprio odio*] Haec non ad Siliam Neronis libidines haud reticentem referuntur, ut vult Walther; sed ad Neronem, qui propterea Siliam odio persequebatur; opponuntur autem sequentia *at Minucium*, quem ipse non oderat, *Tigellini simultatibus dedit.* — *Minucium*] Certa est emendatio; *Q. Minucius Thermus cos.* memoratur in Baiteri Fastis a. u. 560. — *dedit*]

quaedam de Tigellino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece inmerita lueret.

(21) Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque iuvenalium ludicro parum spectabilem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis † cetastis a

1. *tigill.* M. — 2. *ipsej atronus* M. — *inm.* M: *imm.* B. — *luére* Acidalius. — 4. *excindere* M. — 6. *ferretur* M. Puteolanus cum correxisset, eius operae dederunt *refereretur*. — 7. *parum spectabilem* Agr.: *parum et expectabilem* M, *parum expetibilem* cum Bud. B, *parum exspectabilem* Harl. Bodl. Ies. Guelf. Puteol. Ern. Walther, Duebner. — *ofensio* M. — 8. *pataui* M. — Habet *cetastis* corrupte M. (*cesticis* Puteolanus, *iselasticis* Pignorius, *xysticis* Grotius, *caestatis* Doederlein.)

Mihi quoque haec Rhenani emendatio potior est visa. Cfr. 1, 10: *Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos*; *tum* vero in Med. monstro lectionis *deditum* ex praeced. *functum* male repetitum est, ut recte, puto, Doederlein. Pro lect. *dedidit* sane afferri possunt loci 3, 23. 16, 10. — *quaedam de Tigellino*] a Minucio in deteriorem partem dicta. — *quae - - lueret*] Vulgaris ratio foret: «quae (postea) cruciatibus tormentorum ipse - - luere debuit.» Egregie autem ita hoc expressit, quasi hoc perversum liberti consilium fuisset, etsi proprie necessarius, sed non voluntarius effectus illius pravitatis fuit. Sic si acceperis, non prorsus necessarium erit Acidalii *luére*, etsi primo conspectu probabile. (Libertus ille cruciatibus tormentorum laceratus est, etiam quia volebant, ut firmiter persisteret in accusando patrono, viro summa apud omnes existimatione innocentiae.)

21. *virtutem ipsam*] qui perfectae virtutis specimen praebebant. Vellei. 2, 35: *Cato, homo virtuti simillimus.* — *Thrasea Paeto*] «Cuius gentis nomen adhuc quaero. Nam Dio 61, 15. *P. Thraseam Paetum* saltem nominat. Marmor vetus (Grut. 944, 2.) *C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO. MESSALLA. THRASIA. PRISCO. COS.* (a. 949.) Quod etsi de alio, ex cognomine tamen suspicemur de gente.» «Sed», inquit Reimarus ad Dionis l. l., «et Paeti et Thraseae in pluribus gentibus fuere.» «Thrasea hic admirator unicus Catonis, de cuius vita librum scripsit, indicante Plutarcho. C. 25. et C. 37: *καὶ γὰρ αὐτὸς Μουνάτιος σύγγραμμα περὶ Κάτωνος ἐξέδωκεν, ᾧ μάλιστα Θρασέας ἐπηκολούθησεν.* Laudes eius sparsae in Tacito, Arriano (Diss. 1, 1, 26.), Dione: sed ante alia egregium elogium de illo ipsius Neronis, in Plutarchi libello *Πολιτικῶν παραγγελμάτων* 33. p. 810. Ait, *Νέρων ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι, τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος, ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδίκως· Ἐβουλόμην ἄν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστής ἄριστός ἐστιν.*» Lips. Dio 62, 26: *Ὁ δὲ δὴ Θρασέας καὶ ὁ Σωρανὸς καὶ γένους καὶ πλούτου τῆς τε συμπάσης ἀρετῆς ἐς τὰ πρῶτα ἀνήκοντες, ἐπιβουλῆς μὲν αἰτίαν οὐκ ἔσχον, ἀπέθανον δὲ καὶ αὐτοί ποτε, ὅτι τοιοῦτοι ἦσαν.* — *Barea Sorano*] Cfr. 12, 53. In Inscrr. Grut. 107, 8. et 235, 10. memoratur *Q. Marcius Barea* cos. suffectus a. 779., unde gentile Barearum nomen cognoscimus. Taciti Barea nominatus Boëthio de Consol. 1, 3., ubi cum *Caniniis*, *Senecis*, *Soranis*, qui indigne perierint, comparat *Anaxagorae fugam*, *Socratis venenum*, *Zenonis tormenta*. — *egressus est*] perfectum cum vi aoristi. Itaque frustra coniecerunt Muretus *esset*, Ernestius *erat*. Bach. — *ut memoravi*] 14, 12. — *parum spectabilem*] Credo hic verum vidisse Codicis Agr. criticum; nam Bud. *expetibilem* coniiciens volebat sane significare *operam* minus insignem, quam quae ab eo *expeti* posse videretur, sed finxit vocabulum haud Latinum; qui scripserunt *parum exspectabilem*, hoc voluerunt: «non eam, quae exspectaretur, exspectationi haud respondentem;» verum inciderunt in voc., quod

Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. die quoque quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque; et cum deum honores Poppaeae decernuntur, sponte absens, funeri non interfuerat. quae oblitterari non sinebat Capito Cossutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. (22) quin et illa obiectabat, principio anni vitare Thraseam sollemne ius iurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum; nunquam pro

1. *traiano* M. — 3. *dm* cum lin. M. — *poppeas* M. — *decernuntur* M: *decernerentur* cum Guelf. Agr. B. — 4. *interfuerit* M, *interfuit* Reg. Corb. Spir., Walther. Ut nos, Ies. — *obliterari* M. — 5. *iniquus* M: *inimicus* cum Bud. Puteol. B. — 8. *uitaret* M. — *sollēne* M: *sollenne* B. — 9. *adesset* M. — *pred.* M. — *numquam* M.

Tertulliano relinquere malumus. Omnino error Med. *parum et expectabilem* unice ortus est e molliore pronuntiatione atque, ut ita dicam, Italica, *parum espectabilem* (sic) archetypi alicuius, ita prorsus inepte dilatata. Nostra vero cum ratione egregie consentit Dio l. l.: *ἀπέθανεν, ὅτι οὔτ' ἤκουσέ ποτε αὐτοῦ κιθαρῳδοῦντος, οὔτε ἔθυσε τῇ ἱερᾷ αὐτοῦ φωνῇ ὥσπερ οἱ ἄλλοι, οὔτε ἐπεδείξατο οὐδέν· καίτοι ἐν Παταβίῳ τῇ πατρίδι τραγῳδίαν κατά τι πάτριον ἐν ἑορτῇ τινι τριακοντηρίδι ὑποκρινάμενος.* — *cetastis*] voc. corruptum neque dum sanatum. Nam Latinum non est, quod fere vulgant *caesticis*, et ita explicant: «Erat caestus Troianis usitatus. Aeneas apud Virg. Aen. 3, 60: *Seu crudo fidit pugnam committere caestu, Cuncti adsint meritaeque exspectent praemia laudis.* Et 420: *Solve metus et tu Troianos exue caestus.* Illis ludis ab antiquo et gymnico certamine nominatis haud dubie adiunctum posthac musicum certamen fuisse apparet.» Doed. Interpretibus, simpliciter ut convertant *ludis scenicis*, auctor sum; *tricenariis* quomodo vel ex scriptura *XXXariis* in *cetastis* mutatum sit, non video. — *Antistius*] Cfr. 14, 48. — *deum honores*] Exstant nummi aenei rarissimi, in quibus hinc *DIVA. CLAVDIA. NER. F.* (*templum rotundum, intra quod signum muliebre stans*): illinc *DIVA. POPPAEA. AVG.* (*templum distylum, in quo mulier sedens.*) Eckhel D. N. VI. p. 287. Akerman I. p. 167. Claudia haec fuit Neronis et Poppaeae filia. De ipsius Poppaeae cultu paullo ante Neronis interitum a. 821. instituto lege Dionem 63, 26. — Templi inscriptio erat *ΣΑΒΙΝΗι. ΘΕΑι. ΑΦΡΟΔΙΤΗι. ΑΙ. ΓΥΝΑΙΚΕΣ. ΕΠΟΙΗΣΑΝ.* — *decernuntur*] Med. iure Walther, Duebner, Doederlein, ut concitatius, praetulerunt vulgato *decernerentur*. Cic. ad Att 10, 16: *cum redeo, Hortensius venerat.* — *sponte absens*] sine sontica causa, qua se purgare potuisset. — *interfuerat*] Propius hoc accedit ad Med. *interfuerit* quam *interfuit* praelatum a Walthero ac Duebnero. Atque consulto videtur variasse tempora. — *Capito*] Cfr. 11, 6. — *iniquus*] Sine ulla haesitatione hoc v. ex Med. recipiendum erat pro gloss. *inimicus*. Et sic aliquoties Cicero, ut pro Planc. 23: *iniquos nostros.* Tacitus ipse Ann. 3, 4: *cum Agrippinam - - superstitem iniquorum precarentur.* — *concidisset*] in iudicio lege repetundarum damnatus, ut C. 29. Hist. 4, 6: *si caderet Marcellus.* Cic. ad Att. 7, 25: *Malas causas semper obtinuit; in optimis concidit.* — *interrogant*] accusant, ut 13, 14. neque adeo raro alibi, ut *postulare, poscere, arcessere.*

22. *principio anni*] Quo in acta Caesaris iurabatur. Cfr. 13, 11. Dio 47, 18: *ἔν τε τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου γενόμενα· καὶ τοῦτο καὶ νῦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς τὸ κράτος ἀεὶ ἴσχουσιν.* Suet. Tib. 26. Lips. in Exc. — *votorum*] Cfr. 4, 17: *pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes cum pro incolumitate principis vota susciperent.* Suet. Ner. 46: *Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix repertae Capitolii claves.* Lips.

salute principis aut caelesti voce immolavisse; adsiduum olim et indefessum, qui volgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam; nuperrimeque, cum ad coërcendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. secessionem iam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse. «ut quondam G. Caesarem» inquit «et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum sed habitum voltumque eius sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. huic uni incolumitas tua, † sine artes sine honore. prosperas principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare. spernit religiones, abrogat leges. diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem

1. *ads.* M: *ass.* B. — 2. *volg.* M: *vulg.* B. — 3. *introisset* M. — 5. *uocauisse* M. — Habet *et si* M, non, ut Doederlein opinatus est, *si* omisso *et*. — 6. *G.* M: *Gaium* B. — *ces.* M. — *M.* M: *Marcum* B. — 7. *nunc tenebo thraseam* M. Correxit Puteolanus. — 9. *quod ibi* M. Emendavit Rhenanus. — 10. *tua sine artes* corrupte M: *tua, tuae artes* cum I. Fr. Gronovio B. Lipsius: *tua sine cura, artes.* — 11. *principis respernit* M. — 12. *poppeam* M. — 13. *Aug.* cum lin. M. — *iuli* M. — *legiones* M. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 14. *P R* cum lin. M. — 15. *institutas* M. — 17. *fabonios* M. — *rei.p.* M. — 18. *euerterant* M.

(cuius vide Exc. B.) — *caelesti*] Suet. Ner. 31: *flagitantibus cunctis caelestem vocem.* Dio 61, 20: *ἠναγκάζοντο δὲ τοῖς Αὐγουστείοις* (militibus) *καὶ οἱ ἄλλοι καὶ ἄκοντες, πλὴν τοῦ Θρασέα, ἐκβοᾶν.* Philostr. Vit. Apoll. 5, 7. p. 88. Ed. Kayser idem crimen memorat: - - *τὰς δίκας ἐπὶ τοῖς θεάτροις καὶ ταῖς ᾠδαῖς· οὐκ ἦλθες ἀκροασόμενος Νέρωνος ἢ παρῆσθα μέν, ῥᾳθύμως δὲ ἠκροῶ, ἐγέλας, οὐκ ἐκρότησας, οὐκ ἔθυσας ὑπὲρ τῆς φωνῆς, ἵνα Πυθῶδε (ἀπ' Ὀλυμπίων) λαμπροτέρα ἔλθοι.* — *sine artes*] Quamquam aptum est etiam Lipsii supplementum loci corrupti: *tua incolumitas sine cura, artes* cet., Gronovianum *tua incolumitas, tuae artes* nolim reprehendere, ut fecit Doederlein: «*Incolumitas* non bene *sine honore* esse dicitur.» Etenim si Tacitus ita scripsit, quod indubitate nemo affirmare potest, sine ulla reprehensione rettulit ad sollemnem illam votorum pro incolumitate principis nuncupationem, qui *honor* erat *divinus*. Liv. 8, 33, 21: *Arae sacrificiis fument, honore, donis cumulentur.* — *in acta divi Augusti*] Nam in sollemni illo iure iurando Kal. Ian. non solum in acta principis, qui tunc ipsum vivebat, verum etiam in praecedentium, quorum acta non abolita erant, iurabant. — *diurna*] de quibus cfr. Suet. Caes. 20. Le Clerc *des journaux chez les Romains. Paris* 1838. — *curatius*] 14, 21: *ludos curatius editos.* Ante Lipsium cum Guelf. aliisque Codd. e gloss. edebant *accuratius.* — *secta*] disciplina Stoica. — *Tuberones*] Intelligit Q. Tuberonem, qui in epulo publico haedinis pellibus stravit lectos Punicanos et vasa Samia exposuit. Cic. Brut. 31. pro Murena 36. Val. Max. 7, 5, 1. Gellius 1, 12: *Tubero iuris civilis antistes et Stoicae doctrinae sectator.* Idem ille est, qui Lucullum Xerxem togatum appellitabat, Plutarcho memorante

ipsam adgredientur. frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es. denique nihil ipse de Thrasea scripseris; disceptatorem senatum nobis relinque.» extollit ira promptum Cossutiani animum Nero, adicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia. (23) at Baream Soranum iam sibi Ostorius Sabinus eques Romanus poposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones principis auxit iustitia atque industria, et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat, vimque civitatis Pergamenae, prohibentis Acratum Caesaris libertum statuas et picturas evehere, inultam omiserat. sed crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas. tempus damnationi delectum quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret. (24) igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque regem effusa, Thrasea occursu prohibitus non demisit animum, sed codicillos ad Neronem composuit, requirens obiecta et expurgaturum adseverans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. eos codicillos Nero properanter accepit, spe exterritum Thraseam scripsisse per quae claritudinem principis extolleret suamque famam dehonestaret. quod ubi non evenit, vultumque

1. *adgr.* M: *aggr.* B. — *admouisti* M. — 2. *nichil* M. — 5. *sibi torius sauinus* M. — *R.*, cum lin. M. — 6. *asyae* M. — 9. *evehere* Baiter: *seuehere* M, *avehere* cum Guelf. et Puteol. B. — Habet *inultam* M, non *multam* Puteolani ac Beroaldi, neque *invitam* Gryphii. — 11. *accipiendae* M. — 15. *dimisit* M. Correxit Rhenanus. — 16. *ads.* M: *ass.* B. — 18. Habet *spe* M, non, ut narrant, *saepe*. — 19. *quo dubie non uenit* M. Correxit Rhenanus. — *vultumque* M: *voltumque* B.

in Luc. 39. *Favonius* est M. Catonis ille simia, de quo Cic. pro Mil. 9, 16. ad Att. 1, 14. 2, 1. ad Fam. 8, 9. et 11. Suet. Oct. 13. et Val. Max. 2, 10. 8. Plut. Brut. 34. Lips. — *praeferunt*] prae se ferunt, ostentant, eius studium iactant. Ern. Sic 2, 53. 13, 45. — *Cassium*] C. 9. — *extollit*] magis etiam ad accusandum Thraseam incitat. — *ira promptum*] Cod. Agr. *irae*, ut 1, 2: *servitio promptum*. Ibid. 48: *seditioni promptum* atque alibi. Sed cum ablativo 1, 57. et 14, 40: *audacia promptus*. Hist. 2, 30: *benignitatem animi*, *qua promptior habebatur*. Noli ergo dubitare de Med. lectione *ira*. — *Marcellum Eprium*] Cfr. 12, 4. 13, 33. Dial. de or. 8. 13.

23. *Acratum*] Cfr. 15, 45. — *evehere*] ut Cic. Verr. 2, 1, 20: *omnia* (signa) *ex fanis -- evecta exportataque esse*. — *Plauti*] Cfr. 14, 57. 59. — *Tiridates*] Cfr. 15, 29. Quomodo quamque splendide in urbe tota res inter Neronem et Tiridaten acta sit, lege apud Dionem 63, 5. (collatis Excerptis Maii Vol. IX. Ed. Sturz. p. 106.) Ibi haec inter alia dicit Nero: *Βασιλέα σε τῆς Ἀρμενίας ποιῶ, ἵνα καὶ σὺ καὶ ἐκεῖνοι μάθωσιν, ὅτι καὶ ἀφαιρεῖσθαι βασιλείας καὶ δωρεῖσθαι δύναμαι. Ταῦτ' εἰπὼν ἀνελθεῖν τε αὐτὸν κατὰ τὴν ἄνοδον τὴν ἐπ' αὐτῷ τούτῳ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος πεποιημένην ἐκέλευσε καὶ καθιζηθέντι αὐτῷ ὑπὸ τὸν πόδα τὸ διάδημα ἐπέθηκε· βοαί τε καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλαὶ καὶ παντοδαπαὶ ἐγένοντο.* — *ad externa*] id est, rumoribus externarum rerum occasione nasci solitis, ut 2, 2: *laetantes ad nova imperia*. Dord.

24. *principem*] ex Campania reversum. C. 10. — *occursu prohibitus*] Quod signum principis indignantis et a se atque aspectu suo spernentis; ut ab eodem Nerone Vespasianus *prohibitus non contubernio modo, sed etiam publica salutatione*. Suet. Vesp.

et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet. (25) tum Thrasea inter proximos consultavit, tentaretne defensionem an sperneret. diversa consilia adferebantur. quibus intrari curiam placebat, securos esse de constantia eius dixerunt; nihil dicturum nisi quo gloriam augeret. segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare. aspiceret populus virum morti obvium; audiret senatus voces quasi ex aliquo numine, supra humanas: posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri. sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium. (26) contra, qui opperiendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem, sed ludibria et contumelias imminere: subtraheret aures conviciis et probris. non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem † augusti; etiam bonos metu sequi. detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii; et relinqueret incertum quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. ut Neronem flagitiorum

2. *temptaretne* M. — *an* om. M. — 3. *adf.* M: *aff.* B. — 4. Habet *esse* M, non, ut narrant, *et sese*. — *nichil* M. — *gloria* M. — 7. *humanos* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — 8. *si in* M. — 10. *domi* Puteol. Edd. ante Bekkerum, tum Ritter, Doederlein: *domui* M B. — *censebat* M. — 11. *subtrahere* M. — 13. *augusti* corrupte M. Locus hoc fere requirit: *per immanitatem intentare ausuri sint*, ut vidit ex parte iam Acidalius. — *detrahere* M. — 14. *infamia* M.

4. Lips. — *ultro*] insuper, *noch dazu*, ut saepe.

25. *morti obvium*] ad eam subeundam paratum, promptum. Rup. — *supra humanas*] humanis vocibus superiores. Duebn. Med. *humanos* recepit Oberlinus suadentibus Ryckio et Iac. Gronovio. *Humanos* enim dici pro humano genere probant exemplis: Varr. apud Non. 2, 98: *Natura humanis omnia sunt paria.* Cic. ad Att. 13, 21, 5. (ubi tamen ego ex optimo Cod. Z. edidi: *possum falli, ut homo* cet. pro *humanus*:) Iustin. 42, 3: *primus humanorum* cet. Adde Lucret. 3, 80. et 849. Recte decessoris exemplum secutus non est Bekkerus. — *crudelitati*] scil. exercendae, ut H. 3, 77: *perdomandae Campaniae insistere.* Doed.

26. *augusti*] «Locus aut corruptus aut truncus. Si corruptus, *ausuri sint*,» (quod dedit Bachius; simpliciter *ausuri* ex coni. Acidalii et Boxhornii Walther atque Duebner:) «vel *auderent* scribere licebit cum Grotio;» (id quod praetulerunt Bipontini:) «sin mutilatus est, probabiliter Ritterus: *per immanitatem augusti hominis vultui intenderent.* Malim tamen: *augusti viri intentarent corpori.*» Doed. At *augustus homo*, *augustus vir* sic absolute Latine vix dicitur; nam longe aliud est illud Livii 8, 6. a Doederleinio allatum: *Species viri maioris quam pro humano habitu augustiorisque*, optime dictum partim in comparatione, partim iunctum cum alio adiectivo *maioris*. (Talem quidem immanitatem interdum in senatu exercitam esse demonstrat locus item a Doederleinio allatus Hist. 4, 41: *Nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet.*) — *perornavisset*] semper et ad hunc usque diem, ad finem usque, ut bene monet Freinshemius. Ern. Simul inesse videtur notio: *maximopere ornavisset*, ut *perornatus* Cic. Brut. 43. est *perquam ornatus*. Propter insolentiam verbi Lipsius malebat *semper ornavisset*, parum quidem probabiliter. — *pignora*] cunctos ei caros. — *intemeratus*, *inpollutus*] *unentweiht und unbefleckt* Gutmann. Alibi quoque v. *intemeratus* cum homonymis iungit. Ann. 1, 42: *Quid - - inausum intemeratumve vobis?* Hist. 4, 58: *haec castra incorrupta et intemerata servari.* — *Rusticus Arulenus*] praetor. Hist. 3, 80. Agr. 2: *Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse* sub Domitiano. Suet. Dom. 10: *Occisus,*

pudor caperet, inrita spe agitari; multoque magis timendum ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret. proinde intemeratus, inpollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebi tribunus erat. cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. sibi actam aetatem, et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratuum et integra quae supersint. multum ante secum expenderet quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit. (27) at postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insedere. aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis; dispersique per fora ac basilicas cunei militares. inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores, et oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim compellato patres arguebat quod publica munia desererent, eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam uterentur. etenim quid

1. *inr.* M: *irr.* B. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *uite* M. — 9. *capessende rei.p.* M. — 12. *armate* M. — *insidere* M. Correctum a Puteolano. — 17. *uterentur* M: *verterentur* cum ceteris Codd. et Edd. B.

quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros. Dio 67, 19: *ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμασεν.* Cfr. Plin. Epp. 1, 5: *M. Regulus Rustici Aruleni periculum foverat, exsultaverat morte: adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur atque etiam* Stoicorum simiam, *appellat.* Cfr. ibid. Ep. 14.

27. *templum Genetricis*] a Iulio Caesare in Foro suo, in VIII. urbis regione conditum. Appian. B. C. 2, 68. Suet. Iul. 61. 78. Non temere autem senatus tunc convocatus est in templum Genetricis Iuliae gentis, sed ad significandum agi de reo, qui violasset Neronem ad eam stirpem saltem per adoptiones pertinentem. Forma autem *Venus Genetrix* firmatur a nummis et inscriptionibus. Cfr. Oudendorp. ad Suet. Iul. 61. Cultus eius post Caesarum familiam exstinctam vel casu obsolevit vel potius consulto in oblivionem adductus est, unde paucissimae inscriptiones ei dicatae supersunt. — *insedere*] *besetzten*, *ils investirent le temple* Burnouf. Sic Ann. 2, 16. Liv. 26, 44: *Quinquaginta militibus arcem insedit.* Doederleinio placet Med. *insidere*, «sive», inquit, «pro infinitivo (historico) habetur» (id quod fieri nequit, quamquam ita cepit Bach, qui praetulit:) «seu pro perfecto. Vide ad 1, 30.» (Perfectum *insidi* utique agnoscunt N. Heinsius et Drakenborch ad Sil. Ital. 5, 3. et 12, 487: *arduus ipse Tifata insidit* edentes.) — *non occultis gladiis*] Atqui cum telo in urbe esse non licebat. Cfr. Cic. Catil. 1, 6. Sed hi adulatores fervorem suum pro principis salute defendenda palam demonstrare volebant, simulque senatores exterrere, si qui minus prompti essent ad condemnandum Thraseam. — *et oratio*] «Sustuli punctum post v. *senatores*, ut vv. *inter quorum adspectus et minas* etiam ad vv. *audita est* referrentur. Nam non solum, dum ingrediuntur, sed etiam dum consident senatores, militem adspiciebant. C. 29: *tela militum cernentibus.*» Doed. — *per quaestorem eius*] Is ex candidatis principis erat. Ulpian. Off. Quaest. in Dig. 1. Tit. 13, 2: *Sane non omnes quaestores provincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis; hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis vacabant.* Suet. Oct. 65. Dio 54, 25. Vocantur *quaestores candidati* in Inscrr. m. Lat. NN. 133. 1130. 1131. 3151. 3159. 3162. — *uterentur*] Etsi per se vul-

mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent. quod velut telum corripuere accusatores. (28) et initium faciente Cossutiano, maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat; contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus, simul Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere inpune sinerent. requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari

1. *had ueniri* M, ex quo Acidalius et Doederlein coniectarunt *haud adveniri*. — 2. *amen*. M. — 3. *corripuere* M, Bud.: *arripuere* cum ceteris Codd. atque Edd. (praeter Bachium, Doed. Duebn.) B. — *maior aeui* M. — 4. *rē.p.* M. Ante Ryckium edebant *rei publicae*. — 6. *hisdem* M. — 7. *ragonium* M. Cfr. C. 38. — 8. *inp*. M: *imp*. B.

gata lect. *verterentur* minime reprehendenda, tamen causam nullam vidi, cur a Med. abirem. Scilicet hoc dicit: «senatorum exemplo equites (penes quos iudicia) tamquam iusta excusatione abuti, quo sese ipsi quoque segnitiae dederent.» Etiam Bach et Duebner praetulere *uterentur*. Comparavit ille Agr. 18: *cum velut omissa expeditione ad securitatem - - ad occasionem uterentur*. Ibid. infra: *prosperitate rerum in vanitatem usus*. — *haud veniri*] in senatum. Cfr. 12, 23. Coniectura vero *haud adveniri* ideo probari nequit, quod *haud venire* voluntatis est, *haud advenire* casuum ac periculorum terra marique instantium. — *inservirent*] curam operamque potius impenderent quam rei publicae. Rup. — *corripuere*] Hic quoque Tacitus meminit Virgilii sui. Aen. 1, 187: *arcumque manu celeresque sagittas Corripuit*, id est, «celerrime arripuit.» Est ergo: «omnes promptissime una arripuere.» Vulgarius verbum olim praetulerunt scriptores Codicum pseudocritici.

28. *deminui*] necessario eo redigi, ut asperioribus remediis tandem utendum sit. — *Helvidium Priscum*] 12, 49. ac saepius memoratur a Tacito, ut vir et disertus (Dial. 5.) et omnibus virtutibus praeditus. Accusavit postea Marcellum Eprium. Hist. 4, 6. 43. Plin. Epp. 3, 11. 7, 19. 9, 13. Dio 66, 12: *Πρίσκος Ἑλουίδιος ὁ τοῦ Θρασέου γαμβρὸς τοῖς τε Στωϊκοῖς δόγμασιν ἐντραφεὶς καὶ τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος.* — *Paconium Agrippinum*] Distinguendus est a M. Paconio legato et accusatore Silani 3, 67. Hic ille Agrippinus e Stoica domo, laudatus Epicteto et Arriano. Epict. apud Stob. 7, 17. (Epict. Fragm. 56. Ed. Paris. p. 21.): *Διὰ τοῦτο ἐπαινεῖν Ἀγριππῖνον δίκαιον, ὅτι πλείστου ἄξιος ἀνὴρ γενόμενος, οὐδεπώποτε ἐπῄνεσεν ἑαυτόν· ἀλλ' εἰ καὶ ἄλλος τις αὐτὸν ἐπῄνει, ἠρυθρία. Οὗτος δ', ἔφη, ὁ ἀνὴρ τοιοῦτος ἦν ὥστε τοῦ συμβαίνοντος ἀεὶ ἑαυτῷ δυσκόλου ἔπαινον γράφειν· εἰ μὲν πυρέττοι, πυρετοῦ· εἰ δ' ἀδοξοῖ, ἀδοξίας· εἰ δὲ φύγοι, φυγῆς.* Arrian. 1, 1, 28: *Ἀπηγγέλθη αὐτῷ, ὅτι Κρίνῃ ἐν συγκλήτῳ· Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη (ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτεῖν)· ἀπέλθωμεν καὶ γυμνασθῶμεν. Γυμνασαμένῳ λέγει τις αὐτῷ, ὅτι Κατακέκρισαι. Φυγῇ, φησίν, ἢ θανάτῳ; Φυγῇ. Τὰ ὑπάρχοντα τί; Οὐκ ἀφῃρέθη. Εἰς Ἀρίκειαν οὖν ἀπελθόντες ἀριστήσωμεν.* Sed cur Marcellus *paterni odii in principes heredem* Agrippinum calumniatur? Eruo e Suetonii Tib. 61: *Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui et ipse adfuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano, adstante mensas inter copreas, cur Paconius, maiestatis reus, tamdiu viveret; statim quidem petulantiam linguae obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse*

vellet: facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. pacem illi per orbem terrae, an victorias sine damno exercituum displicere? ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora theatra templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. non illi consulta haec, non magistratus aut Romanam urbem videri. abrümperet vitam ab ea civitate cuius caritatem olim, nunc et aspectum exuisset. (29) cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax, voce voltu oculis ardesceret, non illa nota et celebritate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela militum cernentibus. simul ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur; et erant qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas daturum. quid Agrippino

1. *increpatium* M, non, ut narratur apud Bekkerum, *increpantium*. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 4. *exilium* M. — 8. *ut erat*] *uteret* M. Correxit Pichena, ante quem cum Harl. Bodl. les. inde a Puteolano edebant *inveheretur*. — Habet *ac* M. Ante Waltherum edebant *et*. — 9. *mest.* M. — 10. Habet *altior* M, non *ulterior* Guelf. Bud. — 11. *auenerabilis* M. — 12. *adfinitatis* M: *affinitatis* B. — *paenas* M.

senatui, ut de poena Paconii quam primum statueret. Cfr. C. 29. Lips. — *Curtium Montanum*] Hist. 4, 40. 42. Iuven. 4, 107. et 136: *noverat ille Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis* cet., ubi refert pudendam eius sententiam sub Domitiano in senatu dictam de apparando pisce imperatori donato. — *eludere*] neutr. pro ludibrio habere omnia, honesta et inhonesta cet., *mit allem seinen Hohn treiben.* Alibi additur accusativus. Cic. pro Mil. 12: *se posse eludere rem publicam in istis suis cogitatis furoribus.* — *requirere se*] desiderare se, *er vermisse*, nam Thrasea munera illa, sub Nerone in turpitudinem delapsa, neglexerat. Cfr. C. 22. Duebn. Propter sequentia cogita hanc esse structuram: «se vehementer miraturum fuisse, cur omnia illa munera publica negligeret, nisi prorsus contra instituta et caerimonias maiorum, qui iis religiose satisfacere semper solebant, Thrasea, ea obstinatissime negligens, immo violans, palam et factis non dubiis se hostem patriae profiteretur.» Nolim vero Doederl. auctore v. *nisi* transponere post v. *maiorum:* etenim mire sane sic scripsisset: *requirere se - - in iure iurando civem contra instituta - - maiorum.* Quomodo autem hoc explicare conetur apud ipsum videndum est. — *consularem*] *Consularis* Thrasea appellatur, quod ortus ex familia, in qua consulatûs honor erat, vel quod ab imperatore inter consulares allectus erat. De quo seculi a Christo primi et secundi usu cfr. Marinius *Frat. Arv.* II. p. 794. et p. 804. Ritter. «Non nominatur Thrasea in Fastis consularibus. Fuisse videtur suffectus. Sed fuit haud dubie consul, non inter consulares solum ascitus; quoniam supra Nero: *plerique adepti consulatum et sacerdotia;* quae manifesto in Thraseam dicta sunt.» Doed. Neque vero Marinius dicit «seculi primi et secundi», sed scienter «tertii et quarti.» — *agere senatorem*] quales liberrime sese gerebant veteris rei publicae temporibus. — *solitus*] olim, antequam desineret senatui adesse. Sic si explicaveris, statim videbis Agr. *ageret*, a Bipontinis et Oberlino receptum, necessarium non esse. — *pacem*] Confecto Armeniaco bello, tunc quasi pacato terrarum orbe Ianum clausit Nero, quo trahendi nummi Neronis, de quibus post alios egit Eckhel D. N. VI. p. 273. In eorum postica legitur: *PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT.* item *PACE. P. R. VBIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT.* Suet. Ner. 13: *Ianum geminum clausit, tam nullo quam residuo bello* (cum Lipsio Hase: *tamquam nullo* cet.) — *pro solitudine*] non magis adiret quam solitudo adiri solet. — *qui minitaretur exsilium suum*] quasi id ubique seditiones excitaturum foret, ita ut in principis exitium verteret.

29. *celebritate*] crebritate, ut Cic. ad Fam. 7, 2: *nos hic multitudine et celebri-*

obiectum nisi tristem patris fortunam, quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset. enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. (30) atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur, orditurque de amicitia Rubellii Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset, alendo seditiones civitatium. vetera haec: sed recens et quod discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam Magis dilargita esset. acciderat sane pietate Serviliae (id enim nomen puellae fuit), quae caritate erga parentem, simul inprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox adferret. igitur accita est in senatum, steteruntque diversi, ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in exsilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. (31) tum interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria et aram com-

2. *seuit.* M. — 3. *extorrē magi* M. — 4. *torius sauinus* M. — 5. *rubelli* M. — *procos.* (per compendium) M. — 6. *adc.* M: *acc.* B. — *alendos editiones* M. — 7. *et quot* M. Mutatum in Agr. (*et quo* Iac. Gronovius, *et quo tum* Doederlein. Hoc *quod* quoniam pronomen est, sequens vero coniunctio, hic offendere minime debemus.) — 8. *conect.* M. — *sanae* M. — 10. *inpr.* M: *impr.* B. — *etatis* M. — *aliut* M. — 11. *nichil* M. — 12. *adf.* M: *aff.* B. — 14. *exsilio* superscr. ũ litterae o M. — *viduata* non om. M, ut apud Waltherum narrat Victorius.

tate iudiciorum - - distinemur. — *concidisset*] condemnatus esset, ut C. 21. — *protulerit ingenium*] in lucem, ut plene Cic. pro Arch. 6. Suet. Ner. 25: *quod in ea urbe primum artem protulerat.* Laude *ingenii* simul significat facetum et iocosum, neutiquam famosum fuisse eius carmen. Sensus est: *Enimvero Montanum probae iuventae esse, neque famosi carminis convictum, sed quia protulerit ingenium ac propterea principem poëticam facultatem stolide affectantem laeserit, extorrem agi.* Omissum *sed*, ut Agr. 37. Sic fere Doederlein: fortasse tamen simplicius etiam vv. *famosi carminis* iungas itidem cum v. *esse*, supplendo cogitatione *compositorem.* Recte, opinor. Roth ad Agr. p. 141: «Durior genitivus *famosi carminis* mollior fit per oppositionem ad vv. *probae iuventae*, ut apud Sal. Cat. 5. et 7: *alieni appetens*, *sui profusus*, et *laudis avidi, pecuniae liberales.*»

30. *ingreditur*] curiam, senatum. Erat enim eques dumtaxat exspectabatque foris, dum tempus adesset Soranum accusandi. — *adcommodatum*] utilem, ex quo gloriam captaret alendo primo seditiones civitatium, dein easdem sedando. — *quae - - consultaverat*] Vulgaris ordo, quem sprevit Tacitus, esset: *quae caritate - - consultaverat, non tamen aliud quam* cet. — De re Schol. Iuven. 6, 552: *Faciet, quod deferat ipse*] *Hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareae Sorani, quamquam ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni. Ob quam rem mori cum patre iussa est a Nerone*: ex correctione Schopenii; et 1, 33: *magni delator amici*] *Nonnulli dicunt Egnatium Celerem, Bareae Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit, et ipse postea sub Vespasiano, ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.* — *nuper*] inter coniuratos; vide 15, 71. — *videbatur*] sibi ipsa, ut 15, 2.

31. *cultus dotales*] Vides hinc istas magorum consultationes propter ipsum periculum, quod incurrebant, admodum ma-

plexa, «nullos» inquit «impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, vos, patres, servaretis incolumem. sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent. viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit. nescit tamen miserrimus pater; et si crimen est, sola deliqui.» (32) loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque non illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem nosci potuisse, non criminibus mariti connexam: nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcunque sortem subiret. simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent. mox datus testibus locus; et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces. (33) idem tamen dies et honestum

1. *aliut* M. — 2. *p̄cibus* M. — 4. *dedit* M. — 5. *michi* bis M. — 8. *plautio* M. — 9. *conexam* M. — 10. *quamcūque* M. — 11. *interiectis* M. — 12. *seuit.* M. — 13. *P.* M : *Publius* B. — 15. *honesti et exerciti* M. Correxit Lipsius. — 16. *subdolus* M: *et subdolus* cum Spir. et Beroaldo B.

gno constitisse. — *altaria et aram*] Veneris Genetricis, in cuius templo senatus habebatur. Similiter Plin. Pan. 1 : *Electus inter aras et altaria.* Quintil. Decl. 12, 26 : *aris altaria imponere.* «Scil. *ara* proprie est ipsa structura lapidea, *altare*, ἐπιβωμίς, pars superior, ornatior, cum sacra supellectile.» Duebn. Cfr. Serv. ad Virg. Ecl. 5, 65 : *en quattuor aras; Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo;* ubi vide Voss. — *impios deos*] Haud incommode Doederlein interprètatur: «quos invocare impium est, externos deos, magorum tantum superstitione exsecrabili cultos:» quorumque cultus publice vetitus erat. Alii cogitant de dis inferis, quos magi incantamentis suis evocabant. — *nullas devotiones*] ἀπὸ κοινοῦ supplendum *imprecata sum.* Cfr. ad 1, 17. Bach. — *dignitatis*] matronalis. Additur autem per epexegesin pro *gemmas et vestes, quae dignitatis insignia erant.*

32. *separarent*] «Separarent modo causam filiae a sua; tum se facile ac libenter omnes poenas toleraturum.» Observanda elegantia in part. *atque* (pro *ac tum*), ut in illo archimimi apud Suet. Vesp. 19: *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent.* Ern. — *P. Egnatius*] qui Hist. 4, 10: *P. Celer* nominatur, et sic etiam Dio 62, 26. De eodem Iuven. 3, 116: *Stoicus occidit Baream delator amicum discipulumque senex, ripa nutritus in illa, ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.* (Beryti, urbe Phoenicia, ut notant interpretes.) — *imaginem*] Quam Cicero saepe dicit *speciem et simulacrum* vel *formam et tamquam faciem honesti.* Ern. *(Ideal, Urbild.)* — *reclusa*] simul atque eum emptum fuisse ad Soranum perdendum patefactum esset, immania eius vitia omnia apparuerunt, neque ea ultra occultare poterat; *als vermittelst des Geldes dieser Charakter offenbar wurde* Gutmann; *l'argent mit au jour tous ses vices* Louandre. — *amicitiae fallaces*] in amicitia; nota hanc cum gen. constructionem.

exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exsilium actus, aequitate deum erga bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies et quaestoria insignia tribuuntur. (34) tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperascente iam die. illustrium virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori; cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et disso-

2. *bythinos* M. — 3. *exilium* M. — *aequitatē* M. — 4. *dm* cum lin. M. — 6. *re.p.* M. — 7. *aeprio* M. — Habet h. l. *Ostorio* M. — 8. *ad*] *a* M. — 10. *frequenteegerat* (cum lin. super priore litt. *t*, id est, *frequenter egerat)* M. — *intentū* M. — 11. *vultus* M : *voltus* B. — 12. *naturae* M.

33. *Cassii Asclepiodoti*] Nicaeensis. Cfr. Dio 62, 26: *ὁ μὲν Ἀσκληπιόδοτος οὐχ ὅπως κατεῖπέ τι αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον καλοκἀγαθίαν οἱ προσεμαρτύρησε· καὶ διὰ τοῦτο τότε μὲν ἔφυγεν, ὕστερον δὲ ἐπὶ Γάλβου κατήχθη.* — *labentem*] *labantem* Reg. Agr. Corb. probante Ryckio. Sed Ernestius *labentem* bene defendit ex opposito *florentem.* Nam flos, qui prius florebat, deinde cadit vel labitur. — *aequitate deum*] *Aequitatem* vocat indifferenter aliquid ferre, nihil ad id commoveri. Gron. Nam di bona et mala, honesta et turpia facinora aequaliter admittunt, fieri sinunt; quod quis negabit? Inest tamen nescio cuius maeroris in hac sententia significatio, quae historiae dignitati nequaquam adversatur, ut sine causa timuit Hoffmeister. «Burnoufil interpretationem: *Ainsi la justice des dieux opposa un bon exemple à un mauvais:* excludit vocabulum *erga.*» Dübn. Optime Gutmann: *so schauen die Götter mit Gleichmuth auf gute und böse Thaten.* (Quomodo autem Hoffmeister *Weltanschauung des Tacitus. Essen* 1831. p. 100. interpretari potuerit: *nach der Gerechtigkeit der Götter gegen gute und schlechte Handlungen*, equidem haud intelligo.) — *concessus*] condonatus, neque interfectus nec in exsilium actus. — *ne in re publica*] Accipio, ut Romae quidem esse ei liceret, sed procul ab honore omni et publicis muneribus. Lips.

34. *quaestor consulis*] Nam inde ab a. u. 716. Appius Claudius et C. Norbanus cos. primi binos quaestores habuerunt teste Dione 48, 43: *οἷς πρώτοις δύο ἑκατέροις ταμιεῖαι συνεγένοντο.* Cfr. 58, 4. Et cfr. Grut. 452, 5: *P. PLAVTIVS — — Q. (quaestor) TI. CAESARIS. AVGVSTI. V. CONSVLIS.* Tales autem iam sub Tiberio interdum mittebantur ad mortis necessitatem viris illustribus denuntiandam. Dio 58, 4: *Τῶν δ' ἄλλων πολλοὶ καὶ ὀνομαστοὶ ἐφθάρησαν, ὧν καὶ Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος. ἀσεβείας γὰρ ἐς τὸν Τιβέριον ἐγκληθεὶς - - καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα, αὐτός τε ἑαυτὸν ἔτρωσε καὶ ἐκείνῳ το τραῦμα δείξας, Ἀπάγγειλον, ἔφη, τῇ γερουσίᾳ, ὅτι ἀνὴρ οὕτως ἀποθνήσκει.* — *Demetrio*] Seneca de Benef. 7, 8: *Paullo ante Demetrium rettuli, quem mihi videtur rerum naturam nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi nec nos ab illo corripi* (sic Fickert; al. *corrigi) posse: virum exactae, licet neget ipse, sapientiae firmaeque in his quae proposuit constantiae, eloquentiae vero eius quae res fortissimas deceat non concinnatae nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin providentia et talem vitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum seculo nostro aut convicium deesset.* Cfr. Ep. 20: *non praeceptor veri, sed testis.* Ep. 62: *Demetrium virorum optimum mecum circumfero et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror. Quidni*

ciatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus ex intimis amicis, et ei quid senatus censuisset exposuit. igitur flentes queritantesque qui aderant, facessere propere Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque tentantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi, monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere. (35) tum progressus in porticum, illic a quaestore reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit; porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore «libamus» inquit «Iovi liberatori. specta, iuvenis;

3. Habet *queritantesque* M, non *querentesque* Reg. Agr. Spir. nec Rhenani *quiritantesque*. — *facescere* M. — 4. Habet *miscere* M, non *miscerent* Agr., Oberlini, Duebneri. — *hortantur* M. — *temptantem* M. — 7. *questore repperitur* M. — 8. *italiã* M. — 10. *brachiis* M. — 11. *questore* M. — *libamus* M: *libemus* cum Guelf. et Puteolano B. — *iobi* M.

admirer? Vidi ei nihil deesse. Vox eius magni animi ad Neronem: *Ἀπειλεῖς μοι θάνατον, σοὶ δ' ἡ φύσις.* Arrian. 1, 25, 22. Philostr. Apoll. 4, 25: *Ἐν Κορίνθῳ δὲ φιλοσοφῶν ἐτύγχανε τότε Δημήτριος, ἀνὴρ ξυνειληφὼς ἅπαν τό τε ἐν Κυνικῇ κράτος - - -, παθὼν δὲ πρὸς τὸν Ἀπολλώνιον, ὅπερ φασὶ τὸν Ἀντισθένην πρὸς τὴν τοῦ Σωκράτους σοφίαν παθεῖν κτλ.* Lips. — *Cynicae institutionis*] de qua tunc resurgente consule Ritter et Preller Hist. philos. p. 436. Iuven. 13, 121: *Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit A Cynicis tunica distantia.* — *Domitius Caecilianus*] hoc uno loco memoratus. — *queritantesque*] V. *queritor* videtur nunc *ἅπαξ λεγόμενον*· nam in Plin. Paneg. 29., unde affert Forcellinus, rectius nunc legitur *quiritantibus*, id est, Quiritium fidem atque opem implorantibus; item Plin. Epp. 6, 20, 14., unde Oberlinus affert *infantium queritatus*, rectius Döring *quiritatus*. Vide etiam Ernestii adnot. ad h. l. — *neu - - miscere*] Retinendum erat hoc *σολοικοφανές*, maxime quia simile est illud 1, 35: *neu mortem in iisdem laboribus - - orabant.* — *Arriae matris*] Ea uxor fuit Caecinae Paeti, qui in partibus Scriboniani contra Claudium; ideo ad mortem actus; sed praeivit uxor. Plin. Epp. 3, 16: *Praeclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam: Paete, non dolet!* Idem narrat Martial. 1, 14. Dio 60, 16. Zonaras 11, 9.

35. *porrectisque*] medico puta domestico, servo vel liberto. Mire Critici verbum integerrimum coniecturis fatigarunt: Acidalius volebat *prosectis* (in quod incidit etiam Freinshemius) vel *perictis*; Ernestius *perruptis*. — *libamus*] Hanc Med. lectionem praetulerunt Walther, Bach, Duebner. «Atque hoc rectius; nam inceperat iam spargere cruorem, cum arcesseret quaestorem, eique, quid haecs parsio vellt, his verbis exponit. Accedit auctoritas Schol. Iuven. 5, 36: *Thrasea defendi se noluit secandasque venas praebuit conversusque ad Demetrium Cynicum: Nonne tibi libare videor Iovi liberatori?* et Dionis 62, 26: *Σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα, ὦ Ζεῦ ἐλευθέριε, σπένδω.* Doed. Alias Thraseae voces servavit Dio Vol. IX. Ed. Sturz. p. 102: *Θρασέας βουλευτὴς ἀναιρούμενος ὑπὸ Νέρωνος ἔφη, Εἰ μὲν ἐμὲ μόνον ὁ Νέρων φονεῦσαι ἔμελλεν, ἤλγουν· εἰ δὲ τῶν σφόδρα ἐπαινούντων αὐτὸν οὐ φείδεται, οὐδὲν χεῖρόν μοι ἐντεῦθεν γενήσεται· ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν συναπόλλυνται, ἐμοῦ δὲ μνήμη γοῦν τις εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔσται· ὁ γὰρ Νέρων ἀποκτεῖναι μέν με δύναται, ἀπολέσαι δὲ οὐ δύναται.* Et p. 104: *Θρασέας γνώμην ἀπεφήνατο ἀνδρὶ βουλευτῇ ἐσχάτην εἶναι τιμωρίαν τὴν φυγήν.* Arrian. 1, 1, 26: *Θρασέας εἰώθει λέγειν, Σήμερον ἀναιρεθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι.* — *Iovi liberatori*] Vide 15, 64. — *iuvenis*] quaestores tunc fiebant iuvenes XXV — XXVII. annos nati. —

et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet. (25) tum Thrasea inter proximos consultavit, tentaretne defensionem *an* sperneret. diversa consilia adferebantur. quibus intrari curiam placebat, securos esse de constantia eius dixerunt; nihil dicturum nisi quo gloriam augeret. segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare. aspiceret populus virum morti obvium; audiret senatus voces quasi ex aliquo numine, supra humanas: posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri. sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium. (26) contra, qui opperiendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem, sed ludibria et contumelias imminere: subtraheret aures conviciis et probris. non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem † augusti; etiam bonos metu sequi. detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii; et relinqueret incertum quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. ut Neronem flagitiorum

2. *temptaretne* M. — *an* om. M. — 3. *adf.* M: *aff.* B. — 4. Habet *esse* M, non, ut narrant, *et sese*. — *nichil* M. — *gloria* M. — 7. *humanos* M. Correctum in Guelf. et a Puteol. — 8. *si in* M. — 10. *domi* Puteol. Edd. ante Bekkerum, tum Ritter, Doederlein: *domui* M B. — *censebat* M. — 11. *subtrahere* M. — 13. *augusti* corrupte M. Locus hoc fere requirit: *per immanitatem intentare ausuri sint*, ut vidit ex parte iam Acidalius. — *detrahere* M. — 14. *infamia* M.

4. Lips. — *ultro*] insuper, *noch dazu*, ut saepe.

25. *morti obvium*] ad eam subeundam paratum, promptum. Rup. — *supra humanas*] humanis vocibus superiores. Duebn. Med. *humanos* recepit Oberlinus suadentibus Ryckio et Iac. Gronovio. *Humanos* enim dici pro humano genere probant exemplis: Varr. apud Non. 2, 98: *Natura humanis omnia sunt paria.* Cic. ad Att. 13, 21, 5. (ubi tamen ego ex optimo Cod. Z. edidi: *possum falli, ut homo* cet. pro *humanus*:) Iustin. 42, 3: *primus humanorum* cet. Adde Lucret. 3, 80. et 849. Recte decessoris exemplum secutus non est Bekkerus. — *crudelitati*] scil. exercendae, ut H. 3, 77: *perdomandae Campaniae insistere.* Doed.

26. *augusti*] «Locus aut corruptus aut truncus. Si corruptus, *ausuri sint*,» (quod dedit Bachius; simpliciter *ausuri* ex coni. Acidalii et Boxhornii Walther atque Duebner:) «vel *auderent* scribere licebit cum Grotio;» (id quod praetulerunt Bipontini:) «sin mutilatus est, probabiliter Ritterus: *per immanitatem augusti hominis vultui intenderent.* Malim tamen: *augusti viri intentarent corpori.*» Doed. At *augustus homo*, *augustus vir* sic absolute Latine vix dicitur; nam longe aliud est illud Livii 8, 6. a Doederleinio allatum: *Species viri maioris quam pro humano habitu augustiorisque*, optime dictum partim in comparatione, partim iunctum cum alio adiectivo *maioris*. (Talem quidem immanitatem interdum in senatu exercitam esse demonstrat locus item a Doederleinio allatus Hist. 4, 41: *Nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet.*) — *perornavisset*] semper et ad hunc usque diem, ad finem usque, ut bene monet Freinshemius. Ern. Simul inesse videtur notio: *maximopere ornavisset*, ut *perornatus* Cic. Brut. 43. est *perquam ornatus*. Propter insolentiam verbi Lipsius malebat *semper ornavisset*, parum quidem probabiliter. — *pignora*] cunctos ei caros. — *intemeratus*, *inpollutus*] *unentweiht und unbefleckt* Gutmann. Alibi quoque v. *intemeratus* cum homonymis iungit. Ann. 1, 42: *Quid - - inausum intemeratumve vobis?* Hist. 4, 58: *haec castra incorrupta et intemerata servari.* — *Rusticus Arulenus*] praetor. Hist. 3, 80. Agr. 2: *Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse* sub Domitiano. Suet. Dom. 10: *Occisus*,

pudor caperet, inrita spe agitari; multoque magis timendum ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret. proinde intemeratus, inpollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebi tribunus erat. cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. sibi actam aetatem, et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratuum et integra quae supersint. multum ante secum expenderet quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit. (27) at postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insedere. aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis; dispersique per fora ac basilicas cunei militares. inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores, et oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim compellato patres arguebat quod publica munia desererent, eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam uterentur. etenim quid

1. *inr.* M: *irr.* B. — 3. *inp.* M: *imp.* B. — 8. *uite* M. — 9. *capessende rei.p.* M. — 12. *armate* M. — *insidere* M. Correctum a Puteolano. — 17. *uterentur* M: *verterentur* cum ceteris Codd. et Edd. B.

quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros. Dio 67, 19: *ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμασεν.* Cfr. Plin. Epp. 1, 5: *M. Regulus Rustici Aruleni periculum foverat, exsultaverat morte: adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur atque etiam Stoicorum simiam appellat.* Cfr. ibid. Ep. 14.

27. *templum Genetricis*] a Iulio Caesare in Foro suo, in VIII. urbis regione conditum. Appian. B. C. 2, 68. Suet. Iul. 61. 78. Non temere autem senatus tunc convocatus est in templum Genetricis Iuliae gentis, sed ad significandum agi de reo, qui violasset Neronem ad eam stirpem saltem per adoptiones pertinentem. Forma autem *Venus Genetrix* firmatur a nummis et inscriptionibus. Cfr. Oudendorp. ad Suet. Iul. 61. Cultus eius post Caesarum familiam exstinctam vel casu obsolevit vel potius consulto in oblivionem adductus est, unde paucissimae inscriptiones ei dicatae supersunt. — *insedere*] *besetzten, ils investirent le temple* Burnouf. Sic Ann. 2, 16. Liv. 26, 44: *Quinquaginta militibus arcem insedit.* Doederleinio placet Med. *insidere*, «sive», inquit, «pro infinitivo (historico) habetur» (id quod fieri nequit, quamquam ita cepit Bach, qui praetulit:) «seu pro perfecto. Vide ad 1, 30.» (Perfectum *insidi* utique agnoscunt N. Heinsius et Drakenborch ad Sil. Ital. 5, 3. et 12, 487: *arduus ipse Tifata insidit edentes.*) — *non occultis gladiis*] Atqui cum telo in urbe esse non licebat. Cfr. Cic. Catil. 1, 6. Sed hi adulatores fervorem suum pro principis salute defendenda palam demonstrare volebant, simulque senatores exterrere, si qui minus prompti essent ad condemnandum Thraseam. — *et oratio*] «Sustuli punctum post v. *senatores*, ut vv. *inter quorum adspectus et minas* etiam ad vv. *audita est* referrentur. Nam non solum, dum ingrediuntur, sed etiam dum consident senatores, militem adspiciebant. C. 29: *tela militum cernentibus.*» Doed. — *per quaestorem eius*] Is ex candidatis principis erat. Ulpian. Off. Quaest. in Dig. 1. Tit. 13, 2: *Sane non omnes quaestores provincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis; hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis vacabant.* Suet. Oct. 65. Dio 54, 25. Vocantur *quaestores candidati* in Inscrr. m. Lat. NN. 133. 1130. 1131. 3151. 3159. 3162. — *uterentur*] Etsi per se vul-

mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent. quod velut telum corripuere accusatores. (28) et initium faciente Cossutiano, maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat; contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus, simul Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere inpune sinerent. requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari

1. *had ueniri* M, ex quo Acidalius et Doederlein coniectarunt *haud adveniri*. — 2. *amen*. M. — 3. *corripuere* M, Bud.: *arripuere* cum ceteris Codd. atque Edd. (praeter Bachium, Doed. Duebn.) B. — *maior aeui* M. — 4. *rē.p.* M. Ante Ryckium edebant *rei publicae*. — 6. *hisdem* M. — 7. *ragonium* M. Cfr. C. 38. — 8. *inp.* M: *imp.* B.

gata lect. *verterentur* minime reprehendenda, tamen causam nullam vidi, cur a Med. abirem. Scilicet hoc dicit: «senatorum exemplo equites (penes quos iudicia) tamquam iusta excusatione abuti, quo sese ipsi quoque segnitiae dederent.» Etiam Bach et Duebner praetulere *uterentur*. Comparavit ille Agr. 18: *cum velut omissa expeditione ad securitatem - - ad occasionem uterentur*. Ibid. infra: *prosperitate rerum in vanitatem usus*. — *haud veniri*] in senatum. Cfr. 12, 23. Coniectura vero *haud adveniri* ideo probari nequit, quod *haud venire* voluntatis est, *haud advenire* casuum ac periculorum terra marique instantium. — *inservirent*] curam operamque potius impenderent quam rei publicae. Rup. — *corripuere*] Hic quoque Tacitus meminit Virgilii sui. Aen. 1, 187: *arcumque manu celeresque sagittas Corripuit*, id est, «celerrime arripuit.» Est ergo: «omnes promptissime una arripuere.» Vulgarius verbum olim praetulerunt scriptores Codicum pseudocritici.

28. *deminui*] necessario eo redigi, ut asperioribus remediis tandem utendum sit. — *Helvidium Priscum*] 12, 49. ac saepius memoratur a Tacito, ut vir et disertus (Dial. 5.) et omnibus virtutibus praeditus. Accusavit postea Marcellum Eprium. Hist. 4, 6. 43. Plin. Epp. 3, 11. 7, 19. 9, 13. Dio 66, 12: *Πρίσκος Ἑλουΐδιος ὁ τοῦ Θρασέου γαμβρὸς τοῖς τε Στωϊκοῖς δόγμασιν ἐντραφεὶς καὶ τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος*. — *Paconium Agrippinum*] Distinguendus est a M. Paconio legato et accusatore Silani 3, 67. Hic ille Agrippinus e Stoica domo, laudatus Epicteto et Arriano. Epict. apud Stob. 7, 17. (Epict. Fragm. 56. Ed. Paris. p. 21.): *Διὰ τοῦτο ἐπαινεῖν Ἀγριππῖνον δίκαιον, ὅτι πλείστου ἄξιος ἀνὴρ γενόμενος, οὐδεπώποτε ἐπῄνεσεν ἑαυτόν· ἀλλ' εἰ καὶ ἄλλος τις αὐτὸν ἐπῄνει, ἠρυθρία. Οὗτος δ', ἔφη, ὁ ἀνὴρ τοιοῦτος ἦν ὥστε τοῦ συμβαίνοντος ἀεὶ ἑαυτῷ δυσκόλου ἔπαινον γράφειν· εἰ μὲν πυρέττοι, πυρετοῦ· εἰ δ' ἀδοξοῖ, ἀδοξίας· εἰ δὲ φύγοι, φυγῆς*. Arrian. 1, 1, 28: *Ἀπηγγέλθη αὐτῷ, ὅτι Κρίνῃ ἐν συγκλήτῳ· Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη (ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτεῖν)· ἀπέλθωμεν καὶ γυμνασθῶμεν. Γυμνασαμένῳ λέγει τις αὐτῷ, ὅτι Κατακέκρισαι. Φυγῇ, φησίν, ἢ θανάτῳ; Φυγῇ. Τὰ ὑπάρχοντα τί; Οὐκ ἀφῃρέθη. Εἰς Ἀρίκειαν οὖν ἀπελθόντες ἀριστήσωμεν*. Sed cur Marcellus *paterni odii in principes heredem* Agrippinum calumniatur? Eruo e Suetonii Tib. 61: *Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui et ipse adfuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano, adstante mensae inter copreas, cur Paconius, maiestatis reus, tamdiu viveret; statim quidem petulantiam linguae obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse

vellet: facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. pacem illi per orbem terrae, an victorias sine damno exercituum displicere? ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora theatra templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. non illi consulta haec, non magistratus aut Romanam urbem videri. abrumperet vitam ab ea civitate cuius caritatem olim, nunc et aspectum exuisset. (29) cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax, voce voltu oculis ardesceret, non illa nota et celebritate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela militum cernentibus. simul ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur; et erant qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas daturum. quid Agrippino

1. *increpatium* M, non, ut narratur apud Bekkerum, *increpantium*. Correctum in Guelf. et a Puteolano. — 4. *exilium* M. — 8. *ut erat*] *uteret* M. Correxit Pichena, ante quem cum Harl. Bodl. Ies. inde a Puteolano edebant *inveheretur*. — Habet *ac* M. Ante Waltherum edebant *et*. — 9. *mest.* M. — 10. Habet *altior* M, non *ulterior* Guelf. Bud. — 11. *auenerabilis* M. — 12. *adfinitatis* M: *affinitatis* B. — *paenas* M.

senatui, *ut de poena Paconii quam primum statueret*. Cfr. C. 29. Lips. — *Curtium Montanum*] Hist. 4, 40. 42. Iuven. 4, 107. et 136: *noverat ille Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis* cet., ubi refert pudendam eius sententiam sub Domitiano in senatu dictam de apparando pisce imperatori donato. — *eludere*] neutr. pro ludibrio habere omnia, honesta et inhonesta cet., *mit allem seinen Hohn treiben*. Alibi additur accusativus. Cic. pro Mil. 12: *se posse eludere rem publicam in istis suis cogitatis furoribus*. — *requirere se*] desiderare se, *er vermisse*, nam Thrasea munera illa, sub Nerone in turpitudinem delapsa, neglexerat. Cfr. C. 22. Dübn. Propter sequentia cogita hanc esse structuram: «se vehementer miraturum fuisse, cur omnia illa munera publica negligeret, nisi prorsus contra instituta et caerimonias maiorum, qui iis religiose satisfacere semper solebant, Thrasea, ea obstinatissime negligens, immo violans, palam et factis non dubiis se hostem patriae profiteretur.» Nolim vero Doederl. auctore v. *nisi* transponere post v. *maiorum*: etenim mire sane sic scripsisset: *requirere se* - - *in iure iurando civem contra instituta* - - *maiorum*. Quomodo autem hoc explicare conetur apud ipsum videndum est. — *consularem*] *Consularis* Thrasea appellatur, quod ortus ex familia, in qua consulatûs honor erat, vel quod ab imperatore inter consulares allectus erat. De quo seculi a Christo primi et secundi usu cfr. Marinius *Frat. Arv.* II. p. 794. et p. 804. Ritter. «Non nominatur Thrasea in Fastis consularibus. Fuisse videtur suffectus. Sed fuit haud dubie consul, non inter consulares solum ascitus; quoniam supra Nero: *plerique adepti consulatum et sacerdotia*; quae manifesto in Thraseam dicta sunt.» Doed. Neque vero Marinius dicit «seculi primi et secundi», sed scienter «tertii et quarti.» — *agere senatorem*] quales liberrime sese gerebant veteris rei publicae temporibus. — *solitus*] olim, antequam desineret senatui adesse. Sic si explicaveris, statim videbis Agr. *ageret*, a Bipontinis et Oberlino receptum, necessarium non esse. — *pacem*] Confecto Armeniaco bello, tunc quasi pacato terrarum orbe Ianum clausit Nero, quo trahendi nummi Neronis, de quibus post alios egit Eckhel D. N. VI. p. 273. In eorum postica legitur: *PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT.* item *PACE. P. R. VBIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT.* Suet. Ner. 13: *Ianum geminum clausit*, *tam nullo quam residuo bello* (cum Lipsio Hase: *tamquam nullo* cet.) — *pro solitudine*] non magis adiret quam solitudo adiri solet. — *qui minitaretur exsilium suum*] quasi id ubique seditiones excitaturum foret, ita ut in principis exitium verteret.

29. *celebritate*] crebritate, ut Cic. ad Fam. 7, 2: *nos hic multitudine et celebri-*

obiectum nisi tristem patris fortunam, quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset. enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. (30) atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur, orditurque de amicitia Rubellii Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset, alendo seditiones civitatium. vetera haec: sed recens et quod discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam Magis dilargita esset. acciderat sane pietate Serviliae (id enim nomen puellae fuit), quae caritate erga parentem, simul inprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox adferret. igitur accita est in senatum, steteruntque diversi, ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in exsilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. (31) tum interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria et aram com-

2. *seuit.* M. — 3. *extorrẽ magi* M. — 4. *torius sauinus* M. — 5. *rubelli* M. — *procos.* (per compendium) M. — 6. *adc.* M: *acc.* B. — *alendos editiones* M. — 7. *et quot* M. Mutatum in Agr. (*et quo* Iac. Gronovius, *et quo tum* Doederlein. Hoc *quod* quoniam pronomen est, sequens vero coniunctio, hic offendere minime debemus.) — 8. *conect.* M. — *sanae* M. — 10. *inpr.* M: *impr.* B. — *etatis* M. — *aliut* M. — 11. *nichil* M. — 12. *adf.* M: *aff.* B. — 14. *exsilio* superscr. ũ litterae *o* M. — *viduata* non om. M, ut apud Waltherum narrat Victorius.

tate iudiciorum - - distinemur. — *concidisset*] condemnatus esset, ut C. 21. — *protulerit ingenium*] in lucem, ut plene Cic. pro Arch. 6. Suet. Ner. 25: *quod in ea urbe primum artem protulerat.* Laude *ingenii* simul significat facetum et iocosum, neutiquam famosum fuisse eius carmen. Sensus est: *Enimvero Montanum probae iuventae esse, neque famosi carminis convictum, sed quia protulerit ingenium ac propterea principem poëticam facultatem stolide affectantem laeserit, extorrem agi.* Omissum *sed*, ut Agr. 37. Sic fere Doederlein: fortasse tamen simplicius etiam vv. *famosi carminis* iungas itidem cum v. *esse*, supplendo cogitatione *compositorem*. Recte, opinor. Roth ad Agr. p. 141: «Durior genitivus *famosi carminis* mollior fit per oppositionem ad vv. *probae iuventae*, ut apud Sal. Cat. 5. et 7: *alieni appetens*, *sui profusus*, et *laudis avidi, pecuniae liberales.*»

30. *ingreditur*] curiam, senatum. Erat enim eques dumtaxat exspectabatque foris, dum tempus adesset Soranum accusandi. — *adcommodatum*] utilem, ex quo gloriam captaret alendo primo seditiones civitatium, dein easdem sedando. — *quae - - consultaverat*] Vulgaris ordo, quem sprevit Tacitus, esset: *quae caritate - - consultaverat, non tamen aliud quam* cet. — De re Schol. Iuven. 6, 552: *Faciet, quod deferat ipse*] *Hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareae Sorani, quamquam ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni. Ob quam rem mori cum patre iussa est a Nerone*: ex correctione Schopenii; et 1, 33: *magni delator amici*] *Nonnulli dicunt Egnatium Celerem, Bareae Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit, et ipse postea sub Vespasiano, ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.* — *nuper*] inter coniuratos; vide 15, 71. — *videbatur*] sibi ipsa, ut 15, 2.

31. *cultus dotales*] Vides hinc istas magorum consultationes propter ipsum periculum, quod incurrebant, admodum ma-

plexa, «nullos» inquit «impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, vos, patres, servaretis incolumem. sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent. viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit. nescit tamen miserrimus pater; et si crimen est, sola deliqui.» (32) loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque non illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem nosci potuisse, non criminibus mariti connexam: nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcunque sortem subiret. simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent. mox datus testibus locus; et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces. (33) idem tamen dies et honestum

1. *aliut* M. — 2. *p̄cibus* M. — 4. *dedit* M. — 5. *michi* bis M. — 8. *plautio* M. — 9. *conexam* M. — 10. *quamcūque* M. — 11. *interiectis* M. — 12. *seuit.* M. — 13. *P.* M: *Publius* B. — 15. *honesti et exerciti* M. Correxit Lipsius. — 16. *subdolus* M: *et subdolus* cum Spir. et Beroaldo B.

gno constituisse. — *altaria et aram*] Veneris Genetricis, in cuius templo senatus habebatur. Similiter Plin. Pan. 1: *Electus inter aras et altaria.* Quintil. Decl. 12, 26: *aris altaria imponere.* «Scil. *ara* proprie est ipsa structura lapidea, *altare*, ἐπιβωμίς, pars superior, ornatior, cum sacra supellectile.» Duebn. Cfr. Serv. ad Virg. Ecl. 5, 65: *en quattuor aras; Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo;* ubi vide Voss. — *impios deos*] Haud incommode Doederlein interpretatur: «quos invocare impium est, externos deos, magorum tantum superstitione exsecrabili cultos:» quorumque cultus publice vetitus erat. Alii cogitant de dis inferis, quos magi incantamentis suis evocabant. — *nullas devotiones*] ἀπὸ κοινοῦ supplendum *imprecata sum.* Cfr. ad 1, 17. Bach. — *dignitatis*] matronalis. Additur autem per epexegesin pro *gemmas et vestes*, *quae dignitatis insignia erant.*

32. *separarent*] «Separarent modo causam filiae a sua; tum se facile ac libenter omnes poenas toleraturum.» Observanda elegantia in part. *atque* (pro *ac tum*), ut in illo archimimi apud Suet. Vesp. 19: *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent.* Ern. — *P. Egnatius*] qui Hist. 4, 10: *P. Celer* nominatur, et sic etiam Dio 62, 26. De eodem Iuven. 3, 116: *Stoicus occidit Baream delator amicum discipulumque senex, ripa nutritus in illa, ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.* (Beryti, urbe Phoenicia, ut notant interpretes.) — *imaginem*] Quam Cicero saepe dicit *speciem et simulacrum* vel *formam et tamquam faciem honesti.* Ern. *(Ideal, Urbild.)* — *reclusa*] simul atque eum emptum fuisse ad Soranum perdendum patefactum esset, immania eius vitia omnia apparuerunt, neque ea ultra occultare poterat; *als vermittelst des Geldes dieser Charakter offenbar wurde* Gutmann; *l'argent mit au jour tous ses vices* Louandre. — *amicitiae fallaces*] in amicitia; nota hanc cum gen. constructionem.

exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exsilium actus, aequitate deum erga bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies et quaestoria insignia tribuuntur. (34) tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperascente iam die. illustrium virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori; cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et disso-

2. *bythinos* M. — 3. *exilium* M. — *aequitatē* M. — 4. *dm* cum lin. M. — 6. *re.p.* M. — 7. *aeprio* M. — Habet h. l. *Ostorio* M. — 8. *ad*] *a* M. — 10. *frequenteegerat* (cum lin. super priore litt. *t*, id est, *frequenter egerat*) M. — *intentū* M. — 11. *vultus* M: *voltus* B. — 12. *naturae* M.

33. *Cassii Asclepiodoti*] Nicaeensis. Cfr. Dio 62, 26: ὁ μὲν Ἀσκληπιόδοτος οὐχ ὅπως κατεῖπέ τι αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον καλοκἀγαθίαν οἱ προσεμαρτύρησε· καὶ διὰ τοῦτο τότε μὲν ἔφυγεν, ὕστερον δὲ ἐπὶ Γάλβου κατήχθη. — *labentem*] *labantem* Reg. Agr. Corb. probante Ryckio. Sed Ernestius *labentem* bene defendit ex opposito *florentem*. Nam flos, qui prius florebat, deinde cadit vel labitur. — *aequitate deum*] *Aequitatem* vocat indifferenter aliquid ferre, nihil ad id commoveri. Gron. Nam di bona et mala, honesta et turpia facinora aequaliter admittunt, fieri sinunt; quod quis negabit? Inest tamen nescio cuius maeroris in hac sententia significatio, quae historiae dignitati nequaquam adversatur, ut sine causa timuit Hoffmeister. «Burnoufil interpretationem: *Ainsi la justice des dieux opposa un bon exemple à un mauvais:* excludit vocabulum *erga*.» Dübn. Optime Gutmann: *so schauen die Götter mit Gleichmuth auf gute und böse Thaten.* (Quomodo autem Hoffmeister *Weltanschauung des Tacitus. Essen* 1831. p. 100. interpretari potuerit: *nach der Gerechtigkeit der Götter gegen gute und schlechte Handlungen*, equidem haud intelligo.) — *concessus*] condonatus, neque interfectus nec in exsilium actus. — *ne in re publica*] Accipio, ut Romae quidem esse ei liceret, sed procul ab honore omni et publicis muneribus. Lips.

34. *quaestor consulis*] Nam inde ab a. u. 716. Appius Claudius et C. Norbanus cos. primi binos quaestores habuerunt teste Dione 48, 43: οἷς πρώτοις δύο ἑκατέροις ταμίαι συνεγένοντο. Cfr. 58, 4. Et cfr. Grut. 452, 5: *P. PLAVTIVS — — Q. (quaestor) TI. CAESARIS. AVGVSTI. V. CONSVLIS.* Tales autem iam sub Tiberio interdum mittebantur ad mortis necessitatem viris illustribus denuntiandam. Dio 58, 4: Τῶν δ' ἄλλων πολλοὶ καὶ ὀνομαστοὶ ἐφθάρησαν, ὧν καὶ Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος. ἀσεβείας γὰρ ἐς τὸν Τιβέριον ἐγκληθεὶς - - καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα, αὐτός τε ἑαυτὸν ἔτρωσε καὶ ἐκείνῳ το τραῦμα δείξας, Ἀπάγγειλον, ἔφη, τῇ γερουσίᾳ, ὅτι ἀνὴρ οὕτως ἀποθνήσκει. — *Demetrio*] Seneca de Benef. 7, 8: *Paullo ante Demetrium rettuli, quem mihi videtur rerum naturam nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi nec nos ab illo corripi* (sic Fickert; al. *corrigi*) *posse: virum exactae, licet neget ipse, sapientiae firmaeque in his quae proposuit constantiae, eloquentiae vero eius quae res fortissimas deceat non concinnatae nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin providentia et talem vitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum seculo nostro aut convicium deesset.* Cfr. Ep. 20: *non praeceptor veri, sed testis.* Ep. 62: *Demetrium virorum optimum mecum circumfero et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror. Quidni*

ciatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus ex intimis amicis, et ei quid senatus censuisset exposuit. igitur flentes queritantesque qui aderant, facessere propere Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque tentantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi, monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere. (35) tum progressus in porticum, illic a quaestore reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit; porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore «libamus» inquit «Iovi liberatori. specta, iuvenis;

3. Habet *queritantesque* M, non *querentesque* Reg. Agr. Spir. nec Rhenani *quiritantesque*. — *facescere* M. — 4. Habet *miscere* M, non *miscerent* Agr., Oberlini, Duebneri. — *hortantur* M. — *temptantem* M. — 7. *questore repperitur* M. — 8. *italiā* M. — 10. *brachiis* M. — 11. *questore* M. — *libamus* M: *libemus* cum Guelf. et Puteolano B. — *iobi* M.

admirer? Vidi ei nihil deesse. Vox eius magni animi ad Neronem: Ἀπειλεῖς μοι θάνατον, σοὶ δ' ἡ φύσις. Arrian. 1, 25, 22. Philostr. Apoll. 4, 25: Ἐν Κορίνθῳ δὲ φιλοσοφῶν ἐτύγχανε τότε Δημήτριος, ἀνὴρ ξυνειληφὼς ἅπαν τό τε ἐν Κυνικῇ κράτος - - -, παθὼν δὲ πρὸς τὸν Ἀπολλώνιον, ὅπερ φασὶ τὸν Ἀντισθένην πρὸς τὴν τοῦ Σωκράτους σοφίαν παθεῖν κτλ. Lips. — *Cynicae institutionis*] de qua tunc resurgente consule Ritter et Preller Hist. philos. p. 436. Iuven. 13, 121: *Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit A Cynicis tunica distantia.* — *Domitius Caecilianus*] hoc uno loco memoratus. — *queritantesque*] V. *queritor* videtur nunc ἅπαξ λεγόμενον· nam in Plin. Paneg. 29., unde affert Forcellinus, rectius nunc legitur *quiritantibus*, id est, Quiritium fidem atque opem implorantibus; item Plin. Epp. 6, 20, 14., unde Oberlinus affert *infantium queritatus*, rectius Döring *quiritatus*. Vide etiam Ernestii adnot. ad h. l. — *neu - - miscere*] Retinendum erat hoc σολοικοφανές, maxime quia simile est illud 1, 35: *neu mortem in iisdem laboribus - - orabant.* — *Arriae matris*] Ea uxor fuit Caecinae Paeti, qui in partibus Scriboniani contra Claudium; ideo ad mortem actus; sed praeivit uxor. Plin. Epp. 3, 16: *Praeclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam: Paete, non dolet!* Idem narrat Martial. 1, 14. Dio 60, 16. Zonaras 11, 9.

35. *porrectisque*] medico puta domestico, servo vel liberto. Mire Critici verbum integerrimum coniecturis fatigarunt: Acidalius volebat *prosectis* (in quod incidit etiam Freinshemius) vel *perictis*; Ernestius *perruptis*. — *libamus*] Hanc Med. lectionem praetulerunt Walther, Bach, Duebner. «Atque hoc rectius; nam inceperat iam spargere cruorem, cum arcesseret quaestorem, eique, quid haecs parsio vellit, his verbis exponit. Accedit auctoritas Schol. Iuven. 5, 36: *Thrasea defendi se noluit secandasque venas praebuit conversusque ad Demetrium Cynicum: Nonne tibi libare videor Iovi liberatori?* et Dionis 62, 26: Σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα, ὦ Ζεῦ ἐλευθέριε, σπένδω. Doed. Alias Thraseae voces servavit Dio Vol. IX. Ed. Sturz. p. 102: Θρασέας βουλευτὴς ἀναιρούμενος ὑπὸ Νέρωνος ἔφη, Εἰ μὲν ἐμὲ μόνον ὁ Νέρων φονεῦσαι ἔμελλεν, ἤλγουν· εἰ δὲ τῶν σφόδρα ἐπαινούντων αὐτὸν οὐ φείδεται, οὐδὲν χεῖρόν μοι ἐντεῦθεν γενήσεται· ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν συναπόλλυνται, ἐμοῦ δὲ μνήμη γοῦν τις εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔσται· ὁ γὰρ Νέρων ἀποκτεῖναι μέν με δύναται, ἀπολέσαι δὲ οὐ δύναται. Et p. 104: Θρασέας γνώμην ἀπεφήνατο ἀνδρὶ βουλευτῇ ἐσχάτην εἶναι τιμωρίαν τὴν φυγήν. Arrian. 1, 1, 26: Θρασέας εἰώθει λέγειν, Σήμερον ἀναιρεθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι. — *Iovi liberatori*] Vide 15, 64. — *iuvenis*] quaestores tunc fiebant iuvenes XXV — XXVII. annos nati. —

et omen quidem dii prohibeant: ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.» post lentitudine exitus graves cruciatus afferente, obversis in Demetrium * * *

1. *caeterum* M. — 3. Habet *obuersis* M, non, ut narrat Victorius, *obversus*, quemadmodum edidit Walther.

Demetrium * * *] Multa et huic libro et Neronianae historiae deesse clarum. Duo anni dicendi supersunt, in quibus de adventu Tiridatis, de coniuratione Viniciana, de motu Vindicis aliaque digna, quae a magno auctore tradita legeremus, si fatis ita visum fuisset. Lips. Periit narratio rerum gestarum ad finem huius anni 819. annorumque 820. et 821. sive 67. et 68. post Chr., cuius postremi a. d. V. Id. Iunii cecidit Nero atque exstinctus est sanguis Caesarum et Claudiorum. Galba a praetorianis et senatu imperator creatus ex Hispania arcessitur, cuius etiam primordia hac in cura exposuit, Historiarum initium faciens ab altero Galbae consulatu a. d. Kal. Ian. 822. inito.